UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Bernardi Primi Claræ vallensis Abbatis, Ordinis Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris Sermones In Dominicas & Festa per annum

Bernardus <Claraevallensis>

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

Visual Library

Th. 1339.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D. BERNARDI

Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis Cistercienſium Anteſignani, melliflui Eccleſiæ Doctoris

SERMONES

In Dominicas & Feſta per annum

denuò in lucem editi, operâ et impenſis

F. BERNARDI, Ordinis eiusdem ad Montem Pomærium Superioris Auſtriæ humilis Abbatis.

SALISBVRGI

Typis IOAN. BABTISTÆ MAYR Aulico-Academ. Typ. et Bibliop.

M. DC. LXVI.

Collegij soc. IESV Paderbornæ 1669

Mella legis, mea Scripta legens, cum flumine Lactis
Indidit hæc labris, mellea Virgo meis.

B. Schruman d. Paulus Sreel Sc.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



DIVO BERNARDO ORDINIS CISTERCIENSIUM ABBATI PRIMO, DOCTORI MELLIFLUO,

VOTUM, PIETATEM, ET OBSEQVIVM HVMILLIMVM, DEVOTISSIMVM.

FIdelis Sermo, & dignum omni acceptione eloquium, quod eminet in operibus tuis, O DOCTOR MELLIFLUE, provocat humilitatem meam, denuò in lucem producere mellea Verba oris tui, & centies recusos iterùm recudere Sermones tuos, *quoniam declaratio Sermonũ tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis,* simúlque ad pietatem ita inflammat, ut nemo Te legat, qui cum Psalte non dicat, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis.* Nemo Te loquentem audiat, qui cum Davide non sentiat, *factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Nemo Sermones tuos cum pietate per-

S. Bernard. de bon. deser.

Psalm. 118

Psalm. 38

Psalm. 21

percurrat, qui cum Regio Vate non exclamet,
Psalm.72 *Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt.*

Ioan.5 LUCERNA *quippe ardens & lucens es.* LUCENS, quia claritate doctrinæ *illuminas tu mirabiliter à*
Psalm.75 *montibus æternis* omnes qui operantur iniquitatem, *ut abiiciant opera tenebrarum, & induantur arma lucis.*
Rom.13 ARDENS, quia in spiritûs ardore inflammas vehementer ad operationem Virtutis omnes, qui diligunt Dominum, *ut ponant in Deo*
Psalm.77 *spem suam, & non obliviscantur operum Dei, & mandata eius exquirant.*

LUCENS, quia dedit te Dominus Ecclesiæ suæ Columnam Nubis, ut ab hostium insidiis de-
Psalm.106 fenderes Castra filiorum Israel, & *deduceres eos in*
Psalm.77 *portum voluntatis eorum;* atque in Verbo prædicationis, velut *in illuminatione ignis luceres eis per noctem,* & ostenderes eis viam bonam per quam ambulent. ARDENS, ut in ostensione spiritûs & virtutis zelares super iniquos, qui transierunt
Psalm.72 in affectum cordis, & converteres corda eorum
Luc.1 ad Dominum, & *incredulos ad prudentiam justorũ.*

LUCENS, quia calculus ille ignitus Sermonis
Isa.6 Dei, quem Seraphim forcipe tulerat de altari, etiam tetigit os tuum, & dedit Dominus Verba sua in ore tuo, ut eorundem splendore illuminares omnes, *qui in tenebris, & in umbra mortis se-*
Luc.1 *dent, ad dirigendos pedes suos in viam pacis.* AR-

DENS,

DENS, quia constituit te Dominus in Ecclesia sua super excelsam terram, *& super gentes, & regna, ut evellas & destruas, & dispердas, & dissipes, & ædifices & plantes.* Verè ardens eras, ô DOCTOR MELLIFLUE, ac *vehementer accensus, quem sic præoccupavit flamma cœlestis,* ut jam ab utero matris per Spiritum sanctum sub specie catelli latrantis segregatus fueris *in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi,* in numerum Evangelizantium pacem, ut vehementi latratu prædicationis lupinas hæreticorum fauces comprimeres, gregem Dominicam indefesso conamine protegeres, & *quod* de ovili Domini *perierat, requireres, quod abjectum erat, reduceres, quod confractum fuerat, alligares, quod infirmum, consolidares, & quod pingue & forte, custodires.* Quod quàm bene, quámque gloriosè perfeceris, etiamnum enarrant populi, & laudem tuam enuntiat Ecclesia, *quoniam in potestate erat sermo tuus, & Verbum tuum quasi facula ardebat.*

Ierem. 1

S. Bern. Ser. de S. Jo. Bapt.

Ephes. 4

Ezech. 34

Luc. 4.
Eccli. 48

Neque verò solùm Lucerna ardens & lucens es, sed etiam melleâ eloquentiæ tuæ suavitate interiora animi ita demulces, ut non sint loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, clamantium & dicentium, MELLEA LINGVA LOQVI, BERNARDI PRIVILEGIVM EST, NON DABITVR ALTERI. Quidquid enim loqueris favus est; quidquid eructas, Verbum bonum est; quidquid effaris, mel & saccarum est; Verè ve-

rè in Verbis gratiæ, quæ procedunt de ore tuo,
Cant.4 est *favus distillans labia tua, mel & lac sub lingua*
tua, & eloquia tua *desiderabilia sunt super aurum*
Psalm.18 *& lapidem pretiosum multùm, & dulciora super mel*
& favum. Obinde omnes, qui te legunt, adhuc
Iub.S.Bern. esuriunt; qui te bibunt, adhuc sitiunt; & aliud
desiderare nesciunt, quàm abundantiùs inebriari
ab ubertate melleæ doctrinæ tuæ, & *torrente vo-*
Psalm.35 *luptatis tuæ potari.*

Etsi autem, ô Doctor Melliflve, mel & favum sub linguâ geras, & ima perungas: attamen sub illa etiam aculeum punctionis gestas, quo corda compungas. *Habet apis*, te teste, *mellis*
S.Bern.Ser. *dulcedinem, habet & aculei punctionem*, Habes &
2.de Advent. tu in dicendo melleam dulcedinem, in perorando angelicam suavitatem, *mel enim & lac sub lin-*
Cant.4 *guâ tuâ, & velut vitta coccinea labia tua, & eloquium*
tuum dulce. Habes autem & apis instar aculei
Psalm.118 punctionem, quia *configis timore Dei carnes nostras,*
ut à judiciis tuis timeamus. Time, inquis, *scrutinium*
S.Bern.Ser. *judicis, qui desideras adventum salvatoris*: ille enim
55.in Cant. qui dixit, *scrutabor Ierusalem in lucernis, nihil in-*
scrutatum relinquet, quoniam scrutabitur etiam renes
& corda, ipsáque cogitatio hominis confitebitur illi.
Eccle.11 Ungis ergo & pungis velut *brevis in volatilibus*
Apis. Ungis, quia *molliti sunt sermones tui super*
Psalm.54 *oleum.* Pungis verò, quia *ipsi sunt jacula.* Jacula, inquam, medullas cordium penetrantia, *vivus*
enim

enim est sermo tuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs. Hebr. 4

Senserunt aculeum punctionis tuæ etiam reges & principes, quos sine personarum acceptione, magnâ spiritûs libertate perstrinxeras. Ludovicus Galliæ Rex innocentium sanguine fœdatus, ac Pontificio anathemate percussus, ab impietatibus suis non resipuisset, nisi tu terribilibus eum comminationibus *per terribilem eum, qui aufert spiritum principum, terribilem apud reges terræ*, ad resipiscentiam induxisses. S. Bern. Ep. 220 Guilielmus Aquitaniæ Dux, magnus ille Schismatum fautor, & Ecclesiæ persecutor, non surrexisset è terra cum Saule emendatus, nisi per te priùs flagello linguæ in terram fuisset prostratus. Non evasisset hic prævaricator in Ecclesia Dei ad tantum sanctitatis fastigium, nisi acerrimum correptionis tuæ persensisset aculeum. Repetiisset violenter Episcopales investituras Ecclesiæ Imperator Lotharius, nisi per te gladio linguæ efficaciter fuisset repressus. Victor & Petrus Pseudopontifices coram legitimo Christi Vicario Capita sua non humiliassent, nisi aculeata suada eloquentiæ tuæ eorumdem corda ad humiliationē stimulasset. Illis calamitosis temporibus, dum omnia hæresum, schismatúmque dissectionibus plena erant, gratulabatur sibi Ecclesia, quód in te

ta-

talem ac tantum Præconem, novúmque Eliam nacta fuerit, qui igneo zelo, ac potenti virtute *ungeres reges ad pœnitentiam, & confringeres potentiam eorum, & conciliares cor Patris ad filium, & restitueres tribus Iacob,* id est, Ecclesiam in decorem suum; *hinc beati qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt.* palam videntes, quòd eloquium Domini inflammaverit te, *ut erudires principes eius, sicut temetipsum, & senes eius prudentiam doceres.*

Eccli. 48

Psalm. 104

Et quoniam non in sapientia hominum sed in virtute Dei erat prædicatio tua, *sapientiam enim non huius sæculi, sed Dei sapientiam loquebaris inter perfectos,* hinc fiebat, quôd non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, neque in Rhetorum lenociniis, aut Philosophorum argutiis, sed in sapientia & scientia Dei, ac sacræ Scripturæ intelligentia & authoritate radicares sermones tuos, pene nec verbulum proferens, nec lineam scribens, nec periodum efformans, quam non sacrâ paginâ, aut sacræ paginæ mirâ explanatione decorares; ita ut sacros codices aut omninò devorasse, aut totos in succum ac sanguinem tuum convertisse videaris. Verba etenim verbis, sententias sententiis, dictáque dictis ad invicem ita artificiosè intexis; illáque cum tuis tã mirâ jucunditate, ac jucundâ varietate in unum coagulas, ut illud Moysis meritò tibi occinendum sit, *concrescit ut pluvia doctrina mea, fluit ut ros eloquium me-*

1. Cor. 2

ibid.

Deut. 32

um meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina. dicendúmque cum Salvatore, *non estis vos, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Matt. 10.

Hanc gratiosam Verborum, sententiarúmque coagulationem comitatur abstrusa quædam & profunda sacrarum Scripturarum intelligentia, è quibus quàm miros sensus, quámque recondita rerum divinarum mysteria eruas, palam est omnibus, qui tua scripta pervolvunt. sive enim in sublimium Canticorum explanatione, linguæ tuæ, velut calamo scribæ velociter scribentis, pennas relaxes: sive in epistolaribus colloquijs exuberantis animi sensum, spiritu Dei plenum indiscriminatim effundas, sive in sermonibus tuis, mira eruditione digradiaris per florida viridaria campi sacrarum paginarum, *Iob. 28.* semper *profunda fluviorum scrutaris, & abscondita profers in lucem;* ut nemo non videat, nemo non manibus prendat, quàm oppidò sublimis *Prov. 8.* *cum sapientia habites in consilio, & eruditis intersis* *Eccli. 39.* *cogitationibus, atque in absconditis parabolarum conversetis, & occulta proverbiorum exquiras.* Neque mirum! quia DILECTI illius DISCIPULI, qui supra pectus Domini in Cœna recubuit, CONDISCIPULUS extitisti, quocum talia arcana è Christi in Cruce pendentis latere, cujus dextera amplexabatur te, velut *de ipso sacro Dominici pectoris fonte potasti.* *Brev. Rom.*

Prætereà, quid de tua in Deiparam Virginem, quam Sermonibus tuis tantopere extollis, eviſceratâ pietate commemorem? quot verba, quot lineæ, penè dixerim, tot ſtimuli pietatis Marianæ! Etenim dum te diffundis in ejus laudes & præconia, mirâ ſpiritûs exultatione præconizas eam *regiis ortam natalibus, cœlitùs promiſſam Patribus, myſticis præfiguratam miraculis, propheticis prænuntiatam oraculis, quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.* Dum te diſtendis in deprædicandum eius irrefragabile patrocinium; incredibili pietate cunctos impellis recurrere ad Mariam Matrem gratiæ, Matrem miſericordiæ, quia *per gratiam, quam invenit, per prærogativam quam meruit, per miſericordiam, quam peperit,* ſecurum habemus acceſſum ad thronum gratiæ Filij ſui, *qui totum nos habere voluit per Mariam.* Dum denique pientiſſimam Matrem cordiali fiduciâ, & filiali confidentiâ pius piè alloqueris; illam verbis pietate plenis amorosè compellas, *Non nominari potes, ô Maria, quin accendas; nec cogitari, quin recrees; nec piæ memoriæ portas ingrederis, quin dulcedine tibi divinitùs inſitâ ſtatim tui amore inebries.* Et quid ni totus in Marianam pietatem diffluueres, qui ejus uberibus tam benignè lactatus es? Quid ni totus in illius amorem liqueſceres, qui tantæ Matris lacte potatus, Chriſti Collactaneus tam dignanter effectus es?

S. Bern. Ser. ſignum mag. & ſerm. 4. de Aſſumptione.

S. Bern. Ser. 2. de advent.

S. Bern. Ser. de aquæ ductu.

S. Bern. Ser. panegyr. de B. V.

S. Bern medit. at. ſup. Salve Reg.

ctus es? Lac ergo pietatis Marianæ quod bibisti, etiam sermonibus tuis eructasti; & lacte hoc, quo maduisti, etiam corda nostra depluisti, ut traheres illa in odorem unguentorum ejus, & *afferres Regi virgines post eam, & adduceres in templum Regis.* Psalm. 44.

Sisto itaque, O Beatissime Pater, conspectui tuo noviter impressos sermones tuos: non ut illis superadijciam, *quis enim adiiciet super omnem laudem tuam?* Psalm. 70. sed quatenus novo hoc typo te iterum introducam in orbem terrarum, ut melleâ linguâ tuâ rursum *annuncies nobis omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion*: Psalm. 72. & ambrosijs sermonum tuorum illecebris idipsum denuò, quod olim, efficias, *ut derelinquant impii viam suam, & viri iniqui cogitationes suas, & revertantur ad Dominum*: Isa. 55. impleatúrque illud, etiam nostris temporibus, ab Alexandro III. in tua Canonizatione pronuntiatum oraculum, *infinitam multitudinem peccatorum per viæ sæcularis latitudinem incedentem, ad spiritualis vitæ rectitudinem revocasti.*

Tibi ergo, Antistes sanctissime, quã tanta ditat sanctitas, tanta exornat charitas, tanta sublimat humilitas, dico ac dedico elucubrationes tuas, quia tuæ sunt, & de manu tua accepimus. Tibi, inquam, illas defero ac cõsecro, qui es nostræ religionis deliciũ, suaviloquentiæ miraculũ, religiositatis speculum, pietatis prodigium, & totius Ecclesiæ ornamentum!

mentum! & cui magè quam tibi? Si enim *flumina ad locum unde exeunt, iterum revertuntur*, quid
Eccl. 1. ni ad te, velut ad nativum facundiæ suæ sinum revertentur sermones tui? revertuntur autem ad te, ut fluminum instar te patrocinante iterum fluant, & de plenitudine tuâ accipiant universi.

Accipe ergo, beatissime Pater, quod tuum est; & gratificare votum, quod meum est. Tuum est, quod offero: meum verò est pietatis obsequium, quod debeo. Tibi merces & gloria pro opere: mihi ex tua benignitate sit gratia pro impressione. Opus ergò manuum tuarum respice: & opera manuum mearum dirige. Refove novum typum, quem voveo; & voventis animum protege, quem ad sanctitatis tuæ pedes supplex inclino, prosterno, abjicio.

Humillimus tuus cliens ac devotissimus filius.

Fr. BERNARDUS Abbas Montis Pomerii.

Præfatio

Præfatio ad Lectorem.

OMnia Divi BERNARDI Opera, Amice Lector, congeſſit in unum corpus admodùm Reverendus Dominus Jacobus Merloni Horſtius Sacræ Theologiæ Licentiatus, vir omni veneratione vel obinde dignus, quod magno molimine, ac improbo labore cuncta melliflui Doctoris ſcripta (quæ hactenus quidem ſæpè typis excuſa, innumeris tamen erroribus referta, ac penè ſine ordine perquam confuſa, velut rudis, indigeſtáque moles in lucem prodierunt) in meliorem formam, & aptiorem ordinem redegerit, à mendis expurgaverit, adulterina à veris, aliena à propriis, ſpuria à genuinis ſegregaverit, & quæ Bernardi ſtylum non ſapiebant, nec eius olebant ingenium, ſuccideritreſtituerítque Authorem priſtinæ puritati ſuæ, quæ talem, ac tantum Doctorem decebat. Ceſſit Horſtio ad votum feliciter intentio; ceſſit & Divi Bernardi amatoribus ad ſolatium eiusdem editio, quam nemo non laudat, qui illam participat, nemo non commendat, qui illam manibus terit, & verſat.

Verumtamen quia opus grande eſt, pluribus voluminibus diſpartitum; non omnibus præſto ſunt ſumptus tantæ molis comparandæ; neque cuilibet datum eſt, omnibus voluminibus animum impendere, maximè parochis & ſacerdotibus, qui ruri ſunt, quibus ob quotidianas tum rei ſacræ, cùm domeſticæ occupationes tempus non vacat ex epiſtolaribus Divi Bernardi congreſſibus, Canticorum abſtruſis explanationibus, aut aliis tam myſticis, cum aſceticis diſcurſibus primùm novas pro diebus feſtis, & dominicis magno ſtudio ac labore concionescruere, ac currenti per ſingulas vices Evangelio adaptare. Taceo etiam regularibus domi degentibus, qui tanti Doctoris piâ lectione plurimùm afficiuntur, tantorum mole voluminum non ſatis eſſe conſultum, cùm ſinguli ſingula, in numeroſo conventu habere

non possint. Eâ de causa multi, quibus nec tempus studendi, nec sumptus coëmendi omnia opera suppetunt, solos sermones eiusdem Melliflui Doctoris, in Festa ac Dominicas, aliaque anni tempora jam accommodatos, & ordinario Præconi hebdomatim è suggestu declamanti peropportunos, à tantâ mole seorsim excusos videre cupiebant.

Subiit obinde animum pia pariter ac sancta cogitatio, me non solùm DEO, Divóque Bernardo, sed etiam iis, qui crumenæ vacuitatem causant, vel brevitatem temporis ad studendum accusant, aut penuriam, & paucitatem omnium voluminum simul conqueruntur, facturum opus pergratum, si tancti Doctoris Sermones, alioqui millenis typis dignissimos, à cæteris voluminibus segregatos, seorsim in lucem emitterem, & tam illorum tenuitati, quàm horum, aliorúmque commoditati consulerem. Subiit, inquam, animum hæc pia cogitatio; invitavit ad typum multorum persuasio; evicit tandem animi præcordia tenerrima in mellifluum Doctorem devotio.

Exhibeo itáque tibi, amice Lector, sub novo typo novos favos, novos sermones; non quidem eatenus novos, quasi ab Api argumentosa D. BERNARDO primùm confectos, atque ex alveario suo depromptos; suaptè enim naturâ perantiqui sunt, & Authori suo coævi; sed quia tui gratia novum typum induunt, novam lucem aspiciunt, novámque tibi studendi commoditatem afferunt, non dedignaberis favos hos alioqui antiquos, sub nova tamen hac typi forma tibi porrectos, gratanter accipere, frequenter libare, ac in tui, tuorúmque auditorum utilitatem fructuosè convertere. Si qui fuerint, ut mihi persuadeo, qui reliquos ingenii fætus tanti Doctoris sub pari formula, quâ præsentes tibi exhibeo Sermones, ad tui maiorem commoditatem in lucem emiserint, DEO gratias rependito, & tam pro me, quàm pro illis divinam clementiam exorato.

FACUL-

FACULTAS REVERENDISSIMI D. VICARII GENERALIS.

NOs Fr. Matthæus Abbas Monasterii Campililiorum, sacri Ord. Cistercienſis per utramque Austriam ac Styriam Vicarius, nec non per Romanum Imperium & Ungariam Commissarius Generalis, Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctor &c. Authoritatem facimus Reverendissimo D. Bernardo Abbati Montis Pomerii Sac. Ord. Cist. ut mellifluos Sermones Theodidacti noſtri Bernardi ab operibus eiusdem seorsim selectos typis mandare possit. In huius fidem has manu noſtra subscriptas & sigillo munitas dedimus. Campililij 3. Maij. 1666.

(L.S.)

MATTHÆUS Abbas Campilienſis.

FACULTAS REVERENDISSIMI METROPOLITICI CONSISTORII SALISBURGENSIS, &c.

Imprimatur.

BALTHASAR ZAUCHENBERGER,
Director.

EPIGRAM-

EPIGRAMMATA.

S. Bernardus Uberibus B. Virginis Mariæ lactatus.

UBera *Christe bibis meritò* Genitricia Matris.
Verùm Bernardus *cur eadémque bibit?*
Qûi potes à Genito Genitrix *famulare* mamillis.
Servulo? & O Fili *qûi tolerare potes?*
Gen. 21. *Num tibi* Bernardus *quoque* Collactaneus Hæres?
Filius Ancillæ *num vice Prolis erit?*
Non decet, ut Famulus Matris Domini Ubera *lingat;*
Sola decet Genitum Virgo Papilla *tuum.*
Ne stupeas! Bernardus Virgo *est:* Virginis *ergò*
Virgineum Famulum Virgo mamilla *decet.*

Aliud in Idem.

QUid *lactas* Virgo Bernardum? Filius Evæ est:
Immaculata *decent* Ubera, *sola* Deum.
Falleris, haud etenim Bernardus Filius Evæ,
Sed meus est, toties qui mihi dixit Ave.

S. Bernardus è latere Christi sanguine potatus.

STipite *pendentem* Dominum Bernardus *adorat,*
In sua divinam Vota precatus opem.
Brachia mox Dominus *magno molimine solvit.*
E cruce, & in servi *colla pudica ruit.*
Stillat & in labium terebrato è corde cruorem,
I, bibe, ait, roseo dilue labra mero?

Protinus

Protinus immersit Bernardus labra cruori
Lactea, *quæ* Matri *diluvianda dedit.*
Quid tibi cum labiis *in* Lacte *&* Sanguine *tinctis?*
Ore *quid &* niveo, Purpureóque *mades?*
Candidus *aît* Sponsus *sum, sum* Rubicundus; *& inde* Cant. c. 5.
Sanguine Labra rubent, Oráq; Lacte madent.

Aliud in Idem.

POcula *cur* rubeo Bernardus murice *tincta*
Haurit ab effosso pectore Christe tuo?
Inde *ait, hunc* roseo *lateris* de nectare *poto,*
Quippe crucis Calicem, *quem* bibi, *& ipse* bibit. Matth. 20.

In melleos Sermones D. BERNARDI.

MElle *saporatos loqueris* Bernarde *liquores;*
Depluis Ambrosios *per tua labra* Cados.
Dum lego, dum relego, & quoties tua scripta revolvo,
Semper in ore meo lingere mella reor.
Vnde tuo dulcis Sermo est, *& amabilis Ori?*
Vnde tibi tantus Mellis *in ore favus?*
Est Apis, *inquè* Volatilibus brevis, *ecce* Redemptor, Eccli. 11.
Dulcia Mella *meis indidit ille* Labris.

Aliud.

Mellei Sermones S. BERNARDI ope Monasterii
Montis Pomærii in lucem prodeunt.

MEl Bernardinum *cur* Mons Pomærius *offert?*
Claræ Vallis *ibi mellificavit* Apis.

Aliud
In novum typum, seu Sermones noviter recusos S. Bernardi

Libat apis de flore favos; tu Carpe recusos;
His pietatis opes mellificare *potes.*

Reverendissimo Et Amplissimo
Domino

D. BERNARDO,

Sac. Ord. Cister. Monasterii Montis Pomærii Abbati, Sac. Cæs. Majest. Consiliario, nec non Inclytorum Statuum Superioris Austriæ inter DD. Prælatos Deputato Ordinario; novi Typi Sermonum S. Bernardi Authori,

D. Domino Suo Gratiosissimo.

Bernardus Bernardum *edit, novitérq; recudit,*
Mellifluúque *novo dat tibi* mella *typo.*
Quisquis eris Lector Sancti; *efficieris amator;*
Te sua vel virtus, vel sua lingua trahet.
Dat Bernardus *opus: dat opes* Pomærius Abbas.
Ille *tibi calamo consulit*, Iste typo.
Gloria sit Divo Bernardo: *præmia verò*
Sint Nostro; *& merito laus quoque magna suo.*

JOANNES BAPTISTA MAYR,
Typographus Aulicus & Academicus
occinit honoris ergò.

INDEX

INDEX SERMONUM SANCTI BERNARDI.

In Adventu Domini.

SER. I. DE *Adventu Domini & sex circumstantiis eius.* 1

II. *In Adventu de verbis Esaiæ ad Achaz.* Pete tibi signum. 6

III. *De triplici Adventu Domini, & de septem Columnis, quas in nobis erigere debemus.* 10

IV. *In Adventu Domini de duplici Adventu & studio verarum virtutū.* 14

V. *De medio Adventu, & triplici Innocatione.* 17

VI. *De triplici Adventu, & Carnis resurrectione.* 19

VII. *De triplici utilitate Adventus Domini.* 22

Homiliæ seu Sermones IV. De Laudibus Beatiss.

Virginis Matris: in illa verba Evang. Missus est Angelus Gabriel. *Luc.* 1. 23. *& seqq.*

In Vigilia Nativitatis Domini.

SER. I. *In illud* JESUS CHRISTUS filius Dei nascitur in Bethlehem Judæ. 56

II. O Juda & Hierusalem nolite timere, cras egrediemini & Dominus erit vobiscum. 59

III. *In eadem Vigilia.* 64

IV. *In eadem Vigilia.* 70

V. *De responsorio* Sanctificamini, *in eadem Vigilia.* 75

VI. *De Annuntiatione ipsius.* 79

In Die Nativitatis Domini.

SER. I. *De fontibus Salvatoris.* 86

II. *De tribus præcipuis Dei operibus & triplici Commixtione.* 90

III. *De loco tempore & aliis circumstantiis Nativitatis.* 94

IV. Et invenietis Infantem pannis involutum. *Lucæ* 2. 97

In Natali Sanctorum Innocentum.

SER. *De quatuor continuis solennitatibus, scilicet Nativitatis Domini ac SS. Stephani, Ioannis & Innocentium.* 102

In Circumcisione Domini.

SER. I. Postquam consummati sunt dies octo. 104

II. *De variis eius nominibus.* 107

III. *De die Octavo.* 109

In Epiphania Domini.

SER. I. *De verbis Apost.* Apparuit Benignitas & hum. *ad Tit.* 3. *Et de tribus Christi apparitionibus.* 114

II. *De Magis, ubi exponitur illud de Canticis,* Egredimini Filiæ Sion & videte Regem Salomonem. 120

III. Ubi est qui natus est Rex Judæorum &c. *Matt.* 2. 122

IV. *De Circumcisione, Baptismo, & Verbo Domini ad Ioann.* Sic decet nos implere omnē justitiam. *Matth.* 3. 126

Dominica prima post Octavam Epiphaniæ.

SER. I. *De Miraculo facto in nuptiis, & de*

eo quod Dominus ait, Et vos similes hominibus expectantibus Dominum. *Luc. 12.* 128
II. *De spiritualibus nuptiis in Evangelica Historia designatis.* 132

In Conversione S. Pauli.

SER. I. *De persecutionibus etiam nunc Ecclesiam affligentibus & vera obedientia: in illa verba* Saule Saule quid me persequeris? 138
II. *De eodem.* 142

In Festo Purificationis B. Mariæ.

SER. I. *De triplici misericordia.* 144
II. *De ordine & modo processionis Christi in Templum.* 146
III. *De Puero, Maria, & Ioseph.* 147

In Septuagesima.

SER. I. 149
II. *De eo quod scriptum est; Immisit Dominus soporem in Adam.* 152

Feria IV. Cinerum & in Quadragesima.

SER. I. Tu cum jejunaveris unge caput tuum. *Matt. 6.* 154
II. *Quomodo debeamus converti ad Dominum.* 158
III. *De Iejunio Quadragesimæ.* 161
IV. *De Oratione & Iejunio.* 163
V. *De triplici modo Orationis.* 165
VI. *De Oratione Domini.* 168
VII. *De Peregrino, Mortuo, Crucifixo.* 170

De S. Benedicto.

SERMO *Vnicus.* 172

In Festo Annunciationis B. Mariæ Virginis.

SER. I. *De verbis Psal.* Vt inhabitet gloria in terra nostra. 179
II. *De septiformi spiritu in Christo.* 186
III. *In festo Annunciationis.* 189

Dominica Palmarum.

SER. I. *De tribus ordinibus obsequentium Christo.* 195
II. *De Passione & processione & quatuor ordinibus processionis.* 197
III. *De quinque diebus: processionis, refectionis, passionis, Requietionis, Resurrectionis.* 200
IV. *Sermo recens adiectus ex Biblioth. Marcianensi.* 204

Feria quarta Hebdomadæ sanctæ.

SER. *De Passione Domini.* 214

In Cœna Domini.

SER. I. *De Baptismo, Sacramento Altaris & Ablutione pedum.* 222
II. Sedisti ad mensam divitis, diligenter attende, &c. 225
SERMO seu Meditatio *In vitam & passionem Domini.* 230

In die Sancto Paschæ.

SER. I. *De septem signaculis quæ solvit agnus.* 241
II. *Maria Magdalena, Maria Iacobi & Salome &c.* 250
III. *De mersione Naaman in Iordane &c. Item de septem Apparitionibus Domini resurgentis.* 255

In Octava Paschæ.

SER. I. *De fide vincente, & tribus testimoniis.* 260
II. *De tribus testimoniis.* 264

In Rogationibus.

SERMO *De tribus Panibus.* 266

In Ascensione Domini.

SER. I. *De Evangelica lectione.* 267
II. *Quomodo ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia.* 269
III. *De intellectu & affectu.* 272
IV. *De*

IV. *De duabus malis ascensionibus Dæmonis & primi hominis & sex bonis Christi & nostris.* 277
V. *De intellectu & affectu.* 284
In Festo Pentecostes.
Sermones Tres. 291. *& seqq.*
In Nativitate S. Joannis Baptistæ.
Ser. unic. *De lucerna ardente & lucente.* 303
In Vigilia SS. Petri & Pauli Apost.
Sermo *Vnicus.* 309
In Festo SS. Petri & Pauli Apost.
Ser. I. 311
II. 312
III. Hi sunt viri misericordiæ, &c. *Eccl.* 44. 317
Dominica IV. post Pentecosten.
De pugna Davidis adversus Goliath. 320
Dominica VI. post Pentecosten.
Ser. I. *De Evangelica lectione, ubi turba triduo sustinens Dominum 7. panibus reficitur.* 323
II. *In ead. Domin. de 7. Misericordiis.* 326
III. *In ead. Dominica de 7. fragmentis Misericordiarum.* 328
In Natali S. Victoris Confessoris.
Sermones Duo. 333. *& seqq.*
In Festo B. Mariæ Magdalenæ.
Sermo unic. 336
In Assumptione B. Mariæ.
Ser. I. 343
II. *De Evangelica lectione,* Intravit Jesus in quoddã Castellum &c. 345
III. *De eodem.* 350
IV. *De eodem.* 354
V. *De eodem.* 358
De Virgine Deipara.
Ser. I. Ex Apoc. *Signum magnum apparuit in cœlo,* 366
II. *De Aquæductu.* 375
III. *Sermo Epæneticus seu laudatorius ad B. Virg.* 384
In Festo S. Michaelis.
Ser. I. *De Angelorum erga nos officiis & nostra erga ipsos reverentia.* 389
II. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis &c.* 392
In Festo omnium Sanctorum.
Sermones V. *De lectione Evangelica.* 395 *& seqq.*
In obitu S. Malachiæ Episcopi.
Sermo Vnicus. 422
Ser. I. *De verbis Esaiæ* Vidi Dominum sedentem. 427
II. *De iisdem verbis Esaiæ.* 429
III. *De iisdem verbis Esaiæ.* 432
IV. *De iisdem verbis Esaiæ.* 434
V. *De iisdem verbis Esaiæ.* 436
In Festo S. Martini Episcopi.
Sermo Vnicus. 443
De S. Clemente Papa & Martyre.
Sermo Vnicus. 453
In Vigilia S. Andreæ Apostoli.
Sermo Vnicus. 456
In Festo S. Andreæ Apostoli.
Sermones II. 459. *& seqq.*
In obitu devoti Humberti Monachi.
Sermo Vnicus. 468
In dedicatione Ecclesiæ.
Sermones VII. 473. *& seqq.*

S. P. BERNARDI
Sermones XVII.

In Psalmum XC. *Qui habitat in adiutorio, &c.*
Ser. I. De vers. 1. Qui habitat in adjutorio Altiss. &c. 493
II. De vers. 2. Dicet Dom. susceptor meus es tu &c. 496

III. De vers. 3. Deus meus sperabo in eum &c. 498
IV. De vers. 4. Scapulis suis adumbravit tibi &c. 501
V. De vers. 5. Scuto circumdabit te veritas eius. 503
VI. De vers. 6. *de altera parte* v. 5. non timebis, & *de* vers. 6. à sagitta volante &c. 505
VII. De vers. 7. Cadent à latere tuo mille &c. 508
VIII. De vers. 8. Veruntamen oculis tuis considerabis &c. 518
IX. De vers. 9. Quoniam tu es Domine spes mea &c. 525
X. De vers. 10. Non accedet ad te malum &c. 530
XI. De vers. 11. Quoniam Angelis suis mandavit. 534
XII. De vers. 12. Quoniam Angelis &c. & vers. 12. In manibus portabunt &c. 541
XIII. De vers. 12. In manibus portabunt te &c. 545
XIV. De vers. 12. & 13. In manibus portabunt &c. Super aspidem &c. 549
XV. De vers. 14. Quoniam in me speravit liberabo eum &c. 554
XVI. De vers. 17. Clamavit ad me & ego exaudiam &c. 558
XVII. De vers. 17. Longitudine dierum replebo eum &c. 560

S. P. BERNARDI ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS.

Sermones de Diversis.

SER. I. *De fallacia & brevitate vitæ præsentis.* 565
II. *De obedientia, patientia & sapientia.* 507
III. *De Cantico Ezechiæ Regis.* Ego dixi in dimidio dierum &c. 574
IV. *De quærendo Deo, & triplici vinculo quo cohæremus Deo.* al. *De tripl. cohærent. vincul.* 579
V. *De verb. Psalm.* Propter verba labiorum tuorum ergo custodivi vias duras. 582
VI. *De verbis Psal.* Custodivit Dominus omnia ossa eorum &c. *al.* De Cute, carne & oss. an. 584
VII. *De verbis Apost.* Qui gloriatur, in Domino glorietur. 586
VIII. *De diversis affectionibus vel statibus quibus anima subest Deo.* 589
IX. *De verbis Psal.* Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. 593
X. *De vita animæ, & quinque sensibus eiusdem.* 595
XI. *De duplici Baptismo, & derelinquenda propria voluntate.* 597
XII. *In illud Eccli.* 7. Momorare novissima tua &c. *Al.* De primord. med. & noviss. 599
XIII. *In illud Psalm.* 50 Miserere mei Deus secundum magnam mis. &c. *al.* de tripl. misericord. 601
XIV. *In illud Sap.* Sapientia vincit malitiam. seu, de 7. Donis Spir. S. contra 7. vitia. 602
XV. *De eo quod scriptum est,* Beatus homo qui invenit sapientiâ &c. 605
XVI. *De triplici genere bonorum & vigilantia super cogitationibus.* 607
XVII. *De triplici custodia manus linguæ & cordis.* 611
XVIII. *De verbis Apostoli*: Non est regnum

gnum Dei esca & potus, sed justitia. 615
XIX. *De iisdem verbis*, Non est regnum Dei esca, &c. 617
XX. *De Verbis Domini*, Qui se exaltat, humiliab. 620
XXI. *De verbis libri sapientiæ*, Justum deduxit Dominus, &c. 622
XXII. *De quadruplici debito.* 623
XXIII. *In illud Apostoli*: si spiritu vivimus, &c. 628
XXIV. *De multiplici utilitate verbi Dei*: Beati qui audiunt verbum &c. 631
XXV. *De verbis Apostoli*, Volo primum fieri obsecrationes &c. *seu*, de 4. modis orandi. 633
XXVI. *De voluntate nostra divinæ subjicienda.* 637
XXVII. *Contra vitiũ ingratitudinis*, 639
XXVIII. *De eo quod legitur apud Iob*: In sex tribulationibus liberabit te. 644
XXIX. *De triplici dilectione Dei.* 647
XXX. *De verbis Apost.* Si quis ædificaverit super fundam, &c. *al.* de ligno, fœno, & stipula. 650
XXXI. *De sollicita cura cogitationũ.* 651
XXXII. *De verbis Apost.* Mihi pro minimo est ut judicer à vobis &c. 652
XXXIII. *De verbis Psalmi*, Quis ascendet in montem Domini &c. 654
XXXIV. *De verbis Origenis.* 658
XXXV. *De vita & officio religiosorum & ipsorum prælatorum.* 662
XXXVI. *De perfectione humilitatis. al. de altitudine & bassitud. cordis.* 665
XXXVII. *De verbis Psalm.* Hæc est generatio quærentium Dominũ &c. 667
XXXVIII. *In illud Apost.* Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 671
XXXIX. *De laboribus vitæ religiosæ æquanimiter ferendis.* 673
XL. *De septem gradibus confessionis.* 674
XLI. *De virtute obedientiæ, & eius gradibus.* 680
XLII. *De quinque negotiationibus & quinque regionibus.* 688
XLIII. *De magnanimitate, longanimitate & vnitate.* 692
XLIV. *De his in quibus mysteria Christi necdum videntur impleta.* 693
XLV. *De varia Trinitate Dei scilicet & hominis.* 694
XLVI. *De Virginitatis & humilitatis connexione.* 696
XLVII. *De quadruplici superbia.* 697
XLVIII. *De paupertate voluntaria.* 698
XLIX. *De triplici verbo.* *ibid.*
L. *De affectionibus recte ordinandis.* 699
LI. *De Mariæ Purificatione & Christi Circumcisione.* 700
LII. *De domo sapientiæ, id est, Virgine Maria.* 701
LIII. *De nominibus Salvatoris.* 702
LIV. *De Apparitione Christi.* 703
LV. *De sex hydriis spiritualibus.* 704
LVI. *De hydriis mysticis implendis triplici timore.* 706
LVII. *De septem signaculis per Christum solutis.* 707
LVIII. *De tribus mulieribus mortuum vngentibus.* 708
LIX. *De tribus panibus hominis spiritualis.* 709
LX. *De Christi itemque nostro descensu & accensu.* *ibid.*

LXI. De

Index Sermonum S. Bernardi.

LXI. *De quatuor montibus ascendendis.* 711
LXII. *De varia & vera sequela Christi.* 712
LXIII. *De tribus mediis recuperandæ Beatitudinis à Christo præscriptis.* 713
LXIV. *De pretiosa vita & morte sanctorum.* ibid.
LXV. *De connectione triplicis parabolæ apud Matt.* Simile est regnum &c. 714
LXVI. *De octo beatitudinibus oppositis totidem peccatis.* 715
LXVII. *De duplicibus legis præceptis moralibus & figuralibus.* 716
LXVIII. *De compositione hominis exterioris coram hominibus & interioris coram Deo.* 717
LXIX. *De triplici renovatione triplicis vetustatis.* 719
LXX. *De vigilantia & sollicitudine curandæ salutis.* ibid.
LXXI. *De perfecta moralitate in duobus sita,* Declina à malo & fac bonum. 720
LXXII. *De verbis Psal.* 1. Beatus vir qui non abiit &c. 721
LXXIII *De insipientia hominum non timentimm nec diligentium Deum.* 723
LXXIV. *De corruptione hominum.* 724
LXXV. *De pœnitentia in mortem non differenda.* 725
LXXVI *De necessitate seu commendat. divinæ gratiæ.* ibid.
LXXVII. *De varia sorte hominum cognoscentium & non cognoscentium Deum &c.* ibid.
LXXVIII. *De differentia Tabernaculi Atrii Domus. in illud:* Quam dilecta tabernacula &c. 726
LXXIX. *De voluntate Deo in omnibus subjicienda.* 727
LXXX. *De multiplici unitate.* ibid.
LXXXI. *De laudatione Dei in ore peccatoris.* 728
LXXXII. *De diligenti custodia cordis.* ibid.
LXXXIII. *De laude humana caute recipiëda.* 729
LXXXIV. *De constantia adversus Diabolum tentantem.* 730
LXXXV. *De casu animæ irretractabili.* 731
LXXXVI. *De creatione rerum in certo pondere mensura & numero.* ibid.
LXXXVII. *De osculo sponsi seu gratia contemplationis.* 732
LXXXVIII. *De recto usu donorum Dei.* 735
LXXXIX. *De osculo à sponsa desiderato, id est, Spir. S.* 736
XC. *De triplici unguento compunctionis, devotionis, pietatis.* 737
XCI. *De tribus emissionibus.* 739
XCII. *De triplici introductione, in hortum, in cellarium, & in cubiculum.* 742
XCIII. *De dentium proprietatibus ad monasticam vitam relatis.* 744
XCIV. *De processu vitæ Christianæ juxta Tropologiam Heliæ leZabel fugientis.* 746
XCV. *De doctrina amaritudine per prædicatores temperanda.* 747
XCVI. *De quatuor fontibus Salvatoris & aquis inde hauriendis.* 748
XCVII. *De suavitate verbi ac iugi Christi foris duri, intus dulcissimi.* 752
XCVIII. *De filiis pacis in quibus habitat Deus.* 753
XCIX. *De quatuor generibus hominum cœlum obtinentium.* 754
C. *De discrimine inter plebem & præsulem.* 755
CI. *De quatuor modis diligendi.* ibid.
CII. *De modo redeundi ad Deum.* 756
CIII. *De quatuor gradibus quibus electorum profectus distinguitur.* 757
CIV. *De quatuor impedimentis confessionis.* 759
CV. *De requisitis ad iustificationem.* 760
CVI. *De tribus ad agendam pœnitentiam necessariis.* 761
CVII. *De affectibus orantium.* ibid.
CVIII. *De Spiritualis minutione sanguinis.* 763
CIX. *De inani splendore virtutum cavendo.* 764
CX. *De Allocutione hominis ad seipsum vel animam suam.* ibid.
CXI. *De Fide vita & moribus contestanda.* 765
Sequuntur aliquot parvi Sermones. 768

Quinque Parabolæ.

I. *De pugna spirituali.* 771
II. *De pugna spirituali.* 775
III. *De eadem.* 779
IV. *De Christo & Ecclesia.* 772
V. *De Fide, Spe, & Charitate.* 785
Officium de S. Victore. 788
Iubilus S. Bernardi Abbatis de nomine Iesu. 795

S. P. BERNARDI CLARÆVALLENSIS ABBATIS PRIMI, *SERMONES PER ANNUM.*

De Adventu Domini, & sex circumstantiis eius.

Sermo Primus.

HOdie, Fratres, celebramus Adventus initium; cuius utique sicut & cæterarum solemnitatum nomen quidem celebre satis & notum mundo, sed ratio nominis fortè non ita. Infelices enim filii Adam omissis veris & salutaribus studiis, caduca potius & transitoria quærunt. Quibus assimilabimus homines generationis huius: aut quibus comparabimus illos, quos videmus à terrenis & corporalibus consolationibus avelli, separariq; non posse? Profecto similes sunt his, qui submersi periclitantur in aquis: nimirum videas eos tenentes tenere, nec ulla ratione deserere quod primum occurrerit manibus, quicquid sit illud, licèt tale sit aliquid, quòd omnino prodesse non possit, ut sunt radices herbarum, cæteraque similia. Nam & si qui ad eos fortè veniant ut subveniant, nonnunquam solent apprehensos involvere secum: adeò ut iam nec sibi, nec illis auxilium ferre prævaleant. Sic pereunt in hoc mari magno & spatioso, sic pereunt miseri, dum peritura sectantes, amittunt solida, quibus apprehensis emergere & salvare possent animas suas. Neque enim de vanitate, sed de veritate, dicitur: *Cognoscetis eam, & liberabit vos* [a]. Vos igitur, Fratres, quibus tanquam parvulis revelat Deus, quæ abscondita sunt à sapientibus & prudentibus, circa ea quæ verè salutaria sunt, sedula cogitatione versamini, & diligenter pensate rationem adventus huius, quærentes nimirum quis sit qui veniat, unde, quò, ad quid, quando, & quà. Laudabilis sine dubio curiositas ista est & salubris: neque enim tam devotè Ecclesia universa præsentem celebraret Adventum, nisi lateret in eo magnũ aliquod sacramentum.

Comparatio elegans hominum terrenis adherentium.

Pereunt qui peritura sectantur.

a Joan. 8. d

Circumstantiæ Adventus Domini.

Primo igitur I co cum Apostolo stupente & admirante intuemini &

i. *Quis seu quantus.*
b Luc. 1.d

vos, quantus sit iste qui ingreditur: ipse enim est secundùm Gabrielis testimonium [b], *Altissimi Filius*, ac proinde coaltissimus ipse. Neq; enim fas est Dei Filium degenerem suspicari: sed æqualis, fateri necesse est, altitudinis, & eiusdem penitus dignitatis. Nam & filios Principum Principes, & filios Regum Reges esse quis nesciat? Verumtamen quid sibi vult quod è tribus personis, quas in summa Trinitate credimus, confitemur, & adoramus, non Pater, non Spiritus sanctus advenit, sed Filius. Minimè quidem ego id factum arbitror sine causa. Sed quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Neque enim sine altissimo Trinitatis consilio factum est, ut Filius adveniret. Et si consideramus exilii nostri causam: fortassis advertere possumus vel ex parte, quàm congruum fuerit à Filio nos maximè liberari: Lucifer enim ille qui manè oriebatur, pro eo quòd Altissimi similitudinem usurpare tentavit, & rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (quod utique Filii est) præcipitatus illicò corruit, quoniam zelavit pro Filio Pater, & opere dixisse videtur: *Mihi vindictam, & ego retribuam* [c]. Continuò videbis Satanam tanquam fulgur cadentem de cælo. [d] Quid tu igitur superbis terra & cinis? Si superbientibus Angelis Deus non pepercit: quantò magis tibi putredo & vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est, tantùm cogitavit superbiam, & in momẽto, in ictu oculi, irreparabiliter præcipitatus est: quia iuxta Evangelistã, *In veritate non stetit* [e].

Quare filius venit in mundum, non Pater aut Sp. S.
Rom. 11.d

c Rom. 12.d
d Luc. 10.c.*

Superbia detestabilis.
e Joan. 8. f

Fugite superbiam, Fratres mei, (quæso) multùm fugite. Initium omnis peccati superbia [f]: quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clariùs micantem æterna caligine obtenebravit Luciferum: quæ non modò Angelum, sed Angelorum primum in diabolum comutavit. Unde & protinus invidens homini quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem; suadens ut lignum vetitum gustans fieret sicut Deus, sciens bonum & malum. Quid enim polliceris, quid promittis miser: cùm filius Altissimi scientiæ clavem hebeat, imò & ipse sit *clavis David, qui claudit & nemo aperit?* ? In eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi [b]: tunc eos ut homini præstes, iniquè furaberis? Videtis quia verè iuxta Domini sententiam *mendax iste est, & pater eius* [i]. Nam & mendax fuit, dicens: *Similis ero Altissimo* [k]: & mendacii pater, cùm in hominem quoque venenatum suæ falsitatis seminarium effudit, dicens: *Eritis sicut dii* [l]. Tu quoq; ô homo, si vides furem, curris cum eo? Audistis, Fratres, quid hac nocte lectum est in Esaia [m], dicente Domino: *Principes tui infideles: vel* (ut alia translatio habet) *inobedientes, socii furum.*

f Eccl. 10. b*
Superbia principem Angelorum comutavit in diabolum.

g Apoc. 3. b
b Coloss. 2. a

i Joan. 8. f
k Esa. 14. d

l Gen. 3. b
m Esa. 1. f

Revera enim Principes nostri Adam & Eva principia nostræ propaginis, inobedientes & socii furum; qui quod Filii Dei est, serpentis, imò diaboli per serpentem consilio subripere tentant. Nec dissimulat iniuriam

Filii

Filii Pater (Pater enim diligit Filium [n],) sed continuò & in ipsum hominem vindictam retribuit, & aggravat super nos manum suam : omnes enim in Adam peccavimus, & in eo sententiam damnationis accepimus omnes. Quid agat Filius videns pro se zelare Patrem, & nulli penitus parcere creaturæ? Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas Pater amittit, altitudinem meam primus Angelus affectavit, & populum qui sibi crederet, habuit: sed continuò Patris zelus graviter vindicavit in illũ, percutiens eum pariter cum omnibus suis plaga incurabili, castigatione crudeli. Scientiam quoq; quæ nihilominus mea est, surripere voluit homo : & ne illi quidem misertus est, nec pepercit oculus eius. Nunquid de bobus cura est Deo? Duas tantùm fecerat nobiles creaturas rationis participes, capaces beatitudinis, Angelum videlicet, atque hominem: sed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines universos. Ergo ut sciant quia & ego diligo Patrem; per me recipiat, quos quodammodo propter me amisisse videtur. *Si propter me tempestas hæc orta est*, (ait Jonas) *tollite me, & mittite in mare* [o]. Omnes invidẽt mihi. Ecce venio, & talẽ eis exhibeo memetipsum, ut quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio ista in bonum. Novit tamen in affectum malitiæ & nequitiæ transisse Angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua seu infirmitate peccasse, ideóq; perire necesse est pœnitere nolentes. Patris enim amor, & honor regis iudicium diligit.

Contemplatio longè pijssima de Filio Dei homine facto.

[n] Joan. 3. d

[o] Jonæ. 1. b.

Propter hoc enim & ipse creavit homines ab initio, qui supplerent locũ illum, & ruinas Hierusalem restaurarent. Sciebat enim nullam Angelis patere redeundi viam. Nempe novit *superbiã Moab, quòd superbus est valde* [p] : & superbia eius pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ. At verò hominis vice nullam postea condidit creaturam innuens ex hoc ipso redimendum adhuc hominem : quippe quem supplantavit aliena malitia : ideóque prodesse ei potest charitas aliena. Ita, Domine, obsecro, complaceat tibi ut eruas me, quoniam ego infirmus sum. Quoniam de terra mea furtim sublatus sum, & hîc innocens in lacum missus sum [q]. Non penitus quidem innocens : sed quantum ad eum qui me seduxit, innocens aliquatenus. Mendacium mihi persuasum est. Domine: veniat veritas ut possit falsitas deprehendi, & cognoscam veritatem, & veritas liberabit me : si tamen deprehensæ falsitati penitus renunciavero, & cognitæ adhæsero veritati: Alioquin nõ humana erit tentatio, nec humanũ peccatũ, sed obstinatio diabolica. Nã perseverare in malo diabolicũ est: & digni sunt perire cũ illo, quicunq; in similitudinem eius permanent in peccato.

Quare homo redemptus non Angelus.

[p] Esai. 16. b

Aspiratio devota.

[q] Gen. 4. c

Perseverare in malo diabolicum.

Ecce, Fratres, audistis quis sit qui veniat : considerate iam unde veniat, & quò. Venit utique de corde Dei Patris in uterum Virginis Matris; venit à summo cœlo in inferiores partes terræ. Quid ergò? Nonne & nobis in

Vnde & quò veneris Filius Dei.

terra est conservandum? Est, si tamen in ea perstitit ille? Ubi enim bene erit sine illo, aut ubi malè esse poterit cum illo? Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram [p]? Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum: Nam & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, si tamen tu mecum es [q]. Nunc autem ut video, & ad terras, & ad ipsum quoque descendit infernum: non tanquam vinctus, sed tanquam inter mortuos liber: sicut lux quæ in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Unde nec relinquitur anima in inferno, nec sanctum corpus in terra videt corruptionem. Christus enim qui descendit, ipse est & qui ascendit, ut adimpleret omnia, de quo scriptum est [r]: *Qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo.* Et alibi [s]: *Exultavit ut gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio eius, & occursus eius usque ad summum eius.* Meritò proinde clamat Apostolus, dicens [t]: *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Incassum laboraret erigere corda nostra, nisi collocatū in cœlis salutis nostræ doceret auctorem. Sed videamus iam quæ sequuntur. Nam & si materia quidem copiosa invenitur & uberrima valde, sed angustia temporis tantam sermonis longitudinem non admittit. Considerantibus ergo quis veniat, magna omnino & ineffabilis maiestas innotuit. Suspicientibus unde veniat, grandis planè patuit via, secundùm eius testimonium qui Prophetico præventus spiritu: *Ecce*, inquit [u], *nomen Domini venit de longinquo.* Porrò quò veniat intuentibus, apparuit inæstimabilis dignatio & penitus inexcogitabilis, quòd in carceris huius horrorem, tanta descendere dignata est celsitudo.

[p] Psal. 77. d
[q] Psal. 22. a
[r] Actor. 10. f
[s] Psal. 18. b
[t] Col. 3. a
[u] Esa. 30. f

Ad quid venerit Filius Dei.

Jam quis dubitet magnum aliquid in causa fuisse, ut maiestas tanta de tam longinquo, in locum tam indignum descendere dignaretur? Planè magnum aliquid quia misericordia magna, quia miseratio multa, quia charitas copiosa. Ad quid enim venisse credendus est? Hoc namque est, quod iuxta propositum ordinem oporteat iam perserutari. Nec sanè laborandum est in hac parte, cùm manifestè adventus eius causam, & verba ipsius & opera clament. Ad quærendam quippe ovem centesimam, quæ erraverat, de montibus properavit, & ut confiteantur manifestiùs domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum, propter nos venit. Mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis sic quæsiti. In qua si gloriari voluerit, non erit insipiens: non quod aliquid esse videatur tanquam à seipso, sed quod tanti eum fecerit ipse qui fecit. Omnes enim divitiæ, omnis gloria mundi, & quidquid in eo concupiscitur, minus est ad hanc gloriam: imo nec est aliquid in comparatione eius. *Domine, quid est homo quia magnificas eū, aut quid apponis erga eum cor tuū* [x]?

Caussa divinæ incarnationis.

Hominis sic à Deo quæsiti dignitas

[x] Job. 7. d

Attamen

Attamen velim nosse quid sibi voluerit quòd ad nos venit ille, aut quare non magis ivimus nos ad illum ? Nostra enim erat necessitas, sed nec est consuetudo divitum ut ad pauperes veniant, nec si præstare voluerint. Ita est, Fratres, nos magis ad eum venire dignum fuit, sed duplex erat impedimentum. Nam & caligabant oculi nostri; ille verò lucem habitat inaccessibilem [y], & iacentes paralytici in grabato divinam illam non poteramus attingere celsitudinem: propterea benignissimus Salvator & Medicus animarum descendit ab Altitudine sua, & claritatem suam infirmis oculis temperavit. Induit se laterna quadam, illo utique glorioso & ab omni labe purissimo corpore quod suscepit. Hæc est enim illa levissima planè & præfulgida nubes, supra quam ascensurum eum Propheta [z] prædixerat, ut descenderet in Ægyptum.

Cur non potius homo ad Deum quàm Deus ad hominem venerit.

y 1. Tim. 6.

z Esa. 19. 1

Tempus est iam ipsum quoque considerare tempus, quo Salvator advenit. Venit enim (quod & vos credimus non latere) non in initio nec in medio temporis, sed in fine. Nec incongruè factum est, sed verè sapienter disposuit sapientia, ut cùm magis esset necessarium, tunc primò ferret auxilium, pronos ad ingratitudinem Adæ filios non ignorans. Verè enim advesperascebat, & inclinata erat iam dies, recesserat paulo minus sol iustitiæ: ita ut exiguus nimis splendor eius aut calor esset in terris. Nam & lux divinæ notitiæ parva admodum erat: & abundante iniquitate fervor refriguerat charitatis. Iam non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta, cessabant velut desperatione victi, præ nimia utique duritia hominum & obstinatione: at ego (ait Filius) *tunc dixi, ecce venio* [a]. Sic sic *dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu iter perageret, omnipotens sermo tuus, Domine, à regalibus sedibus venit* [b]. Quod Apostolus innuens aiebat [c]: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Nimirum plenitudo & abundantia temporalium, oblivionem & inopiam fecerat æternorum. Opportunè ergo tum advenit æternitas, quando magis temporalitas prævalebat. Nam ut cætera sileam, ipsa quoque pax temporalis illo in tempore tanta fuit, ut ad hominis unius edictum describeretur universus orbis [d].

Tempus adventus Dominici expenditur.

a Psal. 39. b

b Sap. 18. c

c Gal. 4. a

d Luc. 2.

Habetis iam & personam venientis, & locum utrumque, id est, à quo, & ad quem venit: causam quoque & tempus non ignoratis. Unum restat, via scilicet per quam venit, & hæc quoque diligenter requirenda: ut possimus sicut dignum est ei occurrere. Veruntamen sicut ad operandam salutem in medio terræ venit semel in carne visibilis: ita quotidie ad salvandas animas singulorum in spiritu venit & invisibilis, sicut scriptum est [e]: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus.* Et ut noveris occultum esse spiritualem hunc adventum; *In umbra eius*, inquit, *vivemus*

Via per quam venit Filius Dei investigatur.

e Thren. 4. Ibid.

vivemus inter gentes. Propterea dignum est ut si non valet infirmus in occursum tanti Medici procedere longiùs, saltem conetur erigere caput, & aliquatenus assurgere venienti. Non te oportet, ô homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est. Non grandis, inquam, tibi ostenditur via, usque ad temetipsum occurre Deo tuo: prope est enim verbum in ore tuo, & in corde tuo [b]. Usque ad cordis compunctionem & oris confessionem occurre, ut saltem exeas de sterquilinio miseræ conscientiæ: quoniam indignum est illuc auctorem puritatis intrare. Et hæc quidem de eo adventu dicta sunt, quo singulorum mentes invisibili dignatur illustrare præsentia.

De adventu Dei ad nos spirituali & invisibili.

b Rom. 10. c

Libet autem & manifesti adventus viam considerare. Quoniam viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ [f]. *Ecce*, inquit sponsa [g], *venit iste saliens in montibus, transiliens colles.* Venientem vides, ô pulchra, sed cubantem videre antè non poteras. Dixisti enim [h]: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes.* Cubans pascit Angelos, in illas perpetuas æternitates, quos satiat visione æternitatis & immutabilitatis suæ. Sed ne ignores te, ô pulchra: quoniam mirabilis facta est visio illa ex te, confortata est, & non poteris ad eam. Veruntamen ecce egressus est de loco sancto suo: & qui cubans pascit Angelos, ipse cœpit, sicque sanabit nos: & videbitur veniens & pastus, qui cubans & pascens antè videri non poterat: Ecce venit hic saliens in montibus, transiliens colles. Montes & colles Patriarchas & Prophetas accipe, & quemadmodum venerit saliens & transiliens, in libro generationis lege [i], *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, &c.* Ex his montibus prodiit (ut invenies) radix Iesse, unde iuxta Prophetam [k] egressa est virga, & exinde flos ascendit, super quem requievit spiritus septiformis. Quòd manifestiùs alio in loco aperiens idem Propheta, *Ecce*, inquit [l], *Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus.* Quem enim prius florem, ipsum deinde Emanuelem: & quam dixerat virgam, manifestiùs exprimens, virginem nominavit. Sed necesse est altissimi huius sacramenti considerationem diei alteri reservari. Digna est enim proprio sermone materia, præsertim quòd in longum iam hodiernus sermo processerit.

Via adventus Dominici in carnem.

f Prov. 3. c
g Cant. 2. d
h Ibid.
i Matt. 1. a
k Esa. 11. a
l Esa. 7. c

In Adventu Domini, de verbis Esaiæ ad Achaz.

Sermo II.

Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dicit Achaz. Non petam & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus David. Nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus,

* Esa. 7. b

minibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Esa. 7. b.

AUdivimus suadentem regi Achaz Esaiam, petere signum à Domino, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra. Audivimus responsionem eius, formam quidem habentem pietatis, sed non virtutem. Propter hoc denique ab eo qui intuetur cor, & cui confitetur hominis cogitatio, meruit reprobari. *Non petam*, inquit [a], *& non tentabo Dominum.* Elatus erat Achaz fastigio solii regalis, astutus humanæ sapientiæ verbis. Audierat igitur Esaias à Domino: Vade, dic vulpi illi, petat sibi *signum à Domino in profundum.* Habet enim vulpes foveam, sed in infernum quoque si descenderit, adest qui comprehendat sapientes in astutia sua. Item Vade, ait Dominus, dic volucri illi, petat sibi *signum in excelsum supra.* Habet enim volucris nidum: sed & si in cœlum ascenderit, illic est, qui superbis resistens propria calcat virtute superborum & sublimium colla. Verumtamen dissimulat ille potestatis excelsæ, seu incomprehensibilis profunditatis sapientiæ quærere signum: & propterea signum bonitatis & charitatis domui David ipse Dominus promittit, ut quos nec potestas nec sapientia terruit, alliciat saltem exhibitio charitatis? Potest tamen in eo quod ait, *In profundum inferni*, etiam charitas ipsa, qua maiorem nemo habuit, ut in infernum quoque pro amicis moriendo descenderet, non immeritò designari, ut præcipiatur Achaz vel in excelsum regnantis expavescere maiestatem, vel descendentis ad inferos amplecti charitatem. Molestus est ergo non solùm hominibus, sed etiam Deo; quisquis nec maiestatem cogitat in timore, nec charitatem cum amore meditatur. *Propter hoc*, inquit [b], *dabit Dominus ipse vobis signum*, in quo manifestè & maiestas & charitas innotescat. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel* [c], quod interpretatur, Nobiscum Deus. Noli fugere Adam, quia nobiscum Deus. Ne timeas, ô homo, nec audito Dei nomine terrearis: quia nobiscum DEUS, Nobiscum carnis similitudine, nobiscum unitate. Propter nos venit tanquam unus ex nobis, similis nobis, passibilis.

a Esa. 7. b

Charitate no Deus allicit.

b Esa. 7. c

c Ibi

Deniq; *Butyrum*, inquit [d], *& mel comedet.* Ac si dicat, Parvulus erit, & vescetur infantilibus alimentis. *Vt sciat*, inquit, *reprobare malũ, & eligere bonum.* Et iam hîc bonũ, & malum audis, sicut in arbore vetita, sicut in ligno transgressionis. Sed multo melius à primo Adam 2dus iste partitur. Eligens enim bonũ, malum reprobat, non sicut ille [e], qui dilexit maledictionẽ, & venit ei: noluit benedictionẽ, & elõgata est ab eo. Nam & in eo quod præmisit, *Butyrum & mel comedet*, advertere poteris parvuli huius electionem.

d Ibid.

e Psal. 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nem. Tantùm adsit eius gratia, ut quod præstat, utcumque sentire dignè, & accommodatè ad intelligendum proferre concedat. Duo sunt in lacte ovis, butyrum, & caseus. Butyrum pingue & humidum, caseus contra aridus & durus. Benè enim parvulus noster eligere novit; qui butyrum comedens, caseum utique non comedit. Quæ est enim ovis centesima, quæ erravit [f], & in Psalmo loquitur [g]: *Erravi sicut ovis quæ perierit?* Utique genus humanum: quod benignissimus Pastor quærit, aliis sanè nonaginta novem ovibus in montibus derelictis. In hac igitur ove duo reperies, naturam dulcem, naturam bonam, & bonam valde, tanquam butyrum: & peccati corruptionem ut caseum. Vide ergo quàm optimè puer noster elegit, qui naturam nostram sine ulla peccati corruptione suscepit. Nam de peccatoribus legis, *Coagulatum est sicut lac cor eorum* [h], in quibus utique lactis puritatem corruperat fermentum malitiæ, coagulum iniquitatis.

f Mat. 12. a
g Psal. 118. y
h Psal. 118. f

Christus ovi & apis comparatur.

Sic & apis habet mellis dulcedinem, habet etiam aculeum. Apis verò est, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Unde ad civitatem Nazareth, quod interpretatur flos, advolavit, & ad suaveolentem perpetuæ virginitatis florem advenit, illi insedit, illi adhæsit. Huius apis mel & aculeum non ignorat, qui *misericordiam ei & iudicium* cum Propheta decantat [i]. Attamen ad nos veniens solum mel attulit, & non aculeum, id est, misericordiam & non iudicium, ita ut suadentibus quandoque Discipulis ut civitatem, quæ suscipere eum noluit, præciperet igne consumi, responderit, filium hominis non venisse ut iudicaret, sed ut salvaret mundum [k]. Non habebat aculeum apis nostra: quodammodo deposuerat illum, quando tanta indigna patiens, misericordiam exhibebat, & non iudicium. Sed nolite sperare in iniquitate, nolite peccare in spe. Habet enim apis nostra quandoque assumere aculeum suum. & acriter nimis infigere illum in medullas hominum peccatorum. Quoniam Pater non iudicat quemquam, sed Filio dedit omne iudicium [l]. Nunc autem parvulus noster butyrum & mel comedit, quando bonum naturæ humanæ, divinæ misericordiæ sic univit in semetipso, ut esset homo verus, & peccatum non habens; Deus misericors, & iudicium non exhibens.

i Psal. 100. a
Christus nunc ad misericordiam quàm ad iudicium promptior.
k Luc. 9. g
l Joan. 5. d
Non abutendum Dei misericordia.

Ex his manifestum iam arbitror, quænam sit virga de radice Iesse proceden, quis verò flos super quem requieuit Spiritus sanctus. Quoniam *Virgo Dei genitrix virga est, flos Filius eius.* Flos itaque Filius Virginis, flos candidus & rubicundus, electus ex millibus [m]. Flos in quem prospicere desiderant Angeli, flos ad cuius odorem reviviscunt mortui: & sicut ipse testatur, *flos campi* [n] est, & non horti. Campus enim sine omni humano

m Cant. 5. e
Maria Virgo virga ex qua Iesus flos prodiit.
n Ibid. 2. a*

humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impiguatus fimo. Sic omnino, sic Virginis alvus floruit, sic inviolata, integra & casta Mariæ viscera; tanquam pascua æterni viroris florem protulere: cuius pulchritudo non videat corruptionem, cuius gloria in perpetuum non marcescat. O Virgo virga sublimis, in quàm sublime verticem sanctum erigis! usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum maiestatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O verè cœlestis planta, pretiosior cunctis, sanctior universis! O verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis! Deprehensa est, maligne serpens, versutia tua, nudata est planè falsitas tua. Duo imposueras Creatori, mendacii & invidiæ infamaveras eum: sed in utroque convictus es esse mentitus. Siquidem & ab initio moritur cui dixeras: *Nequaquam morieris* [n]: *& veritas Domini manet in æternum* [o]. Sed & nunc responde si potes, quam ei arborem, cuius arboris fructum invidere potuit, qui ne hanc quidem virgam electam & fructum sublimem negavit? Etenim *qui proprio Filio non pepercit* [p], *quomodo non omnia simul cum illo donavit*?

Christus est flos campi non horti.

Versutia serpentis deprehensa.

n Gen. 3. a

o Psal. 116. a

p Rom. 8. f

Sed iam advertistis (ni fallor) quoniam Virgo regia ipsa est via per quam Salvator advenit, procedens ex ipsius utero tanquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam quam priore (si meministis) cœpimus investigare sermone, studeamus & nos, dilectissimi, ad ipsum per ea ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad filium, ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater salutis: ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excusat apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas DEO grata nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas glorioſa fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo nos Filio representa. Fac, ô benedicta, per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam percepisti*: ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ & beatitudinis suæ,

Aspiratio ad B. Dei Matrem devotissima.

*al. Peperisti.

JESUS Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula,

A M E N.

De triplici Domini Adventu, & de septem columnis, quas in nobis erigere debemus.

SERMO III.

Adventus Domini quoad omnes circumstantias admirandus.

IN adventu Domini quem celebramus, si personam venientis intueor, non capio excellentiam Maiestatis. Si attendo ad quos venerit, dignationis magnitudinem expaveſco. Stupent certè Angeli de novo, videntes infra se, quem supra semper adorant, manifestè iam & ascendentes & descendentes ad Filium hominis. Si considero propter quid venerit, amplector quoad possum inæstimabilem latitudinem charitatis. Si modum cogito, exaltationem agnosco humanæ conditionis. Venit siquidem universitatis Creator, & Dominus venit ad homines, venit propter homines, venit homo. Sed dicet aliquis: Quomodo venisse dicitur, qui semper ubique fuit? Erat quidem in mundo, & mundus per ipsum factus est, sed mundus eum non cognovit [a]. Non ergo venit qui aderat, sed apparuit qui latebat. Unde & humanam, in qua agnoscceretur, induit formam: qui nimirum in divina lucem habitat inaccessibilem [b]. Nec sanè inglorium maiestati apparere in propria similitudine sua, quam fecerat ab initio: nec indignum Deo, à quibus in substantia sua non poterat agnosci, in imagine exhiberi: ut qui fecerat hominem ad imaginem & similitudinem suam, ipse hominibus innotesceret factus homo.

Cur celebratur eius adventus qui nunquam aut nusquam defuit.

a Joan. 1. a

b 1. Tim. 6. c

Dignatio divinæ maiestatis.

Huius ergo Adventus tantæ maiestatis, tantæ humilitatis, tantæ charitatis, tantæ etiam glorificationis nostræ, ab universa Ecclesia semel in anno solennis memoria celebratur. Sed utinam ita semel ageretur, ut semper! id quippe dignius. Quantæ enim insaniæ, ut post tanti Regis adventum, aliis quibuslibet negotiis homines velint seu audeant occupari, & non magis, omissis omnibus, soli eius cultui vacent, nec in eius præsentia cuiusquam meminerint cæterorum? Sed non omnium est quod ait Propheta [c]. *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt*; siquidem nec omnes hæc memoria pascit. Sanè nemo quod non gustavit, sed neq; quod tantùm gustavit, eructat. Ructus quippe non nisi de plenitudine & satietate procedit. Propterea quorum sæcularis est mens & vita, memoriam hanc, & si celebrant, non eructant: sine devotione & affectione dies istos arida quadam consuetudine observantes. Denique quod damnabilius est, ipsa quoque inæstimabilis huius dignationis memoria datur in occasionem carnis, ut videas eos tanta sollicitudine diebus istis vestium gloriam, ciborum parare delicias, ac si hæc huiusmodi quærat in Nativitate sua Christus, & ibi suscipiatur digniùs, ubi hæc accuratiùs exhibeantur; Sed ipsum audi dicentem [d]; *Superbo oculo & insatiabili*

Negligentia circa divinum cultum arguitur.

c Ps. 144. b*

Vanitas & abusus Christianorum in peragendis festis.

d Ps. 100. b

ſatiabili corde, cum hoc non edebam : quid tanta ambitione veſtes paras in natale meum? Deteſtor ego ſuperbiam, non amplector. Qui tanta ſollicitudine ciborum copias reponis in tempus illud? Damno ego carnis delicias, non accepto. Planè inſatiabilis es corde tanta parans, & ex tam longo: nam corpori utique & pauciora ſufficerent, & quæ poſſent opportuniùs inveniri. Celebrans ergo adventum meum, labiis me honoras, ſed cor tuum longe eſt à me. Non me colis, ſed Deus tuus venter eſt, & gloria in confuſione tibi. Infelix omnino qui voluptatem corporis, & ſæcularis colit gloriæ vanitatem. Beatus autem populus cuius eſt Dominus DEUS eius [e].

e Pſal. 143. c

Fratres, nolite æmulari in malignantibus [f], neque zelaveritis facientes iniquitatem. Intelligite magis in noviſſima eorum, & compatimini eis ex animo, & orate pro eis qui præoccupati ſunt in delicto. Hæc enim faciunt miſeri, quia ignorantiam Dei habent. Nam ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ tantâ adverſum ſe inſaniâ provocarent. Nos autem, dilectiſſimi, excuſationem de ignorantia non habemus. Planè noſti eum quiſquis hic es: & ſi dixeris quia non novi eum, eris ſimilis ſæcularibus, mendax: denique ſi eum non noſti, quis te huc adduxit, aut quomodo huc veniſti? alioquin quando tibi perſuaderi poſſet, charorum affectibus, corporis voluptatibus, ſæculi vanitatibus ſponte abrenunciare, & iactare cogitatum tuum in Domino, & omnem ſollicitudinem in eum proiicere: de quo nihil benè, imò tam malè conſcientia teſte merueras? Quis tibi, inquam, perſuadere id poſſet, ſi neſcires, quia bonus Dominus ſperãtibus in ſe, animæ quærenti ipſum, niſi cognoviſſes & tu, quia ſuavis eſt Dominus, & mitis, & multæ miſericordiæ, & verax? Hæc autem unde noſti, niſi quia non ſolùm ad te, ſed etiam in te venit?

f Pſal. 36. a

Religioſis maior incumbit obſervantia quàm ſeculariburn.

Triplicem enim eius adventum novimus; ad homines, in homines, contra homines. Ad homines quidem indifferenter, non autem ita in homines, aut contra homines. Sed quia primus & tertius noti ſunt, utpote manifeſti, de ſecundo qui ſpiritualis & occultus eſt, ipſum audi dicentem [g]: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Beatus, apud quem manſionem facies, Domine JESU. Beatus in quo ſapientia ædificat ſibi domum, excidens columnas ſeptem. Beata anima quæ ſedes eſt ſapientiæ. Quænam eſt illa? Anima utique iuſti. Meritò planè, quia iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ. Quis in vobis eſt, Fratres, qui deſiderat in anima ſua ſedem parare Chriſto? Ecce quænam illi ſerica, quæ tapetia, quod pulvinar oporteat præparari. *Iuſtitia*, inquit, [h], *& iudicium præparatio ſedis tuæ.* Iuſtitia virtus eſt, quod ſuum

Triplex Domini Adventus.

g Joan. 14. c

Chriſto ſedes quomodò paranda.

h Pſal. 88. a*

Tria tribus tribuenda; Superiori, Inferiori, Æquali.

est unicuiq; tribuens. Tribue ergo tribus quæ sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod debes, & dignè celebrans adventum Christi, parans ei in iustitia sedem suam. Redde, inquam, reverentiam Prælato & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis. Nec enim sufficit exterius obtemperare maioribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Quod etsi tam manifestè innotuerit indigna Prælati alicuius vita, ut nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat: propter eum tamen à quo est omnis potestas, ipsum quem modò talem novimus, excelsum reputare debemus, non præsentibus personæ meritis, sed ordinationi divinæ, & dignati ipsius officii deferentes.

Superiori obedientia & reverentia.

Sic & fratribus nostris, inter quos vivimus ipso iure fraternitatis & societatis humanæ, consiliis sumus & auxiliis debitores. Hæc enim volumus ut & ipsi nobis impendant consilium, quo erudiatur ignorantia nostra: auxilium, quo iuvatur infirmitas nostra. Sed fortè erit inter vos qui tacitus respondeat, dicens: Quod ego consilium dabo fratri, cui nec unum quidem dicere verbum fas est absque licentia? Quod ei auxilium impendere est, cum nec minimum aliquid agere liceat absque obedientia? Ad quod ego: Non deerit certè quod facias, tantummodo charitas fraterna non desit. Nullum ego consilium melius arbitror, quàm si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat, quæ non oporteat fieri, provocans eum ad meliora, & consulens ei non verbo neque linguæ, sed opere & veritate. An verò utilius aut efficacius auxilium aliquod est, quàm ut ores devotè pro eo, non dissimules redarguere culpas eius: ut non modò nullum ei offendiculum ponas, sed & sollicitus sis quantum prævales, tanquam Angelus pacis de regno Dei scandala tollere, & occasiones scandalorum penitus dimovere? Si talem te fratri auxiliarium & consiliarium exhibes, reddis ei quod debes, nec habet unde causetur.

Quid æquali?

Æquali Consilium & Auxilium, id est, Exemplum & oratio.

Porrò si cui fortè Prælatus es, huic sine dubio teneris debitor sollicitudinis amplioris. Exigit à te & ipse custodiam & disciplinam: Custodiam quidem, ut possit cavere peccatum: Disciplinam verò, ut quod minus cavit, minimè maneat impunitum. Quòd etsi nemini fratrum præesse videris, habes tamen sub te, cui custodiam hanc & disciplinam oporteat exhiberi. Dico autem corpus tuum, quod sine dubio regendum accepit spiritus tuus. Debes ei custodiam, ut non regnet in eo peccatum, nec membra tua arma fiant iniquitati. Debes & disciplinam, ut dignos faciat pœnitentiæ fructus, castigatum, & subditum servituti. Longè tamen graviori & periculosiori debito tenentur adstricti, qui

Inferiori custodia & disciplina.

Corpori tuo similiter.

NOTA: Quam grave & periculo-

qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infelix, quò me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quòd sibi Christus sanguine proprio pretiosius iudicavit, contigerit negligentiùs custodire? Si stillantem in Cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certè id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa utique Sapientia) sanguinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multò plura quàm vitreis imminere pericula videantur. Accedit sanè ad sollicitudinis cumulum, & pondus timoris, quod cum & meam & proximi conscientiam servare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est, & nihilominus exigitur à me utriusque custodia, & clamatur [g]: *Custos qui de nocte, custos qui de nocte.* Non est mihi dicere cum Cain: *Nunquid custos fratris mei sum ego* [h]? sed est fateri humilter cum Propheta: *Quia nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custiat eam* [i]. In eo tamen excusabilis ego videor, si ut prædixi, debitam exhibeo custodiam pariter & disciplinam. Quòd si priora quoque quatuor non defuerint: dico autem erga Prælatos reverentiam, consilium & auxilium erga fratres, quod ad iustitiam pertinet, non imparatam sedem inveniet Sapientia.

sum negotium sit cura animarum & hic tamen quàm multi incurii, aut securi!

Conscientiarum notitia difficilis.

g Esa. 21. d

h Gen. 4. b

i Psal. 126. a

Et fortassis hæ videatur sex columnæ, quas excidit in ipsa domo quam ædificavit sibi: & septima quoque quærenda est, si fortè & eam nobis notam facere ipsa dignetur. Quid verò probibet sicut sex in iustitia, septimam quoque intelligi in iudicio? Neque enim iustitia sola, sed *justitia* inquit [k], *& iudicium præparatio sedis tuæ.* Denique si Prælatis & æqualibus & inferioribus reddimus quod oportet, nihilne accipiet Deus? At ei planè quod debet retribuere nemo potest, quòd tam copiosè accumulaverit super nos misericordiam suam, quòd tam multa deliquerimus ei, quòd tam fragiles & nihil simus, quòd tam plenus & sufficiens ille sibi & bonorum omnium nostrorum non egens. Audivi tamen dicentem eum, cui incerta & occulta sapientiæ suæ revelaverat, quia *honor Regis iudicium diligit* [l]. Nihil quod in se est à nobis exigit amplius, tantum dicamus iniquitates nostras, & iustificabit nos gratis, ut gratia commendetur. Diligit enim animam quæ in conspectu eius, & sine intermissione considerat, & sine simulatione dijudicat semetipsam. Idque iudicium non nisi propter nos à nobis exigit, quia si nosmetipsos iudicaverimus, non utique iudicabimur. Propterea sapiens veretur omnia opera sua, scrutatur, discutit & dijudicat universa. Honorat quippe veritatem: qui & se & sua omnia in eo statu, quo veritas habet, & agnoscit veraciter,

Septem columnæ in domo spiritu erigendæ.

k Psal. 88. c*

Quid reddendum Deo.

l Psal. 98. a

Humilis sui discussio, cognitio, & confessio Deum honorat.

& humiliter confitetur. Audi denique manifestiùs à te iudicium exigi post iustitiam. *Cùm feceritis*, inquit [m], *omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus.* Hæc planè quoad hominem est digna sedis præparatio Domino maiestatis: ut & iustitiæ mandata studeat observare, & semper indignum sese & inutilem arbitretur.

m Luc. 17. c

In Adventu Domini; de duplici Adventu; & studio verarum virtutum.

SERMO IV.

DIgnum est, Fratres, ut tota devotione Domini celebretis Adventum, delectati tanta consolatione, stupefacti tanta dignatione, inflammati tanta dilectione, Nec verò solum cogitetis Adventum quo venit quærere & salvum facere quod perierat; sed & illum nihilominus quo veniet & assumet nos ad seipsum. Utinam circa hos duos Adventus iugi meditatione versemini, ruminantes in cordibus vestris quantum in priore præstiterit, quantum promiserit in secundo. Utinam certè dormiatis inter medios cleros. Hæc sunt enim duo brachia sponsi; inter quæ sponsa dormiens aiebat [a]: *Læva eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.* Nam *in sinistra* quidem *eius* (sicut alibi legimus [b]) *divitiæ & gloria: in dextera longitudo vitæ.* In sinistra eius, inquit, divitiæ & gloria. Filii Adam genus avarum & ambitiosum, audite: Quid vobis cum terrenis divitiis & gloria temporali, quæ nec veræ nec vestræ sunt? Aurum & argentum nonne terra est rubra & alba, quam solus hominum error facit (aut magis reputat) pretiosam? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cùm interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.

Duplex Domini Adventus.

a Cant. 2.a

b. Prov. 3.b

Indignum homini inhiare divitiis?

Earum vanitas.

Ut ergo divitiæ non opes sunt, sed virtutes: quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. De gloria quoque dicit Apostolus [c]: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Hæc est utique vera gloria, quæ est à spiritu veritatis. *Ipse enim spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus* [d]. Gloria verò, quàm ab invicem accipiunt, qui gloriam quæ est à solo Deo, non requirunt, vana est. Quoniam vani filii hominum. Insipiens tu, qui merces congregas in saccum pertusum: qui thesaurum tuum alieno in ore constituis: ignoras quòd arca ista non clauditur, nec seras habet? Quantò melius sapiunt, qui thesaurum suum ipsi sibi servant, aliis non committunt? Verùm nunquid semper servabunt? Numquid semper abscondent? Veniet cùm manifesta erunt abscondita cordis: quæ verò fuerint ostentata, non comparebunt. Hinc est quòd veniente Domino fatuarum virginum lampades

Divitiæ veræ quæ.

2. Cor. 1.c*

d Rom. 8.c

Quæ item gloria vera.

Vanitas humanæ gloriæ.

pades extinguuntur [e] : & qui receperunt mercedem suam, à Domino nesciuntur [f]. Propterea dico vobis, charissimi : Utile est abscondere magis quàm ostentare, si quid habemus boni : sicut & mendici cùm eleemosynam petunt, non pretiosas vestes ostendunt, sed seminuda membra, aut ulcera si habuerint, ut citiùs ad misericordiam videntis animus inclinetur. Quam regulam Publicanus ille servavit multo melius Pharisæo, & ideò descendit iustificatus ab illo, id est, præ illo [g].

e Matt. 25. a
f Matt. 6. *Occultare præstat quam ostentare bona sua.*
g Luc. 18. c

Tempus est, Fratres, ut iudicium incipiat à domo DEI. Quis finis eorum, qui non obediunt Evangelio? Quod iudicium his qui in hoc iudicio non resurgunt? Quicunque enim iudicari dissimulant eo iudicio quod nunc est, in quo princeps huius mundi ejicitur foras; iudicem expectent, vel magis timeant, à quo cum ipso principe suo foras ejicientur & ipsi. Nos autem si perfectè iudicamur nunc, securi Salvatorem expectemus Dominum nostrum Jesum Christum; qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ [a]. Tunc fulgebunt iusti, ita ut videri possunt docti pariter & indocti: fulgebunt enim sicut Sol in regno Patris eorum [b]. Erit autem claritas solis septempliciter [b], id est, sicut lux septem dierum.

Quomodo sècurè secundum Domini Adventum expectare liceat.
a Philip. 3. d
b Matt. 13.
b Esa. 30.

Adveniens enim Salvator reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ : si tamen prius fuerit cor reformatum, & configuratum humilitati cordis ipsius. Propter quod dicebat [i] : *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Considera sane in his verbis, quoniam humilitas duplex est : altera cognitionis, altera affectionis, quæ hic dicitur cordis. Priore cognoscimus quòd nihil sumus; & hanc discimus à nobis ipsis, & ab infirmitate propria : posteriore calcamus gloriam mundi; & hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens [k], qui etiam quæsitus in regnum, fugit; quæsitus ad tanta probra & ignominiosum supplicium crucis, sponte obtulit semetipsum. Sint ergo, si dormire volumus inter medios cleros [l], id est, duos Adventus, pennæ nostræ deargentatæ : ut illam scilicet virtutum formam teneamus, quam verbo & exemplo commendavit Christus præsens in carne. In argento siquidem non incongruè intelligitur humanitas eius, sicut in auro divinitas.

i Matt. 11. d
Humilitas duplex : cognitionis & affectionis.
k Philip. 2. b.
l Psal. 67. b

Omnis itaque virtus nostra tam longè est à vera virtute, quàm longè est ab ea forma : & omnis penna nostra ad nihilum valet, si non fuerit deargentata. Magna quædam penna est paupertatis, quâ tam citò volatur in regnum cœlorum. Nam in aliis virtutibus quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur: paupertati nō tam promittitur, quàm datur; unde & præsenti tempore enunciatū est [m], *quoniam ipsorum est regnum cœlo-*

Prærogativa Paupertatis.
m Matt. 5. a.

Falsarum virtutum imagines, seu notas & indicia pulchrè depingit.

Falsa & fucata Paupertas quæ.

Mansuetudo falsa.

Falsus luctus.

Zelus falsus seu inanis Esuries iustitiæ.

n Prov. 20.

Misericordia fucata.

Confessio vel mundities falsa.

Falsum pacis studium NOTA ergò, Quàm pauci veras virtutes; quam multi umbras duntaxat virtutũ sectentur.

cœlorum! cũm in cæteris dicatur, *Hæreditabunt, consolabuntur,* & similia. Videmus autem pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem, non adeò pusillanimes invenirẽtur & tristes, utpote reges, & reges cœli. Sed hi sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit: & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. *Sunt & alii* mites, sed quamdiu nihil dicitur vel agitur nisi pro eorum arbitrio: patebit autem quàm longè sint à vera mansuetudine, si levis oriatur occasio. Hæc mansuetudo quomodo hæreditabit, quæ ante hæreditatem deficit? *Alios* quoque lugentes video, sed si de corde procederent illæ lachrymæ, non tam facilè illico solverentur in risum. Nunc autem cùm abundantiùs otiosa verba & scurrilia profluant quàm priùs lacrymæ: Lacrymas huiusmodi de his esse non arbitror, quibus consolatio divina promittitur, quandoquidem post illas tam facilè consolatio vilis admittitur. *Alii* tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, ut videri possent esurire & sitire iustitiam, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem iudicium: sed nunc pondus & pondus utrumque abominatio est apud Deum *n*. Nam contra alios tam impudenter quàm inaniter æstuant; seipsos tam insipienter quàm inutiliter palpant.

Sunt alii misericordes de his quæ ad ipsos non pertinent; qui scandalizantur, si non datur omnibus abundanter; sic tamen, ut ipsi ne in modico quidem graventur; qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam: si non possent de terrena substantia, de voluntate bona darent his, qui fortè contra eos peccare viderentur, indulgentiam: darent dulce signum, verbum bonum, quod est super datum optimum: ut eorum mentes ad pœnitentiam provocarent. Denique & his, & omnibus quos in peccato esse cognoscerent, compassionem impenderent, & orationem. Alioquin misericordia eorum nulla est, & misericordiam consequuntur nullam. *Item sunt* qui peccata sua sic confitentur, ut videri possent ex desiderio mundandi cordis id agere (omnia enim in confessione lavantur) nisi quòd ea, quæ ipsi sponte dicunt aliis, ab aliis patienter audire non possunt; qui si verè mundari desiderarent, ut videntur, non irritarentur, sed haberent eis gratiam, qui suas illis maculas demonstrarent. *Sunt & alii* qui si viderint quempiam vel leviter scandalizatum, valde solliciti sunt quomodo eum in pace reducere possunt: & viderentur pacifici, nisi quòd eorum commotio si fortè quicquam contra eos factum dictúmve videbitur, tardiùs universis poterit difficiliúsque sedari; qui nimirum si verè pacem diligerent, haud dubium quin eam quærerent sibi ipsis.

Deargen-

Deargentemus ergo pennas nostras in Christi conversatione, sicut & Martyres sancti laverunt stolas suas in eius passione. Imitemur, quoad possumus, eum qui sic dilexit paupertatem, ut quamvis in eius manu essent fines terræ, tamen non habuit ubi caput reclinaret [o]; ita ut Discipulos adhærentes ei legamus fame compulsos spicas manibus confricasse [p], cùm per sata transirent: quique tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit [q], & non aperuit os suum: quem & super Lazarum [r] & super civitatem flevisse [s], & in orationibus pernoctasse legimus [t]: risisse verò aut iocatum nusquam: qui sic esurivit iustitiam, ut cùm propria non haberet, tanquam pro peccatis nostris à seipso exegit satisfactionem. Unde in cruce nihil aliud quàm iustitiam sitiebat; qui pro inimicis mori non dubitavit, & oravit pro crucifixoribus suis: qui peccatum non fecit, & imposita sibi ab aliis patienter audivit: qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tanta sustinuit.

Christus imitandus.

o Luc. 9.g

p Luc. 6.a.
q Esa. 53.e
r Joan. 11.e
s Luc. 19.f
t Luc. 6.b.

Christus flevisse legitur nusquam risisse.

De medio Adventu, & triplici innovatione.

Sermo V.

Diximus nuper, his qui deargentaverunt pennas suas, dormiendum inter medios cleros, duos significantes Adventus: sed ubi sit dormiendum, non diximus. Tertius enim quidam adventus est medius inter illos: in quo delectabiliter dormiunt, qui eum norunt. Illi enim duo manifesti sunt, sed non iste. In priori quidem in terris visus, & cum hominibus conversatus est: quando (sicut ipse testatur) *& viderunt, & oderunt* [a]. In posteriori verò videbit omnis caro salutare Dei nostri [b]. Et videbunt in quem transfixerunt [c]. Medius occultus est, in quo soli eum in seipsis vident electi, & salvæ fiunt animæ eorum. In primo ergo venit in carne & infirmitate: in hoc medio in spiritu & virtute; in ultimo in gloria & maiestate. Per virtutem enim pervenitur ad gloriam: quia *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ* [d]. Et item alibi ait idem Propheta [e]: *Vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Adventus siquidem iste medius, via quædam est, per quam à primo venitur ad ultimum. In primo Christus fuit redemptio nostra, in ultimo apparebit vita nostra. In isto ut dormiamus inter medios cleros, requies est & consolatio nostra.

a Joan. 15.c
b Luc. 3. a
c Joan. 19.f

Triplex Adventus.

d Psal. 23. d
e Psal. 62. a

Sed ne cui fortè inventitia videantur quæ de hoc adventu medio dicimus, ipsum audite: *Si quis diligit me*, inquit [f], *sermones meos servabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.* Sed quid est, si quis diligit me, sermones meos servabit? Legi enim alibi [g]. *Qui timet Deum,*

f Joan. 14. c.

g Eccl. 15. a

Deum, facit bona, sed plus aliquid dictum sentio de diligente, quia sermones DEI servabit. Ubi ergo servandi sunt? Haud dubium quin in corde, sicut ait Propheta [h]: *In corde meo abscondi, eloquia tua, ut non peccem tibi.* Sed quomodo in corde servandi? An sufficit sola eos servare memoria? At verò sic servanti dicet Apostolus [i]: *Quoniam scientia inflat.* Denique & memoriam facilè delet oblivio. Sic serva sermonem DEI, quomodo melius servare potes cibum corporis tui. Nam & ille panis vivus est, & cibus mentis. Panis terrenus dum in area est, potest à fure tolli, potest à mure corrodi, potest vetustate corrumpi. Ubi verò comederis illum, quid horum timeas? Hoc modo custodi verbum Dei. Beati enim qui custodiunt illud [k]. Ergo trajiciatur in viscera quædam animæ tuæ: transeat in affectiones tuas, & in mores tuos. Comede bonum, & delectabitur in crassitudine anima tua. Ne obliviscaris comedere panem tuum, ne exaresçat cor tuum, sed adipe & pinguedine repleatur anima tua.

h Psal. 118. b

i 1. Cor. 8. a

Sermones DEI servandi non in sola memoria, sed etiam in oribus.

k Luc. 11. d

Si sic verbum DEI servaveris, haud dubium quin ab eo serveris. Veniet enim Filius ad eum de Patre, veniet Propheta magnus qui renovabit Hierusalem, & illa nova faciet omnia. Hoc enim facit hic Adventus, ut sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus & imaginem cœlestis [l]. Sicut vetus Adam effusus per totum hominem, & totum occupavit: ita modo totum obtineat Christus, qui totum creavit, totum redemit, totum & glorificabit; quique totum hominem salvum fecit in sabbato. Erat in nobis aliquando vetus homo, prævaricator ille erat in nobis tam in manu quàm in ore & in corde. In manu dupliciter, per facinus & flagitium. In ore similiter per arrogantiam & detractionem. In corde quoque per desideria carnis, & desideria gloriæ temporalis. Nunc autem si qua nova creatura in ipso, vetera transierunt, & contra facinus in manu, innocentia: contra flagitium, continentia est. In ore contra arrogantiam, verbum confessionis: contra detractionem, verbum ædificationis, ut recedant vetera de ore nostro. In corde verò contra carnis desideria, charitas; humilitas contra gloriam temporalem. Et vide si non in his tribus Christum DEI verbum recipiant singuli electorum, quibus dictum est.

l 1. Cor. 15. f

Triplex innovatio nobis præstita per Christum; Cordis, oris, operis. Inde virtutes succedunt vitiis.

m Cant. 8. b

Pone me signaculum super brachium tuum: signum super cor tuum [m].

n Rom. 10. b

Et alibi, *Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo* [n].

De tri-

De triplici Adventu, & carnis resurrectione.

SERMO VI.

VOlo vos, Fratres, non ignorare tempus visitationis vestræ, sed ne illud quidem quid hoc tempore visitetur in vobis. Animabus enim hoc tempus est non corporibus assignatum, quod videlicet longè dignior anima corpore, priorem sibi sollicitudinem naturali vendicet dignitate. Sed & prior reparanda est, quam constat corruisse priorem: Anima siquidem corrupta in culpam, fecit ut corpus quoque corrumperetur in pœnam. Denique si Christi membra volumus inveniri, sequendum nobis est sine dubio caput nostrum; ut videlicet prima nobis reparandarum sit sollicitudo animarum, pro quibus ipse iam venit, & quarum priùs mederi studuit corruptioni. Corporis verò curam illi tempori magis reservemus, & differamus in illum diem, quo reformandi corporis gratiâ est venturus, sicut meminit Apostolus, dicens [a]: *Salvatorẽ expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* In priori siquidem adventu tamquam præco, vel magis verò præco ipsius Joannes Baptista clamat: *Ecce,* inquit [b], *agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi.* Non dicit morbos corporis, non molestias carnis, sed peccatum, quod est morbus animæ, & corruptio mentis. Ecce, qui tollit peccata mundi, Unde? Utique à manu, ab oculo, à collo, demum etiam à carne ipsa, cui altiùs infixum est.

Anima prius & potius curanda quam corpus.

Primus Christi adventus spectat ad curam animæ: secundus ad curam corporis.

a Philip. 3. d
b Joan. 1. d

Tollit peccatum à manibus, commissa peccata delens: tollit ab oculo, purgans cordis intentionem: tollit à collo, violentam removens dominationem: sicut scriptum est [c]. *Sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.* Itemque. *Computrescet iugum à facie olei* [d]. Et Apostolus loquitur dicens [e]: *Vt non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Siquidem alio in loco ait idem Apostolus [f]: *Scio,* inquit, *quod non est in me bonum, hoc est, in carne mea.* Et alibi [g]: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sciebat nimirum non priùs liberandum se esse à pessima illa radice, quæ carni infixa est, à lege peccati quæ est in membris nostris, donec & ab ipso corpore solveretur: unde & cupiebat dissolvi, & cum Christo esse [h], sciens quòd peccatum separans inter nos & Deum, penitus auferri non poterit, donec liberemur à corpore. Audistis de quodam quem Dominus curavit à dæmonio, quoniam collidens & multùm discerpens eum dœmon exivit ab illo [i]. Itaque dico vobis, genus illud peccati quod totiens conturbat nos (concupiscentias loquor & desideria mala) reprimi quidem debet & potest per gratiam DEI, ut non regnet in nobis, nec demus membra

c Esai. 9. a
d Esai. 10. f
e Rom. 6. b
f Rom. 7. d
g Ibid.
h Phil. 1. c
i Marc. 9.

Concupiscentia reprimi potest non potest nisi in morte.

nostra arma iniquitatis peccato, & sic nulla damnatio est his qui sunt in Christo [k] : sed non ejicitur nisi in morte, quando sic discerpimur, ut anima separetur à corpore.

[k] Rom. 6. b

Habes ad quid venerit Christus, & cui intendere debeat Christianus. Propterea, noli, ô corpus, noli præcipere tempora: potes enim impedire animæ tuæ salutem tuam, ipsius operari non potes. Omnia tempus habent [l]. Patere ut nunc anima pro se laboret, magis autem etiam collabora ei, quoniam si compateris, & conregnabis. Quantùm eius impedis reparationem, tantùm impedis tuam : quod nimirum antè reparari non poteris, donec suam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hospitem habes, ô caro, nobilem valde, & tota salus tua pendet de eius salute. Da honorem hospiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua: anima verò peregrina & exul apud te est hospitata. Quæso te, quis rusticus, si fortè nobilis & præpotens quispiam apud eum voluerit hospitari, non libenter in angulo domus suæ, aut sub gradibus suis, vel in ipsis cineribus accubabit, cedens hospiti suo locum (sicut dignum est) potiorem ? Et tu ergo fac similiter. Iniurias vel molestias tuas ne reputaveris : tantùm ut hospes tuus honorificè possit apud te demorari. Honor tibi est ut pro eo interim te exhibeas inhonorum.

[l] Eccl. 3. a

Sermocinatio dulcissima ad carnem, seu corpus humanum.

Ac ne fortè despicias aut parvipendas hospitem tuum pro eo quòd peregrinus tibi videtur & advena : diligenter attende quid hospitis huius tibi præsentia largiatur. Ipse enim est qui tribuit oculis visum : auditum auribus præstat : ipse est qui linguæ vocem, palato gustum, motum membris omnibus subministrat. Si quid vitæ, si quid sensus, si quid in te decoris est, huius hospitis beneficium recognosce. Denique discessus eius probat, quid præsentia conferebat. Protinus enim anima discedente, lingua silebit, oculi nihil videbunt, obsurdescent aures, corpus omne rigebit, facies expallescet. In brevi quoque totum cadaver putidum simul & putridum fiet, & decor omnis in saniem convertetur. Ad quid ergo pro temporali qualibet delectatione contristas & lædis hospitem istum, quam nec sentire quidem ullo modo poteras nisi per ipsum ? Adhæc si tantum tibi confert exul, & inimicitiarum causa à facie Domini sui ejectus, quantum tibi præstabit reconciliatus ? Noli, ô corpus, noli impedire reconciliationem illam : quoniam grandis tibi exinde gloria paratur. Patienter, imo & libenter temetipsum expone ad omnia, nihil dissimules quod huic videatur reconciliationi posse prodesse. Dic hospiti tuo : Quia recordabitur Dominus tui, & restituet te in gradum pristinum, & tu memento mei.

Corpus quantum debeat animæ.

Corpus nihil sine anima.

NOTA. Quam præposterum, abjicere se totum ad curam corporis; animâ negligere.

Omnino enim memor erit tui in bonum, si bene servieris illi : &

cum

cum pervenerit ad Dominum ſuum, ſuggeret ei de te, & loquetur bonum pro bono hoſpite, dicens: Cùm in ultionem culpæ ſuæ exularet ſervus tuus, pauper quidam apud quem hoſpitatus ſum, fecit mecum miſericordiam, & utinam retribuat pro me Dominus meus. Primo ſiquidem omnia ſua, dehinc etiam ſemetipſum expoſuit utilitatibus meis, non parcens ſibi propter me, in jeiuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis ſupra modum, in fame & ſiti etiam, in frigore & nuditate. Quid igitur? Profectò non mentitur Scriptura, quæ dicit: [m]: *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* O ſi fortè guſtare dulcedinem hanc, ſi fortè gloriam iſtam valeas æſtimare! Mira enim dicturus ſum: ſed tamen vera, & omnino indubitata fidelibus. Ipſe Dominus Sabaoth, Dominus virtutum, & rex gloriæ, ipſe deſcendet ad reformanda corpora noſtra, & configuranda corpori claritatis ſuæ. Quanta erit illa gloria, quam ineffabilis exultatio, quando Creator univerſitatis, qui pro animabus iuſtificandis humilis antè venerat & occultus, pro re glorificanda, ô miſera caro, ſublimis veniet & manifeſtus; non iam in infirmitate, ſed in gloria & maieſtate ſua? Quis cogitabit diem adventûs illius, quando deſcendet cum plenitudine luminis, præcurrentibus Angelis, & tubæ concentu excitantibus de pulvere corpus inops, & rapientibus illud obviam Chriſto in aera?

Animæ cura pro corpore tanquam bono & commodo hoſpite.

m Pſal. 144.a

Futuræ glori contemplatio.

Glorioſior ſecundus Chriſti adventus quàm primus.

Quouſque igitur caro miſera, inſipiens, cæca, demens: & prorſus inſana caro tranſitorias & caducas quærit conſolationes, imo deſolationes, ſi fortè contingat repelli, & indignam iudicari hac gloria, magis autem nihilominus ineffabili in æternum excruciari pœna? Non ſic, obſecro, fratres mei, non ſic: quinimo delectetur in huiuſmodi meditationibus anima noſtra: quin etiam caro noſtra requieſcat in ſpe, Salvatorem expectans Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit illam configuratam corpori claritatis ſuæ. Sic enim ait Propheta [n]: *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea!* Deſiderabat quidem anima prophetalis adventum priorem, quo ſe noverat redimendam: ſed multo amplius caro deſiderabat adventum poſteriorem, & glorificationem ſuá. Tunc enim implebuntur deſideria noſtra, & plena erit maieſtate Domini omnis terra. Ad quam gloriam, ad quam denique pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, ipſe ſua nos miſericordia perducat, nec confundat nos, ab expectatione noſtra, Salvator quem expectamus, Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula.

Terrenas conſolationes reſpue, ut mereare divinas.

n. Pſal. 62.a

De triplici utilitate Adventus Domini.

Sermo VII.

Necessitas adventus Christi.

SI devotè celebramus Adventum Domini, id facimus, quod oportet. Si quidem non modò ad nos, sed propter nos venit, qui bonorum nostrorum non eget. Verùm nostræ quidem indigentiæ quantitatem manifestiùs ipsa dignationis eius indicat magnitudo. Nec modo periculum ægritudinis ex ipso pretio medicaminis innotescit: sed & valetudinum* numerus ex multitudine remediorum. Ad quid enim divisiones gratiarum sunt, si non videtur necessitatum ulla diversitas? Et quidem difficile est universas uno sermone prosequi indigentias quas experimur: sed occurrunt mihi interim tres communes omnibus & quodammodo principales. Nemo enim reperitur in nobis, qui non interim, & consilii, & auxilii, & præsidii indigus videatur. Nimirum generalis est humano generi miseria triplex: & quotquot degimus in regione umbræ mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis, si diligenter advertimus, triplici hoc incommodo miserabiliter laboramus. Nam & faciles sumus ad seducendum, & debiles ad operandum, & fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum & malum, decipimur: si tentamus facere bonum, deficimus: si conamur resistere malo, dejicimur & superamur.

* Morborũ.

Triplex hominum miseria seu indigentia.

Huic remedium adfert triplex Domini adventus seu præsentia.

Necessarius proinde Salvatoris adventus: necessaria sic præoccupatis hominibus præsentia Christi. Atque utinam sic veniat, ut copiosissima dignatione sua, & in nobis per fidem habitans illuminet cæcitatem nostram, & nobiscum manens adiuvet infirmitatem nostram, & pro nobis stans fragilitatem nostram protegat & propugnet. Si enim ille in nobis, quis iam decipiat nos? Si ille nobiscum, quid de cætero non possumus in eo qui confortat nos? Si ille pro nobis, quis contra nos [a]? Fidelis consiliarius est, qui neque falli omnino nec fallere queat: fortis auxiliarius, qui non lassescat: patronus efficax, qui & ipsum Satanam sub pedibus nostris velociter conterat, & omnia eius machinamenta confringat. Nimirum ipse est Dei sapientia, cuius sapientia in promptu sit instruere ignorantes: ipse Dei virtus, cui facile sit & deficientes reficere, & eripere periclitantes. Ad hunc ergo tantum eruditorem, Fratres mei, in omni deliberatione curramus: hunc tam strenuum adiutorem in omni operatione invocemus: huic tam fido propugnatori in omni colluctatione committamus animas nostras: qui ad hoc ipsum venit in mundum, ut habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, & tenebras nostras illuminaret, labores levaret, & pericula propulsaret.

a Rom. 8. f

Ad

AD LECTOREM.

Sequentes Quatuor Homiliæ, etsi vulgò inscribantur super Missus est; *Ex mente tamen Authoris, ipsius inquam* BERNARDI, *inscribendæ*, De laudibus Virginis Matris. *Nam sic ipse præsenti Præfat. & Epist.* 18. Ad Petrum *Diac. Cardin.* Scio *inquit* me scripsisse & quatuor Homilias in laudibus Virginis Matris; nam hunc habent titulum, *&c. Et iterum Epist.* 89. *ad Ogerium.* Alium libellum à me nuper editum in Laudibus Virg. Matris tibi transmitto. *Porrò videndus* BERNARDUS *Tract. ad* Hugon. de S. Vict. *cap.* 5. † (*alias Epist.* 77.) *ubi sententiam quandam primi huius sermonis explicat, & à calumnia vindicat. Poterunt & hæ Homiliæ referri ad festum* Annunciationis B. V.

† *Habetur Tom.* 4.

S. P. BERNARDI ABBATIS,

De Laudibus Virginis Matris; super Verba Evang.

Missus est Angelus Gabriel, &c. Luc. 1.

HOMILIÆ IV.

PRÆFATIO.

SCribere me aliquid & devotio iubet, & prohibet occupatio. Veruntamen quia præpediente corporali molestia, Fratrum ad præsens non valeo sectari conventum †: *id tantillum otii, quod vel mihi de somno fraudans in noctibus intercipere sinor, non sinam otiosum. Libet ergo tentare id potissimum aggredi, quod sæpè animum pulsavit: loqui videlicet aliquid in* LAUDIBUS VIRGINIS MATRIS, *super illa lectione Evangelica, in qua (Luca referente) Dominicæ Annunciationis continetur historia. Ad quod sanè opus faciendum etsi nulla fratrum (quorum me profectibus deservire necesse est) vel necessitas urgeat, vel utilitas moneat: dum tamen ex hoc non impediar, quo ad quæque ipsorum necessaria minus paratus inveniar, non arbitror eos debere gravari, si propria satisfacio devotioni.*

† NOTA: *Quid operis S. vir, etiam infirmus, moliatur.*

HOMILIA I.

MIssus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, & nomen Virginis, MARIA [a]. Quid sibi voluit Evangelista, tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? Credo quia noluit nos negligenter audire, quod tam diligenter studuit enarrare. Nominat siquidem nuncium qui mittitur, Dominum à quo mittitur, Virginem ad quam mittitur, sponsum quoq; Virginis: amborúmq; genus, civitatem, ac regionem propriis designat nominibus. Ad quid hoc? Putásne aliquid horum supervacuè positum sit? Nequaquam. Si enim nec folium de arbore

[a] Luc. 1. *Insinuatio mysteriorum.*

sine

sine causa, nec unus ex passeribus sine Patre cœlesti cadit super terram [b]: putem ego de ore S. Evangelistæ superfluum diffluere verbum, præsertim in sacra historia Verbi? Non puto. Plena quippe sunt omnia supernis mysteriis, ac cœlesti singula dulcedine redundantia: si tamen diligentem habeant inspectorem, qui noverit sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Nempe in illa die stillarunt montes dulcedinem [c], colles fluxerunt lac & mel, quando rorantibus cœlis desuper, nubibúsque pluentibus iustum, aperta est terra læta germinans Salvatorem [d]: quando Domino dante benignitatem, & terra nostra reddente fructum suum, super illum montem montium, montem coagulatum & pinguem, misericordia & veritas obviaverunt sibi, iustitia & pax se osculatæ sunt [e]. Illo quoque in tempore unus iste inter cæteros montes non modicus, beatus videlicet Evangelista, dum desideratum nobis nostræ salutis exordium suo mellifluo commendavit eloquio, veluti perflante austro, atque è vicino Sole radiante iustitiæ, quædam ex eo spiritualia fluxerunt aromata. Utinam & nunc Deus emittat Verbum suum, & liquefaciat ea nobis, perflet Spiritus eius, & fiant nobis intelligibilia verba Evangelica: fiant in cordibus nostris desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, fiantque dulciora super mel & favum.

b Matt. 10. c

c Joel. 3. d

d Esa. 45.

e Psal. 84. b

Ait itaque: *Missus est Angelus Gabriel à Deo.* Non arbitror hunc Angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa, crebrà soleant ad terras fungi legatione: quod ex eius nomine palàm intelligi datur, quod interpretatum *fortitudo Dei* dicitur; & quia non ab alio aliquo fortè excellentiore se (ut assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo positum est, *à Deo*: vel ideo dictum est *à Deo*, ne cui vel beatorum spirituum suum Deus, antequam Virgini, revelasse putetur consilium†, excepto duntaxat Archangelo Gabriele, qui utique tantæ inter suos inveniri potuerit excellentiæ, ut tali & nomine dignus haberetur, & nuntio. Nec discordat nomen à nuntio, Dei quippe virtutem Christum, quem melius nunciare decebat, quàm hunc, quem simile nomen honorat? Nam quid est aliud fortitudo, quàm Virtus? Non autem dedecens aut incongruum videatur, Dominum & nuntium communi censeri vocabulo; cùm similis in utroque appellationis, non sit tamen utriusque similis causa. Aliter quippe Christus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantum nuncupativè, Christus autem etiam substantivè. Christus Dei virtus & dicitur [f] & est, quæ forti armato (qui suum atrium in pace custodire solebat) fortior superveniens, ipsum suo brachio debellavit; & sic ei vasa captivitatis

Angelus Gabriel quare missus.

† vide Tom. 4. Tract. ad Hugon. de S. Victore. c. 5. p. 122.

Christus & Angelus diversimodè Dei virtus dicitur.

f 1. Cor. 1. c

vitatis pōtenter eripuit. Angelus verò fortitudo Dei appellatus est, vel quod huiusmodi meruerit prærogativam officii, quo eiusdem nunciaret adventum virtutis: vel quia virginem natura pavidam, simplicem, verecundam, de miraculi novitate ne expaveſceret, confortare deberet, quod & fecit, *Ne timeas* (inquiens) *Maria, invenisti gratiam apud Deum.* Sed & ipsius Sponsum hominem utique nihilominus humilem ac timoratum, non irrationabiliter forsitan idem Angelus confortasse creditur, quanquam tunc ab Evangelista non memoretur: *Ioseph* (inquit) *fili David, ne timeas accipere Mariam coniugem tuam.* Convenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur; imo quia tale illi negotium iniungitur, rectè tali nomine designatur.

Missus est ergo Angelus Gabriel à Deo: quò? *In civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Videamus, si (ut ait Nathanael) à Nazareth potest aliquid boni esse [b]. Nazareth interpretatur, flos. Videntur autem mihi quoddam semen fuisse divinæ cogitationis tamquam è cœlo iactatum in terras, allocutiones & promissiones factæ cœlitus ad Patres, Abraham scilicet, Isaac & Iacob, de quo semine scriptum est: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus: & quasi Gomorrha similes essemus* [i]. Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quæ ostensa sunt in exitu Israel de Ægypto, in figuris & ænigmatibus per totum iter in deserto usque in terram promissionis, & deinceps in visionibus & vaticiniis Prophetarum, in ordinatione quoque regni ac Sacerdotii usque ad Christum: Christus autem huius seminis & horum florum non immeritò fructus esse intelligitur: dicente David [k]: *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Et iterum: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* [l]. In Nazareth ergo nunciatur Christus nasciturus: quia in flore speratur fructus processurus. Sed prodeunte fructu flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertransiit. Unde & Nazareth, civitas Galilææ dicitur, id est, transmigrationis; quia nascente Christo, omnia illa rransierunt, quæ superiùs enumeravi, quæ, ut ait Apostolus [m], *in figura contingebant illis.* Hos ergo flores & nos qui iam fructum tenemus, pertransisse videmus: & dum adhuc florere videbantur, transituri prævidebantur. Unde David [n]: *Manè sicut herba transeat, manè floreat & transeat: vesperè decidat, induret & aresçat.* Vespere etenim, id est quando venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Unigenitum suum factum ex muliere, factum sub lege [o], dicente ipso, *Ecce nova facio omnia* [p]: vetera transierunt, & disparuerunt, quomodo in novitate succrescentis fructus flores decidunt & arescunt. Unde rursus scriptum est [q]: *Fœnum aruit, & flos decidit; Verbum autem*

b Ioan. 1. g *Quo missus Angelus? in Nazareth.*

i Esa. 1. c *Nazareth interpretatio & significatio.*

k Psal. 4. b

l Psal. 131. b

Galilæa ratio mystica.

m 1. Cor. 10 a

n Psal. 89. b

o Galat. 4. a

p Esa. 43. c

q Esa. 40. b

Domini manet in æternum. Credo non ambigis quin verbum fructus sit! verbum autem Christus est.

Bonus itaque fructus Christus, qui manet in æternum. Sed ubi est fœnum quod aruit? Ubi est flos qui decidit? Propheta respondeat [r]: *Omnis caro fœnum: & omnis gloria eius tanquam flos fœni.* Si omnis caro fœnum: ergo carnalis ille populus Judæorum ut fœnum aruit. An non fœnum aruit, dum idem populus ab omni spiritus pinguedine vacuus, siccæ litteræ adhæsit? An non etiam flos decidit, quando gloriatio quam habebant in lege, non remansit? Si flos non decidit, ubi ergo regnum? ubi Sacerdotium? ubi Prophetæ? ubi templum? ubi denique magnalia illa de quibus gloriari solebant, & dicere [s]? *Quanta audivimus & cognovimus ea, & Patres nostri narraverunt nobis?* Et iterum: *Quanta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis.* Et hæc dicta sunt pro eo quod positum est, *in Nazareth civitatem Galilææ.*

r Esa. 40. b

s Psal. 77. a.

In illam ergo civitatem missus est Angelus Gabriel à D E O. Ad quem? *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.* Quæ est hæc Virgo tam venerabilis ut salutetur ab Angelo: tam humilis, ut desponsata sit fabro? Pulchra permixtio virginitatis & humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fœcunditas & partus consecrat virginitatem? Audis Virginem, audis humilem: si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur: ista præcipitur. Ad illam invitaris: ad istam cogeris. De illa dicitur: *Qui potest capere, capiat* [t]: de ista dicitur: *Nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cœlorum* [u]. Illa ergo remuneratur: ista exigitur. Potes denique sine virginitate salvari: sine humilitate non potes. Potest, inquam, placere humilitas: quæ virginitatem deplorat amissam, sine humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuisset. *Super quem,* inquit [w], *requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum?* Super humilem dixit, non super Virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset. Si super eam non requievisset, nec imprægnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Patet itaque quia ut de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet [x], *respexit humilitatem ancillæ suæ Deus,* potiùs quàm virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde constat quia etiam ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit.

Ad quem missus Angelus Gabriel? Ad Virginem Mariam.

Virginitatis & Humilitatis pulchra copula.

t Matt. 19. b

u Matt. 18. a

Humilitas simpliciter necessaria, non item Virginitas.

x Luc. 1. c

Humilitas Mariæ Virginis commendatur.

Quis dicis, virgo superbe? MARIA virginem se oblita, gloriatur de hu-

de humilitate: & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate? *Respexit* (ait illa) *humilitatem ancillæ suæ.* Quæ illa? Virgo utique sancta, Virgo sobria, Virgo devota. Nunquid tu castior illa? Nunquid devotior? Aut nunquid tua fortè pudicitia gratior castitate Mariæ? Ut tu scilicet sine humilitate placere sufficias, ex tua, quod illa non potuit ex sua. Denique quanto honorabilior es ex singulari munere castimoniæ, tanto tibi tu maiorem iniuriam facis, quod eius in te decorem fœdas permixtione superbiæ. Alioquin expedit tibi virginem non esse, quam de virginitate insolescere. Non omnium quidem est virginitas: multo tamen pauciorum est cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, & sufficit tibi. Quod si & virgo & humilis es: quisquis es, magnus es.

En quam necessaria virtus, Humilitatis.

Est tamen maius aliquid quod mireris in Maria: scilicet cum virginitate fœcunditas. A sæculo enim non est auditum, ut aliqua simul mater esset & virgo. Quod si & cuius mater attendas: quò te tua super eius mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc, ut te videas nec satis posse mirari? Nonne tuo, imo veritatis iudicio illa quæ Deum habuit filium, super omnes etiam choros exaltabitur Angelorum? An non Deum & Dominum Angelorum Maria suum audacter appellat filium, dicens [y]: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Quis hoc audeat Angelorum? Suffieit eis, & pro magno habent, quòd cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt & vocati Angeli, testante David. *Qui facit,* inquit [z], *Angelos suos spiritus.* Maria verò Matrem se agnoscens, maiestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat Filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paulò pòst subdit Evangelista: *Et erat,* inquiens [a], *subditus illis:* Quis, quibus? Deus hominibus. Deus inquâ, cui Angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt, subditus erat Mariæ. Nec tantũ Mariæ, sed etiã Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, & elige quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinq; stupor, utrinq; miraculum. Et quòd Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo: & quòd Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quod *sequuntur Agnum quocunque ierit* [b]. Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quæ etiam præit?

Virginitas cum fœcunditate in Maria mirabilis.

y Luc. 2. g. *Hominem esse Dei Matrem, aut Deum filium hominis, id omnem transcendit dignitatem.*

z Psal. 103. a

**a* Luc. 2. g

Summa Christi dignatio, & Mariæ dignitas, Deus subditus est homini.

b Apoc. 14. a

Disce homo obedire; disce terra subdi; disce pulvis obtemperare. De auctore tuo loquens Evangelista [c], *Et erat,* inquit, *subditus illis,* haud dubium, quin Mariæ & Ioseph. Erubesce, superbe cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominib⁹, tuo te præponis auctori? Utinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti,

c Luc. 2. g *Erubescat homo superbire; audiens Deum tam humiliter obedire.*

Deus respondere dignetur, quod & suo increpando respondit Apostolo. *Vade*, inquit [d], *post me Satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt.* Quoties enim hominibus præesse desiderio, toties Deum meum præire contendo, & tunc verè non sapio ea quæ Dei sunt. De ipso namque dictum est [e], *Et erat subditus illis.* Si hominis, ô homo, imitari dedignaris exemplum, certè non erit tibi indignum sequi auctorem tuum. Si non potes forsitan sequi eum quocumque ierit, dignare vel sequi quò tibi condescendit. Hoc est, si non potes sublimem incedere semitam virginitatis, sequere vel Deum per tutissimam viam humilitatis: à cuius rectitudine si qui etiam de virginibus deviaverint, ut verum fatear, nec ipsi sequuntur Agnum quocumque ierit. Sequitur quidem Agnum coinquinatus humilis, sequitur & virgo superbus; sed neuter quocumque ierit: quia nec ille ascendere potest ad munditiam Agni, qui sine macula est; nec is ad eiusdem mansuetudinem descendere dignatur, qua scilicet non coram tondente, sed coram occidente se obmutuit. Attamen salubriorem elegit sequendi partem in humilitate peccator, quàm in virginitate superbus, cum & illius immunditiam sua humilis satisfactio purget, & huius pudicitiam superbia inquinet.

[d] Matt. 16. d *Ambitiosus non sapit quæ Dei sunt.*

[e] Luc. 2. g.

Quomodo Christum sequi debeant, qui semitâ Virginitatis non possunt.

Sed fœlix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit fœcunditas: & nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit fœcunda virginitas: & incomparabilis prorsus fœcunditas, quam virginitas simul comitatur & humilitas. Quid horum non mirabile? Quid non incomparabile? Quid non singulare? Mirùm verò si non hæsitas in eorum ponderatione, quid tua judices dignius admiratione, utrum videlicet potius stupenda sit fœcunditas in virgine an in matre integritas: sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas: nisi quod indubitanter horum singulis præferenda sunt simul cuncta, & incomparabiliter excellentius est atque felicius, omnia percepisse, quam aliqua. Et quid mirum si Deus qui mirabilis legitur [f] & cernitur in Sanctis suis, mirabilem se exhibuit in matre sua? Veneramini ergo, coniuges in carne corruptibili carnis integritatem: miramini etiam vos, sacræ virgines, in virgine fœcunditatem: imitamini, omnes homines, Dei Matris humilitatem. Honorate, sancti Angeli, vestri Regis Matrem, qui nostræ adoratis Virginis Prolem, ipsum utique nostrum pariter ac vestrum Regem: nostri generis reparatorem, vestræ civitatis instauratorem. Cuius apud vos tam sublimis, inter nos tam humilis, à vobis pariter, & à nobis detur & dignitati debita reverentia, & dignationi honor & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Omnia in Virgine Maria prorsus eximia & admiranda.

[f] Psal. 67.

De an-

De laudibus Virg. Matris.

HOMILIA II.

Super Missus est Angelus.

NOvum quidem Canticum illud quod solis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipsam virginum Reginam cum cæteris, imò primam inter cæteras esse cantaturam, nemo est qui ambigat. Puto autem illam, præter illud quod solis licet, cum omnibus tamen virginibus, ei (ut dixi) commune erit, dulciori quodam atque elegantiori carmine lætificaturam esse civitatem Dei. Cuius utique dulcisonos depromere vel exprimere modulos, ne ipsarum quidē virginum ulla digna invenietur: quia soli meritò decantandum servabitur, quæ sola de partu, & partu divino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu, non in se, sed in ipso quem peperit. DEUS siquidem (DEUS enim est quem peperit) Matrem suam singulari in cœlestibus donaturus gloria, singulari in terris pervenire curavit & gratia, qua videlicet ineffabiliter & intacta conciperet, & pareret incorrupta. Porrò Deum huiusmodi decebat nativitas, qua non nisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. Proinde factor hominum ut homo fieret, nasciturus de homine talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit & Humilem, de qua mitis & humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus saluberrimumque exemplum ostensurus. Dedit Virgini partum, qui ei iam ante & virginitatis inspiraverat votum, & humilitatis prærogaverat meritum. Alioquin quomodo Angelus eam in sequentibus *gratia plenam* pronunciat, si quippiam vel parum boni quod ex gratia non esset, habebat?

Matris & prolis mira congruentia.

Ut igitur quæ Sanctum Sanctorum conceptura erat, pariter & paritura, sancta esset corpore, accepit donum Virginitatis: ut esset & mente, accepit & Humilitatis. His nimirum Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter & corporis decore præfulgida, specie sua & pulchritudine sua in cœlestibus cognita: cœli civium in se provocavit aspectus, ita ut & Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, & cœlestem nuncium ad se de supernis educeret. Et hoc est quod nobis hîc Evangelista commendat, cùm Angelum perhibet à DEO destinatum ad Virginem. *A Deo* (inquit) *ad Virginem*, id est, à celso ad humilem, à Domino ad ancillam, à Creatore ad creaturam. Quanta dignatio DEI, quanta Virginis excellentia! Currite matres, currite filiæ,

Magna Dei dignatio,

magna Virginis excellentia.

currite filiæ, currite omnes quæ post Evam, & ex Eva, & parturimini cum tristitia, & parturitis. Adite virginalem thalamum, ingredimini, si potestis, pudicum sororis vestræ cubiculum. Ecce enim Deus mittit ad Virginem, ecce affatur Angelus Mariam. Apponite aurum parieti, auscultate quid nunciet ei, si fortè audiatis unde consolemini.

Solatium protoplastorum per Mariam.

Lætare, Pater Adam, sed magis tu, ô Eva Mater, exulta: quia sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores: & quod infelicius est, priùs peremptores, quam parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia, & tali filia, sed illa amplius de qua malum ortum est prius, cuius opprobrium in omnes pertransiit mulieres. Instat namque tempus, quo iam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur adversus fœminam: qui utique dum se impudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est, dicens [a]: *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno & comedi.* Propterea curre, Eva, ad Mariam, curre Mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ista matris opprobrium auferat: ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur nisi per fœminam. Quid dicebas, ô Adam? *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi?* Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quàm deleas culpam. Verumtamen sapientia vicit malitiam, cùm occasionem veniæ, quàm à te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis invenit. Redditur nempe fœmina pro fœmina, prudens pro fata, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: Domine, mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi: & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Virginem. O admirandam & omni honore dignissimam Virginem! ô fœminam singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem!

[a] Gen. 3. c

Præclara Mariæ præ Eva commendatio.

Missus est, (inquit) *Angelus ad Virginem.* Virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique (qualem describit Apostolus [b]) mente & corpore sanctam. Nec noviter nec fortuitu inventam, sed à sæculo electam, ab Altissimo præcognitam & sibi præparatam, ab Angelis servatam, à Patribus præfiguratam, à Prophetis promissam. Scrutare scripturas, & proba quæ dico. Visne ut & ego aliqua ex his testimonia hîc inferam? Ut pauca loquar de pluribus: quam tibi aliam prædixisse DEUS videtur, quando ad serpentem ait [c]: *Inimicitias ponam inter te & mulierem?* Et si adhuc dubitas an de MARIA dixerit,

[b] 1. Cor. 7. f

Varia de B. Virgine testimonia seu vaticinia & figuræ.

audi

audi quod sequitur [d] : *Ipsa conteret caput tuum.* Cui hæc servata victoria est, nisi Mariæ : Ipsa proculdubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum. * d Ibid.

Quam verò aliam Salomon requirebat, cum dicebat [e] : *Mulierem fortem quis inveniet* ? Noverat quippe vir sapiens huius sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem : quia tamen & Deum legerat promisisse, & ita videbat congruere, ut qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans aiebat : *Mulierem fortem quis inveniet?* Quod est dicere : Si ita de manu fœminæ pendet & nostra omnium salus, & innocentiæ restitutio, & de hoste victoria : fortis omninò necesse est ut provideatur, quæ ad tantum opus possit esse idonea. Sed *mulierem fortem quis inveniet* ? At ne hoc quæsisse putetur desperando, subdit prophetando [f] : *Procul & de ultimis finibus pretium eius,* hoc est non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra, sed de cœlo, nec de cœlo proximo terris pretium fortis huius mulieris, sed à summo cœlo egressio eius. Quid deinde rubus ille quondam Mosaicus portendebat [g], flammas quidem emittens, sed non ardens, nisi Mariam parientem, & dolorem non sentientem? Quid, rogo, virga Aaron florida, nec humectata [h], nisi ipsam concipientem, quamvis virum non cognoscentem ? Huius magni miraculi maius mysterium Esaias edisserit, dicens [i] : *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet,* virgam virginem ; florem, virginis partum intelligens. * Prov. 31. a

Maria mulier fortis.

f Ibid.

* g Exod. 3. a

h Num. 17. c

Rubus incombustus & virga florida.

i Esa. 11. a

Sed si tibi quod nunc in flore Christus intelligi dicitur, superiori videtur adversari sententiæ, qua non virgæ flore, sed floris fructu designari dicebatur, noveris in eadem Aaronica virga (quæ non solum floruit, sed & frondut, & fructum emisit) non solum flore vel fructu, sed ipsis etiam frondibus eundem significari [k]. Noveris & apud Moysen nec fructu virgæ, nec flore, sed ipsa virga demonstrari. Illa utique virga ; qua feriente, aqua vel dividitur transituris, vel de petra excutitur bibituris [l]. Nullum autem inconveniens est, diversis rebus diversis ex causis Christum figurari, & in virga quidem potentiam, in flore verò fragantiam, in fructu autem saporis dulcedinem : in frondibus quoque sedulam eius intelligi protectionem, qua videlicet parvulos ad se confugientes sub umbra alarum suarum protegere non desinit, sive ab æstu carnalium desideriorum, sive à facie impiorum, qui eos afflixetunt. Bona & desiderabilis umbra sub alis JESU, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. Miserere mei, Domine JESU, miserere mei : quoniam in te confidit anima mea, & in

Dubium.

k Exod. 14. g

l Ibid. 17. c.

& in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas [m]. In hoc tamen Esaiæ testimonio, florem Filium, virgam intellige Matrem: quoniam & virga floruit absque germine, & virgo concepit non ex homine. Nec virgæ virorem floris læsit emissio: nec virginis pudorem sacri partus editio.

[m] Psal. 56. a *Christus & Maria variè figurati.*

oferamus & alia Virgini Matri, Deoque Filio congrua de Scri- pt[ura]stimonia. Quid illud Gedeonis vellus significat [n], quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis, in area ponitur, & nunc quidem lana, nunc verò area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne virginis, & absque detrimento virginitatis? Cui utique distillantibus cœlis tota se infudit plenitudo divinitatis: adeo ut ex hac plenitudine omnes acceperimus, qui verè sine illa non aliud quam terra arida sumus. Hinc quoque Gedeonico facto propheticum dictum pulchrè satis convenire videtur, ubi legitur [o], *Descendet sicut pluvia in vellus.* Nam per hoc quod sequitur, *& sicut stillicidia stillantia super terram*: idem datur intelligi, quod per inventam rore madidam aream. Pluvia quippe voluntaria quam segregavit DEUS hæreditati suæ, placidè prius & absque strepitu operationis humanæ suo se quietissimo illapsu virgineum demisit in uterum: postmodum verò ubique terrarum diffusa est per ora Prædicatorum, non iam sicut pluvia in vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terram, cum quodam utique strepitu verborum, ac sonitu miraculorum. Siquidem recordatæ sunt nubes illæ quæ portabant pluviam, præceptum sibi fuisse cum mitterentur [p]: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Quod & fecerunt. Etenim in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

[n] Iud. 6. g* *Vellus Gedeonis.*

[o] Psal. 71. a*

[p] Matt. 10. c

Audiamus & Hieremiam nova veteribus vaticinantem, & quem præsentem monstrare non poterat, venturum & ardenter desiderantem, & fidenter promittentem: *Novum*, inquit [q], *creavit Dominus super terram: fœmina circumdabit virum?* Quæ est hæc fœmina! Quis verò iste vir? Aut si vir quomodo à fœmina circumdatus? Aut si à fœmina circumdari potest, quomodo vir? Et ut apertius dicam, quomodo potest simul & vir esse, & in utero matris? Hoc est enim virum à fœmina circumdari. Novimus viros, qui scilicet infantiam, pueritiam, adolescentiam, atque iuventutem transeuntes ad gradum usque senectuti proximum pervenerunt. Qui ergo iam adeò grandis est, quomodo à fœmina circumdari potest? Si dixisset: Fœmina circumdabit infantem; vel, fœmina circumdabit parvulum; nec novum videretur, nec mirum. Nunc autem quia nil tale posuit, sed dixit

[q] Hier. 31. d *Fœmina circumdabit Virum, de B. Virg. dictum.*

virum

virum, quærimus quæ sit hæc novitas, quam DEUS fecit in terra, ut fœmina circumdaret virum, & vir intra fœminei unius corpusculi membra sese cohiberet? Quid est hoc miraculi? *Nunquid potest homo* (ut ait Nicodemus [r]) *in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci?* [r] Joan. 1.

Sed verto me ad conceptum partumque virginalem, si fortè inter plurima nova ac mira, quæ ibi profectò inspicit qui diligenter inquirit, etiam hanc quam de Propheta protuli [s], reperiam novitatem. Porrò ibi agnoscitur, longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari. Deum denique lactantem, sed Angelos reficientem: vagientem, sed miseros consolantem. Videas si attendas, tristari lætitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minùs mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans. Cui iam illud quoque non occurrat, quod quærebam? Numquid non facilè tibi est inter hæc fœminam agnoscere virum circumdantem, cum Mariam videas virum approbatum à Deo JESUM suo utero circumplectentem? Virum autem dixerim fuisse JESUM, non solum jam cùm diceretur *vir Propheta, potens in opere & sermone*, sed etiam cùm tenera adhuc infantis membra, Dei mater blando vel foveret in gremio, vel gestaret in utero. Vir igitur erat JESUS necdum etiam natus, sed sapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minùs habuit sapientiæ, vel potiùs non minor fuit sapientia JESUS conceptus, quàm natus, parvus quàm magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive iam grandiusculus interrogans Doctores in templo, sive iam perfectæ ætatis docens in populo, æquè profectò plenus fuit Spiritu sancto. Nec fuit hora in quacumque ætate sua qua de plenitudine illa quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adiiceretur: sed à principio perfectus, à principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiæ & intellectus [t], spiritu consilii & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis, & spiritu timoris Domini.

[s] Hierem. 31.

Contemplatio sublimis de Incarnationis mysterio.

Luc. 24. *Iesus Vir, etiam in prima infantia, & ipsa Matris utero.*

Iesus perfectus sapientia & à principio conceptionis.

[t] Esa. 11.

Nec te moveat, quod de illo legis in alio loco [u]: *Iesus autem proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.* Nam quod de sapientia & gratia hîc dictum est, non secundùm quod erat, sed secundùm quòd apparebat, intelligendum est: non quia videlicet aliquid ei novum accideret, quod ante non haberet, sed quod accidere videretur, quando volebat ipse ut videretur. Tu, homo, cum proficis, non quando nec quantum

[u] Luc. 2.

Quomodo ergò profecisse dicitur.

vis proficis, sed te nesciente tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At verò puer JESUS qui disponit tuam ipse disponebat & suam, & quando volebat & quibus volebat sapiens apparebat, quando & quibus volebat sapientior, quando & quibus volebat sapientissimus: quamquam in se numquam esset nisi sapientissimus. Similiter & cùm semper omni gratia plenus fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio eam nunc plùs minùs ostentabat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat. Constat ergo quia semper JESUS virilem animum habuit, etsi semper in corpore vir non apparuit. Cur denique dubito virum fuisse in utero, quem inibi DEUM fuisse non ambigo? Minùs quippe est, esse virum, quàm esse DEUM.

Sed vide si non etiam hanc Hieremiæ novitatem Esaias lucidissimè aperit, qui novos superiùs Aaronicos flores exposuit, *Ecce*, inquit [x], *virgo concipiet, & pariet filium.* Et habes fœminam, scilicet virginem. Vis & de viro audire quid sit? *Et vocabitur*, ait [y], *nomen eius Emanuel*, id est, nobiscum Deus. Fœmina itaque circumdans virum, Virgo est concipiens Deum. Vides quàm pulchrè & concorditer Sanctorum mira facta & mystica dicta sibi invicem concinant? Vides quàm stupendum sit hoc unum de Virgine & in Virgine factum miraculum, quod tot miracula prævenerunt, tot oracula promiserunt? Unus nimirum fuit spiritus Prophetarum: & licet diversis modis, signis & temporibus, eandem rem diversi non diverso spiritu & prævidérunt & prædixerunt. Quod Moysi monstratum est in rubo & igne, Aaroni in virga & flore, Gedeoni in vellere & rore; hoc apertè Salomon prædixit in forti muliere & eius pretio: apertiùs Hieremias præcinit de fœmina & viro: apertissimè Esaias declaravit de Virgine & Deo: Gabriel tandem exhibuit ipsam salutando. Ipsa namque est de qua nunc Evangelista, *Missus est* (ait) *Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam Ioseph.*

» *Ad Virginem* (inquit) *desponsatam.* Quare desponsatam? Cùm esset, inquam, virgo electa, & ut ostensum est, Virgo conceptura, Virgo paritura, mirum cur desponsata fuerit, non nuptura. Nunquid vel hoc casu factum quis dixerit? Non est casu factũ, quo rationabilis causa commendat, causa valdè utilis & necessaria, & divini prorsus adinventione consilii digna. Dicã quod mihi, imo quod ante me Patribus visum fuit. Illa utiq; fuit ratio desponsationis Mariæ, quæ & dubitationis Thomæ. Mos siquidẽ Judæorum erat, ut à die desponsationis suæ, usq; ad tempus nuptiarũ, sponsis sponsæ traderentur custodiendæ, quatenus earũ ipsi eo sibi pudicitiam curiosiùs servarent, quod sibi ipsi fideliores existerent. Sicut ergo Thomas

[x] Esaiæ. 7. c

[y] Ibid.

Scripturarum in præsignandis Christi mysteriis consonantia.

Maria Virgo cur desponsata vico.

Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est Dominicæ Confessor resurrectionis: ita & Joseph Mariam sibi desponsando, eiusque conversationem in tempore custodiæ studiosiùs comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia: & dubitatio Thomæ, & desponsatio Mariæ. Poterant quidem similis erroris laqueum nobis iniicere, fidei videlicet in illo, castitatis in illa: veritatem in suspicionem adducere: sed valde prudenter & piè factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firma sit certitudo. Nam & de Filii resurrectione citiùs quidem ego (qui infirmus sum) credederim Thomæ dubitanti & palpanti, quàm Cephæ audienti & credenti: & de Matris continentia faciliùs Sponso eius custodienti & experienti, quàm ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti. Dic quæso, quis eam videns desponsatam & gravidam, non potiùs diceret corruptam quàm Virginem? Non autem decebat hoc dici de Matre Domini. Tolerabilius verò atque honestius fuit, putari ad tempus Christum de coniugio fuisse natum, quàm de fornicatione.

Comparatio inter dubitationem Thomæ, & desponsationem Mariæ.

Sed non poterat, inquis, Deus apertum aliquod ostendere signum, quo videlicet fieret, ut eius nec ortus infamaretur, nec Mater criminaretur? Poterat utique; sed non poterat latere dæmones, quod scirent homines. Oportebat autem à principe mundi aliquamdiù celari divini consilii sacramentum †: non quòd DEUS si palàm opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret: sed quia ipse, qui non solum potenter, sed etiam sapienter quæcumque voluit fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit: ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam suam, sed & prudentiam ostendere voluit. Et quamquam illud aliter quomodo vellet perficere potuisset, placuit ei tamen eo potius & modo & ordine hominem sibi reconciliare, quo noverat cecidisse: ut sicut diabolus priùs seduxit fœminam, & postmodum virum per fœminam vicit: ita priùs à fœmina virgine seduceretur, & pòst à viro Christo apertè debellaretur: quatenus malitiæ fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo DEUS & prudentior appareret, & fortior. Ita quippe decuit incarnatam Sapientiam spiritualem vincere malitiam, quò non solùm attingeret à fine usque ad finem fortiter, sed & disponeret omnia suaviter ζ. Attingit autem à fine usque ad finem, id est, à cœlo usque ad infernum. *Si ascendero*, inquit [a], *in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Utrobique verò fortiter, quando & de supernis expulit superbum, & apud inferos spoliavit avarum. Conveniens

† Hanc quoque rationē adfert S. Ignatius Martyr apud Hieron. in cap. 1. Matt.

Deus in opere Redemptionis non tantum potentia, sed & prudentiæ usus.

ζ Sap. 8. a*

[a] Psal. 138. b

niens ergo erat, ut suaviter quoq; omnia cœlestia scilicet & terrena disponeret, quatenus & illinc dejiciens inquietum reliquos in pace firmaret: & hic debellaturus invidum, nobis priùs suæ humilitatis & mansuetudinis valde necessarium exemplum relinqueret: sicque mirabilis fieret moderamine sapientiæ, ut suis suavis, & hostibus fortis appareret. Quid enim prodesset diabolum à Deo vinci, nobis manentibus superbis? Necessariò igitur desponsata est Maria Ioseph, quando per hoc & à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ providetur. Quid sapientius, quid dignius divina providentia? Uno tali consilio secretis cœlestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra servatur fama Virginis Matris. Alioquin quando peperciſſet iustus adulteræ? Scriptum est autem [b]: *Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Bene cum esset iustus, noluit eam traducere: quia sicut nequaquam iustus esset, si cognitam ream consensisset; sic nihilominus iustus non esset, si probatam innoxiam commendasset. Cùm ergò iustus esset, & nollet eam traducere, voluit dimittere eam.

[b] Matt. 1. c

Ioseph cur voluerit dimittere Mariam.

Quare voluit dimittere eam? Accipe & in hoc non meam, sed Patrum sententiam. Propter hoc Ioseph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominũ à se repellebat, dicens: *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum*; propter quod & Centurio à domo sua eum prohibebat, cùm diceret, *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum* [c]. Ita ergo & Ioseph indignum & peccatorem se reputans, dicebat intra se, à tali & à tanta non debere sibi ultra familiare præstari contuberniũ, cuius supra se mirabilem expaveſcebat dignitatem. Videbat & horrebat divinæ præsentiæ certissimũ gestantem insigne: & quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expavit Petrus potentiæ magnitudinem, expavit Centurio præsentiæ maiestatem. Exhorruit nimirum & Joseph, sicut homo, huius tanti miraculi novitatem, mysterii profunditatem: & ideò occultè voluit dimittere eam. Miraris quòd Ioseph prægnantis sese consortio Virginis judicabat indignum, cùm audias & sanctam Elizabeth eius non posse ferre præsentiam, nisi cum tremore quidem & reverentia! Ait namq; [d], *Vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Ideo itaq; Ioseph voluit dimittere eam. Sed quare occultè, & non palam? Ne videlicet divortii causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir iustus responderet populo duræ cervicis, populo non credenti & contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobaverat, nonne mox increduli & crudeles Iudæi subsannarent illum, lapidarent illam? Quando namque veritati crederent tacenti in utero, quam postea contempserunt clamantem

[c] Matt. 8. b

Ex humilitate & reverentia.

[d] Luc. 1. c

Ioseph cur occultè voluerit dimittere Mariam.

tem in templo ? Quid facerent necdum apparenti, cui postmodum impias manus iniecerunt etiam miraculis corruscanti ? Meritò ergò vir iustus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occultè dimittere eam.

An de Mariæ integritate dubitaverit.

Sin verò aliter quis sentiat; & Ioseph sicut hominem dubitasse contendat, sed quia iustus erat, noluisse quidem habitare cum ea propter suspicionem, nec tamen (quia pius erat) traducere voluisse suspectam, & ideò voluerit occultè dimittere eam; breviter respondeo etiam sic dubitationem illam Ioseph fuisse necessariam, quæ divino meruit certificari oraculo. Sic quippe scriptum est [e] : *Hæc autem eo cogitante*, scilicet quòd occultè dimitteret eam, *Apparuit ei Angelus in somnis, dicens. Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Itaq; propter istas rationes desponsata est MARIA Ioseph, vel potius (sicut ponit Evangelista) *viro cui nomen erat Ioseph* [f]. Virum nominat, non quia maritus †, sed quod homo virtutis erat. Vel potius quia, iuxta alium Evangelistam [g], non vir simpliciter, sed *vir eius* dictus est: meritò appellatur, quod necessariè putatur. Debuit ergo vir eius appellari, quia necesse fuit & putari, sicut & Pater Salvatoris non quidem esse, sed dici meruit, ut putaretur esse, dicente hoc ipso Evangelista [h] : *& ipse IESVS erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur, Filius Ioseph.* Nec vir ergo matris nec filii pater extitit, quamvis certa (ut dictum est) & necessaria dispensatione utrumque ad tempus & appellatus sit & putatus.

[e] Matt. 1.

[f] Luc. 1. e

† v. NOTAS.

[g] Marc. 1. e

[h] Luc. 3. e

Coniice tamen ex hac appellatione, qua (licet dispensatoria) meruit honorari à Deo, ut Pater Dei & dictus & creditus sit : coniice & ex proprio vocabulo (quod augmentum non dubites interpretari) quis & qualis homo fuerit iste Ioseph. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto [i], & scito ipsius istum non solùm vocabulum fuisse sortitum : sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum & gratiam. Siquidem ille Ioseph fraterna ex invidia venditus & ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfiguravit. Iste Ioseph Herodianam invidiam fugiens, Christum in Ægyptum portavit [k]. Ille domino suo fidem servans, dominæ noluit commisceri [l] : Iste dominam suam Domini sui Matrem Virginem agnoscens; & ipse continens fideliter custodivit [m]. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum [n] : Isti datum est conscium fieri atque participem cœlestium sacramentorum. Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo : Iste Panem vivum è cœlo servandum accepit tàm sibi quàm toti mundo. Non est dubium quin bonus & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui Mater desponsata

[i] Gen. 37. f

Ioseph dignitas.

Eius cum Iosepho filio Iacob comparatio, & elogia.

[k] Matt. 2. c.

[l] Gen. 39. c

[m] Matt. 1. e

[n] Gen. 40. e

est Salvatoris, Fidelis inquam servus & prudens, quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutritium: solum denique in terris, magni consilii coadiutorem fidelissimum. Huc accedit quod dicitur fuisse *de Domo David.* Verè enim de domo David: verè de Regia stirpe descendit vir iste Joseph, nobilis genere, mente nobilior. Planè filius David, non degenerans à Patre suo David. Prorsus, inquam, filius David, non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione, quem tanquam alterum David Dominus invenit secundum cor suum, cui tutò committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum: cui tanquam alteri David incerta & occulta sapientiæ suæ manifestavit: & dedit illi non ignarum esse Mysterii, quod nemo principum huius sæculi agnovit: cui denique datum est quod multi Reges & Prophetæ cum vellent videre, non viderunt; audire non audierunt; non solùm videre & audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, & nutrire & custodire. Non tantum autem Joseph, sed & Maria descendisse credenda est de domo David. Alioquin non esset desponsata viro de domo David, si non esset & ipsa de domo David. Ambo igitur erant de domo David: sed in altera completa est veritas quam iuravit Dominus David, altero tantùm conscio & teste adimpletæ promissionis.

Ioseph de domo David; dignus tanto Patre Filius.

In fine autem versus, & *nomen* (inquit) *Virginis Maria*; Loquamur paucà de superbo hoc nomine, quod interpretatum maris Stella dicitur, & Matri Virgini valdè convenienter aptatur. Ipsa namque aptissimè sideri comparatur: quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturit Filium. Nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobis illa stella ex Jacob orta, cuius radius universum orbem illuminat, cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans & calefaciens magis mentes, quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa inquam est præclara & eximia stella super hoc mare magnum & spatiosum necessariò sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in huius sæculi profluvio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare; ne avertas oculos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum: respice stellam, voca MARIAM. Si iactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; respice stellam, voca MARIAM. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad MARIAM. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicii horrore perter-

Interpretatio & elogium Nominis Maria, id est, stella maris.

Cohortatio ad cultum & venerationem Virginis Mariæ pulcherrimæ.

perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde; & ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias: ipsam rogans non desperas: ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis: & sic in temetipso experiris quàm merito dictum sit, *Et nomen Virginis Maria.* Sed iam modicè pensandum est, ne & nos in transitu claritatem tanti luminis intueamur. Ut enim verbis Apostolicis utar [o], *Bonum est nos hic esse*: & libet dulciter contemplari in silentio, quod laborioſa non sufficit explicare locutio. Interim autem ex devota scintillantis sideris contemplatione, ferventior reparabitur in his quæ sequuntur disputatio. "

o Matt. 17.a

De laudibus Virg. Matris.

HOMILIA III.

Super Missus est Angelus Gabriel, &c.

LIbenter, ubi mihi congruere video, verba Sanctorum assumo, quò vel ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant quæcunque in eis lectori apposuerim. Ut autem nunc è Propheticis verbis incipiam. *Væ mihi,* non quidem (sicut Propheta [a]) *quia tacui,* sed quia locutus sum, *quoniam vir pollutus labiis ego sum.* Heu quot vana, quot falsa, quod turpia per hoc ipsum spurcissimum os meum evomuisse me recolo, in quo nunc cœlestia revolvere verba præsumo. Vehementer timeo, ne iamiam audiam ad me dictum [b], *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Utinam & mihi de superno Altari non quidem carbo unus, sed ingens globus & igneus afferatur, qui videlicet multam & inveteratam prurientis oris mei rubiginem ad plenum excoquere sufficiat, quatenus Angeli ad Virginem, & Virginis ad ipsum grata invicem ac casta colloquia dignus habear meo qualicunque replicare sermone. Ait enim Evangelista [c]: *Et ingressus Angelus ad eam* (haud dubium quin ad Mariam) *dixit, Ave gratia plena, Dominus tecum.* Quò ingressus ad eam? Puto in Secretarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli astare orantibus, & delectari in his quos vident levare puras manus in oratione: holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. Mariæ autem orationes quantum placuerint in conspectu Altissimi Angelus indicavit: qui ingressus ad eam, eam reverenter salutavit. Nec fuit difficile Angelo per clausum ostium penetrare ad abdita Virginis, qui

a Esa. 6.b

Humilis viri sancti confessio.

b Psal. 94.c

c Luc. 1.c "

Angeli adstant orantibus.

Angelus omnia pervia.

qui utique ex subtilitate substantiæ suæ hoc habet in natura, ut nec seris ferreis eius arceatur ingressus, quocunque suus eum impetus ferat. Angelicis enim spiritibus parietes non obsistunt, sed cuncta illis visibilia cedunt, cuncta æquè corpora quantumlibet solida vel spissa penetrabilia sunt eis ac pervia. Suspicandum igitur non est, quòd apertum invenerit Angelus ostiolum Virginis: cui nimirum in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia: ne vel orantis perturbaretur silentium, vel continentis castitas tentaretur. Clauserat itaque etiam illa hora suum super se habitaculum Virgo prudentissima, sed hominibus, non Angelis. Proinde etsi ad eam potuit intrare Angelus; sed nulli hominum facilis patebat accessus.

Ingressus ergò Angelus ad eam dixit: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Legimus in Actibus Apostolorum [d], & Stephanum plenum gratia, & Apostolos fuisse repletos Spiritu sancto, sed longè dissimiliter à Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria: nec illi conceperunt de Spiritu sancto quomodo Maria. *Ave* (inquit) *gratia plena, Dominus tecum.* Quid mirum si gratia plena erat, cum qua Dominus erat? Sed hoc potius mirandum quomodo qui Angelum miserat ad Virginem, ab Angelo inventus est esse cum Virgine. Itáne velocior Angelo fuit Deus, ut festinantem nuncium celerior ipse præveniret ad terras? Nec mirum. Nam cùm esset rex in accubitu suo, nardus Virginis dedit odorem suum, & ascendit in conspectu gloriæ eius fumus aromatis, & invenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus qui circumstabant [e]: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Statimque rex egrediens de loco sancto suo, *exultavit ut gigas ad currendam viam* [f], & licet à summo cœlo egressio eius, nimio tamen pervolans desiderio prævenit suum nuncium ad Virginem quam amaverat, quam sibi elegerat, cuius decorem concupierat. Quem prospiciens à longè venientem gratulans & exultans ait Ecclesia [g]; *Ecce venit iste saliens in montibus, transiliens colles,*

Meritò autem concupivit rex decorem Virginis. Fecerat enim quicquid longè antea præmonita fuerat à Patre suo David, dicente sibi [h]: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui. Et* si hoc feceris, *concupiscet rex decorem tuum.* Audivit quippe & vidit, non ut quidam, qui audientes non audiunt, & videntes non intelligunt; sed audivit & credidit, vidit & intellexit. Et inclinavit aurem suam ad obedientiam, & cor suum ad disciplinam, & oblita est populum suum, & domum Patris sui: quia nec populum suum augere

prolis

d Act. 6. b *Plenitudo gratiæ in B. Virgine ab aliis SS. diversa.*

e Cant. 3. c

f Psal. 18. b

g Cant. 2. b

h Psal. 44. *Virginis virtutes ad tantam gratiam præparatoriæ.*

prolis successione, nec domi Patris sui relinquere curavit hæredem; sed quicquid honoris in populo, quicquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Nec fefellit eam intentio, quando & Christum sibi Filium vendicavit, nec propositum pudicitiæ violavit. Bene igitur gratia plena, quæ & virginitatis gratiam tenuit, & insuper fœcunditatis gloriam acquisivit.

Ave (inquit) *gratia plena, Dominus tecum.* Non dixit Dominus in te, sed, *Dominus tecum.* Deus enim qui ubique æqualiter totus est per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis quàm in cæteris; & ipsarum aliter in bonis, quàm in malis est per efficaciam. Ita sanè in irrationalibus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantùm capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Nam dum suas voluntates ita iustitiæ subdunt, ut Deum non dedeceat velle quod ipsi volunt: per hoc quod ab eius voluntate non dissentiunt, Deum sibi specialiter iungunt. Sed cùm ita sit cum omnibus Sanctis, specialiter tamen cum Maria, cum qua utiq; tanta ei consensio fuit, ut illius non solùm voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret, ac si de sua, Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potiùs unus Christus fieret: qui etsi nec totus de DEO, nec totus de Virgine, totus tamen DEI & totus Virginis esset, nec duo filii, sed unus utriusque Filius. Ait itaque, *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Nec tantùm Dominus Filius tecum, quem carne tua induis: sed & Dominus Spiritus sanctus, de quo concipis: & Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium suum facit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo & sibi referat genitale secretum, & tibi servat virginale signaculum. Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat uterum; ergo Dominus tecum.

Deus diversimodè in creaturis.

Singulariter in & cum B. Virgine.

Benedicta tu in mulieribus. Libet adiungere quod Elizabeth, cuius hæc verba sunt, prosecuta subiunxit. *Et benedictus fructus ventris tui.* Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui: sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideò tu benedicta. Verè etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes: de cuius plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris, etsi differentiùs à cæteris. Ac propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus, ille verò benedictus non in hominibus, non inter Angelos, sed, *qui est,* ut ait Apostolus [l], *super omnia benedictus Deus in sæcula.* Dicitur benedictus vir, benedictus panis, benedicta mulier, benedicta terra, vel si quid tale in crea-

[l] Rom. 9.a

in creaturis benedictum esse memoratur, sed singulariter benedictus fructus ventris tui, cùm sit super omnia benedictus Deus in sæcula.

Benedictus ergo fructus ventris tui. Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. Huius odoriferi fructus fragantiam sentiebat qui dicebat [k]: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* An non verè benedictus, cui benedixit Dominus? De sapore huius fructus quidam quod gustaverat taliter eructabat, dicens [l]: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Et alibi [m]: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te.* Et alius quidam [n]: *Si tamen,* inquit, *gustastis quoniam dulcis est Dominus.* Et ipse fructus de se, invitans nos ad se [o]. *Qui edit me,* ait, *adhuc esuriet: & qui bibit me, adhuc sitiet.* Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium & sitientium iustitiam, & esca & potus est. Audisti de odore; audisti de sapore, audi & de specie. Si enim fructus ille mortis non solùm suavis fuit ad vescendum, sed etiam, teste Scriptura [p], *delectabilis aspectu,* quanto magis huius vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere, in quem, teste alia Scriptura [q], *desiderant etiam Angeli prospicere?* Cuius pulchritudinem in spiritu videbat, & in corpore videre cupiebat, qui dicebat [r]: *Ex Sion species decoris eius.* Et ne mediocrem tibi videatur commendasse decorem: recole quod in alio Psalmo legis [s]: *Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.*

Benedictus ergo fructus ventris tui, cui benedixit Deus in æternum. Ex cuius benedictione benedicta etiam tu in mulieribus; quia non potest mala arbor fructum facere bonum. Benedicta, inquam, tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem evasisti, qua dictum est [t]: *In tristitia paries filios* [u]; nihilominus illam, qua secutum est [w]; maledicta sterilis in Israel: ac singularem consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneas nec cum dolore parturias. Dura necessitas, & grave jugum super omnes filias Evæ. Et si pariunt, cruciantur: & si non pariunt, maledicuntur. Et dolor prohibet parere, & non parere maledictio. Quid facies, Virgo, quæ hæc audis, quæ hæc legis? Si parturis, angustiaris; si sterilis manes, malediceris. Quid eliges, Virgo prudens! Angustiæ, inquit, mihi sunt undique: melius est tamen mihi maledictum incurrere & castam manere, quàm prius quidem concipere per concupiscentiã, quod meritò post cum dolore parturiam. Hinc etenim etsi video maledictum, sed non peccatum: illinc verò peccatum simul & cruciatum. Denique hæc maledictio quid est, quàm hominum exprobratio? Neque ob aliud

Propositum servandæ virginitatis firmum & immobile in B. V. non obstante maledictione legis.

[k] Gen. 27. d
[l] Psal. 33. b
[m] Psal. 30. d
[n] 2. Pet. 2. a
[o] Eccli. 24. c
[p] Gen. 3. b
[q] 1. Pet. 1. b
[r] Psal. 49. a
[s] Psal. 44. a
[t] Gen. 3. c
[u] Exod. 23. f Deut. 7. c

sanè

sanè dicitur sterilis maledicta, nisi quod opprobrio & contemptui sit habenda, tanquam inutilis & infructuosa, & hoc in Israel tantùm. Mihi autem pro minimo est, quòd hominibus displiceo, dum me possim Virginem castam exhibere Christo. O Virgo prudens, ô Virgo devota, quis te docuit Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ iustitia, quæ pagina veteris Testamenti vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, & in terris Angelicam ducere vitam? Ubi legeras, beata Virgo, *Sapientia carnis mors est* [u] : &, *Curam carnis ne perfeceritis in desiderio* [x] ? Ubi legeras de virginibus, quia *cantant Canticum novum, quod nemo alius cantare potest, & sequuntur Agnum quocunque ierit* [y] ? Ubi legeras, laudatos esse *qui se castraverunt propter regnum cœlorum* [z] ? Ubi legeras, *In carne enim ambulantes, non secundùm carnem militamus* [a] : &, *Qui matrimonio iungit Virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit* [b] ? Ubi audieras: *Volo vos omnes esse sicut & meipsum* [c] : &, *Bonum est homini, si sic permaneat secundum meum consilium* [d] ? *De virginibus*, inquit [e], *præceptum non habeo, consilium autem do.* Tu verò non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum: nisi quod Unctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei vivus & efficax ante tibi factus est magister, quàm filius: prius instruxerit mentem, quàm induerit carnem, Christo ergo devoves te exhibere Virginem; & nescis quod ipsi exhiberi te oportet etiam Matrem? Eligis in Israel esse contemptibilis, &, [illegible] placeas cui te probasti, maledictum incurrere sterilitatis: & ecce ma[illegible]ctio benedictione commutatur, sterilitas fœcunditate recompensatur.

Aperi Virgo sinum, expande gremium, præparauterum: qu[illegible]ce facturus est tibi magna qui potens est, in tantum ut pro maledictione Israel, beatam te dicant omnes generationes. Nec suspectam habeas, prudens Virgo, fœcunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies, sed sine peccato. Gravida eris, sed non gravata: paries, sed non cum tristitia: nescies virum, & gignes filium. Qualem filium? Illius eris Mater, cui DEUS est Pater. Filius paternæ charitatis erit corona tuæ castitatis, Sapientia paterni cordis erit fructus uteri Virginalis. Deum denique paries, & de Deo concipies. Confortare ergo Virgo fœcunda, casta puerpera, mater intacta, quia non eris in Israel ultrà maledicta, neq; inter steriles deputata. Etsi adhuc maledixeris ab Israel secundùm carnem, non quia sterilem vident, sed quia fœcundam invident: memento quòd & Christus maledictum pertulit crucis, qui te suam matrem benedixit in cœlis, sed & in terris ab Angelo benedicta, & à cunctis generationibus terræ meritò beata prædicaris. Benedicta ergo tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

[u] Rom. 8. a
[x] Rom. 13. d
[y] Apoc. 14. a
[z] Matt. 19. b
[a] 2. Cor. 10. a
[b] 1. Cor. 7. g.
[c] Ibid. b.
[d] Ibid. g
[e] Ibid. c

Privilegia Virg. Deiparæ.

» *Quæ cùm audisset turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset*
» *ista salutatio.* Solent virgines, quæ veræ virgines sunt, semper pavidæ, &
Virginum est, semper esse pavidas, nunquam securas. nunquam esse securæ, & ut caveant timenda, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, & nimis arduum esse vivere Angelicè inter homines, & in terris more cœlestium conversari, & in carne cœlibem agere vitam. Ac proinde quicquid novum, quicquid subitum fuerit ortum, suspectas habent insidias, totum contra se æstimant machinatum. Idcirco & Maria turbata est in sermone Angeli. Turbata est, sed non perturbata. *Turbatus sum*, inquit [e], *& non sum locutus, sed cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Ita ergo & Maria turbata est, & non est locuta, sed cogitabat qualis esset ista salutatio. Quòd turbata est, verecundiæ fuit virginalis: quòd non perturbata, fortitudinis? quòd tacuit & cogitavit, prudentiæ. *Cogitabat* autem *qualis esset ista salutatio.* Sciebat prudens Virgo quòd sæpè Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum Lucis: & quia nimirum humilis & simplex erat, nihil tale penitus à sancto Angelo sperabat, & ideo cogitabat qualis esset ista salutatio.

Difficilis custodia castitatis.

[e] Psal. 76. b

Maria turbata confirmatur ab Angelo. Tunc Angelus intuitus Virginem, & varias eam secum volvere cogitationes facilimè deprehendens, pavidam consolatur, confirmat dubiam, ac familiariter vocans ex nomine, benignè ne timeat persuadet. *Ne timeas* (inquit) *Maria, invenisti gratiam apud Deum.* Nihil hìc doli, nihil hic fallaciæ est. Nullam circunventionem, nullas hic suspiceris insidias. Non sum homo sed spiritus, & Dei Angelus, non satanæ. *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum.* O si scires quantum tua humilitas Altissimo placeat, quantate apud ipsum sublimitas maneat, Angelico te indignam nec alloquio judicares nec obsequio. Ad quid enim indebitam tibi dixeris gratiam Angelorum, quæ invenisti gratiam apud Deum? Invenisti quod quærebas, invenisti quod nemo ante te potuit invenire, invenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Hæc est ergo gratia, quam in-
» venisti apud Deum. Et hoc tibi signum. *Ecce concipies & paries Filium, &*
» *vocabis nomen eius Iesum.* Intellige prudens Virgo ex nomine Filii promissi, quantam & quam specialem gratiam inveneris apud Deum. *Et vo-*
» *cabis* (ait) *nomen eius Iesum.* Rationem huius vocabuli alius Evangelista ponit, Angelo sic interpretante [f]: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Quantam apud Deum gratiam inveneris.

[f] Matt. 1. d

Duos Jesus lego in typo huius quem nunc in manibus habemus, præcessisse, ambos populis præfuisse: quorum unus populum suum de Babylone eduxit [g], alter suum in terram promissionis introduxit [h]. Et illi

[g] 3. Esd. 2. & 5.
[h] Iosue 21. & 23. d

illi quidem illos quibus præerant, ab hostibus defendebant, sed nunquid salvabant à peccatis eorum? Is autem noster JESUS & à peccatis salvat populum suum, & introducit in terram viventium. *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Utinam & me peccatorem dignetur Dominus JESUS annumerare populo suo, ut salvum me faciat à peccatis meis. Vere enim beatus populus, cuius iste JESUS Dominus Deus eius, quia ipse salvum facit populum suum à peccatis eorum. Vereor autem ne multi se profiteantur esse de populo eius, quos tamen ipse non habeat pro populo suo: vereor ne plerisque, qui quasi in populo eius religiosiores esse videntur, ipse aliquando dicat: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me* [i]. Novit enim Dominus JESUS qui sunt eius; novit & quos elegerit à principio. *Quid me vocatis* (ait [k]) *Domine, Domine, & non facitis quæ dico*? Vis scire an pertineas ad populum eius, vel potius vis esse de populo suo. Fac quæ dicit Jesus; & computabit te in populo suo. Fac quæ iubet in Evangelio Dominus Jesus, quæ iubet in lege & Prophetis, quæ iubet per Ministros suos qui sunt in Ecclesia, obtempera eius Vicariis præpositis tuis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis: & disce ab ipso Jesu, quia mitis est & humilis corde; & eris de beato populo eius quem elegit in hæreditatem sibi; eris de laudabili populo eius, quem Dominus exercituũ benedixit dicens [l]. *Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Israel,* cui ne fortè Israel carnalem æmuleris, etiam testimonium perhibet, dicens [m]: *Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.*

Salvatoris nomen Christo competet per excellentiam.

i Matt. 15. a
2. Tim. 2. c
k Luc. 6. g.

l Esa. 19.

m Psal. 17. g

Sed audiamus quid idem Angelus sentiat de illo, cui necdum concepto tale indidit nomen. Ait namque: *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Benè magnus, quia Filius Altissimi merebitur appellari. An non magnus, cuius magnitudinis non est finis? Et *quis magnus*, ait [n], *sicut Deus noster*? Planè magnus, qui tam magnus, quàm Altissimus, quia & ipse Altissimus. Neq; enim Altissimi Filius rapinam arbitrabitur esse se æqualem [o] Altissimo. Ille meritò arbitrandus est cogitasse rapinã, qui cum de nihilo in Angelicam formam factus fuisset, factori suo se comparans, usurpavit sibi quod Filii Altissimi proprium est, qui utiq; in forma Dei à Deo non factus, sed genitus est. Altissimus enim Deus Pater quamvis omnipotens sit, non potuit tamen vel æqualem sibi condere creaturam, vel inæqualem gignere filium. Fecit itaque Angelum magnum, sed non quantus ipse: & ideo nec Altissimũ. Solum autem Unigenitum, quem non fecit, sed genuit Omnipotens Omnipotentem, Altissimus Altissimum, Æternus Coæternum, ipsum sibi per omnia comparari, nec rapinam

Textus.

n Psal. 112. a

o Philip. 2. a
Iesus magnus, quia Altissimo par & æqualis.

æstimat, nec iniuriam. Rectè ergo hic erit Magnus qui Filius Altissimi vocabitur.

Cur dictum erit magnus, & non est.

Sed quare *hic erit*, & non potius est magnus, qui semper æqualiter magnus, non habet quo crescat, nec maior post conceptum futurus sit, quàm ante vel sit, vel fuerit? An fortè propterea dixerit, *erit*, quia qui magnus DEUS erat, magnus homo futurus sit? Benè ergo *hic erit Magnus*. Magnus Homo, magnus Doctor, magnus Propheta. Sic enim dicitur de eo in Evangelio [p]: *Quia Propheta magnus surrexit in nobis*. Et à minori quodam Propheta magnus itidem Propheta venturus promittitur. Ecce, inquit, veniet Propheta magnus & ipse renovabit Jerusalem. Et tu quidem ô Virgo parvulum paries, parvulum nutries, parvulum lactabis, sed videns parvulum cogita magnum. Erit enim Magnus, quia magnificabit eum Deus in conspectu Regum, adeò ut adorent eum omnes Reges, omnes gentes serviant ei. Magnificet ergo & anima tua Dominum, quia *hic erit Magnus, & Filius Altissimi vocabitur*. Magnus erit & magna faciet tibi qui potens est, & sanctum nomen eius. Quod enim sanctius nomen, quàm quod Filius Altissimi vocabitur? Magnificetur & à nobis parvulis magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus est parvulus. Parvulus ait [q], natus est nobis: & Filius datus est nobis. Nobis, inquam, non sibi, qui utique ante tempora multo nobiliùs natus ex Patre, nasci temporaliter non indigebat ex Matre. Non Angelis quoque, qui cum magnum haberent, parvulum non requirébant. Nobis ergo natus, nobis & datus, quia nobis necessarius.

p Luc. 7. c

Iesus magnus pro nobis factus parvulus, ut nos faceret magnos.

q Esa. 9. a

Iam de nobis nato & dato, faciamus ad quod natus est & datus. Utamur nostro in nostram utilitatem, de Salvatore salutem operemur. Ecce parvulus in medio statuitur. O parvulus parvulis desideratus! O verè parvulus, sed malitiâ, non sapientiâ! Studeamus effici sicut parvulus iste; discamus ab ipso quia mitis est & humilis corde: ne magnō videlicet Deus sine causa factus sit homo parvus, ne gratis mortuus, nec in vacuum crucifixus. Discamus eius humilitatem, imitemur mansuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus passionibus, lavemur in sanguine eius, ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris: quoniam ad hoc ipse natus & datus est nobis: ipsum oculis Patris, ipsum offeramus & suis, quia & Pater proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum [r], & ipse Filius semetipsum exinanivit formam servi accipiens [s]: ipse tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est; & ipse peccata multorum tulit [t], & pro transgressoribus rogavit ut non perirent. Non possunt perire pro quibus Filius rogat ne pereant, pro quibus Pater tradidit Filium in mortem ut vivant. Æqualiter

A Christo nobis nato quæ utilitas capienda.

r Rom. 8. f
s Phili. 2. b
t Esa. 53. d

ter ergo ab utroque speranda est venia, quibus æqualis est in pietate misericordia, par in voluntate potentia, una in deitate substantia, in qua unus cum eis Spiritus sanctus vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

De laudibus Virg. Matris.

HOMILIA IV.

Super Missus est Angelus Gabriel, &c.

NOn est dubium, quicquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere; & rursum, cum Filium honoramus, à gloria Matris non recedimus. Nam si juxta Salomonem [a], *Filius sapiens gloria est patris*; quantò magis gloriosum est matrem ipsius effici Sapientiæ? Sed quid ego tento in eius laudibus, quam laudabilem prædicant Prophetæ, perhibet Angelus, narrat Evangelista? Non ergo laudo, quia non audeo: sed tantùm replico devotus, quod iam explicavit per os Evangelistæ Spiritus sanctus. Sequitur namque, & ait: *Et dabit illi dominus Deus sedem David Patris sui.* Verba sunt Angeli ad Virginem de promisso Filio, promittentis, quòd debeat possidere regnum David. Quòd de stirpe David duxerit originem Dominus Jesus, nemo dubitat. Quæro autem quomodo dederit ei Deus sedem David patris sui, cum ipse in Hierusalem non regnaverit, quinimo turbis eum volentibus constituere regem, non acquieverit, sed & ante faciem Pilati protestatus sit: *Regnum meum non est de mundo* [b]. Denique quid magnum promittitur ei qui sedet super Cherubim, quem Propheta vidit *sedentem super solium excelsum & elevatum* [c], sedere in Throno David Patris sui: sed novimus quandam aliam Hierusalem ab ea, quæ nunc est, in qua regnavit David, significatam, multo ista nobiliorem, multo ditiorem. Hanc igitur puto hîc fuisse significatam, illo videlicet usu loquendi, quo sæpè reperis in Scripturis significans poni pro significato. Tunc sanè dedit illi Deus sedē David Patris sui, quando constitutus est Rex ab eo super Sion montem Sanctum eius. Sed hic Propheta de quo regno dixerat, expressiùs aperuisse videtur, in eo quod non in Sion posuit, sed super Sion. Nam ideo fortassis dictum est, *super*, quia in Sion quidem regnavit David, super Sion verò regnum est illius, de quo dictum est ad David [d], *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, de quo & dictum est per alium Prophetam [e], *Super solium David & super regnum eius sedebit.* Vides quia ubiq; reperis, *super*: *Super Sion, super sedem, super solium, super regnum.* Dabit ergo ei Dominus Deus sedem David Patris sui, non typicam, sed veram, non temporalem, sed æternam, non terrenam, sed cœlestem. Quæ ideireo (ut iam dictum est) memoratur

a Pro. 10. a

Quomodò Christo data sedes David, cum in Hierusalem non regnaverit.

b Ioan. 18. g

c Esa. 6. a & 37. c

Hierusalem alia cœlestis, alia terrena.

d Psal. 131. b

e Esa. 9. b

ratur fuisse David: quia hæc, in qua temporaliter sedit, æternæ illius gerebat imaginem,

Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Hic quoque si domum Iacob temporalem accipimus, quomodo in illa quæ æterna non est, in æternum regnaturus est? Quærenda est ergo domus æterna Iacob in qua regnat in æternum, cuius regni non erit finis. An non denique domus ille Iacob exasperans impiè abnegavit eum, & insipienter respuit ante faciem Pilati: quando illo perhibente [f], *Regem vestrum crucifigam*? Uno ore respondendo clamavit: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Require itaque Apostolum, & discernet tibi eum qui in occulto Iudæus est, ab illo, qui in manifesto [g]: & quæ in spiritu est, circuncisionem, ab ea quæ fit in carne, & spiritualem Israel à carnali, & filios fidei Abrahæ à filiis carnis. *Non enim*, inquit [i], *omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, hi filii.* Sequere ergo & die: Similiter non omnes qui ex Iacob, hi reputandi sunt in domo Iacob. Iacob quippe ipse est, qui Israel. Solos igitur qui in fide Iacob perfecti inveniendi sunt, reputa in domo Iacob, vel potius ipsos noveris fore spiritualem & æternam domum Iacob, in qua regnabit Dominus IESUS in æternum. Quis ex nobis est qui iuxta interpretationem nominis, Iacob, supplantet diabolum de corde suo, luctetur cum vitiis & concupiscentiis suis: ut non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Iesus, & nunc quidem per gratiam, in æternum per gloriam? Beati in quibus Iesus regnabit in æternum, quia & ipsi cum eo regnabunt, & regni eius non erit finis. O quàm glorioſum est regnum illud, in quo reges congregati sunt, convenerunt in unum, ad laudandum scilicet & glorificandum eum, qui super omnes est Rex regum, & Dominus dominantium. De cuius splendidissima contemplatione fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum [k]. O si & mei peccatoris meminerit Iesus in beneplacito populi sui, cum venerit in regnum suum; O si me in illa die, quando traditurus est regnum Deo & Patri, visitare dignabitur in salutari suo, ad videndum scilicet in bonitate Electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, ut laudetur etiam à me cum hæreditate sua! Veni interim Domine JESU, aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu (qui debes) in ea. Venit enim avaritia, & vendicat in me sibi sedem; iactantia cupit dominari mihi; superbia vult mihi esse rex, luxuria dicit, ego regnabo: ambitio, detractio, invidia & iracundia certant in meipso de meipso, cuius ego potissimum esse videar. Ego autem quantum valeo resisto; renitor quantum juvor, Dominum meum Iesum reclamo; ipsi me defendo; quia ipsius me iuris agnosco.

Regnare in Domo Iacob in æternum quomodo intelligendum.

[f] Ioan. 19.c

[g] Rom. 2.g
[h] Col. 2.b
[i] Rom. 9.b

Iacob mysticè quis.

[k] Matt. 13. f

Anima regnum Christi, huic quæ tyrannus infesta.

Ipsum

Ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo; & dico, non habeo regem nisi Dominum Iesum. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.

Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Primo quidem prudenter tacuit, cum adhuc dubia cogitabat, qualis esset ista salutatio; malens nimirum humiliter non respondere, quam temerè loqui quod nesciret. Iam verò confortata & benè præmeditata Angelo quidem foris loquente; sed DEO intus persuadente (erat enim Dominus cum illa, dicente Angelo, *Dominus tecum*:) ita ergo confirmata, fide scilicet depellente timorem, lætitia verecundiam, dixit ad Angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Non dubitat de facto, sed modum requirit & ordinem. Nec enim quærit an fiet istud, sed *quomodo*. Quasi dicat: Cum sciat Dominus meus, testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiet istud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem Filium, & gaudeo de Filio, & doleo de proposito. Fiat tamen voluntas eius. Siu verò Virgo concipiam, Virgo & pariam, quod utique si placuerit ei impossibile non erit, tunc scio verè, quia respexit humilitatem ancillæ suæ. *Quomodo* ergo *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et respondens Angelus dixit ei: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Superiùs dicta est fuisse gratia plena, & nunc quomodo dicitur, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*? Nunquid potuit repleri gratia, & necdum habere Spiritum sanctum, cum ipse sit dator gratiarum? Si autem iam Spiritus sanctus in ea erat, quomodò adhuc tanquam noviter superventurus repromittitur? An fortè ideo nō dixit simpliciter, *venit in te*, sed addidit *super*, quia & prius quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc supervenire nunciatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusurus est super illam? At verò cum plena iam sit, illud amplius quomodo capere poterit? Si autem plus aliquid capere potest, quomodo & antè plena fuisse intelligenda est? An prior quidem gratia eius tantùm repleverat mentem, sequens verò etiam ventrem perfundere debeat, quatenus scilicet plenitudo divinitatis, quæ antè in illa, sicut & in multis Sanctorum spiritualiter habitabat, etiam sicut in nullo Sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat?

" *Maria non præceps ad respondendū.*

"

"

"

" *Quomodo Sp. S. supervenerit in Virginem, eique obumbraverit.*

" *Dubium.*

Ait itaque: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid est, *& virtus Altissimi obumbrabit tibi*? Qui potest

" "

capere, capiat. Quis enim, exceptâ fortassis illâ quæ hoc sola in se fœliciſſimè meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis sese visceribus infuderit, & ut illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset, de portiuncula eiusdem corporis cui se anima contemperavit, reliquæ massæ umbraculum fecerit? Et fortasse propter hoc maximè dictum est, *obumbrabit tibi*, quia res nimirum in sacramento erat, & quod sola per se Trinitas in sola & cum sola Virgine voluit operari: soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicatur ergo: *Spiritus sanctus superveniet in te*, qui utique sua potentia fœcundabit te. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*: hoc est, illum modum quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus, & Dei sapientia Christus, sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur & tibi. Ac si Angelus respondeat ad Virginem: Quid à me requiris, quod in te mox experieris? Sciens scies, & feliciter scies, sed illo Doctore, quo & auctore. Ego autem missus sum nunciare virginalem conceptum, non creare. Nec potest doceri nisi à donante: nec potest addisci nisi à suscipiente. *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quod est dicere: Quoniam non est de homine sed de Spiritu sancto quod concipies, concipies autem Altissimi virtutem, hoc est Filium Dei: *ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, id est, non solum qui de sinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id, quod de tua substantia sociabit sibi, ex hoc iam vocabitur Filius Dei, quemadmodum & is qui à Patre est ante sæcula genitus, tuus quoque amodò reputabitur Filius. Sic autem & quod natum est ex ipso Patre, erit tuus, & quod nascetur ex te, erit eius; ut tamen non sint duo filii, sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit, iam non tamen cuiusque suus, sed unus utriusque erit Filius.

Modus conceptionis Christi Deo tantum notus & Deipare.

Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Attende, quæso, quàm reverenter dixerit, *quod nascetur ex te sanctum.* Ad quid enim ita simpliciter sanctum & absque additamento? Credo quia non habuit quid propriè dignève nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis carne cum sua anima unico Patri erat uniendum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo vel sanctus infans, quicquid tale poneret; parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinitè, *sanctum*, quia quicquid illud sit, quod Virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit, & per Spiritus sanctificationem & per Verbi assumptionem.

Cur Christus ab Angelo simpliciter Sanctum dicatur.

Et adiecit Angelus: *Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium*

lium in senectute sua. Quid fuit necesse etiam huius sterilis Virgini nuntiare conceptum? Nunquid forte dubiam adhuc & incredulam oraculo, recentiori voluit confirmare miraculo? Absit. Legimus & Zachariæ incredulitatem ab hoc ipso Angelo fuisse castigatam: Mariam autem in aliquo reprehensam non legimus, quin potius fidem ipsius Elizabeth prophetante laudatam agnovimus. *Beata es*, inquit, *quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino.* Sed ideò sterilis cognatæ cõceptus Virgini nunciatur, ut dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Porrò necesse erat non modico lætitiæ & amoris præveniente inflammari incendio, quæ Filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus sancti mox fuerat conceptura. Neque enim nisi in devotissimo corde atq; hilarissimo tanta se capere poterat dulcedinis & alacritatis affluentia. *Vel ideo* conceptus Elizabeth nunciatur Mariæ, quia profectò decebat, ut Verbum mox divulgandum ubique, prius sciret Virgo per Angelum, quàm audiret ab homine: ne Mater videlicet Dei à consiliis videretur amota, si eorum quæ in terris tam prope gererentur, remansisset ignara. *Vel ideo* potius conceptus Elizabeth Mariæ nuntiatus est, ut dum nunc Salvatoris, nunc præcursoris, edocetur adventum, rerum tempus & ordinem tenens ipsa melius postmodum Scriptoribus ac Prædicatoribus Evangelii referaret veritatem, quæ & plenè de omnibus à principio cœlitus fuerit instructa mysteriis. *Vel ideò* adhuc nunciatur Mariæ conceptus Elizabeth, ut audiens cognatam vetulam & gravidam, cogitet juvencula de obsequio, sicque illa properante ad visitandum, parvulo Prophetæ locus & occasio detur, quo minori adhuc Domino sui officii valeat exhibere primitias: & dum ad se invicem occurrit matrum infantúmq; ab alterutro excitata devotio, mirabilius fiat miraculum de miraculo.

Sterilis cognate conceptus nunciatus Virgini.
Prima ratio.
Luc. 1.c
Secunda.
Tertia.
Quarta.

Vide autem ne hæc tam magnifica quæ ab Angelo audis prænunciata, ab ipso speres perficienda. A quo ergo si quæris, ipsum audi Angelum. *Quia non erit*, inquit, *impossibile apud Deum, omne verbum*: tanquam diceret: Hæc quæ ego tam fideliter promitto, non de mea, sed illius qui me misit virtute præsumo: *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quale enim illi verbum impossibile poterit esse, qui omnia fecit in verbo? Movet me & hoc in verbis Angelicis, quòd signanter non ait, quia non erit impossibile apud Deum omne factum, sed *omne verbum.* An idcirco posuit *verbum*, quia quàm facilè possunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenus facere possunt, tam facilè imò incomparabiliter facilius, valet Deus opere implere, quicquid illi verbo valent exprimere? Dicam apertius. Si hominibus tam facile esset facere quàm dicere quod volunt; & ipsis quoque non esset impossibile omne verbum. Nunc

Quam sit efficax Dei verbum.
Soli Deo idem facere & dicere.

autem quoniam vulgaris & vetus sermo est, multum interesse inter loqui & facere, sed apud homines, non apud Deum: soli Deo quia idem est facere quod loqui, idem loqui quod velle: meritò non erit impossibile apud Deum omne verbum. Verbi gratia: Potuerunt prævidere & prædicere Prophetæ Virginem vel sterilem concepturam ac parituram, sed nunquid facere, ut conciperet & pareret? Deus autem qui dedit eis posse prævidere, quam facilè potuit tunc quod voluit per illos prædicere, tam facilè potuit nunc quando voluit per seipsum quod promisit implere. Siquidem apud DEUM nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est: nec factum à verbo, quia virtus est: nec modus à facto, quia sapientia est: ac per hoc non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Dulcissima ad Virginem Apostrophe.

Audisti Virgo factum, audisti & modum, utrumque mirum, utrumque iucundum. Iucundare Filia Sion, & exulta satis filia Ierusalem. Et quoniam auditui tuo datum est gaudium & lætitia: audiamus & nos à te responsum lætitiæ, quod desideramus, ut iam exultent ossa humiliata. Audisti, inquam, factum, & credidisti: crede & de modo quod audisti. Audisti quia concipies, & paries filium, audisti quòd non per hominem, sed per Spiritum sanctum: expectat Angelus responsum, tempus est enim ut revertatur ad DEUM qui misit illum. Expectamus & nos, ô Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ, statim liberabimur si consentis. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat à te, ô pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exul de Paradiso, hoc Abraham, hoc David. Hoc cæteri flagitant sancti Patres, Patres scilicet tui, qui & ipsi habitant in regione umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat. Nec immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum: salus denique universorum filiorum Adam: totius generis tui. Da, Virgo responsum festinanter. O Domina responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & superi. Ipse quoque omnium Rex & Dominus, quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum: in qua nimirum proposuit salvare mundum. Et cui placuisti in silentio, iam magis placebis ex verbo: cum ipse tibi clamet de cœlo: O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Nunquid non hoc est, quod quærebas, quod gemebas, quod diebus & noctibus orando suspirabas? Quid igitur? Tu es cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Imo tu ipsa, non alia.

Vide quanta Dignitas, gratia & prærogativa Mariæ.

Tu,

Tu, inquam, illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex qua sanctus Pater tuus Iacob iam morti appropinquans vitam sperabat æternam, cum dicebat [l]: *Expectabo salutare tuum Domine.* In qua denique & per quam Deus ipse Rex noster ante sæcula disposuit operari salutem in medio terræ. Quid ab alia speras, quod tibi offertur? Quid per aliam expectas, quod per te mox exhibebitur, dummodo præbeas assensum, respondeas verbum? Responde itaque citius Angelo, imò per Angelum Domino. Responde verbum, & suscipe Verbum: Profer tuum, & concipe divinum. Emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Quid tardas? Quid trepidas? Crede, confitere & suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenus convenit nunc, ut virginalis simplicitas obliviscatur prudentiam. In hac sola re ne timeas, prudens Virgo, præsumptionem: quia etsi grata in silentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas necessaria. Aperi, Virgo beata, cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus, fortis pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, & rursus incipias dolens quærere quem diligit anima tua! Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per confessionem.

[l] Gen. 49. c

Similia invenies in Sermonibus S. Augustini. *Serm. 17. in Nat. Dom.*

Ecce, inquit, *Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Semper solet esse gratiæ divinæ familiaris virtus humilitas. Deus enim superbis resistit, humilibus autē dat suam gratiam. Humiliter ergo respondet, ut sedes gratiæ præparetur. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini.* Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloriâ nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat. Non mediocris revera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria, obliviſci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abiectione; magna prorsus & rara virtus, humilitas honorata. Si me miserum homuncionem meis decepta simulationibus ad aliquem vel mediocrem honorē provexerit Ecclesia, Deo nimirum hoc vel propter mea, vel propter subditorum peccata permittente; nonne statim oblitus qui fuerim, talem me puto, qualis ab hominibus (qui cor non vident) putatus sum? Credo sanè, conscientiam non attendo, & reputans non honorem virtutibus, sed virtutes honori, eò sanctiorem, quò superiorem me æstimo. Videas plerosq; in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos, subitò intumescere, pristinæ obliviſci abiectionis: genus quoq; suum erubescere, & infimos dedignari parentes. Videas & homines pernicioſos ad honores quosq; Ecclesiasticos pervolare; moxq; sibi applaudere sanctitatem, vestium duntaxat mutatione, non mentium, & dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo pervenerunt, quodque (si audeo dicere) adepti sunt nummis, attribuere meritis.

Quanta & quam DEO grata Virginis humilitas.

Magna sed rara virtus humilitas honorata.

Ambitionem & arrogantiam in Ecclesiasticis graviter perstringit.

Omitto autem de his, quos excæcat ambitio, & honor ipse superbiendi eis materia est.

Sed video (quod magis doleo) post spretam sæculi pompam, nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri gravius insolescere, & impatientes amplius fieri in claustro; quam fuissent in sæculo. Quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt: ut quia videlicet ubi à pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt; saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur. Video & alios (quod non sine dolore videri debet) post agressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negotiis; rursus cupiditatibus terrenis immergi: cum magna cura erigere muros, & negligere mores: sub prætextu quoque communis utilitatis, verba vendere divitibus, & matronis salutationes: sed & contra Imperatoris sui edictum concupiscere aliena; & sua cum lite repetere; non audientes Apostolum ex Imperio Regis tubicinantem: *Hoc ipsum*, inquit [m], *delictum est in vobis, quod causas habetis, quare non magis fraudem patimini?* Itane mundum sibi, & se mundo crucifixerunt, qui antea vix in suo vico vel oppido cogniti fuerant, modò circumeuntes Provincias, & Curias frequentantes, Regum notitias, Principumque familiaritates assecuti sint? Quid de ipso habitu dicam, in quo iam non calor, sed color requiritur, magisque cultui vestium quàm virtutum insistitur! Pudet dicere: vincuntur in suo studio mulierculæ, quando à monachis pretium affectatur in vestibus, non necessitas: nec saltem forma religionis retenta in habitu ornari, non amari appetunt milites Christi: qui dum se præparare ad prælium, & contra aereas potestates prætendere paupertatis insigne debuerant (quod utique adversarii valde formidant) in mollitie vestimentorum pacis potius præferentes indicium, ultro se hostibus sine sanguine tradunt inermes. Nec aliundè hæc omnia mala contingunt nisi quod illam (qua sæculum deseruimus) deserentes humilitatem, dum per hoc cogimur inepta denuò sectari studia sæcularium, canes efficimur revertentes ad vomitum.

Item in Religiosis, quorum superbia & insolentia detestabilis:

Vti & occupatio rerum sæcularium, & litium strepitus.

m 1. Cor. 6. b

Luxus & Vanitas vestium in Monachis res indignissima.

Audiamus itaque quotquot tales sumus, quid illa responderit, quæ
„ Dei Mater eligebatur, sed humilitatem non obliviscebatur. *Ecce* (ait)
„ *ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum. Fiat* desiderii signum,
„ non dubitationis indicium. Et per hoc quod dicit, *fiat mihi secundùm verbum tuum*, magis intelligenda est affectum exprimere desiderantis, quàm affectum requirere more dubitantis. Quanquam nil obstat intelligi, *fiat*, esse verbum orantis. Nemo quippe orat, nisi quod credit & sperat. Vult autem

Cur orari Deus velit pro

autem à se requiri Deus etiam quod pollicetur. Et ideo fortè multa quæ dare disposuit, priùs pollicetur, ut ex promissione devotio excitetur: sicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult salvos fieri, merita nobis extorquet à nobis: & dum nos prævenit in tribuendo, quod retribuat, gratis agit, ne gratis tribuat. Hoc utique prudens Virgo intellexit, quando prævenienti se muneri gratuitæ promissionis, iunxit meritum suæ orationis: *fiat* (inquiens) *mihi secundùm verbum tuum.* Fiat mihi de Verbo secundùm verbum tuum. Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea secundùm verbum tuum. Fiat obsecro mihi Verbum non prolatum quod transeat, sed conceptum ut maneat, carne videlicet indutum, non aere. Fiat mihi non tantùm audibile auribus, sed & visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. Nec fiat mihi verbum scriptum & mutum, sed incarnatum & vivum: hoc est, non mutis figuris mortuis in pellibus exaratum, sed in forma humana meis castis visceribus vivaciter impressum: & hoc non mortui calami depictione, sed sancti Spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum est, nemini post me faciendum. Porrò multifariam multisque modis olim Deus locutus est Patribus in Prophetis: & aliis quidem in aure, aliis in ore, aliis etiam in manu factum esse verbum Domini memoratur: mihi autem oro ut in utero fiat iuxta verbum tuum. Nolo autem ut fiat mihi aut declamatoriè prædicatum, aut figuraliter significatum, aut imaginatoriè somniatum; sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter invisceratum. Verbum igitur quod in se nec poterat fieri, nec indigebat, dignetur in me, dignetur & mihi fieri secundùm verbum tuum. Fiat quidem generaliter omni mundo, sed specialiter fiat mihi secundùm verbum tuum.

his etiam quæ dare disposuit. Oratio cum Dei decreto invariabili quomodo cohæreat.

Excusatio S. BERNARDI, quòd locum istum Evangelii post alios Expositores tractandum sumpserit.

LEctionem Evangelicam exposui, sicut potui: nec ignoro quòd non omnibus placebit: sed scio me ob hanc rem multorum fore indignationi obnoxium; & aut indicabor superfluus, aut præsumptor: quòd videlicet post Patres qui hunc ipsum locum plenissimè exposuerunt, rursus in eodem novus expositor ausus fuerim mittere manum. Sed si quid dictum est post Patres quod non sit contra Patres, nec Patribus arbitror, nec cuiquam displicere debere. Ubi autem dixi quod à Patri-

à Patribus accepi, dum sic absit typus præsumptionis, ut non desit fructus devotionis, patienter audiant de superfluitate causantes. Noverint tamen qui me tanquam de otiosa & non necessaria explanatione fugillant, non tam intendisse exponere Evangelium, quàm ex Evangelio sumere occasionem loquendi, quod loqui delectabat. Si verò peccavi, quod propriam magis ex hoc excitavi devotionem, quàm communem quæsierim utilitatem, potens erit pia Virgo apud suum misericordem Filium hoc meum excusare peccatum, cui hoc meum qualecunque opusculum devotissimè destinavi.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI:

SERMO I.

Iesus Christus Filius DEI nascitur in Bethleem Iudæ.

SOnuit vox lætitiæ in terra nostra, vox exultationis & salutis in tabernaculis peccatorum, Auditum est verbum bonum, verbum consolatorium, sermo iucunditate plenus, dignus omni acceptione. Iubilate montes laudem, & omnia ligna sylvarum plaudite manibus ante faciem Domini, quia venit. Audite cœli, & auribus percipe terra, obstupesce & lauda universitas creaturæ, sed tu magis ô homo, *Iesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Iudæ.* Quis tam lapidei cordis, cuius anima non liquefacta sit in hoc verbo? Quid annunciari dulcius poterat? Quid delectabilius commendari? Quid tale unquam auditum est, aut quid simile aliquando mundus accepit? *Iesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Iudæ.* O breve verbum de verbo abbreviato, sed cœlesti suavitate refertum! Laborat affectio mellifluæ dulcedinis copiam latiùs effundere gestiens, nec inveniens verba. Tanta siquidem est gratia sermonis huius, ut continuò incipiat minùs sapere si vel unum iota mutavero: *Iesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Iudæ.* O nativitas illibata sanctitate, honorabilis mundo, amabilis hominibus collati magnitudine beneficii, investigabilis etiam Angelis sacri profunditate mysterii, & in his omnibus admirabilis singulari excellentia novitatis! utpote quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem! O partus solus sine dolore, solus nescius pudoris, corruptionis ignarus, non referans, sed consecrans virginalis uteri templum! O nativitas supra naturam, sed pro natura: miraculi excellentia superans, sed reparans virtute mysterii! Fratres, generationem istam quis enarrabit? Angelus nuntiat, virtus obumbrat Altissimi, supervenit Spiritus; Virgo credit, fide concipit, Virgo permanet.

Generatio Christi ineffabilis.

nct. Quis non miretur? Nascitur Altissimi Filius, Deus de Deo genitus ante sæcula: nascitur Verbum infans: quis vel satis miretur?

Nec sane otiosa Nativitas, aut infructuosa dignatio maiestatis. *Iesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Iudæ.* Vos qui in pulvere estis, expergiscimini & laudate: Ecce Dominus venit cum salute. Venit cum salute, venit cum unguentis, venit cum gloria: neque enim sine salute Iesus, neque sine unctione Christus, nec sine gloria venit Dei Filius. Siquidem ipse salus, ipse unctio, ipse gloria, sicut scriptum est [a]: *Gloria Patris, Filius sapiens.* Fœlix anima, quæ gustato salutis fructu trahitur & currit in odorem unguentorum, ut videat gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre. Respirate, perditi, venit Iesus quærere & salvum facere quod perierat. Morbidi, convalescite, venit Christus, qui contritos corde sanat unctione misericordiæ suæ. Exultate quicunque estis grandia concupiscentes, descendit ad vos Filius Dei, ut regni sui faciat cohæredes. Ita obsecro, sana me, Domine, & sanabor; salvum me fac, & salvus ero: glorifica, & ero gloriosus. Sic nempe benedicet anima mea Dominum, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius, cùm propitiatus fueris omnibus iniquitatibus meis, sanaveris omnes infirmitates meas, repleveris in bonis desiderium meum. Hæc tria, dilectissimi, sapit mihi quòd audio nasci Iesum Christum Filium Dei. Quare enim vocamus nomen eius Iesum, nisi quia ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum [b]? Aut quare Christus nominari voluit, nisi quia computrescere faciet iugum à facie olei [c]? Quare Filius Dei factus est homo, nisi ut homines faceret filios Dei? Voluntati autem eius quis resistet? Iesus qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus qui sanat, quis est qui vulneret? Filius Dei qui exaltat, quis est qui humiliet?

Nativitas Christi quam mundo fructuosa.

a Prov. 19

Psal. 103. a

b Matt. 1. d
c Esa. 10. f

Nascitur ergo Iesus, gaudeat quisquis ille est, quem perpetuæ damnationis reum adiudicabit conscientia peccatorũ. Excedit quippe pietas Iesu omnem criminum quantitatem seu numerositatem. Nascitur Christus, lætetur quicunq; vitiis expugnabatur antiquis. Siquidem ante faciem unctionis Christi nullus omnino stare poterit morbus animæ quamlibet inveteratus. Nascitur Filius Dei: exultet qui magna solet desiderare, quia magnus munerator advenit. Fratres, hic est hæres, devotè suscipiamus eum, sic enim & hæreditas nostra erit. Qui enim proprium Filiũ dedit, quomodo non omnia nobis simul cum illo donavit [e]? Nemo diffideat, nemo hæsitet, habemus testimonium credibile nimis: Verbũ caro factum est, & habitavit in nobis [d]. Fratres habere voluit unigenitus Dei, ut esset in multis fratribus primogenitus ipse. Utiq; nihil hæsitet ipsa pusillanimitas fragilitatis humanæ: priùs ipse factus est hominũ frater, factus est hominis Filius, fact⁹ est homo. Si & hoc homo judicat incredibile, fidẽ astruunt oculi.

Nativitas Christi magnæ caussa lætitiæ & fiduciæ.

e Rom. 8. f

d Ioan. 1 d

Dignatio Christi potius in Bethleem quam Ierusalem nascentis.

Iesus Christus natus est in Bethleem Iudæ. Et vide dignationem. Non in Hierusalem civitate regia ; sed in Bethleem, quæ minima est in millibus Iuda. O Bethleem parva, sed iam magnificata à Domino, magnificavit te qui factus est in te parvus ex magno. Lætare Bethleem, & per omnes vicos tuos festivum hodie Alleluia cantetur. Quæ tibi civitas, si audiat, non invideat pretiosissimum illud stabulum, & illius præsepii gloriam? In universa siquidem terra iam celebre est nomen tuum, & beatam te dicunt omnes generationes. Ubique gloriosa dicunt de te, civitas Dei, ubique psallitur [c], quia homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus. Ubique, inquam, prædicatur, ubique clamatur, quia *Iesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Iudæ.* Nec otiosum quod additur *Iudæ*, siquidem admonet nos eius quæ ad Patres facta est repromissio; *Non auferetur*, inquit [d], *sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Salus quippe ex Iudæis, sed salus usque ad fines terræ. *Iuda*, ait [e], *te laudabunt fratres tui. Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum*, & cætera quæ de Iuda illo nusquam legimus, sed in Christo videmus impleta. Ipse est enim leo de Tribu Iuda; de quo & additur, *Catulus leonis* Iuda: *ad prædam*, inquit, *fili mi, ascendisti.* Magnus prædator Christus, qui priusquam sciat vocare Patrem aut Matrem, Samariæ spolia diripit [f]. Magnus Prædator Christus, qui ascendens in Altum, captivam duxit captivitatem: nec tamen abstulit quidquam, sed magis ipse dedit dona hominibus. Hasitaque & cæteras similes Prophetias impletas in Christo (de eo siquidem & prædictas) ad mentem revocat, quod dicitur, *Bethleem Iudæ*; nec omnino quærere est, utrum à Bethleem possit aliquid boni esse.

[c] Psal. 86. a

[d] Gen. 49. b

[e] Ibid.

[f] Esa. 8. b

Paupertatem & humilitatem nobis commendat locus nativitatis Christi.

Sanè quod ad nos spectat, discimus etiam ex hoc quemadmodum suscipi velit, qui in Bethleem voluit nasci. Erat enim qui fortè ei sublimia quærenda arbitraretur esse palatia, ubi cum gloria Rex gloriæ susciperetur, sed non propter hoc à regalibus illis sedibus venit. In sinistra eius divitiæ & gloria, in dextera longiturnitas vitæ [g]: horum omnium æterna in cœlis affluentia suppetebat, sed paupertas non inveniebatur in eis. Porrò in terris abundabat & superabundabat hæc species, & nesciebat homo pretium eius. Hanc itaque Dei Filius concupiscens descendit ut eam eligat sibi, & nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam. Adorna thalamum tuum, Sion: sed humilitate, sed paupertate. In his etiam pannis complacet sibi, & Maria testimonium perhibente, his sericis delectatur involui. Abominationes Ægyptiorum immola DEO tuo.

[g] Prov. 3. c

Considera denique quod in Bethleem Iudæ nascitur, & sollicitus

esto

esto quomodo Bethleem Iudæ inveniaris, & iam non in te quidem susci-
pi dedignetur. Bethleem quippe *Domum panis*, Iuda sonat *Confessionem*. Tu
ergo si divini Verbi pabulo repleas animam tuam, fideliterque, etsi non
digna, certè quanta potes devotione suscipias panem illum, qui de cœlo
descendit, & dat vitam mundo, Dominicum videlicet Corpus Iesu, ut
veterem utrem corporis tui nova illa resurrectionis caro reficiat & susti-
neat, quatenus novum quod intus est vinum, hoc solidatus glutino, va-
leat continere: si denique ex fide vivas, & nequaquam gemere oporteat,
quia oblitus sis comedere panem tuum: Bethleem factus es dignus planè
susceptione Dominica, si tamen confessio non defuerit. Sit proinde Iu-
dæa sanctificatio tua: confessionem & decorem induere, quam maximè
stolam in Ministris suis Christus acceptat. Denique breviter tibi utrum-
que commendat Apostolus: *Corde*, inquiens [g], *creditur ad iustitiam, ore
autem confessio fit ad salutem*. Iustitia siquidem in corde, panis in domo.
Est enim iustitia panis. Et [h], *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoni-
am ipsi saturabuntur*. Sit ergo in corde iustitia, & iustitia quæ ex fide est:
hæc enim sola habet gloriam apud DEUM. Sit etiam in ore confessio ad
salutem, & securus iam suscipe eum qui in Bethleem Iudæ nascitur, Ie-
sum Christum Filium Dei.

Bethleem & Iudæ allegorica expositio.

Quomodo suscipiendum corpus Dominicum.

g Rom. 10. c

h Matt. 5. c

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.
Sermo II.

† *O Iuda & Hierusalem, nolite timere, cras egrediemini, & Dominus erit vobiscum* [a].

† His verbis utitur Eccl. in Off. Noct. vigil. Nat. Dom. pro Resp.

VEros alloquimur Iudæos, non litera, sed spiritu: semen Abrahæ, cu-
ius multiplicatio sicut promissa legitur, sic videtur impleta. Neque
enim filii carnis, sed filii promissionis deputantur in semine. Sed nec illi
Hierusalem dicimus, quæ occidit Prophetas [b]. Unde enim illam con-
solemur, super quam Dominus flevit, quæ data est in subversionem? Illi
dicimus, quæ de cœlo nova descendit, *Nolite timere, ô Iuda & Hierusalem*.
Nolite timere veri Confessores, qui non solum ore, sed toti pariter, & o-
mni parte Domino confitemini, induti confessionem sicut vestimentum;
imò quorum omnia interiora Domino confitentur, & omnia ossa dicunt,
Domine, quis similis tibi [c]? Non sicut hi qui confitentur se nosse Deum,
factis autem negant [d]. Vera confessio est, si omnia opera nostra, fratres,
opera eius sint, & confiteantur ei. Confiteantur autem gemina quadam
confessione, ut duplicibus vestiamini, id est, confessione peccatorum ve-
strorum, & confessione laudis divinæ. Tunc enim veri Iudæi eritis, si o-

a 2. Par. 20. d
b Luc. 19. f
c Psal. 34. b
d Tit. 1. d

Confessio duplex peccatorum, & divinæ laudis.

omnis vita vestra confiteatur vos peccatores, & dignos multo maioribus pœnis: Deum verò summè bonum, qui pro his levibus & transitoriis pœnis, æterna condonat supplicia, quæ meruistis. Quisquis enim ardenter non desiderat pœnitentiam, videtur operibus dicere, non indigere se pœnitentia: & ita suam non confitetur culpam, aut non posse prodesse ei pœnitentiam: sic & divinam non confitetur bonitatē. Vos autem estote veri Iudæi, sed Ierusalem vera, ut nihil iam timeatis. Est enim Ierusalem visio pacis. Visio, non possessio, cuius fines Dominus posuit pacem, non initium sanè, nec medium. Si ergo pacem non habetis, imo quia perfectam in hoc sæculo habere non potestis, saltem videte eam, intuemini, considerate, & desiderate eam. Illuc sint oculi cordis vestri, ad pacem se dirigat intentio vestra, ut omnia quæcunque facitis, huius pacis quæ exuperat omnem sensum [a], desiderio faciatis: in omnibus hoc intendatis, ut reconciliati pacem habeatis ad Deum.

Ierusalem id est, visio pacis, quid significet.

a Philip. 4. d

His dicimus, *Nolite timere*, hos consolamur, non eos qui viam pacis non cognoverunt. Nam si illis dicitur, *Cras egrediemini*, comminatio, non consolatio erit ista. Soli nimirum dissolvi desiderant, & egredi concupiscunt, qui pacem vident, & sciunt, si terrestres domus eorum huius habitationis dissolvantur, quoniam ædificationem habent ex Deo, & non illi qui in insaniam versi suis compedibus delectantur. Denique hi tales moriendo non tam egressi dicendi sunt, quàm ingressi: qui non in lucem, non in libertatem vadunt, sed in carcerem, sed in tenebras, sed in infernum. Vobis autem dicitur: *Nolite timere, cras egrediemini* [b], & iam non erit timor in finibus vestris. Multos quidem habetis hostes: carnem, quia nullus potest esse vicinior hostis: præsens sæculum nequam, quod undique circumfusum est vobis: Principes tenebrarum, qui viam vestram obsident in aere collocati. Attamen nolite timere, cras egrediemini, id est, in proximo. Cras enim, in proximo est. Unde & S. Iacob ait [c]: *Cras respondebit mihi iustitia mea.* Tres enim dies sunt de quibus etiam legimus [d]. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia resuscitabit nos.* Unus sub Adam, alter in Christo, tertius cum Christo. Unde & ibi subditur, *Sciemus sequemurque, ut cognoscamus Dominum*, & hic dicitur, *Cras egrediemini, & Dominus erit vobiscum.* His enim dicitur, qui dimidiaverunt dies suos, in quibus periit dies in qua nati sunt, quæ est dies Adæ, dies peccati, cui Hieremias quoque maledicebat, dicens [e]: *Maledicta dies in qua natus sum.* Omnes enim in illa nascimur. Utinam pereat in nobis omnibus dies illa, dies nebulæ & caliginis, dies tenebrarum & turbinis, quam nobis fecit Adam, quam fecit inimicus, qui dixit [f]: *Aperientur oculi vestri.*

Quib. mors in desiderio.

b 2. Paralip. 20. d

Tres hostes animæ.

c Gen. 30. c
d Oseæ 6. a

e Hier. 20. d

f Gen. 3. b

Ecce verò illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, fœlici-

fœlicitatis æternæ. *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea* [g], quia cras egrediemur. Unde? nisi de conclavi huius sæculi, de ergastulo huius corporis, de compedibus necessitatis, curiositatis, vanitatis, & voluptatis, quæ etiam invitis nobis pedes tenent affectionis? Quid enim spiritui nostro cum terrenis? Cur non spiritualia desiderat, spiritualia quærit, spiritualia sapit? O spiritus, qui de sursum estis, quid vobis cum infimis? *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* [h]. Sed corpus *quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* [i]. Necessitates multæ miseri huius corporis detinent nos. Viscus quidam pravi desiderii, & delectationis terrenæ volare non patitur, & citiùs retrahit mentem, si fortè aliquando sublevetur. Sed nolite timere, cras egrediemini de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Nam ut inde vos educeret, infixus est ipse quoque in limo profundi. Nolite ergo timere, cras egrediemini de corpore mortis, & de omni corruptione peccati. Agite diem istum in Christo, ut ambuletis sicut & ipse ambulavit. *Qui enim dicit se in Christo manere: debet sicut ipse ambulavit, & ipse ambulare* [k]. *Nolite ergo timere, quia cras egrediemini*, & sic semper cum Domino eritis. Vel quia signanter dictum, *& Dominus erit vobiscum*: sic intelligamus, ut dum sumus in corpore, possimus nos esse cum Domino, id est, adhærere eius voluntati, sed non ille nobiscũ, ut cõsentiat voluntati nostræ. Vellemus enim iam liberi esse, cõcupiscimus dissolvi, egredi desideramus, sed adhuc differt ille certa ex causa. Cras egrediemur, & Dominus erit nobiscum: ut quicquid voluerimus velit, & in nullo à nostra voluntate discordet.

Itaque, *Iuda & Ierusalem, nolite timere*, si perfectionem quam desideratis, nondum potestis adipisci, sed quod minus habet imperfectio conversationis, suppleat humilitas confessionis: & imperfectum vestrum viderunt oculi Dei. Propterea enim *mandata sua mandavit custodiri nimis*, ut videntes imperfectionem nostram deficere, & non posse implere quod debet, fugiamus ad misericordiam, & dicamus: *Quoniam melior est misericordia tua super vitas* [l], & qui non possumus in vestitu innocentiæ seu justitiæ, appareamus vestiti confessione. *Confessio enim & pulchritudo in conspectu Domini* [m], si tamen sit (ut diximus) non oris tantùm, sed etiam totius hominis, ut omnia ossa nostra dicant: Domine; quis similis tibi? Idque solius pacis intuitu, & desiderio reconciliationis ad Deum. Talibus enim dicitur, *O Iuda & Ierusalem, nolite timere, cras egrediemini*, id est, quàm cito à corpore exierit anima, omnes simul affectiones, omnia desideria quibus per universum interim mundum dispersa & ligata tenebatur, dissolventur; & egredietur de visco hoc:

[g] Psal. 117. d *Terrenis contemptis quærenda cœlestia.*

[h] Coloss. 3. a

[i] Sap. 9. d

[k] 1. Ioan. 2. a

[l] Psal. 118. a* *Cur mandata Dei tam severè nobis imposita.*

[m] Psal. 62. a

[n] Psal. 95. b

Corrupta natura ex peccato.

& Dominus erit vobiscum. Nimis id quidem vobis videri potest. Si tamen ad vos respicitis, & non ad ea quæ expectant vos. Nonne hoc universus mundus expectat? Creatura enim subiecta est vanitati: & cadente homine quem constituerat Dominus dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ, tota simul hæreditas corrupta est. Inde distemperatus aer, terra in operibus Adæ maledicta, & omnia subdita vanitati.

Nec sanè reparabitur hæreditas, donec reparentur hæredes. Unde
o Rom. 8. d & iuxta Apostoli testimonium [o], *ingemiscit* quoque *& parturit usque adhuc.* Nec soli utique huic mundo, sed & Angelis & hominibus spectaculum facti sumus. *Me,* inquit,
p Psal. 141. b *expectant justi, donec retribuas mihi* [p]. Et martyres cum Iudicii diem postularent, non tanquam vindictæ cupidi, sed perfectionem desiderantes beatitudinis, quam tunc habituri sunt, acceperunt divinum responsum [q]: *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* Acceperunt ergo iam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. Vadia tenemus & obsides ipsa eorum corpora, sine quibus consummari non possunt, nec ea recipient sine nobis. Unde de Patriarchis & Prophetis ait Apostolus [r]:
q Apoc. 6. c *Sancti non consummabuntur resumptione corporum sine nobis.*
Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur. O si
r Heb. 12. g cognoscceremus & nos quomodo expectant, & quantum desiderant adventum nostrum, quam sollicitè quærunt, quàm libenter audiunt bona de nobis?

Angeli quam nostræ salutis cupidi & studiosi. Officiosa eorum erga nos charitas.

Quid tamen de his loquor, qui didicerunt ex his quæ passi sunt, compassionem, quando & ipsi nos Angeli sancti desiderant? Nonne de vermiculis estis, & de pulvere isto restaurandi sunt muri cœlestis Ieruſalem? Putatis quantum desiderant cives cœlestes instaurari civitatis suæ ruinas? Quomodo solliciti sunt ut veniant lapides vivi, qui coædificentur eis? Quomodo discurrunt medii inter nos & Deum, fidelissimè portantes ad eum gemitus nostros, & ipsius nobis gratiam devotissimè reportantes? Planè non dedignabuntur ut simus eorum socii, quorum facti
f Hebr. 1. d *Sancti in cœlis expectant nos.* sunt iam ministri. Nonne enim omnes administratorii sunt spiritus [f], in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? Festinemus obsecro, dilectissimi, festinemus, tota nos multitudo cœlestis curiæ expectat. Exultare Angelos fecimus quando conversi sumus ad pœnitentiam: proficiamus & festinemus complere de nobis eorum lætitiam. Væ tibi quicunque es qui deliberas redire ad lutum, reverti ad vomitum. Putásne placatos habebis in iudicio, quos tanto & tam sperato privare vis gaudio? Exultaverunt cùm nos ad pœnitentiam venimus, tanquam super his quos ab ipsa inferi porta cernerent evocari. Quid nunc erit si ab

ipsa

ipsa Paradisi janua reverti viderint, & abire retrorsum eos qui iam pedem alterum in Paradiso posuerunt? Nam etsi corpora inferiùs, sed corda sursum.

Desiderat nos Deus Pater.

Currite, Fratres, currite: non soli Angeli, sed & ipse Angelorum vos Creator expectat. Nuptiæ paratæ sunt sed nondum plena domus: adhuc expectantur, de quibus nuptiæ impleantur. Expectat vos Pater & desiderat, non solum propter nimiam charitatem suam qua dilexit vos: (unde & Unigenitus, qui in sinu Patris est, ipse enarravit, *Pater*, inquiens [s], *amat vos*) sed propter semetipsum, sicut loquitur per Prophetam; *Propter memetipsum ego faciam, non propter vos**. Quis enim implendum dubitet quod promisit Filio dicens [t]: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*? Et alibi [u]: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Non conterentur omnes inimici eius, dum nos qui sumus membra eius, aliquatenus impugnabunt. Non implebitur hæc promissio, donec novissima inimica destruatur mors. Nam de Filio quis nesciat, quantum desideret fructum nativitatis, & totius vitæ quam gessit in carne, denique fructum crucis & mortis suæ, pretium sanguinis pretiosi? Nonne traditurus est regnum Deo & Patri, quod acquisivit? Nonne ei restauraturus est creaturas suas, pro quibus Pater illum misit in terras? Expectat nos & Spiritus sanctus. Est enim charitas & benignitas, in qua prædestinati sumus ab æterno: nec dubium quin prædestinationem suam velit impleri.

[s] Ioan. 16. f
* Ezech. 36. c
[t] Psal. 2. b
[u] Psal. 109. a

Expectat & nos Filius,

& Spiritus Sanctus.

Ergo quia paratæ sunt nuptiæ, & omnis nos Curiæ cœlestis frequentia desiderat & expectat, curramus non quasi in incertum: curramus desideriis, & profectu virtutum. Proficere, proficisci est. Dicamus singuli [x]: *Aspice in me, & miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum.* Non sicut ego merui, sed sicut illi decreverint, miserere. Dicamus item [y], *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* Itemque, *Fiat voluntas tua* [z]. Scimus quoniam scriptum est: *Si Deus pro nobis, quis contra nos* [a]? *Aut quis accusabit adversus electos Dei? An non licet*, inquit [b], *mihi facere quod volo*? Hæc sit interim consolatio nostra, charissimi, donec egrediamur, & Dominus sit nobiscum. Quia magna sua misericordia, ad beatam illam egressionem, & ad clarum illud cras nos perducat, & in hoc quoque proximo cras visitare nos, & nobiscum esse dignetur: ut si quis forte in tentatione qualibet detinetur, ipso miserante qui prædicare venit clausis apertionem cras egrediatur: ut cum gaudio salutari suscipiamus coronam parvuli Regis nostri, ipso præstante qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat DEUS per omnia sæcula sæculorum, Amen.

[x] Psal. 118. c
[y] 1. Mac. 3.
[z] Matt. 5.
[a] Rom. 8. f
[b] Matt. 20. b

IN

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI: SERMO III.

[a] Exod. 16.b † Utitur his verbis Eccl. in Offic. matut. vigiliæ Nativit. pro Invitat.

HOdie *scietis quia veniet Dominus*, † *& manè videbitis gloriam eius* [a]: Quippe terrigenæ, & filii hominum, audite. Vos qui in pulvere estis, expergiscimini & laudate: quia veniet Medicus ad ægrotos, Redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita venit, quippe qui projiciat in profundum maris omnia peccata nostra, qui sanet omnes infirmitates nostras, qui nos propriis humeris ad propriæ dignitatis reportet originem. Magna est ista potentia, sed plus est miranda misericordia, quod sic venire voluit, qui potuit subvenire. *Hodie* (inquit) *scietis quia veniet Dominus.* Verba hæc quidem suo loco & tempore in Scriptura posita sunt [b], sed non incongruè illa Vigiliæ Dominicæ Nativitatis Ecclesia mater aptavit. Ecclesia, inquam, illa quæ secum habet consilium & spiritum sponsi & DEI sui, cui dilectus inter ubera commoratur, ipsam cordis sui sedem principaliter possidens & conservans. Nimirum ipsa est, quæ vulneravit cor eius, & in ipsam abyssum Secretorum Dei oculum contemplationis immersit, ut & illi in suo, & sibi in eius corde perennem faciat mansionem. Cum ergò ipsa in Scripturis divinis verba vel alterat, vel alternat, fortior est illa compositio, quam positio prima verborum: & fortassis tantò fortior, quantum distat inter figuram & veritatem, inter lucem & umbram, inter dominam & ancillam.

[b] Exod. 16.b *Ecclesiæ iudicium infallibile in usu & applicatione scripturæ.*

Hodie scietis, quia veniet Dominus. Secundum æstimationem meam duo in verbis istis dies nobis expressiùs commendantur. *Primus*, qui à primo hominis lapsu labitur usque ad finem mundi; dies cui Sancti sæpius maledixisse noscuntur. Ab illa enim lucidissima die in qua conditus fuerat Adam eiectus est, & in has rerum contrusus angustias, diem tenebrosum incurrit, & penè à lumine veritatis extinctus. In hac die nascimur universi, si tamen dies debet & non potius nox vocari: nisi quod lumen rationis quasi quandam scintillulam nobis insuperabilis illa misericordia dereliquit. *Secunda* verò dies erit in splendoribus Sanctorum, in perpetuas æternitates, cum inclaruerit illud sereniissimum mane, cui est misericordia repromissa, & absorpta erit mors in victoria: cum dimotis umbris & tenebris, splendor veræ lucis sursum & deorsum, intus & exteriùs cuncta pariter occupabit. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam*, ait sanctus [a], & *Repleti sumus manè misericordia tua* [b]. Sed ad nostrum diem revertamur, quia tanquam *custodia in nocte* [c] pro sua brevitate dicitur, qui tanquam nihilum & inane ab illo familiari Spiritus

Duo mystici dies. Unus huius sæculi, alter futuri.

[a] Psal. 142.b
[b] Psal. 83.d
[c] Ibid. b

sancti

sancti organo nominatur, cum dicit [d] : *Quoniam omnes dies nostri defecerunt*,& [e], *Defecerunt sicut fumus dies mei*, &, *Dies mei sicut umbra declinaverunt*: *Parvi & pessimi sunt omnes dies vitæ meæ*, ait ille sanctus Patriarcha [f], qui vidit Dominum facie ad faciem, qui cum eo tam familiariter loquebatur. Et quidem in hac ipsa die homini, Deus rationem præstat, tribuit intelligentiam : sed necesse est ut exeuntem de hoc mundo illuminet lumine scientiæ suæ, ne si de domo carceris & umbra mortis extinctus exierit, illuminari non valeat in æternum. Ideo quippe unigenitus Dei Sol justitiæ tanquam immensi & præclari luminis cereus in huius mundi carcerem illuminatus est & accensus, ut omnes qui illuminari voluerint, ad illum accedant, illique jungantur, ut nihil medium inter illos sit & ipsum. Peccata enim nostra separant inter nos & Deum. Sed illis sublatis, vero lumini illuminandi, & quasi concorporandi connectimur in idipsum; sicut lumen extinctum, lumini lucenti & ardenti sine aliquo medio coniungitur, ut illuminetur quatenus per exemplum visibilium, effectus rerum invisibilium cognoscamus.

Lumen divinum nobis necessarium.

Ad hoc igitur tam magnum & præfulgidum sidus juxta Prophetam, illuminemus nobis lumen scientiæ, priusquam de mundi huius tenebris exeamus, ne de tenebris transeamus ad tenebras, & tenebras sempiternas. Quæ est autem ista scientia ? Profectò scire quia veniet Dominus, etsi quando veniet, scire non possumus. Hoc est illud totum quod postulatur à nobis. At, inquis, ista scientia omnium est. Quis enim nesciat vel nomine tenus fidelis, quia veniet Dominus; qui venturus est judicare vivos & mortuos, & reddere unicuique juxta opera sua? Non omnium ista est scientia, Fratres mei, & nec multorum; paucorum est, quia revera pauci sunt qui salvantur. Putásne quia illi, qui cum malè fecerint, lætantur, & exultant in rebus pessimis [f], vel sciant, vel recogitent quia veniet Dominus? Si dixerint ipsi, tu noli credere : quia *qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est* [g]. *Confitentur*, ait Apostolus [h], *se nosse Deum, factis autem negant*. Quia *fides sine operibus mortua est* [i]. Non enim se ita omni impuritate polluerent, si Dominum venturum scirent vel formidarent; sed vigilarent utique, & non sinerent tam graviter perfodi conscientias suas.

Quali scientia nos illuminari oporteat.

f Prov. 2. c
Scientia vel memoria venturi Iudicii, paucorum est.
g 1. Ioan. 2. a
h Tit. 1. d
i Iacob. 2. d

Scientia autem ista in primo gradu operatur pœnitudinem & dolorem, ut risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mœrorem convertat, & incipiant tibi displicere, quæ ...ementer ante placuerant : ut illa specialiter horreas, quæ specialiter appetebas. Sic enim scriptum est [k] : *Quia qui addit scientiam, addit & dolorem* : ut veracis & sanctæ scientiæ sit dolor subsequens argumentum. In secundo verò gradu operatur

Scientiæ salutaris primus gradus seu effectus pœnitudo seu dolor de peccatis.
*k Eccl. d

Secundus, correctio.

ratur correctionem, ut iam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed coerceas gulam, jugules luxuriam, superbiam deprimas, & facias servire corpus sanctitati, quod iniquitati antè servierat. Pœnitudo etiam sine correctione non proderit sicut sapiens ait [l]: *Vnus ædificans, unus destruens, quid prodest eis nisi labor? Vnus orans, & unus maledicens, cuius vocem exaudiet Deus? Qui enim baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, nihil proficit lavatio eius,* sed juxta Salvatoris sententiam [m] verendum est ne ei *aliquid deterius contingat.* Sed quia hæc diutius haberi non possunt, nisi circa se multa circunspectione mens indefessa vigilet & attendat: in tertio gradu operatur sollicitudinem, ut iam sollicitus incipiat ambulare cum Deo suo, & ex omni parte scrutetur, ne vel in levissima re tremendæ illius maiestatis offendatur aspectus. In pœnitudine accenditur, in correctione ardet, in sollicitudine lucet, ut interius & exterius renovetur.

[l] Eccl. 34. d.

[m] Ioan. 5. d

Tertius, sollicitudo.

Felix Conscientia, quæ spiritualis lætitiæ, & filialis timoris in se luctam sentit.

Hic iam respirare incipit à tribulatione malorum, & dolore, & timoris magnitudinem spirituali lætitia temperare, ne suorum enormitate scelerum, abundantiori tristitia absorbeatur. Hinc etsi timet à Iudice, sperat à Salvatore, cum iam in animo eius timor & lætitia obequitent & obvient sibi, plerunque timor lætitiam superet, lætitia sæpiùs timorem exeludat, & intra sui gaudii concludat arcanum. Fœlix conscientia, in qua luctamen huiusmodi indesinenter conficitur, donec quod mortale est absorbeatur à vita: donec evacuetur timor qui ex parte est, & succedat lætitia, quod perfectum est, quia non timor sempiternus, sed lætitia sempiterna erit ei. Iam verò sic ardens & lucens, nondum in domo se esse confidat, ubi sine omni timore ventorum accensum lumen soleat deportari, sed meminerit se esse sub dio, & utraq; manu studeat operire quod portat, nec credat aeri, etiam si videat esse tranquillum. Repentè enim & hora qua non putaverit mutabitur; & si vel ad modicum manus remiserit, lumen extinguetur. Quod etsi etiam ardor portantis manus (ut quandoq; fieri solet) adusserit, eligat potius pati, quam retrahere manus suas, quia in momento, in ictu oculi poterit exsufflari. Si essemus in domo illa non manufacta, æterna in cœlis, ubi nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, nihil esset timendum. Nunc verò tribus maligniſſimis & validiſſimis ventis expositi sumus, carni, diabolo & mundo, qui conscientiam illuminatam moliuntur extinguere, insufflantes in cordibus nostris desideria mala, motus illicitos, & ita te repente turbantes, ut vix prænoscere valeas, unde venias, aut quo vadas. Ex quibus etsi duo sæpiùs intermittunt, à tertio tamen nemo unquam sufflandi inducias extorsit. Ideo utriusq; manibus & cordis & corporis anima est tegenda, ne fortè quæ iam illumi-

NOTA. Nulla securitas in hoc sæculo. Semper timendum.

nata

nata fuerat, extinguatur: nec cedendum vel recedendum, etiam si gravis tentationum fervor utriusque hominis statum vehementer afflixerit; sed dicendum cum Sancto, *Anima mea in manibus meis semper* [n]. Eligamus potius ardere, quam cedere. Et sicut quod in manibus nostris tenemus, non facilè obliviscimur: sic nunquam obliviscamur negotium animarum nostrarum, & illa cura principaliter vigeat in cordibus nostris. [n] Psal. 118.c

Cum ergo sic lumbi nostri præcincti fuerint, & lucernæ ardentes, custodiendæ sunt vigiliæ noctis supra gregem cogitationum & actionum nostrarum: ut si in prima vigilia, vel secunda, vel tertia Dominus venerit paratos nos inveniat. *Prima vigilia* est rectitudo operis, ut ad hanc quam iurasti regulam, omnem vitam exæquare coneris, nec transgrediaris terminos quos posuerunt Patres tui, in omnibus viæ & vitæ huius exercitiis, non declinans ad dexteram neque ad sinistram. *Secunda*, puritas intentionis, ut simplex oculus totum corpus lucidum faciat, ut quidquid feceris propter Deum facias, & ad locum unde exeunt gratiæ revertantur, ut iterum fluant. *Tertia* est custodia unitatis, ut in congregatione positus, voluntates aliorum tuis voluntatibus anteponas: ut non solum sine querela, sed & cum gratia inter fratres maneas, portans omnes, orans pro omnibus, ut & de te quoque dicatur [o]: *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate Hierusalem.* Ita ergo in hac die adventus Unigeniti nobis veram scientiam accendit, scientiam illam, quæ nos doceat quia veniet Dominus, quæ sit morum nostrorum perpetuum & stabile fundamentum.

Tres vigiliæ noctis exponuntur.

1. *rectitudo operis.*

2. *puritas intentionis.*

3. *custodia unitatis.*

[o] 2. Mac. 15.c

Et *manè* (inquit) *videbitis gloriam eius.* O manè, ô dies qui meliores in atriis Domini super millia, quando erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, cum splendor lucis & fervor charitatis, usq; in altissima illa magnalia terrarum incolas illustrabis! Quis de te cogitare, nedum aliquid præsumat recitare? Interim tamen ædificemus, Fratres, fidem nostram, ut si mirabilia quæ nobis reservantur, videre non possumus, saltem mirabilia, quæ propter nos in terris facta sunt, aliquantulum contemplemur. Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostræ carnis: ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt invicem Deus & homo, Mater & Virgo, Fides & cor humanum. Admirabiles istæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa, tamq; divisa ab invicem, invicem potuerunt coniungi?

Tres mixturas, seu Tria opera excellentia fecit Deus in assumptione carnis nostræ.

Ex primo quidem intuere creationem, positionem & dispositionem rerum, quanta sit videlicet in creatione potentia, quanta in positione sapientia, in compositione quanta benignitas. In creatione vide quam

multa & quam magna potenter creata sunt, in positione quam sapienter cuncta locata sunt, in bonitate quam benignè suprema & infima connexa sunt, tam amabili quam admirabili charitate. Huic enim limo terreno vim vitalem miscuit, ut in arboribus, unde surgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus & medicina. Nec hoc contentus adjecit etiam vim sensibilem limo nostro, ut in pecoribus quæ non solum vitam habeant, sed & sentiant, quinquepartita sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum, & ei vim rationalem immisit, ut in hominibus qui non solum vivunt, sentiunt, sed & discernunt inter commodum, & incommodum, inter bonum & malum, inter verum & falsum. Voluit quoque infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, & contraxit se majestas, ut quod melius habebat videlicet seipsum, limo nostro coniungeret, & in persona una sibi invicem unirentur Deus & limus, Majestas & infirmitas, tanta utilitas & sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius, nil vilius limo, & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quicquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur: quicquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili quàm incomprehensibili Sacramento. Et attende, quia sicut in illa singulari divinitate Trinitas est in personis, unitas in substantia: sic in ista speciali commixtione Trinitas est in substantiis, in personis unitas: & sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatatem; ita & hîc persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit Trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter omnia, & super omnia opera sua. Verbum enim & anima & caro in unam convenêre personam, & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confusione substantiæ sed unitate personæ. Hæc est prima & superexcellens mixtura & hæc prima inter tres. Adverte homo quia limus es, & non sis superbus; quia Deo conjunctus es, & non sis ingratus.

Mira Dei bonitas in creatione hominis.

Prima mixtura seu Vnio Dei & hominis super omnia admirabilis.

Contemplatio mirè pia.

Secunda mixtura est, Virgo & Mater, admirabilis planè & singularis. A sæculo non est auditum quod Virgo esset quæ peperit, quod Mater esset quæ Virgo permansit. Nunquam iuxta rerum ordinem virginitas, ubi fœcunditas prædicatur, nec fœcunditas ubi virginitas integra conservatur. Sola hæc est in qua virginitas & fœcunditas obviaverunt sibi. Ibi semel factum est, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Secunda Vnio virginitatis & maternitatis in Maria quam admirabilis.

Tertia est fides & cor humanum, & hæc quidem prima & secunda inferior, sed non minus forsitan fortis. Mirum enim est quomodo cor humanum

Tertia fidei & cordis hu-

humanum his duobus fidem accommodavit, quomodo credi potuit quòd DEUS homo esset: quòd Virgo manserit, quæ peperisset. Sicut ferrum & testa jungi non possunt, sic & hæc duo nequeunt commiscери, si non misceat glutinum Spiritus sancti. Ergóne credendum est, quòd iste DEUS sit, qui ponitur in præsepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium necessitatum iniurias patitur, qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in sepulchro, & inter duos lapides concluditur excelsus & immensus? Illáne Virgo erit, quæ lactat puerum, cui maritus continuus comes est? in convivio in thalamo? Qui ducit illam in Ægyptum, reducit ab Ægypto, & solus cum sola tam longinquam, tam secretam conficit viam? Quomodo potuit hoc persuaderi generi humano, universo orbi terrarum: Et tamen tam facilè, tam potenter persuasum est, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Iuvenes & virgines, senes cum junioribus elegerunt mille mortibus mori, quàm vel ad momentum ab ista fide deficere.

mani unio stupenda.

Fidei invicta vis.

Et hæc quidem mixtura excellens, sed excellentior secunda, tertia verò excellentissima est. *Primam* auris audivit, sed oculus non vidit: quia auditum est & creditum usque in fines terræ magnum illud pietatis sacramentum: sed tamen oculus (Deus) non vidit absque te, quomodo te intra virginei ventris angustias humano corpori coniunxisti. *Secundam* oculus vidit, quia se fœcundam & virginem illa singularis Regina conspexit, quæ conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo: cognovit & Ioseph, non minus testis, quàm custos tantæ virginitatis. *Tertia* in cor hominis ascendit, cùm quod factum est, sicut factum est creditum est: cum magis oraculo quàm oculo credidimus, cum quæ dicta vel facta sunt, tenemus firmissimè, nullatenus dubitantes. In prima vide quid, in secunda per quid, in tertia propter quid Deus dederit tibi. Dedit tibi Christum per Mariam propter sanitatem. In prima remedium est, quia ex Deo & homine cataplasma confectum est, quod sanaret omnes infirmitates tuas. Contusæ sunt autem & commixtæ hæ duæ species in utero Virginis tanquam in mortariolo, sancto Spiritu tanquam pistillo illas suaviter commiscente. Sed quia indignus eras cui donaretur, datum est Mariæ, ut per illam acciperes, quicquid haberes, quæ per hoc quod Mater eit, genuit tibi Deum: per hoc quod Virgo est, exaudita est pro reverentia sua in causa tua & totius generis humani. Si sola Mater esset, sufficeret ei ut salvaretur per filiorum generationem; si sola Virgo, sufficeret sibi, nec benedictus fructus ventris eius mundi pretium esset. Cùm ergo in prima sit remedium, in secunda adiutorium est: quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.

Hæc meritò nos excitent ad serium & sedulum virginis Deiparæ cultum.

firet. In tertia autem meritum est, quia cùm hæc firmiter credimus, jam meritum habemus, & in fide sanitas est, quia qui crediderit, salvus erit [p].

[p] Marc. 16. c

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI: SERMO IV.

HOdiernum quidem sermonem Ordinis nostri consuetudo non exigit, sed crastina opus erit circa Missarum solemnia diutius occupari: & hora brevis sermonis longitudinem non admittet. Proptera non abs re puto præparare hodie corda vestra tantæ solemnitati, præsertim cùm sit profundissima sacramenti huius & incomprehensibilis altitudo, & tanquam fons vitæ quo magis hauriatur, eo magis exuberans nunquam valeat exhauriri. Denique scio quemadmodum abundet pro Christo tribulatio vestra, & utinam abundet & consolatio vestra per ipsum. Nam mundialem quidem consolationem vobis offerre nec libet nec licet. Vilis enim est, & ad nihilum utilis huiusmodi consolatio: & (quod magis est metuendum) etiam verè ac salubris consolationis est impedimentum. Propterea qui delectatio est & gloria Angelorum, ipse factus est salus & consolatio miserorum: quia in civitate sua magnus & sublimis valde beatificat cives, ipse in exilio parvulus & humilis valde lætificat exules: qui in altissimis est gloria Patris, factus est in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Parvulus enim datus est parvulis, ut magnus detur magnis: & quos justificat parvulus, magnificet postmodum & glorificet magnus & glorioſus. Hinc sine dubio Vas electionis quos de plenitudine parvuli huius acceperat, (licet enim parvulus, sed plenus gratia & veritate, & in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter [a]) hinc utiq; Paulus eructat verbum illud bonum, quòd his diebus frequenter audistis: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Gaudete, inquit [b] de exhibitione, iterum gaudete de promissione: quoniam & res plena gaudio, & spes plena gaudio est. Gaudete, quia jam percepistis dona sinistræ; gaudete, quia expectatis præmia dexteræ. *Læva,* inquit [c], *eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Læva quidem levat, dextera suscipit. Læva medetur & justificat: dextera amplectitur & beatificat. In læva eius merita, in dextera verò præmia continentur. In dextera, inquam, deliciæ, in sinistra sunt medicinæ.

Consolatio mundi utilis & inutilis, imò noxia.

[a] Coloss. 2. b

[b] Phil. 4. a*

[c] Cant. 2. a*

Sed attende pium Medicum, attende Medicum sapientem. Considera diligentius quam nova medicamina portet, vide quàm non modò pretiosas, sed & speciosas attulerit Medicinas; non solùm perutiles ad sa-

Remedii per Christū allati contemplatio.

nitatis

nitatis fructum, sed & delectabiles ad aspectum, & suaves ad gustum. Denique primam eius medicinam, primum quod in sinistra portat, attende; & conceptum invenis sine semine. Intuere obsecro, quale sit illud, quàm novum, quàm admirabile, quàm amabile, quàm jucundum. Quid enim pulchrius quàm generatio casta? Quid glorioſius quàm sancta & sincera conceptio, in qua nihil pudoris est, nihil sordis, nihil corruptionis? At quoniam minus fortassis detineret nos grata licet admiratio novitatis, nisi fructus quoque salutis & utilitatis consideratio animum delectaret, conceptus iste non modò glorioſus in ipsa quasi exteriori specie, sed & pretioſus in interiori virtute: ut secundùm quod scriptum est [d]: *In sinistra Domini gloria simul & divitiæ* inveniantur, divitiæ, inquam, salutis, cum gloria novitatis. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus sine omni illicita & immunda conceptus est voluptate? In ipsa radice & origine mea infectus & inquinatus sum, immunda est conceptio mea, sed est à quo tollatur ista confusio. Ipse eam tollit, in quem solum ipsa non cadit.

1. *Conceptus sine pudore.*

d prov. 3. b

Divitias salutis habeo, quibus redimam propriæ conceptionis impuritatem, Christi purissimam conceptionem. Adde adhuc, Domine IESU, innova signa, immuta mirabilia: nam priora qu idem ipsa consuetudine viluerunt. Planè enim Solis ortus & occasus, terræ fœcunditas, temporum vicissitudo, miracula sunt & magna miracula, sed totiens hæc videmus, ut iam non sit qui attendat. Innova signa, & immuta mirabilia. *Ecce*, ait [e], *nova facio omnia.* Quis hoc ait? Agnus utique *qui sedebat in throno* [f]. Agnus planè totus suavis, totus delectabilis, denique totus unctus. Hanc enim interpretationem habet nomen eius, quod est Christus. Cui poterit asper aut durus videri, qui nec ipsi Matri in nativitate quicquam asperitatis, quicquam intulit læsionis? O nova verè miracula: Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Evæ. Peperit enim filium sine dolore. Mutata est, inquam, maledictio in benedictionem, & sicut prædictum est per Angelum Gabrielem [g]: *Benedicta tu in mulieribus.* O beata, sola inter mulieres benedicta, & non maledicta, sola à generali maledicto libera, & dolore parturientium aliena. Nec mirum, fratres, si dolorem non intulit Matri, qui dolores totius mundi tulit, secundùm quod Esaias ait [h]: *Quia verè languores nostros ipse tulit.* Duo sunt quæ timet humana fragilitas, pudor, & dolor. Utrumque Christus tollere venit, unde & utrumque suscepit, quando (ut cætera sileam) morte, & morte turpissima condemnatus est

e Esa. 43. o

f Apoc. 5. b

2. *Partus sine dolore.*

g Luc. 1. c

h Esa. 53. b

est ab iniquis. Itaque ut fiduciam nobis daret quòd tolleret hæc à nobis, priùs Matrem suam immunem ab utroque servavit, ut nec in conceptu quicquam pudoris, nec in partu quicquam doloris existeret.

3. *Maternitas sine corruptione.*

Accumulantur adhuc divitiæ, crescit gloria, innovantur signa, & miracula immutantur. Non solùm sine pudore conceptus, & sine dolore partus, sed & mater est sine corruptione. O verè novitas inaudita! Virgo peperit, & post partum inviolata permansit, fœcunditatem prolis cum carnis integritate, & gaudium matris habens cum virginitatis honore. Iam securus expecto promissam mihi gloriam incorruptionis in carne mea, quandoquidem conservata per eum est incorruptio etiam in Matre sua. Facile erit ei per quem Mater ipsa incorruptionem non perdidit pariendo, ut & corruptibile hoc incorruptionem induat resurgendo.

4. *Proles sine omni labe peccati.*

Habes tamen adhuc maiores divitias, habes gloriam ampliorem. Mater est sine corruptione virginitatis, filius sine omni labe peccati. Non cadit in matrem Evæ maledictio, non cadit in prolem generalis illa conditio, de qua dictum est per Prophetam [i]: *Nemo mundus à sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram.* Ecce infans sine sorde, solus inter homines verax, imò & veritas ipsa. Ecce Agnus sine macula, Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quis enim peccata melius tolleret, quàm is in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lavare me potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto detergat oculum meum, quæ sola sine pulvere est. Iste mihi festucam educat de oculo, qui non habet trabem in suo: imo iste trabem educat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in suo.

[i] Iob. 15. b

Ioan. 1. d

Vidimus certè divitias salutis & vitæ. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti à Patre. Quæris à quo Patre? *Et filius Altissimi vocabitur.* Manifestum est quis Altissimus sit. Sed ne quis remaneat locus dissimulationis: *Quod ex te nascitur sanctum* (ait Angelus Gabriel ad Mariam [k]) *vocabitur filius Dei.* O verè sanctum! Non dabis, Domine, sanctum tuum videre corruptionem [l], quod nec Matri quidem abstulit incorruptionem. Crescunt miracula, multiplicantur divitiæ, thesaurus aperitur. Quæ generat, & mater & virgo est; qui generatur, & Deus & homo est. Sed nunquid dabitur sanctum canibus, aut margaritæ porcis? abscondatur certè thesaurus noster in agro, & pecunia nostra in sacculo reponatur. Operiatur conceptus sine semine, Matris desponsatione, partus sine dolore, vagitibus parvuli & mœrore. Abscondatur & parturientis incorruptio legali purificatione; Infantis innocentia solita circuncisione. Abscondè, inquam, abscondè Maria novi solis fulgorem,

[k] Luc. 1. d

[l] Psal. 15. c

Arcanum nostræ salutis

5. *Humilitas Salvatoris in nativitate.*

rem, pone in præsepio, involve pannis infantem. Nam & ipsi panni divitiæ nostræ sunt: pretiosiores siquidem panni Salvatoris omni purpura, & glorioſius hoc præsepe auratis regum soliis, ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris sæculi. Quid enim humilitate ditius, quid pretiosius invenitur, qua nimirum regnum cœlorum emitur, & divina gratia acquiritur? Sicut scriptum est [l]: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et apud Apostolum [m]: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Habes commendatam à Deo humilitatem in Nativitate. In hac enim exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo.

Humilitate nihil ditius aut pretiosius.

l Matt. 5. a.

m Iacob. 4. b

Vis adhuc pretiosiores divitias & superexcellentem gloriam invenire? Habes charitatem in passione. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [n]. Hæ divitiæ salutis & gloriæ, sanguinis pretiosus quo redempti sumus, & crux dominica, in qua cum Apostolo gloriamur. *Mihi,* inquit [o], *absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi.* Et dicebat [p]: *Nihil arbitratus sum me scire inter vos nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum.* Ipsa est læva Christus Iesus, & hic crucifixus: nam dextera quidem Christus Iesus, & hic glorioſus. *Christum* inquit, *Iesum, & hunc crucifixum.* Fortasse crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus. Homo enim formam crucis habet: quam si manus extenderit, exprimet manifestius. Loquitur autem Christus in Psalmo [q]: *Infixus sum in limo profundi.* Limum quidem nos esse manifestum est, quoniam de limo plasmati sumus. Sed nunc quidem limus paradisi fuimus, nunc verò limus profundi. *Infixus sum,* inquit, non pertransii, non reeessi. Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi [r]. Ipse est enim Emmanuel, nobiscum DEUS. Nobiscum utique, sed per sinistram. Sic enim olim Thamar pariente [s], Zara priùs solam protulit manum, quæ in Sacramento Dominicæ passionis coccineo alligata est filo.

Charitas Christi in passione.

n Ioan. 15. a

o Gal. 6. d

p 1. Cor. 2. a

Homo in corpore suo formam crucis habet.

q Psal. 68. a

r Matt. 28. d

s Gen. 38. g

Itaque iam quidem tenemus sinistram, sed adhuc clamare necesse est: Operi manuum tuarum porriges dexteram [t]: Nam delectationes in dextera tua usque in finem [u]. Domine, ostende nobis dexteram, & sufficit nobis. *Gloria,* inquit [x], *& divitiæ in domo eius,* utique qui timet Dominum. Sed in domo tua Domine quid? Profectò gratiarum actio, & vox laudis. Beati qui habitant in domo tua Domine [y], &c. Oculus enim non vidit, auris non audivit, & in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se [z]. Lux est enim in accessibilis, pax est quæ exuperat omnem sensum, fons est qui ascensum nescit, sed descensum. Non vidit oculus lucem inaccessibilem, non audivit

t Iob. 14. c

u Psal. 15. c

x Psal. 111. a

Maiestas Christi in gloria.

y Psal. 83. a

z 1. Cor. 2. c

auris pacem incomprehensibilem. Speciosi quidem pedes evangelizantium pacem [a], sed licet in omnem terram exierit sonus eorum; pax tamen quæ exuperat omnem sensum, nec ab ipsis quanta erat potuit capi, nedum aliorum auribus tradi. Ait etiam paulus ipse [b], *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse.* Fides quidem ex auditu, auditus autem per verbum Dei [c]: sed fides non species, & promissio non exhibitio pacis. Et quidem pax nunc est etiam in terra hominibus bonæ voluntatis: sed quid est pax ista ad illius plenitudinem & supereminentiam pacis? Unde & ipse Dominus ait [d]: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Meæ, siquidem quæ exuperat omnem sensum, & est pax super pacem, necdum capaces estis: propterea do vobis patriam pacis, & relinquo interim viam pacis.

a Rom. 10. c

b Phil. 3. c

c Rom. 10. c

Pax plena & perfecta alteri vitæ reservatur.

d Ioan. 14. d

Sed quid est quod diximus, *In cor hominis non ascendit*? Utiq; quia fons est, & ascensum nescit. Scimus enim quia fontium natura est rivos sectari convallium, montium ardua declinare, sicut scriptum est [e]: *Qui emittit fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ.* Hoc autem est unde admonere sæpius studeo vestram charitatem, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam [f]. Fons enim ad altiora non ascendit, quàm sit locus eius unde procedit. Sed videri potest secundùm hanc regulam non impediri à superbia vias gratiæ, præsertim quod ille primus superbus, qui secundùm Scripturam [g], *rex est super omnes filios superbiæ*, dixisse non legitur: Altior ero, sed, *ero*, inquit, *similis Altissimo* [n]. Attamen non mentitur Apostolus [o], *quoniam ille extollitur supra omne quod creditur aut quod colitur Deus.* Horret humanus auditus verbum, sed utinam horreat similiter animus cogitatum malignum pariter & affectum. Dico enim vobis quod non tantum ille, sed & omnis superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri suam. Iam videtur æqualitas: sed attende malè congruam proportionem. Deus quidem in his tantum quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem, superbus verò & cum ratione & contra rationem. Vides quoniam altitudo est, & non illuc perveniunt fluenta gratiæ. *Nisi conversi fueritis*, inquit [f], *& efficiamini sicut parvulus iste* (se autem dicit, qui est fons vitæ, in quo habitat & unde manat plenitudo omnium gratiarum) *non intrabitis in regnum cœlorum.* Para proinde rivulos, aggeres terrenæ & elatæ cogitationis disperge, conformare filio hominis, non primo homini: quia fons gratiæ in cor hominis carnalis scilicet & terreni non ascendit. Oculum quoque purga, ut videre possis merissimam lucem: & aurem tuam inclina ad obediendum, ut quandoq; pervenias ad quietem perpetuam, & pacem super pacem. Lux enim est propter

e Psal. 103. b

f Iacob. 4. b

g Iob. 41.

n Esa 14. d

*o 2. Thes. 2.

Detestatio superbiæ.

Non tantum diabolus, sed & omnis superbus extollitur supra Deum.

f Matt. 18 a.

pter serenitatem, pax propter tranquillitatem, fons propter affluentiam & æternitatem. Fontem assigna Patri ex quo nascitur Filius, & procedit Spiritus sanctus; lucem Filio, qui est utique candor vitæ æternæ, & lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; pacem spiritui sancto, qui nimirum super humilem & quietum requiescit. Nec hoc dico tanquam propria ista sint singulorum, nam & Pater lux est ut sit Filius lumen de lumine, & Filius pax est, pax nostra qui fecit utraque unum, & Spiritus sanctus fons est aquæ salientis in vitam æternam. *Fons Pater, lux Filius pax Sp. S.*

Sed quando ad hoc perveniemus? Quando adimplebis me, Domine, lætitia cum vultu tuo? Gaudemus in te, quoniam visitasti nos oriens ex alto, iterum gaudemus expectantes beatam spem in adventu secundo. Sed quando veniet plenitudo lætitiæ non de memoria, sed de præsentia: de exhibitione, non de expectatione? *Modestia vestra*, ait Apostolus [g], *nota sit omnibus hominibus, Dominus prope est.* Dignum est enim ut & modestia nostra nota sit, sicut Domini Dei nostri modestia cunctis innotuit. Quid enim magis incongruum, quàm ut immoderatè agat homo, conscius propriæ infirmitatis, quandoquidem apparuit inter homines modestus Dominus maiestatis? *Discite*, inquit [h], *à me quia mitis sum, & humilis corde*, ut possit etiam modestia vestra innotescere cæteris. Iam quod sequitur, *Dominus prope est*, de dextera debet intelligi. Nam de sinistra ipse loquitur [i]: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Prope est Dominus, fratres mei, nihil solliciti sitis: in proximo est & citius apparebit. Nolite deficere, nolite lassari: quærite eum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde, prope est expectantibus eum, expectantibus eum in veritate. Denique vis nosse quàm propè est? Audi sponsam de sponso canentem [k]: *Quoniam ecce stat post parietem.* Parietem istum, corpus tuum intellige, quod obstaculum impedit, ut eum qui propè est, nondum valeas intueri. Propterea Paulus ipse dissolvi cupit [l], & cum Christo esse: & exclamans miserabiliùs, *Infelix*, inquit [m], *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sic & Propheta in Psalmo, *Educ*, inquit [n], *de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo.*

g Phil. 4. a
h Matt. 11. d
i Matt. 28. d
Psal. 33. d
k Cant. 2. c
l Phil. 1. d
m Rom. 7. d
n Psal. 101. b

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Sermo V.

Sanctificamini hodie [a], *& estote parati: die enim crastina videbitis maiestatem DEI in vobis* *. Celebraturi Dominicæ Nativitatis ineffabile

a Levit. 20. a
* Resp in Vigil. Nativ. Dom.

ineffabili sacramentum, jure quidem monemnr, fratres in omni sanctificatione præparari. Adest enim Sanctus sanctorum, adest ipse qui dixit [b] : *Sancti estote, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Alioquin quomodo non dabitur sanctum canibus, & margarita porcis, nisi priùs illi ab iniquitate, isti ab illicita voluptate purgati de cætero tota sollicitudine fugiant, illi quidem vomitum, isti volutabrum luti? Susceperus olim divina mandata carnalis Israel, sanctificabatur in iustitiis carnis, in baptismatibus variis, in muneribus & hostiis, quæ non poterant iuxta conscientiam perfectum facere servientem. Verùm hæc quidem omnia transiere, nimirum usque ad tempus correptionis imposita, quod utique iam advenit. Opportunè igitur ex hoc iam perfecta nobis indicitur sanctificatio, interna mandatur ablutio, exigitur munditia spiritualis, dicente Domino [c] : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ad hoc vivimus Fratres, ad hoc nati, ad hoc vocati sumus, ad hoc nobis dies hodiernus illuxit. Erat aliquando nox, quando nemo poterat hæc operari. Erat nox in universo orbe ante veri luminis ortum, ante Christi nativitatem. Erat nox etiam singulis quibusque nostrum ante suam cuiusque conversionem, & internam regenerationem.

[b] Levit. 19. a

Sanctificatio legalis & carnalis Patribus vet. test. usitata.

At nunc spiritualis & interna necessaria.

[c] Matt. 5. a

An non profundissima nox, & densissimæ tenebræ erant super universam faciem terræ, cum olim patres nostri factitios colerent Deos, & insano penitus sacrilegio ligna & lapides adorarent? An non etiam cuique nostrum caliginosa nox erat, cum tanquam sine Deo in hoc sæculo viveremus, cum ambularemus post concupiscentias nostras, cum sectaremur carnis illecebras, cum obtemperaremus desideriis sæcularibus, cum exhiberemus membra nostra arma iniquitatis peccato, cum serviremus iniquitati ad iniquitatem in quibus nunc merito erubescimus tanquam operibus tenebrarum? *Qui dormiunt, nocte dormiunt*, Apostolus ait [d] : *& qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.* Et hæc quidem fuistis, sed excitati estis, sed sanctificati estis, si tamen filii lucis estis, & filii diei, non noctis neque tenebrarum. Siquidem præco diei est etiam qui clamat [e] : *Sobrii estote, & vigilate.* Et Iudæis loquebatur in Pentecoste de condiscipulis : *Quomodo hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia* [f]? Hoc enim est quod ait eius Coapostolus [g] : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sic ut in die honestè ambulemus.* Abjiciamus, inquit, opera tenebrarum, somnolentiam scilicet & ebrietatem, (quoniam, ut supra meminimus, qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt) ut tanquam in die non dormitemus, sed ambulemus: atque hoc quidem honestè, non temulentè. Vides hominem cuius ad omne bonum dormitat anima eius

Filii huius sæculi in nocte & tenebris degunt.

[d] 1. Thess. 5. b

[e] 1. Pet. 5 b

[f] Actor. 2. b

[g] Rom. 13. d

Desideria & peccata sunt opera tenebrarum.

præ

præ tædio : in tenebris est usque adhuc. Vides inebriatum absinthio, sapientem plusquam oportet, non ad sobrietatem, cuius nec oculus visu, nec auris impleatur auditu, qui pecuniam aut simile aliquid diligens, non satietur, longam instar hydropici sitim bibens? filius noctis est & tenebrarum. Nec facilè separantur hæc duo, dicente scriptura: *Quoniam in desideriis est omnis otiosus*, hoc est, in ebrietate omnis somnolentus. Sanctificemur ergo hodie, & parati simus, parati quidem hodie nocturnum excutiendo soporem. Porrò sanctificati nihilominus tamquam in die ab ebrietate nocturna, cupidinis noxiæ frænando furorem. In his enim duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ, quæ sunt declinare à malo, & facere bonum. *b* Eccli. 33.

Verùm hoc hodie : nam crastina nec in sanctificatione erit, nec in præparatione, sed in visione utique majestatis. *Crastina* (inquit) *die videbitis maiestatem Dei in vobis.* Hoc est quod ait Patriarcha Iacob *i*: *Cras mihi respondebit iustitia mea.* Hodie enim iustitia colitur, cras respondebit: hodie exercetur, cras fructificabit. Alioquin quod non seminaverit homo, nec metet. Nec enim tunc videbit maiestatem, qui contempserit interim sanctitatem: nec orietur ei Sol gloriæ, cui Sol iustitiæ ortus non fuerit: nec illucescet ei dies crastina, cui non luxerit hodierna. Nimirum idem ipse, qui hodie quidem nobis factus est à DEO Patre iustitia, apparebit cras vita nostra, ut & nos cum eo appareamus in gloria. Hodie enim parvulus nascitur nobis, ut non apponat homo magnificare seipsum, sed convertamur magis, & efficiamur sicut parvuli: cras exhibebitur magnus Dominus & laudabilis nimis, ut ipsi quoque magnificemur in laude, cum videlicet erit unicuique laus à Deo. Nimirum quos hodie iustificaverit, eras magnificabit, & consummationi sanctitatis succedet visio maiestatis. Nec inanis visio, quæ non nisi in similitudine constat: similes enim ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Unde & hic quoque non simpliciter dicitur, *Videbitis maiestatem*, sed additur signanter, *in vobis.* Hodie nimirum tanquam in speculo nos in eo videmus, dum nostra suscipit: cras videbimus enim in nobis, quando iam sua donabit, cum ostendet nobis seipsum, & assumet nos ad seipsum. Hoc est quod transeuntem sese ministraturum fore promisit, de cuius interim plenitudine accepimus, non sanè gloriam pro gloria, sed gratiam pro gratia: sicut scriptum est: *Gratiam & gloriam dabit Dominus* *l*. Ne ergo contemnas priora munera, si sequentia concupiscis: nec fastidias prius edulium, si vis accipere quæ sequuntur. Vel pro ipso ferculo in quo apponitur, quod apponitur sumere non recuses. Ferculum enim imputribile fecit sibi Pacificus noster, corpus incorruptibile

i Gen. 30. c

Viâ sanctitatis tendendum ad visionem maiestatis.

Hodie *vitam præsentem*, cras *futuram designat.*

k Luc. 12.

l Psal. 83. c

aptans sibi : in quo salutis epulas ministret. *Non dabis,* inquit [m], *sanctum tuum videre corruptionem.* Illud utique de quo Gabriel ad Mariam [n], *Quod nascetur,* ait, *ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

m Psal. 15.c

n Luc. 1.d

Ab hoc igitur sancto hodie sanctificemur, ut maiestatem eius, ubi dies illa aspiraverit, videamus. Siquidem dies sanctificatus illuxit nobis, dies salutis, non gloriæ aut fœlicitatis. Denique donec passio sancti sanctorum annunciatur, qui nimirum in Parasceve passus est, id est, in die præparationis, meritò omnibus dicitur, *Sanctificamini hodie, & estote parati.* Sanctificamini magis ac magis de virtute in virtutem proficiendo : & estote parati perseverando. In quibus tamen sanctificabimur? Legi de quodam, dicente scriptura [o] : *Quoniam in fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum* : neque enim hominibus sine lenitate, non plus quàm Deo sine fide, placere possibile est. Meritò sanè in his monemur esse parati, quibus & Deo conveniamus, cuius maiestatem visuri sumus: & nobis invicem, ut in nobis eam pariter videamus. Propterea siquidem oportet nos providere bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ut non tantùm regi nostra, sed & concivibus & commilitonibus nostris grati esse possimus.

o Eccli. 45.a
Sine fide Deo placere impossibile, sine lenitate hominibus.

Et quidem ante omnia fides quærenda est, de qua legitur [p] : *Fide mundans corda eorum. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Crede ergo te Deo, committe te ei, iacta in eum cogitatum tuum, & ipse te enutriet; ut fiducialiter & fideliter dicas [r] : *Dominus sollicitus est mei* : neque enim hoc sapiunt homines amantes seipsos, homines scioli, & solliciti pro se ipsis, curam carnis perficientes in desideriis, surdi ad vocem dicentis [s] : *Omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum; ipsi enim cura est de vobis.* Nam sibi quidem ipsi fidere, non fidei, sed perfidiæ est: nec confidentiæ, sed diffidentiæ magis, in semetipso habere fiduciam. Is verè fidelis est, nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam vas perditum, sed sic perdens animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam. Porrò id quidem sola facit humilitas cordis, ut non sibi fidelis anima innitatur, sed deserens semetipsam ascendat iam de deserto innixa super dilectum atque adeo deliciis affluens.

p Act. 15.c
q Matt. 5.a
r Psal. 39.d
Fiducia in Deum.
s 1. Petr. 5.b
Sibiipsi fidere perfidia est.

Sanè ut perfecta sit sanctificatio, etiam mansuetudinem & socialis vitæ gratiam à Sancto sanctorum discamus oportet, sicut ipse ait [t] : *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Quid enim huiusmodi hominem dicere prohibet deliciis affluentem, qui suavis & mitis & multæ misericordiæ, omnibus omnia factus est, & universos profundit oleo quodam mansuetudinis & lenitatis, quo sic infusus est, sic perfusus etiam & superfusus, ut stillare videatur undique? Felix qui gemina hac sanctificatione

Ad perfectam sanctificationem etiam mansuetudo necessaria.
t Matt. 11.d

tione paratus dicere potest [u] : *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Habet hodie quidem fructum suum in sanctificationem, crastina die finem habiturus vitam æternam. Videbit enim maiestatem Dei, quod utique vita æterna est: sicut & veritas ait [x] : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Reddet ei coronam iustitiæ iustus iudex in illum diem, cui sanè altera non succedet. Tunc videbit & affluet, & mirabitur & dilatabitur cor ipsius. Quousque dilatabitur? Usque ad videndam in se maiestatem Dei. Nolite arbitrari fratres, quòd illam vobis promissionem verbis explicare possimus.

[u] Psal. 56. b

[x] Ioan. 17. a

Sanctificamini hodie, & estote parati: crastina die videbitis & gaudebitis: & gaudium vestrum implebitur. Quid enim maiestas illa non impleat? Etiam superimplebit & supereffluet, quando mensuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinus vestros [y]. Usque adeò quidem supereffluet, ut supra modum in sublimitate excedat, non modo merita, sed & vota, sicut verè potens est facere suprà quàm nos intelligere aut sperare possumus. Nam desideria quidem nostr in tribus maximè constituta videntur, quod decet, quod expedit, quod delectat. Hæc sunt quæ concupiscimus, omnes quidem omnia, sed alius magis hoc, alius illud. Ille sic deditus est voluptati, ut nec honestatem satis reputet, nec utilitatem: ille quæstui magis incubans & honestum dissimulat, & iucundum: ille voluptatis pariter & utilitatis negligentior, solum vel maximè honorem sectatur. Nec verò reprehensibile desiderium horum, sed si ibi quæreremus ea, ibi verè inveniremus. Hæc enim ubi verè sunt, unum sunt: atque ipsum utique summum bonum, summa utilitas, summa gloria, summa voluptas. Atque hæc quidem quantum interim capere possumus, expectatio nostra est, & promissa nobis visio maiestatis in nobis, ut Deus sit omnia in omnibus, omne iucundum, omne utile, omne honestum.

Futuræ vitæ quanta bona seu præmia.

[y] Luc. 6. f

Triplex bonarum genus appetunt homines: honestum, utile, delectabile.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI:

De Annunciatione ipsius,

SERMO VI.

AUditum audivimus plenum gratia; dignum acceptione: *Iesus Christus filius Dei in Bethlehem Iudæ nascitur.* Anima mea liquefacta est in sermone isto, sed & spiritus meus in præcordiis meis æstuat, iucunditatem hanc & exultationem solito vobis desiderio eructare festinans. Iesus interpretatur Salvator. Quid tam necessarium perditis, quid tam optabile miseris, quid tam utile desperatis? Alioquin unde salus, unde vel tenuis aliqua spes salutis in lege peccati, in corpore mortis, in malitia

Christus qualis Salvator seu medicus.

malitia hac diei & loco afflictionis, nisi nova nobis & insperata nascetur? At tu fortè salutem optas, sed curationis acerbitatem teneritudinis pariter & ægritudinis propriæ conscius reformidas? Ne timeas, Christus est suavis planè, & mitis, multæ misericordiæ, unctus oleo lætitiæ præ participibus suis, eis nimirum, qui licet non ipsam plenitudinem, de plenitudine tamen huius accipiunt participium unctionis. Ne verò suavem audiens inefficacem fore autumes Salvatorem, additur etiam, *filius DEI.* Qualis enim Pater, talis Filius, qui subest cum voluerit posse. Aut forsitan utilitate salutis & iucunditate unctionis audita, nescio quid submurmuras, puto etiam de honestate sollicitus. Salvatorem tibi gratularis adesse, utpote iacens paralyticus in grabato, aut magis inter Hierusalem & Hiericho semivivus in via. Amplius autem lætaris nec durum esse medicum, nec gravibus uti medicinis, ne tibi forsitan intolerabilior videatur brevis ipsa curatio, quàm diuturna ægritudo. Sic nimirum, sic usque hodie multi pereunt medicum fugientes, quod IESUM quidem noverint, sed Christum nesciant, humano sensu de multitudine & malignitate morborum, paratæ sibi medelæ molestiam æstimantes.

Iam verò si certus es de Salvatore, & nihilominus Christum esse cognoscis non utentem cauterio, sed unguento; non ustione, sed unctione curantem: unum adhuc arbitror ingenuam posse movere creaturam, ne fortè (quod absit) Salvatoris huius non satis condigna videatur esse persona. Puto tamen non usque adeo ambitiosus es & gloriæ cupidus, aut zelator honoris, ut ab uno quopiam è conservis tuis si præstare posset hanc gratiam suscipere detractares. Nam si Angelus aut Archangelus esset, vel ex superiori quovis ordine Spirituum beatorum, multo minus animositas tua, quod causaretur, haberet. Nunc autem tanto ampliore tibi devotione suscipiendus est iste Salvator, quanto differentius præ cæteris omnibus nomen hæreditavit IESUS Christus filius DEI. Et vide si non evidentius hæc tria ad pastores loquens Angelus commendavit, gaudium magnum quod evangelizabat, exponens: *Quia*, inquit, *natus est vobis hodie Salvator qui est Christus Dominus.* Exultemus igitur, Fratres, in hac nativitate, & multipliciter gratulemur in ea, quam & salutis utilitas, & unctionis suavitas, & filii Dei maiestas tam eleganter illustrat, ut nihil desit ex omnibus quæ desiderantur, nec commodum, nec iucundum, nec honestum. Exultemus, inquam, ruminantes, intra nosmetipsos, & invicem eructantes suave verbum, eloquium dulce: *Iesus Christus filius Dei nascitur in Bethleem Iudæ.*

a Luc. 2. *In Christo salvatore tria consideranda.*

Nec mihi quis ad ista respondeat indevotus, ingratus, irreligiosus: Non est hoc novum, olim auditum est, olim factum est; olim natus est

Christus.

Christus. Ego enim dico, olim & ante. Nec mirabitur olim & ante, cui propheticũ illud occurrerit: [b] *In æternum & ultra.* Natus est ergo Christus non modò ante hæc nostra tempora, sed ante tempora universa. Verùm illa quidem nativitas posuit tenebras latibulũ suum, imò verò lucem magis habitat inaccessibilem: latet in corde Patris, in monte umbroso & condenso. Ut ergo aliquatenus innotesceret, natus est; & in tempore natus ex carne, natus in carne factum est Verbum caro. Quid tamen mirum si usque hodie dicitur in Ecclesia, *Christus Filius DEI nascitur*, quando tam longè antea dicebatur (haud dubium quin de ipso) [c] *Puer natus est nobis*? Olim cœpit audiri verbum hoc, & nemo Sanctorum aliquando fastidivit. Siquidem IESUS Christus Filius D E I, heri & hodie & in æternum. Hinc nimirum primus homo omnium viventium pater, magnum eructans sacramentum, quod in Christo & in Ecclesia Apostolus postmodum evidentiùs commendavit, *Relinquet* ait [d], *homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

Hinc nihilominus Abraham pater omnium credentium exultavit, ut videret diem hunc, & vidit, & gavisus est [e]. Alioquin quando servum iurantem sibi per Deum cœli, sub femore suo manum ponere præcepisset, nisi ipsum utique Deum cœli ex eodem nasciturum femore prævidisset [f]? Hoc quoque consilium cordis sui homini secundùm cor suum revelavit Deus, qui iuravit veritatem, & non frustrabitur eum: *De fructu*, inquiens [g], *ventris tui ponam super sedem tuam.* Unde & *in Bethleem Iudæ nascitur* (sicut ait Angelus) *civitate David* [h], utique propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum. Hoc etiam multifariè, multisque modis, cæteris revelatum est Patribus & Prophetis [i]. Absit autem ut à diligentibus Deum aliquando fuerit negligenter auditum, nisi fortè negligere videbatur, qui dicebat [k]: *Obsecro Domine, mitte quem missurus es*: aut fastidire, qui clamabat [l]: *Vtinam dirumperes cœlos & descenderes*, cæteraque similia. Idipsum deinde Apostoli sancti viderunt & audierunt, & manus eorum tractaverunt de verbo vitæ, quibus singulariter aiebat [m]: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Postremo hoc idem nobis quoque servatum est fidelibus, utique thesauris fidei commendatum, ipso æquè dicente [n]: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Pars nostra hæc in verbo vitæ. Nec sanè contemptibilis, ex qua nimirum vivitur, & qua vincitur mundus: quoniam iustus ex fide vivit [o]. Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Hæc est quæ velut quoddam æternitatis exemplar præterita simul & præsentia ac futura sinu quodam vastissimo comprehendit, ut nihil ei prætereat, nihil pereat, præeat nihil.

b Exod. 15.

c Esa. 9. b

d Ephes. 5. g Gen. 2. d.

e Ioan. 8. g

f Gen. 24. a

Patrum antiquorum desideria erga Christum nascituru-rum.

g Psal. 131. b

h Luc. 2. a

i Heb. 1

k Exod. 4. c

l Esa. 64. a

m Matt. 13. c

n Ioan. 20. g

o Abac. 2. a

Merito proinde in testimonium fidei vestræ, ubi facta est vox annunciationis huius in auribus vestris, exultastis in gaudio, egistis gratias, prostrati solo tenus adorastis, concurrentes, velut sub umbra alarum eius, & sub pennis eius sperantes. Nunquid non singulari nativitate Salvatoris audita, clamastis in cordibus vestris dicentes [p] : *Mihi autem adhærere Deo bonum est*? Aut potius illud quod idem Propheta ait [q] : *Deo subiecta esto anima mea*? Infelix nimirum : quisquis fictè prostratus, corde rigido corpus humiliavit. *Est enim qui humiliatur nequiter, interiora autem eius plena sunt dolo* [r]. Quisquis enim necessitatem suam minùs considerat, minùs sentit incommoda, minùs pericula pavet, minùs devotè confugit ad remedia ortæ salutis, minùs affectuosè se subjicit Deo, minùs fideliter psallit [s] : *Domine refugium factus es nobis.* Huius adoratio minùs accepta, huius prostratio minùs verax, huius humiliatio minùs habens, huius etiam victoriosa minùs, imò & minùs vivida fides. Quid tamen dicit [t] ? *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Quasi non videatur ipsum credere, quodammodo iam videre. Sed adverte diligenter cui & quando dictum sit, ei utique, qui arguebatur, quod, quia vidisset, credidisset. Neque enim idipsum est vidisse, & ideo credidisse, quod credendo vidisse. Alioquin Abraham pater, quonam modo Dominicum hunc vidisse diem, nisi credendo, credendus est? Sed & illud quomodo accipietur quod hac nocte cantatum est nobis : *Sanctificamini hodie & estote parati, crastina enim die videbitis maiestatem Dei in vobis* : si non mente videre est, pia devotione repræsentare & recolere fide non ficta, magnum illud magnæ pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria ?

p Psal. 72.d
q Psal. 61.a
r Eccl. 19.d
s Psal. 89.a
t Ioan. 20.

Maius est fidere, quam videre.

Semper igitur novum, quod semper innovat mentes : nec unquam vetus, quod fructificare non cessat, quod in perpetuum non marcescit. Hoc est enim sanctum, quod non datur videre corruptionem. Hic novus homo, qui nullius unquam vetustatis capax, etiam eos quorum inveteraverunt omnia ossa, in veram vitæ transferat novitatem. Inde est, quod etiam in præsenti tam iucundissima annunciatione (si advertistis) congruè satis dicitur non tam natus esse quam nasci. *Iesus Christus filius Dei nascitur in Bethleem Iudæ.* Sicut enim quodammodo immolatur adhuc quotidie, donec mortem eius annunciamus; sic videtur & nasci, dum fideliter repræsentamus eius nativitatem. Die igitur crastina videbimus maiestatem Dei, sed sanè in nobis, non in seipso, utique maiestatem in humilitate, virtutem in infirmitate, in homine Deum. Ipse est enim Emmanuel, quod interpretatur *nobiscum Deus*; Et evidentius audi; *Verbum*, inquit,

Mysterium nativitatis etsi semel olim peractum, tamen etiam debet hodie novum videri.

inquit [u], *caro factum est, & habitavit in nobis.* Denique ex tunc & deinceps videmus gloriam eius, sed gloriam quasi unigeniti à Patre, utique plenum gratiæ vidimus, & veritatis. Non enim gloriam potestatis aut claritatis, sed gloriam paternæ pietatis, gloriam gratiæ de qua Apostolus: *in laudem*, inquit [x], *gloriæ gratiæ suæ.*

Sic ergo nascitur. Sed ubi putas? In Bethleem Iudæ: neque enim decet nos ita Bethleem præterire. *Transeamus usque Bethleem*, dicunt pastores [y], non Bethleem pertranseamus. Quid enim si pauper viculus est? Quid si videtur minima in Iudæa? Ne id quidem incongruum ei qui cum dives esset, propter nos factus est pauper: & cum esset magnus Dominus & laudabilis nimis, parvulus natus est nobis. Et dicebat [z], *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Itemque: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut puer iste, non intrabitis in regnum cœlorum* [a]. Unde etiam stabulum elegit & præsepe, utique domum luteam, & diversorium iumentorum, ut hunc esse scias qui de stercore erigit pauperem, & salvos facit homines & iumenta.

Utinam autem inveniamur & nos Bethleem Iudæ, ut in nobis quoquo dignetur nasci, & audire mereamur [b], *Quia vobis timentibus Deum orietur sol Iustitiæ!* Forte enim est hoc quod suprà meminimus, ad videndam in nobis Domini maiestatem & sanctificatione opus esse, & præparatione. Nam & iuxta Prophetam [c] *facta est Iudæa sanctificatio eius*, quia videlicet omnia in confessione lavantur: & *domus panis* quod Bethleem sonat, ad præparationem fortasse videtur magnopere pertinere. Quomodo enim ille paratus est, ut excipere tantum hospitem possit, qui dicit [d]: *Quia non est in domo mea panis?* Denique quia imparatus erat quidam, necesse habuit amici ostium clausum media nocte pulsare, & dicere [e]: *Quia amicus meus venit ad me de via, & non habeo quod ponam ante illum. Paratum cor eius sperare in Domino*, ait Propheta [f], haud dubium quin de iusto loquens. *Confirmatum est cor eius, non commovebitur.* Non est paratum cor quod non est confirmatum. Scimus autem, ipso eodem teste Propheta [g], quod *panis cor hominis confirmet.* Non est ergo paratum, sed aridum & exangue cor eius, qui oblitus est comedere panem suum. Est autem paratus & non turbatus, ut custodiat mandata vitæ, qui oblitus ea quæ retro sunt, in ea quæ ante sunt, se extendit. Vides quàm fugienda quædam, quam sit quædam oblivio cupienda? neque enim totus Manasses Iordanem transiit, sed nec totus citra sibi elegit mansionem: Est qui oblitus Domini creatoris sui, & est qui providet eum in conspectu suo semper, oblitus populum suum, & domum patris sui. Et ille quidem cœlestia obliviscitur, hic verò quæ sunt super terram: iste præsen-

[u] Ioan. 1. b
[x] Ephes. 1. a
[y] Luc. 2. *Locus humilis nati Salvatoris.*
[z] Matt. 5. a
[a] Matt. 18. a
[b] Malach. 4. a *Bethleem mystica & moralis expositio.*
[c] Psal. 113. a
[d] Esa. 3. a
[e] Luc. 11. a
[f] Psal. 111. b
[g] Psal. 103. *Oblivio quædam bona, quædam mala: illa terrena negligit, hæc cœlestia.*

præsentia, ille futura: iste quæ videntur, ille quæ non videntur: postremo iste quæ sua sunt, ille quæ IESU Christi. Uterque Manasses, uterque oblivioſus: sed alter quidem Hierusalem, alter Babylonis oblitus. Alter eorum quæ impediunt, & iste paratus: alter sanè eorum magis quæ expediunt, & quæ non expedit obliviſci, atque hic penitus imparatus ad videndam in se Domini maiestatem. Neque enim est domus panis in qua Salvator oriatur; non est Manasses ille cui appareat, qui Israel regit, & super Cherubin sedet [h], *Appare*, inquit, *coram Ephraim, Beniamin & Manasse*. Ego arbitror istos tres esse qui salvantur, quos alius quidam Propheta [i] Noe, Danielem, & Iob nominavit: eosdem quoque & tribus illis pastoribus designari, quibus nato Angelo magni consilii, gaudium magnum Angelus evangelizavit.

*h Ps. 79.a

i Ezech. 14.e

Vide autem ne forte ipsi sint tres Magi venientes iam non modò ab Oriente, sed etiam ad Occidente, ut recumbant cum Abraham, Isaac, & Iacob. Fortè enim non incongruè videbitur ad Ephraim quidem, quod fructificationem sonat, pertinere thuris oblationem, quod offerre inscensum dignum in odorem suavitatis proprium sit eorum, quos posuit Dominus, ut eant & fructum afferant, id est, Ecclesiæ prælatorum. Nam & Beniamin *filius dexteræ* offerat necesse est aurum, id est, substantiam huius mundi, ut videlicet fidelis populus in parte dextera constitutus, à iudice mereatur audire [k]. *Quia esurivi, & dedistis mihi manducare &c.* Porrò, Manasses (si tamen is esse voluerit cui appareat Deus) myrrham offerat mortificationis, quam quidem à nostra specialiter arbitror professione requiri. Et hæc dicta sint, ne ad eam partem tribus Manasse, quæ citra Iordanem subsistit, pertineamus: sed obliviscamur magis ea quæ retrò sunt, extenti & intenti ad anteriora.

k Matt. 25.d

Nunc verò redeamus usque Bethleem, & videamus hoc Verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Domus panis est, ut iam diximus: bonum est nos illic esse: ubi enim fuerit verbum Domini, non deest utique panis qui confirmet cor, dicente Propheta [l]: *Confirma me in verbis tuis*. Nimirum in verbo quod procedit de ore Dei, vivit homo, vivit in Christo, vivit in eo Christus. Ibi oritur, ibi apparet: nec omnino amat cor titubans, aut vacillans, sed stabile & confirmatum. Si quis murmurat, si quis hæsitat, si quis nutat, si quis cogitat revolvi in lutum, redire ad vomitum, deserere votum, mutare propositum suum, non est Bethleem iste, non est domus panis. Sola enim fames, & fames valida, in Ægyptum eum descendere, porcos pascere, siliquas esurire compellit, ut pote procul agentem à domo panis, à domo patris: in qua etiam mercenarii panibus abundare noscuntur. Nonergo in hu-

l Psal. 118.d

Christus non amat cor titubans, sed stabile.

in huiusmodi corde nascitur Christus, cui deest fidei fortitudo, utique panis vitæ, Scriptura teste [m]: *Quoniam iustus ex fide vivit*, quòd videlicet animæ vera vita (quæ ipse est) non nisi per fidem interim habitet in cordibus nostris. Alioquin quomodo in illo nascitur IESUS? Quomodo salus oritur illi, quandoquidem vera omnino certáque sententia est [n], quòd is tantùm *qui perseveraverit usque in finem, salvus erit*? Nam quòd minimè inveniatur in eo Christus, nec de eis sit quibus dicitur [o], *Quia unctionem habetis à sancto*, ex eo vel maximè constat, quod sine dubio etiam aruit cor illius, ex quo oblitus est comedere panem suum. Multo minùs autem ad filium pertinet Dei, qui huiusmodi est quòd non nisi super quietum & humilem ac trementem verba sua requieseat Spiritus ipsius [p], nec sit ulla societas æternitati, & tantæ mutabilitatis ei qui est, & ei qui nunquam in eodem permanet statu. Cæterum quamlibet firmi, quamlibet fortes in fide, quamlibet parati, quamlibet panibus abundantes, ipso quidem largiente, cui quotidie orantes dicimus [q], *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: necesse habemus addere consequenter, *Dimitte nobis debita nostra*. Alioquin *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est* [r]. Nimirum veritas ipse est, qui non simpliciter in Bethleem sed in Bethleem Iudæ nascitur IESUS Christus Filius Dei.

m Abac. 2.a

n Matt. 10.c
o 1.Ioan. 2.c

p Esa. 66.a

Nemo tam perfectus quin egeat hac petitione: dimitte nobis debita nostra.

q Matt. 5.
r 1.Ioan. 1.c

Præoccupemus igitur faciem Domini in confessione, ut sanctificati pariter & parati inveniamur & nos in Bethleem Iudæ atque ita nascentem Dominum videre mereamur in nobis. Cæterum si qua anima eo usque profecerit (quod quidem est multum ad nos) ut sit fœcunda virgo, sit stella maris, sit plena gratia, & supervenientem habens in se Spiritum sanctum, puto quòd non modo in ea, sed ex ea quoque non dedignabitur nasci. Nemo sanè id sibi arrogare præsumat, nisi quos ipse speciali designatione tanquam digito monstraverit, dicens [s]: *Ecce mater mea, & fratres mei*. Enim verò audi unum ex istis: *Filioli mei*, ait [t], *quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*. Si enim nasci videbatur in eis, cum formabatur Christus in eis, quomodo non etiam ab eo similiter nasci eum dicere quis præsumat, qui in ipsis quodammodo parturiebat? Et tu quidem impia synagoga hunc nobis filium peperisti, officio quidem matris, sed non matris affectu. Excussisti eum de sinu tuo extra civitatem ejiciens, & elevans super terram, tanquam dicens Ecclesiæ gentium, pariter & Ecclesiæ primitivorum quæ est in cœlis: Nec mihi nec vobis sit, sed dividatur. Dividatur, inquam, non inter utrasque, sed ab utrisque. Expulsum enim, & exaltatum, & elevatum, & quidem modicè satis; tamen ut nec in tuis esset, mœnibus, nec in terra,

Tropologia pulcherrima.

s Matt. 12.d
t Gal. 4.c.

Synagoga Christum protulit sed abiecit.

ferro undiq; coarctasti: ne fortè vel hac vel illac excideret, ut videlicet, à te separatus, ad neutram perveniret illarum. Sæva nimirum mater ita abortivum facere voluisti, dum non esset qui excipere posset excussum. Age ergo, quid profeceris, intuere. Undique enim egrediuntur filiæ Sion, ut videant regem Salomonem in diademate quo coronasti eum. Relinquens matrem adhæret uxori suæ, ut sint duo in carne una, & civitate pulsus, atque levatus à terra, omnia trahit ad se, quippe qui est super omnia benedictus DEUS in sæcula, Amen.

IN DIE NATIVITATIS DOMINI:

De fontibus Salvatoris.

SERMO I.

GRandis quidem est dilectissimi, hodierna Dominicæ Nativitatis solemnitas; sed dies brevis cogit breviare sermonem. Nec mirum, si faciamus nos breve verbum, quando & Deus Pater Verbum fecit abbreviatum. Vultis nosse quàm longum quàm breve fecit? *Cœlum* (inquit [a] hoc Verbum) *& terram ego impleo.* Nunc caro factum, in angusto locatum præsepio est. *A sæculo*, ait Propheta [b], *& in sæculo tu es Deus*: & ecce factus est infans diei unius. Ad quid hoc fratres, aut quæ necessitas fuit, ut sic exinaniret se, sic humiliaret se, sic abbreviaret se Dominus maiestatis, nisi ut vos similiter faciatis? Iam clamat exemplo, quod postmodum prædicaturus est verbo [c]: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: ut verax inveniatur qui dicit: *Cœpit Iesus facere, & docere* [d]. Obsecro proinde & plurimùm rogo fratres, non patiamini sine causa tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, & renovamini spiritu mentis vestræ. Studete humilitati, quæ fundamentum est custosque virtutum, sectamini illam quæ sola potest salvare animas vestras. Quid enim magis indignum, quid detestandum ampliùs, quid graviùs puniendum, quàm ut videns Deum cœli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentiæ est, ut ubi sese exinanivit maiestas, vermiculus infletur & intumescat.

a Hier. 23. d

b Psal. 89. a

c Matt. 11. d

d Actor. 1. a

Humilitas, exemplo Verbi incarnati & sic humiliati, sectanda.

Hoc igitur est propter quod exinanivit se formam servi accipiens, qui in forma DEI Patris æqualis erat, sed exinanivit maiestate & potentia, non bonitate & misericordia. Quid enim ait Apostolus? *Apparuit*, inquit [e], *benignitas & humanitas Salvatoris nostri DEI.* Apparuerat antè potentia in rerum creatione, apparebat sapientia in earum gubernatione; sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate. Innotuerat Iudæis potestas in signis atque portentis, unde & in lege sæpius

*e Tit. 3. b

Effusio divinæ misericordiæ in mysterio incarnationis.

pius invenies, *Ego Dominus, ego Deus.* Philosophis quoque abundantibus in sensu suo maiestas innotuit, quoniam iuxta Apostoli verba [f], *quod notum est DEI manifestum est in illis.* Veruntamen & Iudæi potestate ipsa premebantur, & Philosophi scrutatores maiestatis opprimebantur à gloria. Potestas subiectionem, maiestas exigit admirationem, neutra imitationem. Appareat Domine bonitas cui possit homo (qui ad imaginem tuam creatus est) conformari: nam maiestatem, potestatem, sapientiam, nec imitari possumus, nec expedit æmulari. Quousque angustata est misericordia tua in sola Angelorum parte, reliquam occupat iudicium cum toto pariter humano genere [g]? *Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes,* terram universam condemnans, & aereas potestates. Dilatet misericordia terminos suos, extendat funes, expandat sinus, attingat à fine usq; ad finem fortiter, disponens omnia suaviter. Restrictus est Domine iudicio sinus tuus, solve cingulum tuum, & veni miserationibus affluens, & superfluens charitate.

[f] Rom. 1.b

Deus secundū alia attributa, eaque terribilia & inimitabilia olim sæpius apparuit; nunc demum per misericordiam.

Quid tu times ô homo, quid trepidas à facie Domini quia venit? Venit non iudicare, sed salvare terram. Olim tibi persuasum est ab infideli quodam servo, ut furtim tolleres & imponeres regium diadema capiti tuo. Deprehensus in furto, quidni timeres? quidni fugeres à facie eius? Forte enim iam gladium vibrabat ignitum. Nunc in exilio positus, in sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et ecce vox audita est in terra, quia dominator advenit. Quo ibis à spiritu eius, & quo à facie eius fugies? Noli fugere, noli timere, non venit cum armis: non puniendum, sed salvandum requirit. Et ne fortè dicas etiam nunc [h]: *Vocem tuam audivi, & abscondi me*: ecce infans est & sine voce. Nam vagientis vox magis miseranda est, quam tremenda. Aut si cui forte terribilis, sed non tibi. Parvulus factus est, tenera membra Virgo Mater pannis alligat, & adhuc timore trepidas? Vel in hoc scies quia non venit perdere te, sed salvare: eripere, & non ligare. Iam adversus hostes tuos dimicat, iam superborum & sublimium colla tanquam DEI virtus & sapientia calcat.

Divina bonitatis pia præsumptio.

[h] Gen. 3.b

Duo sunt tibi hostes, peccatum & mors, id est, mors corporis, & animæ. Utrumque debellaturus advenit, & ab utroque salvabit te, noli timere. Et iam quidem peccatum in propria persona vicit: quando humanam naturam sine ulla contagione suscepit. Grandis enim peccato facta est violentia, & re vera expugnatum esse cognoscitur, quando natura, quam se totam infeciisse & occupasse gloriabatur, ab eo penitus aliena in Christo inventa est. De hinc persequitur inimicos suos, & comprehendit eos, nec convertitur donec deficiant. Contra peccatum dimicans in conversatione sua, verbis pariter & exemplis oppugnat, sed in passione sua alligat

Incarnatus DEVS ad profligandos hominis inimicos. Peccatum & Mortem.

alligat illud, alligat planè fortem, & diripit vasa eius. Iam verò eodem ordine mortem quoque superat priùs in seipso, cum resurgit primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum: postmodum debellaturus eam pariter in omnibus nobis, quando videlicet suscitabit mortalia corpora nostra, & destruetur novissima inimica mors. Propterea enim resurgens decorem indutus est, non sicut antea nascens pannis involutus est. Propterea qui priùs sinu misericordiæ effluebat, non iudicans quemquam resurgens præcinxit se, & iustitiæ cingulo videtur quodammodo effluentem sinum misericordiæ collegisse, quoniam ex tunc præparatur ad iudicium, quod in nostra resurrectione futurum est. Nam & propterea parvulus antea venit, ut misericordiam prærogaret, & futurum in fine iudicium præcurrens, misericordia temperaret.

Licet enim parvulus ad nos venerit, non parum tamen attulit, non parum contulit nobis. Si quæris quid attulit? primo omnium attulit misericordiam, secundùm quam, teste Apostolo [i], *salvos nos fecit.* Neque enim his tantùm profuit, quos tunc præsens invenit; sed fons est qui nunquam poterit exhauriri. Fons nobis est Christus Dominus unde lavemur, sicut scriptum est [k]: *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris.* Veruntamen non iste solus aquarum est usus, nec tantum sordes abluunt, sed & sitim extinguunt. *Beatus verò* ait Sapiens [l], *qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia meditabitur.* Et post pauca: *Aqua,* inquit, *sapientiæ salutaris potabit illum.* Bene sapientiæ salutaris, quoniam sapientia carnis mors est, & sapientia mundi etiam ipsa inimica est DEO. Sola quæ ex Deo est sapientia salutaris est, quæ secundùm beati Iacobi definitionem primùm pudica, deinde pacifica est [m]. Nam sapientia carnis voluptuosa est, non pudica. Sapientia mundi tumultuosa est, non pacifica. Sapientia verò quæ ex Deo est, primùm pudica est, non quærens quæ sua sunt, sed quæ IESU Christi, ut non suam quisque faciat voluntatem, sed consideret quæ sit voluntas Dei: deinde pacifica, non abundans in suo sensu, sed alieno magis acquiescens consilio vel judicio.

Tertius aquarum usus est irrigatio, quam profectò maximè necessariam habent novellæ plantationes. Alioquin aut minus proficient, aut ex toto peribunt præ siccitate. Quærat ergo devotionis aquas quisquis seminaverit bonorum operum semina, ut irrigatus fonte gratiæ bonæ conversationis hortus non arescat, sed in perpetua viriditate proficiat. Orat enim pro huiusmodi Propheta [n], *Et holocaustum tuum,* inquiens, *pingue fiat.* Sic & in laudibus Aaron legis, quoniam sacrificium eius quotidianus ignis absumpsit. In quibus omnibus nihil aliud intelligendum

i ad Tit. 3. b *Quinque fontes Salvatoris.* 1. Fons misericordiæ *ad culpas aqua remissionis diluendas.* *k* Apoc. 1. b *l* Eccl. 14. c 2. Fons sapientiæ *ad sitim aqua discretionis extinguendam.* *m* Iacob. 3. d

3. Fons gratiæ *ad plantas bonorum operum aqua devotionis irrigandas.* *n* Psal. 19. a

dum videtur, nisi ut bona opera fervore devotionis & dulcedine spiritualis gratiæ condiantur. Putas inveniri poterit *quartus fons*, ut paradisum recuperemus quatuor fontium irrigatione amœnissimum? Nam si terrenum paradisum denuo nobis reddendum non speramus, quomodo regnum cœlorum sperabimus? *Si terrena*, inquit [o], *dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis*? Nunc autem ut de exhibitione præsentium firma sit expectatio futurorum, paradisum habemus multo meliorem, & longè delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt: & paradisus noster Christus Dominus est. In quo tres, quidem fontes jam invenimus, quartum quæremus. Habemus de fonte *misericordiæ* ad diluendas culpas, aquas *remissionis*: habemus de fonte *sapientiæ* ad potandam sitim nostram, aquas *discretionis*: habemus de fontæ *gratiæ* ad irrigandas plantas bonorum operum, aquas *devotionis*; Quæramus ad decoquendos cibos aquas ferventes, aquas *æmulationis*. Hæ nimirum condiunt, & decoquunt affectiones nostras, & ebulliunt de fonte *charitatis*. Unde ait Propheta [p]: *Conclauit cor meum intra me: & in meditatione mea exardescet ignis*. Alibi quoque: *Zelus* inquit [q], *domus tuæ comedit me*. Siquidem ex dulcedine devotionis diligens justitiam, ex fervore æmulationis odio habet iniquitatem. Et vide ne fortè de fontibus istis prædixerit Esaias [r]: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Nã ut promissionem hanc vitæ præsentis esse noveris, non futuræ, illud attende, quod sequitur: *Dicetis in illa die: Confitemini Domino, & invocate nomen eius*. Invocatio quippe præsentis temporis est, sicut scriptum est [s]; *Invoca me in die tribulationis*.

Quartus fons Charitatis *ad affectiones decoquendas.*

[o] Ioan. 3. b

[p] Psal. 38.

[q] Psal 68. b

[r] Esa. 12. b

[s] Psal. 80. b

Porrò ex his quatuor fontibus, tres quidem propriè convenire videntur tribus Ecclesiæ ordinibus, singuli singulis. Nam primus quidem communis est omnibus. In multis enim offendimus omnes, & necessarium habemus misericordiæ fontem ad diluendas offensionum sordes. Omnes, inquam [t], peccavimus, & egemus gloria Dei. Et prælati, & continentes, & conjugati, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus [u]. Quia ergo nemo mundus à sorde, necessarius est omnibus fons misericordiæ, & pari voto debent ad hunc fontem, Noe, Daniel, & Job properare. De cætero quidem Job maximè sapientiæ fontem quærat, quoniam ipse magis inter medios laqueos ambulat, ita ut magnum videatur, si à malo declinat. Danieli verò currendum est ad fontem gratiæ, cui nimirum pœnitentiæ opera & labores abstinentiæ devotionis gratia necesse est impinguare. Oportet enim ut nos maximè in hilaritate omnia faciamus: quoniam hilarem datorem diligit Deus [x]. Nam & terra nostra nequaquam fertilis est hujusmodi semi-

[t] Rom. 3. c

[u] 1. Ioan. 1. b

[x] 2. Cor. 9. b

nis, bonæ scilicet conversationis: ideoque facile exaresçet, nisi crebris irrigationibus adiuvetur. Unde & in oratione Dominica huiusmodi gratiam sub quotidiani panis nomine postulamus. Meritò sanè, ne forte cadat super nos terribilis illa maledictio propheticæ imprecationis: *Fiant sicut fœnum tectorum quod priusquam evellatur exaruit* [y]. Fons verò æmulationis Noe convenit specialiter, quia maximè Prælatos decet hic zelus.

y Psal. 128.a

Quatuor itaque fontes istos adhuc in carne viventibus nobis in semetipso Christus exhibet: quintum, qui est *fons vitæ*, post hoc sæculum repromittens, ad quem sitiebat Propheta cum diceret [z]: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* Fortassis etiam propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc vivens in cruce: propter quintum, cum jam tradidisset spiritum, transforatus est in latere. Vivebat adhuc quando foderunt ei manus & pedes, ut nobis adhuc viventibus, quatuor fontes ex seipso proferret. Quintum pertulit vulnus cum jam expirasset, ut in se nihilominus quintum nobis fontem post obitum aperiret. Sed ecce dum loquimur de mysteriis Nativitatis, ad scrutanda repente devenimus sacramenta Dominicæ Passionis. Nec mirum tamen si quærimus in Passione quid in Nativitate sua Christus attulerit. Tunc enim conscisso sacco pecuniam quæ latebat, in pretium nostræ redemptionis effudit.

5. Fons Vitæ ad fideles torrente voluptatis potandos.

z Psal. 41.a

IN NATALI DOMINI.

De tribus præcipuis Dei operibus; & triplici commixtione.

Sermo II.

Magna opera Domini, ait Propheta David [a]. Magna quidem opera eius, Fratres, siquidem magnus & ipse: sed ad nos maximè spectant, quæ in eis maxima esse videntur. Hinc est quod psallit idem Propheta [b], dicens: *Magnificavit Dominus facere nobiscum.* Deniq; quàm magnificè nobiscum agat, specialiter tria quædam eius opera clamant; primæ nostræ Creationis, præsentis Redemptionis, futuræ Glorificationis. Quàm magnificata sunt in singulis opera tua Domine! Tuum est virtutem operum tuorum annuntiare populo tuo, nos ipsa saltem opera non silemus. Triplicem, Fratres, commixtionem in his tribus considerare est cœlestis planè operis, & divinæ virtutis. Nam in primo opere conditionis nostræ de limo terræ plasmavit hominem Deus, & inspiravit in faciem eius spiritum vitæ. Qualis artifex, qualis unitor rerum, ad cuius nutum sic conglutinantur sibi limus terræ, & spiritus vitæ? Limus quidem jam ante creatus erat, quando in principio creavit Deus cœlum & ter-

a Psal. 110.a *Opera Domini magna.*

b Psal. 125. *Tria præcipuè, Creationis, Redemptionis, & Glorificationis.*

In primo coniungit limum terræ, spiritū vitæ, corpus animæ &c.

& terram. At spiritus sanè non communem, sed propriam habet conditionem, nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur. Agnosce ô homo dignitatemtuam, agnosce gloriam conditionis humanæ. Est enim tibi cum mundo corpus, sic enim decet eum quiconstitutus est super universam huius creaturæ corporeæ molem, aliqua ei similari ex parte. Sed est tibi etiam sublimius aliquid nec omnino comparandus es cæteris creaturis. Compacta & confœderata sunt in te caro & anima, illa plasmata, hæc inspirata.

Sed cuius interest hæc commixtio? Cui hac unione præstatur? Etenim juxta sapientiam filiorum huius sæculi, ubi sociantur summis inferiora, qui prævalent potestatem habent, & humilioribus utuntur pro libito suo. Conculcat fortior minùs fortem, ridet sapiens indoctum, simplicem fallit astutus, potens despicit imbecillem. Non sic in opere tuo Deus, non sic in tua commixtione: non ad hoc sociasti spiritum limo, sublimem humili, dignam & excellentem creaturam abiectæ & inutili massæ. Quis non videat, Fratres, quantum corpori præstet anima? nunquid non truncus esset insensibilis caro inanimata? Ab anima enim pulchritudo, ab anima incrementum, ab anima claritatis visus & sonus vocis. Denique sensus omnis ab anima est. Charitatem mihi conjunctio ista commendat, charitatem in hac ipsa conditionis propriæ pagina lego. Charitatem in ipso statim principio non solum prædicat, sed ingerit mihi manus benignissima Creatoris.

Anima quantum præstet corpori.

Et quidem magna hæc coniunctio, dilectissimi, sed si stabilis permansisset. Nunc autem licet divino fuerit munita sigillo (ad imaginem quippe & similitudinem suam creavit Deus hominem) heu diruptum est sigillum, & unitas dissipata! Accedens pessimus ille latro recens adhuc sigillum fregit: & sic mutata similitudine divina comparatus est miser homo jumentis insipientibus, & similis factus est illis [c]. Rectum quippe fecit DEUS hominem, atque hæc similitudo eius, de quo scriptum est [d]: *Quia rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.* Veracem quoque & justum fecit eum, sicut & ipse veritas & justitia est: nec unitas ipsa posset disiungi, dum sigilli huius integritas permaneret. Verùm supervenit falsarius, qui indoctis sigillum promittens melius (væ væ) fregit quod erat manu divinitatis impressum. *Eritis*, inquit [e], *sicut Dii scientes bonum & malum.* O malevole, ô maligne, ad quid eis huius similitudo scientiæ? Sint certè sicut Dii, recti, justi, veraces, sint sicut DEUS in quem peccatum non cadit. Hoc quippe sigillo stante stabit unitas illa. Jam experimur miseri quid nobis persuaserit versutia diabolicæ fraudis. Fracto

Hæc coniunctio fraude diaboli dissipata est.

[c] Psal. 48. c

[d] Psal. 91. c

[e] Gen. 3. a

namque sigillo sequitur amarum dissidium, triste divortium. Ubi est quod dixisti nequam, *Nequaquam moriemini*? Ecce enim morimur omnes, & non est homo qui vivat, & non videat mortem.

Sed quid Domine Deus? Nunquamne reparabitur opus tuum, & qui ceciderit non adjiciet ut resurgat? Non est qui reficiat, nisi qui fecit. Itaque propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus, ponam in salutari, fiducialiter agam in eo [e]. Nihil siquidem proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Novam, inquit, ego facio commixturam, ubi & expressius & robustius pono sigillum; eum, qui non ad imaginem meam factus, sed est ipsa imago, splendor gloriæ, & figura substantiæ, non factus sed genitus ante secula. Et ne forte timeas esse frangendum, audi Prophetam [f]: *Aruit*, inquit, *tanquam testa virtus mea*, sed talis testa, cui nec ipse malleus universæ terræ nocere ullo modo possit. Sanè cum prima ex duobus facta sit, secunda jam coniunctio fit ex tribus, ut discas ex hoc ipso ad Sacramentum accedere Trinitatis. *Verbum*, quod erat in principio apud Deum & Deus erat; *Anima*, quæ de nihilo creata est, & ante non erat; *Caro* de massa corruptionis sine corruptione aliqua divino segregata artificio (qualis nulla iam caro erat) vinculo indissolubili in personæ coeunt unitatem. Habes in his triplex genus potentiæ: quod non erat, creatum: quod perierat, reparatum: quod super omnia erat, paulominùs ab Angelis minoratum. Hæc sunt Evangelica illa fata farinæ [a], quæ pariter fermentantur, ut sit panis Angelorum, quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. Felix mulier, benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus superveniente igne sancti Spiritus coctus est panis iste. Felix, inquam, mulier quæ in hæc tria fata immisit fidei suæ fermentum. Siquidem fide concepit: fide peperit, & ut ait Elizabeth [g], *Beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea quæ dicta sunt ei à Domino.* Nec mireris quod fide eius mediante unitum dixerim Verbum carni, quandoquidem & carnem ipsam de eius carne susceperit. Sanè ne hoc quidem præsenti expositioni obviare potest, quod de cælestis regni dicitur similitudine. Neque enim indignum videtur si cœlorum regnum fidei Mariæ comparatur, qua & reparatur.

Huius itaque vinculum unionis nulla omnino solvere poterit creatura. Siquidem nec princeps huius mundi habet in eo quicquam, nec ipse Joannes solvere dignus est corrigiam calceamenti. Quid tamen? Solvatur certè aliquatenus necesse est: alioquin quod dissolutum est, non resolidatur. Panis integer, thesaurus absconditus, sapientia occulta, quæ utilitas in his omnibus? Merito flebat Joannes [b] non inveniri qui aperiret librum,

Deus reparare volens opus suum, facit alterum coniunctionem, uniens verbum, animam & carnem. In unitate personæ.

[e] Psal. 11. a
[f] Psal. 21. d

Triplex genus potentiæ in mysterio Incarnat. Domini.

[a] Matt. 13. e & Luc. 13. e

[g] Luc. 1. c

[b] Apoc. 5. b

librum, & solveret signacula eius: dum enim clausus staret, nemo ex nobis divinam illam attingere sapientiam prævaleret. Aperi tu librum Agne DEI, vera mansuetudo. Fodiendas expone Judæo manus tuas & pedes tuos, ut qui in eis latet procedat thesaurus salutis, & copiosa redemptio. Frange denique esurientibus panem tuum. Solus enim frangere potes, qui solus, ut confracta solides stare potes: & in ipsa confractione solus potestatem habes ponendi animam, & cum volueris, resumendi. Tua igitur miseratione solvatur aliquatenus hoc templum, sed non penitus dissolvatur. Separetur ab anima caro, sed Verbum sanè & carnis servet incorruptionem, & animæ plenam conferat libertatem: ut sola inter mortuos liberè agat, educat vinctos de domo carceris, sedentes in tenebris, & in umbra mortis. Ponat anima sancta carnem immaculatam, sed resumendam tertia die, ut moriens mortem perimat, & vita omnium cum resurgente resurgat. Ita factum est, dilectissimi, & ita factum gaudeamus. Mors illa, mors mortua est, & regenerati sumus in spem vitæ per resurrectionem JESU Christi ex mortuis.

Christus voluntariè mortuus.

Jam quid futurum sit in unione tertia, quis loquetur? Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS diligentibus se. Consummatio erit illa cum tradiderit Christus regnum Deo & patri: & erunt duo non jam in carne una, sed in spiritu uno. Etenim si adhærens carni Verbum, factum est caro, multò magis qui adhæserit Deo, unus spiritus erit cum eo. Et in hac quidem unione, media humilitas exhibetur & humilitas magna nimis: in ea verò quam expectamus, ad quam suspiramus, perfecta nobis (si tamen nobis) reposita glorificatio est. Quod si meminimus in prima coniunctione qua ex anima & carne compactus est homo, charitatem commendari, merito humilitas eminet in secunda, quia sola virtus humilitatis est læsæ reparatio charitatis: Porrò quod unitur rationalis animæ creatura terreno corpori, omnino non est humilitati adscribere: siquidem non ex deliberatione propria carni miscetur, sed creando immittitur, immittendo creatur. Non sic sanè sumus ille spiritus, qui cum esset magis bonus, ipso beneplaciti sui arbitrio accessit ad corpus incoinquinatum. Merito denique charitatem & humilitatem sequitur glorificatio, quia sine charitate nihil prodesse potest. Et nemo, nisi qui se humiliat, exaltabitur [k].

i 1. Cor. 2. e

Tertia conjunctio fiet in glorificatione, eritque unio Hominis cum DEO.

k Luc. 14. d

IN NATALI DOMINI.

De Loco, Tempore, & aliis Circumstantiis Nativitatis.

Sermo III.

DUo quædam rerum genera, Fratres, in hac Nativitate Domini considero, non solùm diversa, sed & dissimilia valdè. Siquidem & Puer qui nascitur, Deus est: & Mater de qua nascitur, virgo est; & partus ipse sine dolore est. Fulget in tenebris lux nova de cœlo, gaudium magnum Angelus evangelizat. Laudat multitudo cœlestis militiæ, datur gloria Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Cum unt pastores, inveniunt, quod ad eos dictum est verbum, nunciant aliis: quicumque audiunt, admirantur. Hæc & his similia dilectissimi, divinæ virtutis sunt, non fragilitatis humanæ. Vasa sunt aurea & argentea, quibus pro tanta solemnitate in mensa Domini etiam egenis quibusque hodie ministratur. Non est nobis tollere ista, non nobis datur aureus discus aut scyphus, sed qui in eis est cibus & potus. *Diligenter considera*, ait Sapiens [a], *quæ tibi apponuntur*. Et ego quidem agnosco mea esse Nativitatis huius tempus & locum, infantilis corporis teneritudinem, parvuli vagitus & lachrymas, sed & ipsorum quibus primò annunciatur Nativitas Salvatoris, paupertatem pastorumque vigilias. Mea sunt hæc, pro me faciunt, mihi apponuntur, mihi proponuntur imitanda. Hyeme natus est, nocte natus est Christus. Nunquid credimus casu factum, ut in tanta aeris inclementia, & in tenebris nasceretur, cuius est hyems & æstas, dies & nox? Non eligunt parvuli cæteri quando nascantur, quippe quibus adhuc vix incipientibus vivere nullus subest rationis usus, nulla eligendi libertas, facultas nulla deliberandi. Christus, Fratres, etsi homo erat, erat tamen in principio apud Deum, & Deus erat eiusdem, cuius nunc est, sapientiæ & potestatis, ut pote Dei virtus, & Dei sapientia. Nasciturus itaque Dei filius (cuius in arbitrio erat quodcumq; vellet eligere tempus) elegit quod molestius est, præsertim parvulo, & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præsepe ad reclinandum. Et cum esset tanta necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Primus Adam pelliceis vestitur tunicis, pannis secundus obvolvitur. Non est tale judicium mundi. Aut iste fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est sapientiam. Meritò proinde & carnalis prudentia (mors siquidem & ipsa) inimica est Deo, & sæculi quoq; prudentia stultitia nominatur [b]. Quid enim? Christus utique qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum: & quisquis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cavendum. Jam

[a] Prov. 23. a *Ex circumstantiis Nativitatis morum documenta petita.*

Christus hyeme natus docet eligenda quæ carni molesta sunt.

[b] 1. Cor. 3. d

Jam verò etiam nocte voluit nasci: ubi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Christus elegit quod salubrius judicat, vos eligitis quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? Cuius judicium justius? Cuius sententia sanior? Denique tacet Christus, non se extollit, non magnificat, non prædicat, & ecce annunciat eum Angelus, laudat multitudo cœlestis exercitus. Et tu ergo qui Christum sequeris, inventum absconde thesaurum. Ama nesciri, laudet te os alienum, sileat tuum. Adhuc autem in stabulo nascitur Christus, & in præsepio reclinatur. Et nonne ipse est qui dicit [c]: *Meus est orbis terræ, & plenitudo eius?* Quid ergo stabulum elegit? Planè ut reprobet gloriam mundi, damnet sæculi vanitatem. Nec dum loquitur lingua, & quæcumque de eo sunt, clamant, prædicant, evangelizant. Ipsa quoque infantilia membra non silent. In omnibus mundi judicium arguitur, subvertitur, confutatur. Quis enim hominum, si daretur optio, non magis eligeret robustum corpus, & ætatem intelligibilem quam infantilem? O sapientia quæ de occultis traheris, ô verè incarnata & velata sapientia! Et tamen, fratres, ipse est promissus olim per Esaiam parvulus sciens reprobare malum, & eligere bonum [d]. Malum ergò voluptas corporis, bonum verò afflictio est. Siquidem & hanc eligit, & illam reprobat puer sapiens, verbum infans. Verbum enim caro factum est, caro infirma, caro infantilis, caro tenera, caro impotens omnis operis, omnis laboris impatiens.

Christus nocte natus docet ostentationem fugiendam.

c Psal. 49. b *Locus Nativitatis, stabulum, damnant mundi gloriam & vanitatem.*

* d Esa. 7. e

Et verè, Fratres, Verbum factum est caro, & sic habitavit in nobis. Dum esset in principio apud Deum, lucem habitabat inaccessibilem [e], & non erat qui caperet illud. Quis enim investigavit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit [f]? Carnalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei [g], sed jam capiat & carnalis, quia Verbum factum est caro. Si nihil præter carnem novit audire, ecce Verbum caro factum est; audiat illud vel in carne. O homo, [i] carne tibi exhibetur sapientia illa quondam occulta, ecce jam trahitur de occultis, & ipsis sese ingerit sensibus carnis tuæ. Carnaliter (ut jam dixerim) prædicatur tibi, fuge voluptatem: quia posita est mors secus introitum delectationis. Age pœnitentiam, quia per hanc appropinquat regnum Dei [h]. Hoc tibi prædicat stabulum istud, hoc præsepe clamat, hoc membra illa infantilia manifestè loquuntur, hoc lachrymæ & vagitus evangelizant. Plorat quippe Christus, sed nō sicut cæteri, aut certè nō quare cæteri solent. In aliis sensus, in Christo prævalebat affectus. Patiuntur illi, non agunt, ut pote nec ipsius adhuc usum voluntatis habentes. Illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Illi jugum grave quod est super omnes filios Adæ: CHRISTUS filiorum Adæ peccata deplorat; & certè pro quibus nunc

- 1. Tim. 6. d

f Esa. 40. d.
g 1. Cor. 2. d

h Matt. 3. a *Christi lacryma & vagitus docent fugam voluptatum, & delectationum carnalium.*

nunc lachrymas fundit, postea fundet & sanguinem. O duritia cordis mei! Utinam Domine sicut Verbum caro factum est, ita & cor meum carneum fiat. Si quidem & hoc pollicitus es per Prophetam; *Auferam*, inquit [i], *à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.*

[i] Ezech. 11. d

Fratres, lachrymæ Christi mihi & pudorem pariunt, & dolorem. Ludebam ego foris in platea, & in secreto regalis cubiculi, super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc unigenitus eius, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus, pedes, flens & ejulans, quòd morte damnatus esset servulus eius. Intueor illum subito procedentem, stupeo novitatem, causam percunctor & audio. Quid facturus sum? Adhuc ne ludam, & deludam lachrymas eius? Planè si insanus sum, & mentis inops, non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo. Ecce unde pudor. Dolor & timor unde: Utique quia ex consideratione remedii, periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam, sanus mihi videbar; & ecce mittitur Virginis Filius, Filius Dei Altissimi, & jubetur occidi; ut vulneribus meis precioso sanguinis balsamo medeatur. Agnosce, ô homo, quàm gravia sunt vulnera pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Pudet itaque, dilectissimi, propriam negligenter dissimulare passionem: cui tantam à maiestate tanta exhiberi video compassionem. Compatitur Filius Dei & plorat; homo patitur & ridebit? Sic & medicinæ æstimatio, & doloris mihi & timoris exaggeratio est.

Pudorẽ quoque, dolorem, & timorem, nobis incutiunt.

Christi labores & lachrymæ nobis quoque ad consolationem cedunt.

Verùm si diligenter observem præcepta medici, erit etiam consolationis occasio. Sicut enim gravem agnosco morbum, cui tanta apponitur medicina, sic & ex hoc ipso non incurabilem esse conjecto. Neque enim precios issimas species frustra insumeret medicus sapiens, imò sapientia ipsa. Porro frustra insumi constat non solùm si absque eis facilis esset curatio, sed multò magis, si & cum eis sit impossibilis. Animat itaque ad pœnitentiam, & accendit vehementius desiderium spes concepta. Sanè accedit ad consolationem ipsa quoque quæ pastoribus vigilantibus exhibita est visitatio & allocutio Angelorum. Væ vobis divites qui habetis consolationem vestram, ut jam non mereamini habere cœlestem. Quàm multi enim nobiles secundùm carnem, quàm multi potentes, quàm multi sapientes huius sæculi, hora illa in stratis mollibus quiescebant, & nemo eorum dignus habitus est novam videre lucem, scire magnum illud gaudium, Angelos audire cantantes, *Gloria in excelsis DEO*? Agnoscant igitur homines, quia qui in labore hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur. Agnoscant quàm placeat supernis civi-

Pastores vigilantes visitatione & alloquio Angelico digni habiti, divites & nobiles neglecti.

bus

bus labor, cuius spiritualis intentio est; quandoquidem & eos qui pro victu corporis, corporali urgente necessitate laborant, suo dignantur alloquio, & alloquio tam felici. Nimirum humanam in eis agnoscunt ordinationem, qua constituit Deus ut in sudore vultus sui vescatur Adam pane suo [k].

Adeò placent Angelis labor & vigiliæ.

k Gen. 3. d

Obsecro vos dilectissimi, considerate diligentiùs quantùm fecerit DEUS pro vestra exhortatione & salute, ne infructuosus inveniatur in vobis sermo tam vivus & efficax, sermo fidelis, & omni acceptione dignus, sermo non tam oris quàm operis. Putatis, Fratres, parum mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum quod nunc loquor ad vos, vacuum & sine aliqua utilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et quis sum ego, aut quis est hic sermo meus? Si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse doleret homo pusillus, imo & nihili: quàm justius indignabitur Dominus maiestatis, si tantam eius operam nostrâ aut duritiâ aut negligentiâ contingat evacuari? Avertat hoc à servulis suis, qui pro eorum salute induere dignatus est formam servi, unigenitus Dei Patris, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

Christi labores in hominis salute frustrari quàm molestum Deo.

IN NATALI DOMINI.
SERMO IV.

Et invenietis Infantem pannis involutum &c. Luc. 2.

AGnoscite, Fratres dilectissimi, quanta sit hodierna solemnitas: cui & dies brevis, & terræ angusta est latitudo, loco pariter & tempore dilatatur. Noctem præoccupat, cœlum replet ante quam terram. Nox enim ut dies illuminata est, cum intempestæ noctis hora pastores circumfulsit lux nova de cœlo. Et ut noveritis quo in loco solemnitatis huius cœperint gaudia celebrari quod jam Angelis erat, futurum omni populo gaudium evangelizatur: sed confestim adest divinis personans laudibus cœlestis exercitus multitudo. Hinc est quòd solennis ducitur nox ista præ cæteris, in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus: & his potissimùm in vigiliis sine ulla hæsitatione credendum est, cœlestes illos principes prævenire coniunctos psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum. Sed quam multa hodie gemmis & auro fulgent altaria, quanti ubique pallis parietes adornantur! Putes ad hæc divertent Angeli, & pannosos homines declinabunt? Si ita est, cur pastoribus ovium magis apparuere quam terræ regibus, quàm sacerdotibus templi? Cur & ipse Salvator, cuius est aurum pariter & argentum, sacram in corpore suo dedicat paupertatem? Aut certè, cur paupertas ipsa tam sollicitè enarratur ab Angelo? Neque enim sine certi ratione mysterii pannis Salvator obvolvitur,

Uti hic, sic & alibi perstringit nimium Templorum & altarium cultum. *vide Apolog. ad Guillel.*

Abb. Tom. IV. pag. 39. & Ibidem NOTAS.

volvitur, & ponitur in præsepio, quando id manifeste in signum nobis commendatur ab Angelo. *Hoc*, inquit [a], *vobis signum: Invenietis Infantem pannis involutum.* In signum positi sunt panni tui Domine JESU, sed in signum cui à multis usque hodie contradicitur. Multi quippe vocati, sed non multi electi, & ideo nec signati. Agnosco certè, agnosco JESUM magnum Sacerdotem sordidis opertum vestibus†, dum altercaretur cum diabolo. Scientibus scripturas loquor, & quibus non ignota est prophetica visio [b] Zachariæ. Ubi verò exaltatum est Caput nostrum super inimicos nostros, ex hoc planè mutavit vestem, decorem induit, amictus lumine sicut vestimento: exemplum dedit nobis, ut & nos eadē faciamus. Utilior siquidem in conflictu lorica ferrea, quàm stola linea, licet oneri sit illa, hæc honori. Erit cum & membra sequentur Caput, ut corpus jam universum uno psallat spiritu, & dicat [c]: Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.

a Luc. 2. b

† v. NOTAS.

b Zach. 3. c

c Psal. 29. c

Invenietis, inquit [d], *infantem pannis involutum, & positum in præsepio* [d]. Et post pauca: *Venerunt* (ait Evangelista) *festinantes, & invenerunt Mariam, & Ioseph, & Infantem positum in præsepio.* Quid est quod sola ab Angelo commendari videtur humilitas, nec tamen sola à pastoribus inveniri? Fortè specialiùs commendat Angelus humilitatem: quia tuentibus cæteris per superbiam, ipse in humilitate stetisset. Aut propterea certè cœlitus annunciatur humilitas, quòd hæc quasi propria virtus divinæ exhibenda sit maiestati. Sola tamen non potuit inveniri, quia semper gratia datur humilibus. Invenerunt ergo Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio. Sicut enim Salvatoris infantia manifestam prætendit humilitatem, sic per Virginem continentia, justitia per Joseph virum justum, cuius laus est in Evangelio, non incongruè designatur. Sanè continentiam deberi carni quis nesciat? Justitia verò virtus est quod suum est cuique tribuens, & hæc erga proximos est necessaria. Porrò humilitas Deo nos reconciliat, Deo facit esse subiectos, Deo placet in nobis, sicut ait Virgo beata: *Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ* [e]. Itaque qui fornicatur, peccat in corpus suum: qui iniuriosus est, in proximum: qui extollitur & inflatur, in Deum. Fornicator semetipsum dehonestat, iniuriosus molestat proximum: elatus quod in se est Deum inhonorat. *Gloriam meam*, Dominus ait [f], *alteri non dabo*: & superbus, Ego, inquit, mihi eam (licet non dederis) usurpabo. Nec enim placet ei Angelica distributio, dans *gloriam Deo, pacem hominibus.* Non ergo colit Deum, sed adversus eum extollitur impius planè & infidelis. Quæ est enim pietas, nisi cultus Dei? Quis verò Deum colit, nisi qui voluntatiè ei subiectus est, & sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, sic oculi cordis eius ad Dominum Deum suum?

d Luc. 2. b

Humilitas in Christo nato, Continentia in Virgine, Iustitia in Iosepho commendatur.

e Luc. 1. e

Superbus peccat in Deum.

f Esaiæ 42. b

Ut ergo

Ut ergo inveniatur in nobis semper Maria, & Joseph, & Infans positus in præsepio: sobriè & iustè & piè vivamus in hoc sæculo. Propter hoc enim apparuit gratia erudiens nos & per hoc quoque illius gloria apparebit. Sic enim habes [g]: *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & iustè & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei.* Apparuit in parvulo gratia ad eruditionem. Sed *hic erit magnus*, sicut de eo Gabriel locutus est [h]: & quos parvulus erudierit ad humilitatem cordis & mansuetudinem, magnificabit postmodum & glorificabit magnus & gloriosus adveniens Jesus Christus Dominus noster.

g Ad Tit. 2. e

h Luc. 1. d

IN NATALI DOMINI.

Sermo V.

Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra a.

a 2. Cor. 1. a

BEnedictus, qui propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, Filium suum dilectum, in quo ei bene complacuit, misit: per quem reconciliati pacem habemus ad eum, ut idem sit nobis reconciliationis huius & mediator & obses. Non est quod vereamur, Fratres mei, sub tam pio mediatore, non est quod de tam fido obside dubitemus. Sed qualis mediator est, inquies, qui in stabulo nascitur, in præsepio ponitur, pannis involvitur sicut cæteri, plorat ut cæteri: denique infans iacet ut cæteri consueverunt? magnus planè mediator est etiam in his omnibus, quæ ad pacem sunt, non perfunctoriè, sed efficaciter quærens. Infans quidem est, sed verbum infans, cuius ne ipsa quidem infantia tacet, *Consolamini, consolamini, dicit Dominus Deus vester* [b], dicit hoc Emanuel *vobiscum Deus*. Clamat hoc stabulum, clamat præsepe, clamant lachrymæ, clamant panni. Clamat stabulum curando sese homini qui in latrones inciderat [c], præparari. Clamat præsepe, eidem homini, qui jumentis comparatus fuerat [d], pabulum ministrari. Clamant lachrymæ, clamant panni eiusdem ipsius cruenta jam vulnera ablui & detergi. Siquidem nullo horum Christus eguit; nihil horum illi propter se, magis autem omnia propter electos. *Verebuntur filium meum*, ait Pater misericordiarum [e]. Verum id quidem Domine, reverentur eum: sed qui? Non planè Judæi, ad quod missus: sed electi propter quos missus.

Christum esse mediatorem testantur omnia.

b Esa. 47. a

c Luc. 10. f

d Psal. 48. c

e Matth. 21.

Reveremur eum nos in præsepio, reveremur in patibulo, reveremur in sepulchro. Devotè suscipimus tenerum propter nos, cruentum

Christus salvator à fidelibus undequaque reverendus.

propter nos, pallidum propter nos, sepultum propter nos reveremur. Devotè adoramus cum Magis, devotè amplectimur cum Simeone sancto infantiam Salvatoris, suscipientes misericordiam tuam in medio templi tui. Siquidem ipse est de quo legimus [f]: *Misericordia Domini ab æterno*, alioquin quid coæternum Patri, nisi Filius & Spiritus sanctus? Et uterque quidem non tam misericors, quàm ipsa verè misericordia, nihilominus etiam Pater misericordia est: atque hi tres non nisi una misericordia, sicut una essentia, una sapientia, una majestas. In eo tamen quod *Pater misericordiarum* dicitur Deus, quis non videat velut proprio nomine Filium designari? Et benè dicitur *Pater misericordiarum*, cui proprium est misereri semper & parcere.

[f] Psal. 102. c

Deus cur Pater misericordiarum dicatur qui non minus iustus est quam misericors.

Sed forte quis dicat: Quomodo illi proprium est misereri, cuius *judicia abyssus multa* [g]. Neque enim dicitur: Omnes viæ eius sola misericordia, sed, *misericordia & veritas* [h]. Non minùs justus quàm misericors est, cui misericordia & judicium decantatur [a]. Verum id quidem; cui vult miseretur, & quem vult [b] indurat; sed quod miseretur, proprium illi est, ex se enim sumit materiam, & velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod judicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, ut longè aliter de corde ipsius miseratio, quam animadversio procedere videatur. Ipsum audi dicentem [i]: *Nunquid voluntatis meæ est mors impii*, dicit Dominus, *& non magis ut convertatur & vivat?* Rectè igitur non pater judiciorum vel ultionum dicitur, sed *pater misericordiarum*: non modò quòd pater videatur misereri potius quàm indignari, & quemadmodum pater filiorum misereatur timentium se: sed eo magis quòd miserendi causam & originem sumat ex proprio, judicandi vel ulciscendi magis ex nostro.

[g] Psal. 35. b
[h] Psal. 24. b
[a] Psal. 110. a
[b] Rom. 9. b

Deus caussam seu materiam miserendi sumit ex seipso, puniendi ex nobis.

[i] Ezech. 18. g

Sed si propter hoc pater misericordiæ, quare pater misericordiarum? *Semel locutus est Deus* (ait Propheta) *duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Cæterum Apostolus nobis in uno verbo, in filio uno ipsam quoque misericordiam duplicem commendat [l], *patrem* dicens non unius tantùm misericordiæ, sed *misericordiarum*: *& Deum* non unius, sed *totius consolationis, qui consolatur nos* non modò in hac vel in illa, sed *in omni tribulatione. Misericordiæ Domini multæ*, ait quidam [m], videlicet quia multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Unus est Dei Filius, unum Verbum: sed miseria nostra multip[lex] non modò magnam misericordiam, sed & multitudinem quærit miserationum. Forte tamen propter substantiam duplicem qua subsistit humana conditio, cum sit utraque tam misera, non incongruè duplex hominum dicatur esse miseria, licet sit multiplex

[k] Psal. 91. c

Quare pater non tam misericordiæ quam misericordiarum.

[l] 2. Cor. 1. a

[m] Thren. 3. c

Duplex hominis Miseria: utrique succurrit duplex Dei misericordia.

in

in utraque. Si quidem & corporis & cordis noſtri tribulationes multiplicatæ ſunt, ſed ab utriſque neceſſitatibus eruit, qui totum hominem ſalvum facit. Cum ergo unus ille & unicus Dei Filius, & jam nunc venerit propter animas, tollere ſcilicet peccata mundi, & ſecundò propter corpora ſit venturus, ut ea reſuſcitet, & configuret corpori claritatis ſuæ: non incongruum fortaſſe videbitur, ut in eo quòd *patrem miſericordiarum* benedicimus, duplicem hanc miſericordiam confiteamur. Suſcipiens enim humanæ naturæ corpus ſimul & animam, non modò ſemel *conſolamini*, ſed (ut ſupra quoque meminimus) *conſolamini, conſolamini, dicit Dominus Deus veſter* [a]: ut videlicet certi ſimus quod utrumque ſit ſalvaturus, qui neutrum ſuſcipere eſt dedignatus. a Eſai. 40, 2

Sed in quibus putas? Planè in populo ſuo. *Ipſe enim* & nunc *ſalvum faciet*, non quoſcunque, ſed *populum ſuum à peccatis eorum*, & poſtmodum non omne corpus, ſed corpus humilitatis configurabit corpori claritatis ſuæ. Denique populum ſuum conſolatur, utique populum humilem, quem ſalvum faciet, nam oculos ſuperborum humiliabit. Vis noſſe populum eius? *Tibi derelictus eſt pauper*, ait homo ſecundum cor Dei [n]. Sed & ipſe in Evangelio. *Væ vobis*, inquit [o], *divites qui habetis conſolationem veſtram.* Utinam nos dilectiſſimi in eo populo inveniri ſemper optemus, non cui dicit væ, ſed quem conſolatur Dominus Deus ſuus. Quis enim conſoletur eos qui ſuam habent conſolationem? Non conſolatur Chriſti infantia garrulos, non conſolantur Chriſti lachrymæ cachinnantes, non conſolantur panni eius ambulantes in ſtolis, non conſolantur præſepe & ſtabulum amantes primas cathedras in ſynagogis: ſed æquanimiter fortè univerſam hanc conſolationem expectantibus in ſilentio Dominum, lugentibus, pannoſis pauperibus cedere videbuntur. Cæterum audiant quòd & ipſi quoque Angeli non alios conſolantur. Vigilantibus enim paſtoribus & cuſtodientibus vigilias noctis evangelizatur gaudium novæ lucis, & eis natus dicitur eſſe Salvator. Pauperibus atque laborantibus, non vobis divitibus (qui veſtram habetis conſolationem, & væ divinum) inter ipſas vigilias noctis dies ſanctificatus illuxit, & nox ſicut dies illuminata, imò in diem mutata eſt, dicente Angelo: *Quia natus eſt vobis Salvator*, hodie utique, non in hac nocte. Siquidem nox præceſſit, dies autem appropinquavit, verus utique dies, ſalutare Dei Jesus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula, Amen. n Pſal. 9. 8 o Luc. 6. 24 *Populus Ieſus quis ſit.* *Conſolationes Chriſti ad quos pertineant.* Luc. 1.

IN NATALI SANCTORUM INNOCENTIUM,

De quatuor continuis solemnitatibus; scilicet Nativitatis Domini, ac SS. Stephani, Ioannis, & Innocentium.

SERMO UNICUS.

[a] Psal. 117.d *Christus omnis sanctitatis fons.*

Christi natale triplex solemnitas sequitur, & cur.

Triplex genus sanctitatis & martyrii.

[a] Matt. 20.c
[b] Ioan. 21.g

[c] Ibid.

Innocentes veros Christi martyres censendos esse docet, etsi propria voluntate non susceperint martyrium.

Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus, Dominus, & illuxit nobis [a]: Benedictum nomen gloriæ eius quod est sanctum. Neque enim otiosè venit, quod ex Maria natum est sanctum, sed copiosè diffundit & nomen & gratiam sanctitatis. Nimirum inde Stephanus sanctus, inde Joannes sanctus, inde sancti etiam Innocentes. Utili proinde dispensatione triplex ista solemnitas Natale Domini comitatur, ut non modò inter continuas solemnitates devotio continua perseveret, sed & fructus Dominicæ Nativitatis exinde nobis velut ex quadam prosecutione evidentiùs innotescat. Siquidem advertere est in his tribus solemnitatibus triplicem quandam speciem sanctitatis, nec facilè præter hæc tria sanctorum genera, quartum aliud posse arbitror in hominibus reperiri. Habemus in Beato Stephano martyrii simul & opus & voluntatem, habemus solam voluntatem in beato Joanne, solum in beatis Innocentibus opus. Biberunt omnes hi calicem salutis, aut corpore simul & spiritu, aut solo spiritu, aut corpore solo. *Calicem quidem meum bibetis*, ait Dominus Jacobo & Joanni [a]: nec dubium quin de passionis calice loqueretur. Demum cum Petro diceret: *Sequere me* [b], evidenter eum ad imitationem suæ provocans passionis; *conversus ille vidit discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem*, non tam gressu corporis, quàm promptæ devotionis affectu. Et bibit ergo Joannes calicem salutaris, & secutus est Dominum sicut Petrus etsi non omnimodo sicut Petrus. Quod enim sic mansit, ut non etiam passione corporea Dominum sequeretur, divini fuit consilii, sicut ipse ait: [c] *sic eum volo manere donec veniam.* Ac si dicat. Vult quidem & ipse sequi, sed ego sic eum volo manere.

An verò de Innocentium coronis quis dubitet? ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptionis filios numerari. Alioquin quando coævos sibi pueros, puer, ille qui natus est nobis, non contra nos, propter se pateretur occidi? quod utique solo nutu poterat prohibere, nisi melius aquid eis provideret, ut quemadmodum cæteris infantibus tunc quidem circumcisio, nunc verò baptismus sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem, sic nihilominus pro eo susceptum martyrium illis

illis sufficeret ad sanctitatem. Si quæris eorum apud Deum merita, ut coronarentur, quære & apud Herodem crimina ut trucidarentur. An fortè minor Christi pietas, quàm Herodis impietas, ut ille quidem potuerit innoxios neci dare, Christus non potuerit propter se occisos coronare: Sit ergo Stephanus martyr apud homines, cuius voluntaria passio evidenter apparuit in eo vel maximè, quòd in ipso mortis articulo tam pro persequentibus, quam pro seipso sollicitudinem gereret ampliorem, vinceretque in eo sensum corporeæ passionis internæ compassionis affectus, ut illorum magis scelera, quàm sua vulnera plangeret. Sit Joannes apud Angelos martyr, quibus tanquam spiritualibus creaturis spiritualia devotionis eius signa certiùs innotuerunt. Cæterum hi sunt planè martyres tui Deus: ut in quibus nec homo nec Angelus meritum invenit, singularis tuæ prærogativa gratiæ evidentiùs commendetur. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. [d] *Gloria in excelsis Deo*, Angeli dicunt, & *in terra pax hominibus bonæ voluntatis* [e]. Magna quidem, sed audeo dicere, necdum perfecta laus, donec veniat qui dicat [f], *Sinite parvulos ad me venire, quia talium est regnum cœlorum*: & pax hominibus, etiam sine voluntatis usu in sacramento pietatis.

d Psal. 8. a
e Luc. 2. b
f Matt. 19. b

Considerent hæc, qui de opere & voluntate contentiosis solent disputationibus corrixari: considerent & advertant neutrum negligi oportere, ubi non videtur deesse facultas, præsertim cum utrumque sine altero (ubi tamen facultas deest) non modò salutem conferre possit, sed etiam sanctitatem. Sed & hoc quoque firmiter teneant, prodesse quidem opus sine voluntate, non tamen contra voluntatem: ut unde salvantur infantes, inde magis damnentur ficte accedentes. Nihilominùs sanè in quibusdam voluntas sine opere sufficiens est, non autem econtra opus. Verbi causa, Rapitur quis in bona quidem voluntate, sed necdum perfecta, necdum idonea martyrium sustinere: quis illi audeat pro hac imperfectione negare salutem? Fortè enim propterea non sinitur in illam gravem tentationem venire, ne deficiat & damnetur. Nimirum si in hac tam infirma voluntate induceretur in eam quæ supra ipsum est tentationē, ne voluntas roboraretur, quis illum dubitet defecturum, negaturum, & si in eo mori contigerit, etiam periturum [g]? *Quis enim erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego eum*, ait Dominus, *coram Angelis Dei*. In ea igitur imperfecta voluntate, in qua salvatur quis ubi deest facultas operis, jam non salvari posset propter defectum operis, vel opus defectionis. Idem verò & in ignorantia posset accidere. Æmulemur proinde charitatem, & sectemur bona opera, fratres mei, nec infirmitatis, nec ignorantiæ peccata ullo modo parvipendentes.

Quid de coniunctione boni operis, & bonæ voluntatis sentiendum.

Bonum opus sine voluntate, & bona voluntas sine opere, quando prosint.

g Luc. 9. d

tes. Magis autem sollicíti & timorati, agamus gratias benignissimo & largissimo Salvatori, qui humanæ salutis occasiones tam copiosa charitate perquirit, ut in his voluntatem & opus, in his sine opere voluntatem, in his etiam sine voluntate opus salutis invenire lætetur, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem sui venire. Hæc est enim vita æterna [b], ut cognoscamus patrem verum Deum, & quem misit JESUM Christum, qui unus cum eo verus est Deus super omnia benedictus in sæcula. AMEN.

Larga Dei bonitas in quærenda hominis salute.

b Ioan. 17.a

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

SERMO I.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen eius Iesus a.

a Luc. 2.c

AUdivimus paucis expressum magnum pietatis Sacramentum. Audivimus congruam lectionem Verbo abbreviato, quod fecit Dominus super terram. Abbreviatum enim in carne, ampliùs abbreviatur susceptа etiam carnis circumcisione. Minoratus paulominus ab Angelis Dei filius humanam naturam induit, sed jam nec ipsum respuens remedium humanæ corruptionis, plane multo minoratus ab eis. Habes igitur hîc magnum fidei documentum; habes & manifestum humilitatis exemplum. Ad quid enim tibi circumcisio necessaria, qui peccatum non commisisti, nec contraxisti? Quod ipse non feceris, ætas manifestat: quod non contraxeris, multo certius probat Patris divinitas integritas Matris. Summus Sacerdos es, quem nec super patre nec super matre contaminandum, prophetatum est in lege [b], potiùs quàm mandatum. Est enim tibi Pater ab æterno, sed Deus est, in quem peccatum non cadit. Est & Mater ex tempore, sed virgo, nec parere potuit incorruptio corruptelam. Super hæc omnia circunciditur Puer, Agnus sine macula. Et si non eguit, tamen voluit circumcidi. Nec vestigium quidem ullum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non sic impii, non sic, non sic agit perversitas elationis humanæ. Erubescimus vulnerum ligaturam qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium & verecundum pariter & austerum sine ulla necessitate suscepit, nec repulit cultrum lapideum, in quo solo vetus illa quæ raderetur rubigo non fuit. Nos è contra inverecundi ad obscœnitatem culpæ, erubescimus agere pœnitentiam: quod extremæ dementiæ est; malè proni in vulnera, peiùs in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari; nos & esse volumus, & nolumus æstimari. Itáne sano opus est medicina-

b Levit. 21.b

Christi humilitas omni peccato carentis & peccatoris cauteriũ non detrectantis.

Præposterus hominum pudor, & superbia, qui non erubescunt peccare, sed pœnitere.

medicina, & non potiùs male habentibus? Imo verò itáne eget medicamine non æger, ſed medicus? Quis hominum tantæ ſibi non dicam gloriæ, ſed vel innocentiæ conſcius, æquanimiter circuncidentis manum admitteret? Chriſtus verò patienter quæ non rapuit exolvit, qui venerat purgationem facere (non ſuſcipere) delictorum.

Sed dicas: quid ni ſuſciperet parvulus? Imò verò, quidni ſuſciperet humilis & manſuetus? Quidni obmuteſceret coram circuncidente, qui coram tondente obmutuit, coram crucifigente ſiluit? Alioquin nonerat illi difficile carnem ſuam integram conſervare ne ſcinderetur, qui fecerat ne virginalis uteri porta in exitu ſuo aperiretur. Non erat difficile parvulo prohibere ne caro illa circuncideretur, quando nec mortuo fuit difficile cuſtodire ne corrumperetur. *Poſtquam* ergo *conſummati ſunt dies octo ut circuncideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Magnum & mirabile Sacramentum. Circunciditur puer, & vocatur *Ieſus*. Quid ſibi vult iſta connexio? Circunciſio nempe magis ſalvandi, quàm Salvatoris eſſe videtur, & Salvatorem circuncidere decet quàm circuncidi: Sed agnoſce mediatorem Dei & hominum, qui ab ipſo nativitatis ſuæ exordio divinis humana ſociat, ima ſummis. Naſcitur ex muliere, ſed cui fœcunditatis fructus ſic accedat, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur, ſed panni ipſi Angelicis laudibus honorantur. Abſconditur in præſepio, ſed proditur radiante ſtella de cœlo Sic & circunciſio veritatem ſuſceptæ probat humanitatis, & nomen quod eſt ſuper omne nomen, gloriam indicat maieſtatis. Circunciditur tanquam verus Abrahæ filius: JESUS vocatur tanquam filius Dei. Neque enim ad inſtar priorum meus iſte Jeſus, nomen vacuum aut inane portat. Non eſt in eo magni nominis umbra, ſed veritas. Cœlitus ſiquidem inditum nomen Evangeliſta teſtatur: *quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in utero conciperetur.* Et attende verbi profunditatem. Poſtquam natus eſt JESUS, JESUS vocatur ab hominibus, qui vocatus eſt ab Angelo priuſquam in utero conciperetur. Idem quippe & Angeli Salvator & hominis: ſed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.

Chriſti circunciſio veritatem ſuſceptæ humanitatis probat.

Vocatum (ait) *nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo.* In ore ergo duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum: & ipſum quod in Propheta abbreviatum, manifeſtius in Evangelio legitur caro factum. Nos, Fratres mei, nos reſpicit hæc parabola. Chriſtus enim nec Angelico eguit teſtimonio, nec humano, ſed ut ſcriptum eſt [c], omnia propter electos. Triplex proinde quærendum nobis ſalutis propriæ teſtimonium, ne forte videamur aſſumpſiſſe nomen DEI noſtri in vanum. Et nos enim, fratres, circuncidi neceſſe eſt, & ſic nomen ſalutis accipere:

[c] 2. Tim. 2. b

circuncidi sanè non litera, sed spiritu & veritate? circuncidi non uno membro sed toto corpore simul. Licet enim magis in ea parte in qua mandata est Judæis circuncisio, regnet additamentum Leviathan, quod à malo est, & amputari debet, universam tamen occupat carnem. A planta pedis usque ad verticem non est in nobis sanitas, nec est aliqua pars, quæ non tabida sit hoc veneno. Propterea sicut parvulus adhuc in fide & dilectione populus congruum sibi mandatum exiguæ circuncisionis accepit, sic ubi crevit in virum perfectiorem, toto jubetur corpore baptizari, quæ totius est hominis integra circuncisio. Hinc est quod Salvator noster & circuncidi octavo die, & post annum triceſimum dignatus est crucifigi, ubi in pœnam corpus omne distensum est: cujus similitudini mortis complantamur & nos, ut scribit Apostolus [d], nimirum quod novissimè traditum est observantes.

d Rom. 6

Quæ est ergo moralis circuncisio nostra, nisi quam commendat idem Apostolus, *Victum*, inquiens [e], *& vestitum habentes, his contenti simus*? Optimè prorsus circuncidit nos & superflua resecat universa, voluntaria paupertas, pœnitentiæ labor, regularis observatio disciplinæ. Cæterum in hac circuncisione triplex nobis quærendum est salutis nostræ testimonium, ab Angelo & Maria & Joseph. Oportet, inquam, ut ante omnia nobis magni consilii Angelus salutis nomen imponat. Dehinc & ipsius quoque congregationis necessaria est attestatio, quæ tanquam mater est singulorum. Mater, inquam, virgo tanquam ea quam despondit Apostolus [f] uni viro virginem castam exhibere Christo. Sed nec ipsius ministri contemnendum est testimonium ei qui imitari quærit Salvatoris exemplum. Hic est Joseph, locum quidem obtinens sponsi; re autem vera servus & dispensator; qui sanè pater vocatur, magis autem nutritius est.

e 1. Tim. 6. d

Triplex nostræ salutis testimonium, à conscientia, ab Ecclesia, à Prælato.

f 2. Cor. 11. b

Sed dico eadem manifestiùs. Et ab his qui foris sunt, fratres mei, & ab eo qui intus est, habere oportet testimonium bonum. Cujus enim omnibus grata, nemini onerosa est conversatio, huic sine dubio propria de salute universa fratrum congregatio attestatur. Frustra planè super his duntaxat quæ sunt in manifesto, nequissimus ille fratrum accusator trahit in causam, quem excusat universitas fratrum. Habet & à Prælatis testimonium quisquis & peccata sæcularis vitæ, & hujus quoque temporis negligentias (quoniam in multis offendimus omnes [g], nisi forte sanctiores nos arbitramur Discipulo [h], quem dilexit Jesus) humili eis & pura confessione judicanda semper exponit, & eorum satisfacere studet arbitrio. Jam ne in his quidem pessimi illius timenda est accusatio, quoniam non judicabit Dominus bis in idipsum. At fortè criminari

g Jacob. 3. b

h 1. Joan. 1. *Si dixer. quia pec. non habem. ipsi nos seduc. & veritas in nobis non est.*

nari volet intentionem, & in ea parte calumniam struere machinabitur, in quo nec fratrum, nec ipsius patris testimonium satis efficax videatur. Necesse est ergò ut in hac parte opituletur nobis testis internus, qui magis cor quàm faciem intuetur. A quo sanè & incipiendum est, ut non prius quicquam concipiatur in animo, quàm ab eo salutis nomen acceperit. Ubi verò in opus processerit manifestum, expedit jam exteriora quoque sibi testimonia conciliare, sicut ait Apostolus [i]: *Providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* i 2. Cor. 8. c

---

IN CIRCUNCISIONE DOMINI,

De variis eius Nominibus.

Sermo II.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circuncideretur Puer, vocatum est nomen eius Iesus [a]. Ab initio Deus modum acceptat, & nihil unquam immoderatum illi placuit æquitati. Hinc fuit, quòd non modo in pondere & mensura & numero condidit universa, sed & protinus ipsi homini modum præscripsit, mandatum contulit dicens [b]: *Ex omni ligno Paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Levissimum planè mandatum, & larga omnino mensura. Sed transgressus est homo præscriptum sibi modum, & constitutum sibi terminum prætergressus. Unde & avertens ab eo faciem suam Deus, vix tandem in diebus Abrahæ amici sui placabilis fieri incipiens, rursus modum instituit, promulgavit legem, sed non priori similem usquequaque. Ea siquidem ad cautelam fuerat, hæc ad medelam. Ibi prohibitio facta, ne superfluitas subintraret: hic jam indicta abscissio est, ut sacramenti remedio, quæ subintraverat, tollererur. Postremò illa quidem in arbore data est lex, ne fructu eius vesceretur, hæc in proprio corpore, ut caro præputii scinderetur. Nec dubium sanè quin cætera quoque humani corporis membra additamentum illud Leviathan occuparet venenum scilicet concupiscentiæ, & immoderatæ atque inordinatæ illecebra voluptatis, ut generalis quædam abscissio omnibus necessaria videretur.

a Luc. 2. b

b Genes. 3. b

De præcepto circumcisionis antiquæ.

Cæterum quia singulorum membrorum abscissionem humanæ carnis fragilitas, & infantilis ætatis infirmitas nullatenus sustineret, pio moderamine dispositio superna provident, ut in ea potissimum parte concupiscentia castigaretur, in qua vehementiùs eam sævire constabat, & violentiùs malignari. In omni siquidem contradicentium spiritui rebellione membrorum, solum illud usque adeò contumax invenitur, ut contra omnem voluntatis deliberationem ad inhonestos & illicitos motus assurgat. Nam quòd hæc circumcisio octava die fiebat, spem commendabat

Rebellio & concupiscentia ubi potissimum dominetur.

regni cœlestis, quod videlicet ad primum reflexus dierum circulus præferre quandam coronæ speciem videretur. Hinc est quòd octava potissimùm dies post solemnitates præcipuas celebratur, & in Sermone Domini [c], primæ beatitudini copulatur octava, ut cœlestis regni demum iterata promissio, evidenter nobis coronam fabricet.

[c] Matt. 5.

Meritò Christus circumcisus vocatur Salvator.

Meritò sanè dum circunciditur Puer qui natus est nobis, *Salvator* vocatur, quòd videlicet ex hoc iam cœperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. Neque enim jam quærere est Christianis, cur voluerit Dominus Christus circuncidi: propter hoc siquidem circunciſus est, propter quod natus, propter quod passus.

Circumcisionis Christi ratio.

Nihil horum propter se, sed omnia propter electos. Nec in peccato genitus, nec à peccato circunciſus, nec mortuus est pro peccato suo, magis autem propter delicta nostra. *Quod vocatum est*, inquit, *ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.* Vocatum planè, non impositum, nempe hoc ei nomen est ab æterno. A natura propria habet, ut sit *Salvator*: innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana vel Angelica creatura.

Cur Isaias varia Christi nomina commemorans, non meminit nominis Iesu.

Sed quid dicimus, quod egregius ille Propheta hunc ipsum puerum multis nominibus appellandum fore prædicens, hoc unum tacuisse videtur, quod solum (ut præmonuit Angelus, & testatur Evangelista [c]) *vocatum est nomen eius? Exultavit Esaias, ut videret diem hunc; & vidit, & gavisus est.* Denique & loquebatur gratulabundus & laudans Deum [d], *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus eius super humerum eius: & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Magna quidem nomina. Sed ubi est nomen, quod est super omne nomen, nomen *Iesu*, in quo omne genu flectatur: Fortè in his omnibus unum illud invenies, sed expressum quodammodo & effusum. Nempe ipsum de quo sponsa in Cantico amoris: *Oleum*, inquit [e], *effusum nomen tuum.*

[c] Luc. 2.
[d] Esa. 9. d
[e] Cant. 1. b

Pia & elegans expositio nominum Christi, quæ Isaias proponit.

Habes ergo unum ex his omnibus appellationibus Jesum: nec omnino aut vocari posset, aut esse Salvator, si fortè quippiam horum defuisset. Nunquid non verè *admirabilem* eum singuli sumus experti, in mutatione utique voluntatum nostrarum? Hoc nempe est salvationis nostræ principium, cum incipimus respuere quod diligebamus, dolere unde lætabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis planè, qui hæc operatur mirabilia. Sed nihilominus & *consiliarium* sese exhibeat necesse est in electione pœnitentiæ, & vitæ ordinatione: ne fortè sit nobis absque scientia zelus, & voluntati bonæ prudentia desit. Sanè opus est ut Deum quoque probemus in remissione videlicet priorum delictorum, quia nec sine hac

salus

ſalus nobis conſtare poteſt: & nemo poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus. Verum ne id quidem ſufficit ad ſalutem: niſi *fortem* quoque experiamur in expugnando impugnantes nos, ne ab eiſdem rurſum concupiſcentiis ſuperemur, & fiant noviſſima noſtra peiora prioribus. Videtúrne jam aliquid deeſſe Salvatori? Planè deeſſet quod maximum eſt, niſi & *Pater eſſet futuri ſæculi*, ut per eum ſcilicet in immortalitatem reſurgeremus, qui per præſentis ſæculi Patrem generamur ad mortem. Neque hoc ſatis, ſi non etiam *Princeps pacis* Patri nos reconciliaret, cuius traditurus eſt regnum, ne fortè ſicut filii perditionis utique non ſalutis reſurrecturi videremur ad pœnam. Multiplicabitur ſanè eius Imperium, ut meritò Salvator dicatur etiam pro multitudine ſalvandorum: & pacis non erit finis, ut veram noveris eſſe ſalutẽ, quæ non poſſit timere defectũ.

IN CIRCUNCISIONE DOMINI,

De die octavo.

Sermo III.

IN Circunciſione Domini, Fratres, habemus quod amemus & admiremur: habemus etiam quod imitemur. Patet in ea magnum dignationis beneficium, unde gratiam agamus: latet aliquid clauſum, quod in nobis implere debeamus. Venit namq; Dominus propter nos non ſolùm redimendos ſanguinis effuſione, ſed & docendos verbis, & exemplis nihilominus inſtruendos. Sicut enim penitus erat inutile viam ſcire; ſi detineremur in carcere: ita redimi non prodeſſet, ſi viæ ignaros qui primus inveniret, primus reduceret in carcerem retrudendos. Itaque in maiore quidem ætate, patientiæ & humilitatis, & ſuper omnia charitatis cæterarumq; virtutum manifeſta dedit Salvator exempla; in infantia verò figuris velata.

Sed antèquam ad hæc diſcutienda veniamus, delectat aliquid prius de tanta & tam manifeſta dignatione loqui. Habent Angeli gloriam puram & perfectam: ſed nec nos erimus ſine gloria. Videmus glòriam eius, gloriam quaſi unigeniti à Patre, gloriam miſericordiæ, & affectus verè paterni: gloriam procedentis ex corde Patris, & paterna planè viſcera exhibentis. *Omnes* enim *peccáverunt*, ait Apoſtolus [a], *& egent gloria Dei*. Et alio loco: *Mihi*, inquit [b], *abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Quid enim nobis glorioſius, quàm quòd tanti æſtimavit nos DEUS? Quæve maior illi gloria, quàm tanta dignatio & tanta benignitas: eo utique dulciſſima, quo tam gratuita? Nam pro impiis mortuus eſt. Videtis quantum fecit, & pro qualibus. Pro qualibus, ut non ſuperbiamus: quantum, ne deſperemus. Propterea ut inveniamini non ſpiritum habere huius mundi, ſed Spiritum qui ex DEO eſt,

a Rom. 3. c
b Gal. 6. d
Gloria hominis eſt, tanti æſtimatum eſſe à Deo.

& scìatis quæ à Deo data sunt vobis : nolite obsecro fieri, sicut equus &
e Psal. 72. d mulus, sed sicut pium iumentum, quod bit [e] : *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Talia enim iumenta cognoscunt possessorem suum, & præsepe Domini sui : in quo positum est eis piissimum fœnum, ipse qui panis est Angelorum. Ipse enim est panis unius, de quo vivere debuit homo : sed quia homo jumentum factus est, & panis factus est fœnum, ut vel sic vivat de eo.

Et huius quidem mutationis Sacramentum die Nativitatis celebra-
f Esa. 40. b tum est, quando *Verbum caro factum est*, cum sit omnis caro fœnum [f]. Ipsa ergo die minoratus est ab Angelis, & habitu inventus ut homo : hodiè verò mirabilius aliquid audio. Jam minoratus est multo minùs Angelis, qui non solùm formam hominis, sed formam habet peccatoris, & infigitur velut quodam cauterio latronis. Quid est enim circumcisio, nisi superfluitatis & peccati indicium ? In te Domine Jesu quid est superfluum quod circuncidatur? Nonne tu verus Deus es de Deo Patre, Homo verus sine omni peccato de Virgine Matre ? Quid facitis circuncidentes
g Genes. 17. b eum? Putatis quia super eum possit cadere illa sententia [g] : *Masculus cuius præputii caro circuncisa non fuerit, peribit anima ipsius de populo suo* ? Potest obilvisci Pater Filii uteri sui ? Aut non cognosceret eum, nisi signum circumcisionis haberet ? Imo verò si quo modo posset non agnoscere Filium, in quo ei bene complacuit, ex hoc maximè signo poterat ignorare eum, inventa in eo circumcisione, quam peccatoribus ipse providerat, ob purgationem utique delictorum. Sed quid mirum si caput pro membris accepit curationem, quam tamen in seipso non habuit necessariam? Nonne & in membris nostris sæpè pro unius infirmitate alteri adhibetur curatio? Dolet caput, & in brachio fit coctura : dolent renes, & fit in tibia. Ita hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum est in capite.

Christus ut caput nostrum pro membris circumcisionem, velut medicinam suscepit.

Denique quid mirum, si pro nobis dignatus est circuncidi, pro quibus dignatus est mori? Totus siquidem mihi datus, & totus in meos usus expensus est. Ego enim audiens, quia transit ante carcerem Filius magni regis, cœpi altiùs gemere, & mirabiliùs exclamare dicens, Fili Dei miserere mei. At ille sicut benignissimus, Quisnam est, inquit, ille fletus & ululatus quem audio? Et dicunt ei, ipse est Adam proditor ille, quem Pater vester trudi fecit in carcerem, donec cogitet quibus illum suppliciis faciat interire. Quid ageret, cuius natura bonitas, cui pròprium est misereri semper & parcere ? Descendit in carcerem, venit ut educat vinctum de domo carceris. Judæi verò non immemores odii quo oderant pa-
h Ioan. 15. d trem, exercent illud in Filium, unde & ipse ait [h] : *Quia oderunt me, &*

Sermo Parabolicus ad commendandam Dei misericordiam.

Patrem

Patrem meum. Quid ergo feceruut impii quibus gravis erat etiam ad videndum? *Hic eſt*, inquiunt [g], *hæres: venite, occidamus eum.* Si ergo occiderunt Agnum Dei: in ſuam quidem perniciem, ſed in ſalutem noſtram. Ille enim ſanguinem Agni fuderunt, nos acceſſimus, & bibimus illum. Accepimus calicem ſalutaris: & calix noſter inebrians quam præclarus eſt! Ecce unde gratias agamus. Nam ante paucos dies celebravimus adventum eius in carcerem huius mundi, id eſt, diem Natalis: hodie verò celebramus quod catenas & vincula noſtra ſuſcepit. Hodie enim qui peccatum non fecit, ut reos abſolveret, innoxias manus eorum catenis inſeruit: hodie ſub lege factus eſt, qui legem dedit.

g Matt. 21.d

Qualis hodierna feſtivitas.

Sed dicendum eſt iam quid in hac circunciſione nobis ſpiritualiter indicetur agendum. Neque enim ſine cauſa in lege præceptum, nec ſine cauſa completum eſt in Domino, ut octava die fieret circunciſio. Sed quis cognovit ſenſum Domini [i], aut quis Conſiliarius eius fuit? Adſit nunc veſtris deſideriis Advocatus Spiritus, qui ſcrutetur alta Dei, & ediſſerat vobis ſacramentum iſtud octavæ diei. Non ignoramus iam oportere hominem naſci denuò: nam propter hoc ſecundo natus eſt Dei filius. In peccatis ſiquidem naſcimur omnes, neceſſe habemus renaſci in gratia, quam in Baptiſmate quidem percepimus: ſed heu totum periit in ſæculari vita! Nunc primùm miſerante Deo virtus gratiæ in nobis operatur, ut in novitate vitæ ambulemus. Ergo naſcitur homo, quando Sol juſtitiæ ortus in animo, peccatorum illuminat tenebras, horrendúmque Dei iudicium internis obtutibus offert: addens ad terroris vinculum brevem dierum numerum, & finem incertum. Hæc planè veſpera eſt, ad quam demorabitur fletus: neceſſe eſt addi matutini lætitiam, ut auditam faciat nobis miſericordiam ſuam. Sic enim fit veſpere & manè dies unus. Eſt autem *dies* iſta *juſtitiæ*, reddens unicuique quod ſuum eſt, nobis miſeriam, miſericordiam Deo. In hac die Puer naſcitur, quando ex his quæ diximus, ad amorem pœnitentiæ, & odium peccati animus excitatur.

b Gen. 17.b

Quid nos doceat circumciſio.

i Rom. 11.d

Octo dies myſtici tranſigendi ante perfectam noſtri circunciſionem, & ſalutaris nominis adeptionem.

1. *Dies* Iuſtitiæ.

Sed periculoſum eſt, ſi forte velit inter ſæculi turbas agere pœnitentiam: ubi nimirum alii venenatis perſuaſionibus, alii undique exemplis peioribus ad peccatum alliciant: alii adulationibus in vanam gloriam, alii detractionibus in impatientiam animum eius dejiciant. Procedat iam neceſſe eſt *prudentiæ* radius. Oſtendat quantas & quàm importunas præſertim in hac generatione nequam opportunitates & occaſiones peccati offerat mundus & ingerat, quàm debilis ſit ad illas humanus animus, maximè qui in peccati conſuetudine ſit nutritus. In hac ergo die prudentiæ eligat de præſenti ſæculo nequam fugere, dicens cum Propheta:

2. *Dies* Prudentiæ.

i Psal. 25. d

pheta [i] : *Odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo* ! Sed nondum sufficit hoc. Fortè enim vult eligere solitudinem, non satisattendens propriam infirmitatem, & periculosam diaboli luctam. Quid enim periculosius quàm solum luctari contra antiqui hostis versutias, à quo videatur, & quem videre non possit ? Itaque iam habet necessariam *fortitudinis diem*, ut noverit custodiendum ad Dominum fortitudinem suam : & aciem multorum pariter pugnantium esse quærendam : ubi tot sunt auxiliarii, quot socii : & tales qui dicere possint cum Apostolo [k] : *Quia non ignoramus astutias inimici.* Congregatio enim pro fortitudine sua terribilis est, ut castrorum acies ordinata. Væ autem soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem [a]. Quod si cuiquam ex antiquis Patribus gratiam hanc concessam audivimus, non expedit temerè se committere huic periculo, nec oportet tentare Deum, sicut & Magister noster de Anachoretis loquens† : *Qui non*, inquit, *conversionis fervore novitio, &c.* Itaque in hac fortitudinis die ad id quod jam cœperat, id est, *Odivi Ecclesiam malignantium*, etiam addit quod sequitur [l] : *Lavabo inter innocentes manus meas.*

3. *Dies* Fortitudinis.

k 2. Cor. 2. c

Eremitica vita periculosior Cœnobitica.

a Eccli. 24. c

† S. Bened. in Regul. cap. 1.

l Psal. 25. b

Verùm cum eligit esse in congregatione multorum, nunquid eliget esse magister qui nondùm discipulus fuit, & docere quod didicit nunquam ? Et quomodo aut in se, aut in aliis motus irrationabiles poterit temperare? *Nemo carnem suam odio habuit* [m]. Quomodo ergo putatis si iam magister suus fuerit iste : quin facile sibi aliquando eo amplius quo familiarius condescendat? Illucescat igitur *dies temperantiæ*, ut quærat quomodo temperari & refrenari possint incontinentes motus voluptatis, bestiales motus curiositatis, cervicosi motus elationis suæ. Eligat abiectus esse in domo Dei sui, & subiectus esse magistro, sub quo frangatur eius voluntas, & obedientiæ fræno concupiscentia reprimatur, sitque quod ait Prophetа [n] : *Imposuisti homines super capita nostra.* Nec dedignandum servo, quod præcessit in Domino. Siquidem non est servus maior Domino suo [o]. Ille enim cum iam crevisset ætate, sapientia, & gratia apud Deum & homines : cum iam duodecim annorum esset, & remansisset in Hierusalem, inventus à beata Virgine & Joseph, cuius Filius putabatur, in medio Doctorum audiens illos & interrogans, tamen descendit cum illis, & erat subditus illis [p]. Et tu ergo subditus esto propter illum.

4. *Dies* Temperantiæ.

m Ephes. 5. f

n Psal. 65. c

o Ioan. 13. b

Christus Parentibus subditus.

p Luc. 2. g*

Sed iam tibi in ipsa obedientiæ via aliqua fortassis dura & aspera occurrere possunt, ut accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licet salubria sint, minus tamen suavia videantur. Hæc si molestè cœperis sustinere, si dijudicare Prælatum, si murmurare in corde : etiam si exteriùs impleas quod iubetur, non est hæc virtus patientiæ*, sed velamentum malitiæ.

Nota inobedientiæ.

* lege: obedientiæ.

malitiæ. Necesse est ergo ut illucescat *dies patientiæ*, per quam omnia dura & aspera tacita amplectaris conscientia: te magis dijudicans, & duriùs arguens: cui nimirum displicent quæ ad salutem sunt: & in cogitatione tua semper partem magistri quoad potes adversùs temetipsum juvans: téque in omnibus accusare, ipsum verò magis excusare laborans.

5. *Dies* patientiæ.

Porrò in hoc loco jam cavendum tibi arbitror à superbia. Magnum est enim omnino sic vincere semetipsum. *Melior est*, ait Salomon [q], *patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* Considera denique quàm manifestè Propheta doceat necessariam esse humilitatem post patientiam, dicens [r]: *Veruntamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.* Nonne videtur hîc occasione patientiæ tentationem sensisse superbiæ? Necesse est ergo ut illuminet cor tuum *radius humilitatis*, & declaret quid à te sit, quid à Deo, ut non altum sapias: quoniam Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam [s].

q Prov. 16. d

6. *Dies* humilitatis.

r Psal. 61. a

s Iac. 4. b

Jam verò cum in his diutiùs fueris exercitatus: roga dari tibi *devotionis lumen*: diem serenissimam, & sabbatum mentis, in quo tanquam emeritus miles, in laboribus universis vivas absque labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei: ut quos prius cum amaritudine & coactione tui spiritus faciebas, de cætero iam cum summa dulcedine peragas & delectatione. Hanc (ni fallor) gratiam petebat, qui ait [t]: *Remitte mihi ut refrigerer.* Ac si dicat: Quousque in labore & dolore isto crucior, & morte afficior tota die? Remitte mihi ut refrigerer. Verùm & ad hanc quidem perfectionem pauci (ni fallor) perveniunt in hac vita. Neque enim si quis aliquando videtur hanc habere, continuò credat sibi necesse est: máximè si novitius est, nec per præfatos ascenderit gradus. Pius enim Dominus noster JESUS Christus pusillos corde blanditiis talibus solet allicere. Sed noverint qui huiusmodi sunt, gratiam hanc præstitam sibi esse, non datam: ut in die bonorum memores sint malorum, & in die malorum non immemores sint bonorum. Longè aliter qui exercitatos habent sensus, devotionis huius felici fruuntur iucunditate. Sed multi tota vita sua ad hoc tendunt, & nunquam pertendunt: quibus tamen si piè & perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur quod in hac vita dispensatoriè est negatum: illuc perducente eos sola gratia, quò priùs tendebant ipsi cum gratia, ut consummati in brevi, expleant tempora multa.

7. *Dies* devotionis.

* t Psal. 38. c

Cum dulcedine & delectatione omnia facere paucis conceditur, & quibus.

Illis verò qui ad hanc devotionis gratiam perveniunt, unum videtur restare periculum, & omnino timendum eis à dæmonio meridiano.

" 2. Cor. 11. c Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis " . Hoc ergo timendum ei, qui tanta delectatione omnia facit; ne dum sequitur affectionem, corpus destruat per immoderatam exercitationem; ac deinde necesse habeat, non sine magno spiritualis exercitii detrimento, circa debilitati curam corporis occupari. Ergo ne incurrat qui currit, illuminari necesse est *lumine discretionis*, quæ mater virtutum est, & consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, ne quid nimis: atque hæc est octava dies in qua circunciditur Puer: quia discretio verè circuncidit, ut non plus nec minus fiat. Nam & qui nimius est, fructum boni operis abscidit, non circuncidit, sicut qui tepidus est, si minus facit. In hac ergo die nomen imponitur, & nomen salutis: nec de eo qui sic conversatur dubitem dicere, quod suam ipsius salutem operetur. Usque ad hunc enim diem dicere possunt Angeli, qui norunt secreta cœlestia: sed ego nunc primum ei fiducialiter nomen salutis impono. At verò quia omnino rara ista avis est in terris, huius discretionis locum in vobis fratres suppleat virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter quàm imperatum sit, faciatis.

8. *Dies* discretionis. *Discretio in exercitiis tenenda, ne fiant cum detrimento valetudinis, & spiritus profectus.*

IN EPIPHANIA DOMINI,

De Verbis Apostoli, *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*, ad Tit. 3. b.

Et de tribus Christi Apparitionibus.

Sermo I.

" *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei* [a] . Gratias Deo, per quem sic abundat consolatio nostra in hac peregrinatione, in hoc exilio, in hac miseria. Super his namque sæpiùs vos admonere curamus, ut nunquam mente excidat peregrinos vos esse longè factos à patria, pulsos hæreditate. Quisquis enim desolationem non novit, nec consolationem agnoscere potest. Quisquis consolationem ignorat esse necessariam, supereſt ut non habeat Dei gratiam. Inde est quòd homines sæculi negotiis & flagitiis implicati, dum miseriam non sentiunt, non attendunt misericordiam. Vos quibus non frustra dictum est [b] , *Vacate, & videte, quoniam suavis est Dominus*: & de quibus idem Propheta, *Virtutem*, inquit [c] , *operum suorum annunciabit populo suo*: vos, inquam, quos non detinet occupatio secularis, attendite quænam sit consolatio spiritualis. Vos qui non ignoratis exilium, audite quia de cœlo venit auxilium. " *Apparuit* enim *benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei* [d] . Priusquam appareret humanitas, latebat benignitas. Siquidem & priùs erat: nam & misericordia Domini ab æterno est. Sed unde tanta agnosci poterat?

[a] Ad Tit. 3.

[b] Psal. 45. b

[c] Psal. 110. b

[d] ad Tit. 3. b

terat? Promittebatur, sed non sentiebatur: unde & à multis non credebatur. Multifariè quippe multisque modis loquebatur Dominus in Prophetis [e], *Ego*, inquiens, *cogito cogitationes pacis & non afflictionis* [f]. Sed quid respondebat homo afflictionem sentiens, pacem nescius? Quousque dicitis pax, pax; & non est pax? Propter hoc Angeli pacis amarè flebant, dicentes: *Domine, quis credidit auditui nostro* [g]? Sed nunc credant homines vel visui suo: quia testimonia Dei credibilia facta sunt nimis [h]. Ut enim nec turbatum quidem oculum lateat, *in sole posuit tabernaculum suum* [i].

e Hebr. 1. a
f Hier. 29. d
a Ezech. 15. b
g Esa. 53. d
h Psal. 92.
i Psal. 18. a

Ecce pax non promissa, sed missa: non dilata, sed data: non prophetata, sed præsentata. Ecce quasi saccum plenum misericordia sua Deus Pater misit in terram: saccum, inquam in passione concidendum, ut effundatur quod in eo latet pretium nostrum. Saccum utique etsi parvum, sed plenum. Parvulus siquidem datus est nobis: sed in quo habitat omnis plenitudo divinitatis. Postquam enim venit plenitudo temporis, venit & plenitudo divinitatis. Venit in carne, ut vel sic carnalibus exhiberetur: & apparente humanitate benignitas agnosceretur. Ubi enim Dei innotescit humanitas, iam benignitas latere non potest. In quo enim magis commendare poterat benignitatem suam, quam suscipiendo carnem meam? Meam inquam, non carnem Adam, id est, non qualem ille habuit ante culpam. Quid tantopere declaret eius misericordiam, quàm quòd ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quàm quòd Dei Verbum propter nos factum est fœnum? Domine quid est homo quia reputas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum [k]? Hic attendat homo quanta sit cura eius Deo: hinc sciat quid de eo cogitet, aut quid sentiat. Non interroges ô homo ea quæ pateris, sed quæ passus est ille. Quanti te fecit ex his qui pro te factus est, agnosce, ut appareat tibi benignitas eius ex humanitate. Quantò enim minorem se fecit in humanitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi charior est. *Apparuit* (inquit Apostolus [l]) *benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* Magna planè & manifesta benignitas, Dei humanitas; & magnum benignitatis indicium declaravit, qui humanitati addere nomen Dei curavit.

Vbertas divinæ misericordiæ.

k Iob. 7. d
Quanti Deus fecerit hominem, ostendit ipse factus homo.
l Ad Tit. 3. b

Et quidem ad Mariam missus Gabriel Angelus Filium Dei loquitur; sed non nominat Deum. Benedictus Deus, qui talem nobis de nobis ipsis Angelum dedit, ut noster ipse suppleret, quod ille non dixit. Nam & ipse Spiritum Dei habuit, & eius spiritu locutus est: quod nobis valdè necessarium fuit. Quid enim sic instruit fidem, spem roborat, charitatem accendit, quomodo humanitas Dei? Sed Angelo nostro id reser-

vatu m est, quod alii tacuerunt. Neque enim omnes omnia dicere congruu m erat, ut à diversis diversa colligere gratulemur, & debitas singulis gratias referamus. Attamen unum est in quo conveniunt Apostolus & Angeli, qui de Christi nativitate loquuntur, id est, in nomine *Salvatoris*. Ad Mariam quidem tanquam plenius edoctam per spiritum, Gabriel lo-
m Luc. 1. b quens indicat n omen solum. *Et vocabis*, inquit [m], *nomen eius Iesum*. Ad Joseph veniens Angelus non solùm nomen protulit: sed & causam eius
n Matt. 1. d interpretatus edocuit, dicens [n]: *Et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*. Sed & pastoribus quoque an-
o Luc. 1. b nunciatur *gaudium magnum; natum illis salvatorem Christum Dominum* [o]. Simile aliquid Paulus loquitur [p]: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*. Bene dulce nomen nullus ex ipsis tacuit, quia hoc mihi maximè necessarium fuit. Alioquin quid agerem audiens Dominum venientem? Nunquid non fugerem, sicut Adam qui à facie eius fugit, sed non effugit? Non desperarem, audiens quia venit ille cuius legem sic prævaricatus sum, cuius patientia sic abusus sum, cuius beneficio tam ingratus inventus sum? Quæ verò maior consolatio poterat esse, quam in dul-
q Ioan. 12. g ci vocabulo, in nomine consolatorio? Propterea & ipse dicit, *quia non venit filius ut judicet mundum: sed ut salvetur mundus per ipsum* [q]. Jam confidenter accedo, iam supplico fiducialiter. Quid enim timeam, quando Salvator venit in domum meam? Ei soli peccavi, donatum erit quicquid indulserit ille. Utiq; enim licet ei quod vult facere. Deus est qui justificat,
r Rom. 8. f quis est qui condemnet? Aut quis accusabit adversùs electos Dei [r]? Propterea gaudere nos oportet quòd in nostra venerit, nunc enim facilis ad indulgentiam erit.

Salvatoris nomen ubique celebre & amabile.

Denique parvulus est, leviter placari potest. Quis enim nesciat quia puer facilè donat? Ecce si non fuerit nobis pro minimo, possumus reconciliari pro minimo. Pro minimo, inquam, non tamen sine pœnitentia; sed quia nimirum quiddam sit nostra ipsa pœnitentia. Pauperes sumus, parum dare possumus: attamen reconciliari possumus pro parvo illo, si volumus. Totum quod dare possum, miserum corpus istud est: illud si dedero, satis est. Si quo minus, addo & corpus ipsius. Nam illud de meo
s Esa. 9. a est, & meum est. Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est mihi [s]. Dete Domine suppleo, quod minus habeo in me. O dulcissima reconciliatio! O satisfactio suavissima! O verè reconciliatio facilis, sed perutili! satisfactio parva, sed non parvipendenda! Etenim quàm facilis modò, tam difficilis erat postea: & sicut modò nemo est, qui reconciliari non possit, ita post paululum nemo qui possit: quoniamsicut benignitas apparuit ultra omnem spem, ultra omnem æstimationem: similem

Attende hæc, ô homo, & animum fiduciâ erige.

Reconciliatio cum Deo nunc facilis est, sed postea difficilis futura.

expectare

expectare possumus judicii districtionem. Noli ergo contemnere Dei misericordiam, si non sentire vis justitiam: sed iram, sed indignationem, sed æmulationem, sed furorem. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Ut enim scires quanta districtio succedit, tanta illa mansuetudo prævenit. Ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem ultionis attende. Immensus est enim Deus & infinitus in justitia, sicut & in misericordia. Multus ad ignoscendum: multus ad ulciscendum. Sed misericordia quidem priora sibi vendicat: ut si voluerimus, districtio invenire non possit in quem sæviat. Propter hoc enim benignitatem prærogavit, ut per eam reconciliati severitatem videamus securi. Propterea voluit non solùm ad terras descendere, sed etiam innotescere; non solùm nasci, sed & agnosci.

Ex magnitudine præsentis Misericordiæ colligenda severitas futuræ justitiæ.

Denique propter hanc agnitionem dies ista celebris habetur, & insignis dies apparitionis. Hodie enim Magi ab Oriente venerunt, ortum solem justitiæ requirentes, eum de quo legitur [f]: *Ecce vir, Oriens nomen illi.* Hodie adoraverunt novum Virginis partum, sequentes novi sideris ductum. Nonne & hic nobis est magna consolatio: sicut in illo de quo loquuti sumus Apostoli verbo? Ille dixit Deum: isti non voce, sed opere dicunt: Quid facitis ô Magi, quid facitis? Lactentem puerum adoratis, in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergo ne Deus est iste? Deus certè in templo sancto suo: Deus in cœlo sedes eius: & vos eum quæritis in vili stabulo, in matris gremio? Quid facitis quod & aurum offertis? Ergo rex est ipse. Et ubi aula regia, ubi thronus, ubi curiæ regalis frequentia? Nunquid aula est stabulum, thronus præsepium, curiæ frequentia Joseph & Maria? Quomodo ita insipientes facti sunt viri sapientes, ut adorent parvulum despicabilem tam sua ætate, quam paupertate suorum? Insipientes facti sunt, ut fierent sapientes? & prædocuit eos spiritus quod postea prædicavit Apostolus: *Qui vult sapiens esse, stultus fiat, ut sit vir sapiens* [t]. *Quia enim per sapientiam mundus in sapientia sua Deum cognoscere non poterat: placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos fieri credentes* [u]. Nonne timendum erat, Fratres, ne scandalizarentur viri isti & illusos se crederent, cum tanta indigna viderent? A regia civitate ubi regem quærendum conjectabant, ad Bethleem villam parvulam diriguntur. Ingrediuntur stabulum, inveniunt involutum pannis Infantulum. Non illis sordet stabulum: non pannis offenduntur: non scandalizantur lactentis infantia: procidunt, venerantur ut regem, adorant ut Deum. Sed profecto qui illos adduxit, ipse & instruxit: & qui per stellam foris admonuit, ipse in occulto cordis edocuit. Hæc igitur Domini declaratio clarificavit hanc diem; & Magorum devota veneratio devotam fecit & venerabilem.

Prima Apparitio hodie celebris Magis per stellam facta.

Eximia fides & pietas Magorum Christum Deum & regem agnoscentium, inter tot abiectionis indicia.

[f] Zach. 6. c

[t] 1. Cor. 3. d

[u] 1. Cor. 1. d

Secunda Apparitio per speciem columbæ & patris vocem in Baptismo.

Nec sola hæc apparitio, sed altera quædam, sicut à Patribus nostris accepimus, hodie celebratur: quæ & si longo post tempore, facta creditur hoc ipso die. Cum enim iam Christus triginta annorum tempus exegisset in carne, qui secundùm divinitatem idem ipse est, & anni eius non deficiunt: inter populares turbas ad baptismum Joannes advenit. Venit tanquam unus è populo, qui solus erat sine peccato. Quis eum tunc crederet filium DEI? quis putaret Dominum maiestatis? Valde quidem humiliaris Domine: in imis absconderis, sed Joannem latere non poteras. Nonne ipse est, qui per maternum uterum te nondum natus agnovit? Nonne ipse est, qui per utriusque materni uteri parietes te agnovit: & quia turbis clamare non potuit, saltem matrem suam motu exultationis edocuit? Nunc autem quid? *Vidit eum Ioannes* (ait Evangelista [n]) *venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Verè agnus, verè humilis, verè mansuetus. *Ecce*, inquit, *Agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi.* En ipse qui purgationem faciet delictorum, ecce sentinam nostram purgaturus advenit: & tamen post hoc testimonium baptizari vult à Joanne. Tremuit ille. Quid mirum? Quid, inquam, mirum, si tremit homo, nec audet attingere sanctum Dei verticem, caput adorandum Angelis, reverendum potestatibus, tremendum principatibus? Baptizari vis Domine Iesu? Ad quid enim, aut quid tibi opus fuit baptismate? Nunquid sano opus est medicina, ac mundatione mundo? Unde tibi peccatum, ut baptisma sit necessarium? Nunquid à Patre? At patrem quidem habes, sed Deum: & æqualis es illi, Deus de Deo, lumen de lumine. Nam in Deum peccatum cadere non posse quis nesciat? An verò de Matre? Nam & Matrem habes, sed virgo est. Quod ergo peccatum ex ea trahere potuisti, quæ te sine iniquitate concepit, & salva integritate peperit? Quam maculam habere potest Agnus sine macula? *Ego*, inquit Joannes [x], *à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Magna utrinque humilitas: sed nulla comparatio. Quomodo enim non humiliaretur homo coram humili Deo? *Sine modo* (inquit [y] Dominus) *decet enim sic nos implere omnem iustitiam.* Acquievit Joannes & obedivit; baptizavit Agnum Dei, & aquas lavit. Nos abluti sumus, non ille: quia nobis lavandis aquæ cognoscuntur ablutæ.

[n] Ioan. 1. d

Humilitas Iesu baptizari volentis.

[x] Matt. 3. d

[y] Ibid.

Agni & Columbæ innocentia & simplicitas.

Sed fortassis minus credis Joannis testimonio, quia ipse homo est; & potes habere suspectum, cognatus eius est cui testimonium perhibet. Ecce testimonium maius Ioanne? testimonium advenientis columbæ, Nec incongruè ad indicandum Agnum Dei venit columba: quia nihil melius Agno convenit quàm Columba. Quod agnus in animalibus, hoc columba in avibus est. Summa utriusque innocentia, summa mansue-

ſuetudo, ſumma ſimplicitas. Quid enim ſic alienum ab omni malitia ſicut agnus, & columba? Nocere cuiquam neſciunt: lædere non noverunt. Sed ne fortuito caſu id eveniſſe cauſeris: ecce teſtimonium Dei Patris. *Ecce Deus maieſtatis intonuit; Dominus ſuper aquas multas* ℵ, *& Vox Patris audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* [a]. Verè enim hic eſt in quo non eſt quod Patri diſpliceat, quod oculos maieſtatis offendat. Unde & ipſe ait [b]: *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper, ipſum*, inquit, *audite*. Ecce Domine JESU, vel iam nunc loquere. Quouſque ſiles? quouſque diſſimulas? Diu tacuiſti, & valde diu: ſed iam nunc loquendi licentiam habes à patre. Quamdiu virtus & Dei ſapientia, quaſi infirmus aliquis & inſipiens lates in populo? Quamdiu nobilis rex & rex cœli, fabri filium te pateris appellari pariter & putari? Etenim Lucas Evangeliſta teſtatur [c], *quoniam adhuc filius Ioſeph putabatur*. O humilitas virtus Chriſti, quantum confundis ſuperbiam noſtræ vanitatis! Parum aliquid ſcio, vel magis ſcire mihi videor, & iam ſilere non poſſum: impudenter me & imprudenter ingerens & oſtentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Chriſtus cum tanto tempore ſilebat, cùm ſeipſum abſcondebat, numquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui eſt vera gloria Patris? Utique timebat, ſed non ſibi. Nobis timebat ab illa, quibus noverat eſſe timendum: nobis cavebat, nos inſtruebat. Tacebat ore, ſed inſtruebat opere: & quod poſtea docuit verbo, iam clamabat exemplo [d]: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Nam de infantia Domini parum aliquid audio: ex tunc iam uſque ad hunc triceſimum annum nihil invenio. Nunc verò iam latere non poteſt, qui tam manifeſtè demonſtratur à Patre. Nam in prima quoque apparitione cum matre virgine voluit apparere, quòd verecundia quædam in virginitate ſignaretur.

ℵ Pſal. 26. b
a Matt. 3. d
b Ioan. 8. d
c Luc. 3. c
Chriſtus cur latens & ſilens ad annum trigeſimum uſque vixerit.
d Matt. 11. d

Tertia quoque apparitio eius in Evangelio invenitur: & hæc nihilominus hodie celebratur. Invitatus enim ad nuptias Dominus, vino deficiente compaſſus eorum verecundiæ aquam mutâvit in vinum. *Hoc etiam* (ſicut ait Evangeliſta [e]) *ſignorum eius fuit initium*. Itaque in *prima* apparitione homo verus innotuit, ubi inter ubera matris infans apparuit. In *ſecunda* verò, verum eſſe Dei Filium, Patris indicat teſtimonium. In *tertia* verò, verus eſſe Deus demonſtratur: ad cuius imperium natura mutatur. Tot teſtimoniis hodie confirmatur fides noſtra, tot indiciis roboratur ſpes noſtra, tot incentivis inflammatur charitas noſtra.

3. *Apparitio in nuptiis per converſionem aquæ in vinũ.*
e Ioan. 2. b

IN

IN EPIPHANIA DOMINI, SERMO II.

De Magis, ubi exponitur illud de Canticis : *Egredimini filiæ Sion & videte Regem Salomonem.* Cant. 3. d.

Tres apparitiones Domini. Prima præ ceteris mirabilior, qua agnitus est à Magis.

TRes apparitiones Domini legimus, una quidem die, sed non uno tempore factas. Et quidem mirabilis secunda, mirabilis tertia, sed prima apparitio mirabiliùs admiranda. Mirabilis aquarum mutatio ; mirabilis Joannis & columbæ pariter & paternæ vocis attestatio ; sed illud mirabile magis, quod agnitus est à Magis. Nam quòd Deum agnoscant, indicat adoratio, indicat thuris oblatio. Nec solum Deum, sed & regem agnoscunt, quod designatur in auro. Et in his non latet eos magnum pietatis Sacramentum : unde & myrrha indicat moriturum. Adorant Magi & offerunt munera adhuc sugenti matris ubera. Sed ubi est, ô Magi, ubi est purpura regis huius ? Nunquid viles panni isti, quibus est involutus ? Si rex est, diadema eius ubi est ? Sed vos eum verè videtis in diademate, quo coronavit eum mater sua : in sacco mortalitatis, de quo resurgens ait [a]. *Quia concidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua* [b] *, &c.* Egredimini virtutes Angelicæ, incolæ civitatis supernæ. Ecce rex vester, sed in corona nostra, in diademate quo coronavit eum mater sua. Sed his deliciis usque modò caruistis, hanc hactenus dulcedinem non gustatis. Habetis sublimitatem eius, sed humilitatem eius non vidistis. Egredimini igitur & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.

a Psal. 29. c

b Cant. 3. d

Angeli invitantur ad videndum Regem Christum.

Veruntamen non est opus illis nostra exhortatione : quoniam ipsi sunt, qui desiderant in illum prospicere. Illis enim quantò sublimitas notior, tantò humilitas preciosior & amabilior est. Unde licet nobis maior sit causa lætitiæ (nobis enim natus est, & nobis datus) tamen ipsi nos prævenium, ipsi nos exhortantur. Probat hoc Angelus [c], qui gaudium magnum evangelizat pastoribus, & quæ cum eo facta est multitudo cœlestis exercitus. Vobis ergo dicimus, filiæ Sion, animæ sæculares, debiles, delicatæ filiæ, non filii ; in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi : *Egredimini, filiæ Sion.* Egredimini de sensu carnis, ad intellectum mentis ; de servitute carnalis concupiscentiæ, ad libertatem spiritualis intelligentiæ. Egredimini de terra vestra, & de cognatione vestra, & de domo Patris vestri, & *videte regem Salomonem* : alioquin non erit tutum vobis videre eum Ecclesiasten. Idem enim qui *Salomon*, id est, *pacificus* in exilio est, *ecclesiastes*, id est, *concionator* erit in iudicio : *idida*, id est,

c Luc. 2. b.

Animæ sæculares moventur ad videndum Regem & qualis ille egressus.

id est, *dilectus Domini* in regno. In *exilio* mansuetus & amabilis, *in judicio* justus & terribilis, *in regno* glorioſus & admirabilis. Egredimini igitur & videte regem Salomonem : nam ubique rex est. Licet enim regnum eius non sit de hoc mundo [d], tamen rex est etiam in hoc mundo. Interrogamus siquidem ; *Ergo rex es tu ?* *Ego*, inquit [e], *in hoc natus sum, & in hoc veni in mundum.* Hic ergo rector est morum, in judicio discretor meritorum, in regno distributor præmiorum. *Christus Rex.*

d Ioan. 18. g
e Ibid. f

Egredimini proinde filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua : in corona paupertatis, in corona miseriæ. Siquidem coronatus est & à noverca sua corona spinea, corona miseriæ : coronandus à familia sua corona justitiæ, quando exibunt Angeli, & tollent de regno eius omnia scandala, quando veniet ad judicium cum senioribus populi sui : cùm pugnabit pro eo orbis terræ adversus insensatos. Coronat eum & Pater corona gloriæ, sicut psalmus ait [f] : *Gloria & honore coronasti eum.* Videte eum filiæ Sion, in diademate quo coronavit eum mater sua. Suscipite coronam parvuli, propter vos regis vestri, & unà cum Magis humilitatem eius adorate, quorum fidei devotio vobis hodie proponitur in exemplo. Cui enim comparabimus, & cui similes æstimabimus viros istos ? Si Latronis fidem, si Centurionis confessionem considero, in eo superexcellere videntur isti, quod iam tunc miracula multa fecerat, iam tunc à multis prædicatus fuerat, à multis adoratus. Attamen consideremus quid & illi dixerint. Clamabat Latro de Cruce [g] : *Domine, memento mei cùm veneris in Regnum tuum.* Ergóne per supplicium ille vadit in regnum ? Quis indicavit tibi quoniam oportebat pati Christum, & sic intrare in gloriam suam ? Tu quoque Centurio eum unde nosti ? Videns quod sic clamans expirasset, *Verè*, inquit [h], *hic homo filius Dei erat.* Mira res, & omni admiratione digna ! *Magorum fides & devotio excellit Latronis & Centurionis fidem.*

f Psal. 8. b
g Luc. 23. c
h Matt. 27. f

Propterea rogo vos, intuemini & videte quam oculata sit fides : quàm lynceos oculos habeat, diligentiùs considerate. Cognoscit Dei filium lactantem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem. Siquidem Latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt : ille clavis infixum, isti pannis involutum : Centurio verò vitam agnovit in morte. Isti Dei virtutem in teneri corporis infirmitate, ille summum spiritum in expiratione, isti Dei verbum in infantia cognovere. Siquidem quicquid illi sermonibus, isti muneribus confitentur. Latro Regem, Centurio DEI filium simul & hominem pronunciat. Et hæc tria ipsa Magorum munera indicant, nisi quod thure non tam Dei Filium monstravere, quam DEUM. Obsecramus ergò, charissimi, prosit vobis tanta charitas, quam vobis DEUS maiestatis exhibuit : tanta humilitas quam *Fidei oculi lynceï ad cognoscenda arcana, & ab oculis corporeis abscondita.*

suscepit: tanta benignitas quæ vobis per Christi humilitatem apparuit. Agamus gratias redemptori & mediatori nostro, per quem nobis innotuit tam bona erga nos voluntas Dei Patris. Siquidem talem iam novimus eius animum, ut non immeritò dicamus: *Sic currimus, non quasi in incertum* [i]. Profecto enim tale est erga nos cor Dei Patris, quale nobis expressit qui de eius corde processit.

[i] 1. Cor. 9. d

IN EPIPHANIA DOMINI,
Sermo III.

Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? &c. Matth. 2. a

Diebus solemnibus quales præcipuè sermones conveniant.

Necessarium nobis videtur, Fratres, juxta cæterarum solemnitatum consuetudinem, etiam solemnitatis hodiernæ vobis exponere rationem. Interdum enim contra vitia loquimur, & genus illud sermonis perutile; sed diebus cæteris videtur opportunius convenire. Festivis autem, & maximè in præcipuis solemnitatibus magis circa ea quæ solemnitatis sunt, immorandum videtur, ut pariter & erudiatur animus, & excitetur affectus. Quomodo enim celebrabitis quod nescitis, aut quomodo scietis, nisi annuncietur vobis? Propterea non sit molestum his qui sunt in lege periti, si parum doctis morem gerimus, ut exigit ratio charitatis. Credo enim ne ipsos quidem suis epulis esse fraudandos, si minùs eruditis tanquam popularibus turbis grossiores prius apposuerint cibos. Ita verò apponent, si fraternæ charitatis intuitu placuerint eis quæ necessaria sunt, non satis intelligentibus, etsi fortasse sibi minùs necessaria videantur. Sic autem fragmenta postmodum recolligent sibi ipsis, si diligentiùs recogitantes subtiliora quæque tanquam munda animalia ruminaverint; quæ parum intelligibiles animos præ subtilitate effugerint.

Epiphaniæ solemnitas quid significet.

Solemnitas igitur hodiernæ diei ab apparitione nomen accepit. Epiphania quidem apparitio est. Hodie ergo Apparitio Domini celebratur: non tantùm una, sed trina, sicut à Patribus nostris accepimus. *Hodie* enim parvulus rex noster paucis à Nativitate diebus transactis stella declarante primitiis gentium apparuit. *Hodie* quoque, cùm jam triginta fermè in dispensatione carnis egisset annos: qui secundùm divinitatem idem ipse est, & anni eius non deficiunt: inter populares turbas absconditus ad Jordanem baptizandus advenit: sed testimonio Dei Patris innotuit. *Hodie* nihilominus cum discipulis suis vocatus ad nuptias, deficiente vino, signo admirabili suæ potentiæ aquas in vinum mutavit. Sed delectat eam, quæ in infantia Salvatoris facta est, apparitionem & diligentiùs intueri, quoniam & dulcissima est, & specialiùs hodie noscitur celebrari.

Trina Domini apparitio hodie celebratur.

Hodie

Hodie ergo ſicut audivimus in Evangelica lectione, Magi Hieroſolymam venerunt ab Oriente. Merito ſanè ab oriente venerunt, qui ſolis juſtitiæ novum nobis ortum annunciant: qui læti rumoribus totum mundum illuminant. Niſi quòd infœlix Judæa, quia lucem oderat, ad fulgorem novæ claritatis obtenebratur: & caligantes oculi eius corruſcante radio ſolis æterni multò magis excæcantur. Venientes ergo ab OrienteMagi, quid dixerint audiamus [a]: *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum*? Quàm certa fides, & nihil penitus hæſitans. Non quærunt utrum natus ſit: ſed fiducialiter loquuntur: & interrogant ſine dubitatione, ubi ſit qui natus eſt rex Judæorum. Porrò audito (nec mirum) nomine regis, rex Herodes ſucceſſorem ſuſpicatus expavit. Nec mirum, ſi turbatur Herodes: ſed quòd Hieruſalem civitas Dei (quæ viſio pacis eſt) cum Herode turbatur, quis non miretur? Videte, fratres, quantum noceat iniqua poteſtas: quomodo caput impium ſubiectos quoque ſuæ conformat impietati! Miſera planè civitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ ſine dubio particeps erit malitiæ, & ad novæ ſalutis ortum Herodiana movebitur turbatione. Confido ego in Domino, quoniam inter nos minimè regnabit: etiam ſi adeſſe contingat, quod & ipſum Deus avertat. Nam Herodiana malitia, & Babylonica crudelitas eſt, naſcentem velle extinguere religionem, & allidere parvulos Iſraelis. Si quid enim ad ſalutem pertinens, ſi quid religionis oritur: quicunque reſiſtit, quicunque repugnat, planè cum Ægyptiis parvulos Iſraelitici germinis necare conatur: imo cum Herode naſcentem perſequitur Salvatorem. Sed jam inchoatam proſequamur hiſtoriam. Credo ſi quis conſcius eſt huius rei, ſtudioſiùs ſibi cavebit de cætero & Herodianum execrabitur animum: ne ſimilem exitum ſortiatur.

Ea præcipuè quæ Magis facta eſt.

a Matt. 2. 2.

Regis ad exemplum componitur populus.

Ergo quærentibus Magis regem Judæorum, & ſciſciante à ſcribis Herode Dominicæ nativitatis locum, illi juxta Prophetam nomen civitatis edicunt. Cúmque receſſiſſent Magi, & reliquiſſent Judæos, *Ecce ſtella quã viderant in oriente, antecedebat eos.* Hinc manifeſtè datur intelligi, quoniam humanum flagitantes conſilium, divinum amiſere ducatum: converſos ad terrenum documentum, ſignum cæleſte deſeruit. Unde & relicto Herodè, continuò gaviſi ſunt gaudio magno valde: ſtella enim antecedebat eos uſquedum veniens ſtaret ſupra, ubi puer erat. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adoraverunt eum.* Unde vobis hoc, ô alienigenæ? Neque enim tantam invenimus fidem in Iſrael! Sic vos non offendit vilis habitatio ſtabuli, non pauperies cunæ præſepii? Non vos pauperis matris præſentia, non lactentis infantia ſcandalizat?

" Denique, *Apertis thesauris suis* (ait Evangelista) *obtulerunt ei mune-*
" *ra, aurum, thus & myrrham.* Si solum obtulissent aurum, videri fortasse
poterant paupertati Matris voluisse consulere, ut haberet nimirum, unde
Cur aurum, thus, myrrham obtulerint. parvulum posset filium educare. Nunc autem offerentes pariter aurum, thus, & myrrham : sine dubio spiritualis oblationis genus insinuant. Aurum enim inter divitias sæculi videtur excellere, quod per eius gratiam omnes nos devotè obtulimus Salvatori, cum pro eius nomine ex integro dereliquimus substantiam huius mundi. Jam verò necesse est, ut qui perfectè terrena contempsimus, flagranti desiderio cœlestia requiramus. Sic enim offerrimus & thuris odoramentum : quo nimirum, ut
b Apoc. 5. c in Apocalypsi beati Joannis legis [b], significantur *orationes sanctorum.*
c Psal. 140 a Unde & Propheta in Psalmo [c], *Dirigatur*, inquit, *oratio mea sicut incen-*
d Eccl. 35. c *sum in conspectu tuo*, Sic & in alio loco legis [d], *Quia oratio justi cœlos pene-*
trat. Oratio, inquam, non cuiuslibet, sed justi. Nam qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

Porrò si justus esse volueris, & non avertere aurem tuam à mandatis Domini, ne avertat & ipse suam à precibus tuis : necesse est ut non solùm præsens sæculum contemnas, sed & ipsam carnem castiges, & subjicias servituti. Nam qui dixit [e], *Nisi quis abrenuntiaverit omnibus quæ*
e Luc. 14. g f Matt. 19. c *possidet, non potest meus esse discipulus* : & alibi [f], *Si vis esse perfectus, vade*
& vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni, sequere me. Idem ipse
g Luc. 9. c in alio loco ait [g] : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat cru-*
h Gal. 5. d *cem suam, & sequatur me.* Quod exponens Apostolus [h], *Quicunque*, inquit, *sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*
Orationes alæ mundi contemptus, & afflictio carnis. Duas igitur alas habeat oratio nostra, contemptum mundi, & afflictionem carnis : nec dubium quin cœlos penetret, & dirigatur sicut incensum in conspectu Dei. Erit enim gratum sacrificium, & acceptabilis oblatio nostra, in qua cum auro & thure fuerit etiam & myrrha, quæ licèt amara sit, tamen perutilis est, & conservat corpus, quod mortuum est propter peccatum, ne defluens in vitium putrefiat. Hæc breviter pro imitanda Magorum oblatione sint dicta.

Cæterum quoniam Apparitionem hanc esse diximus : quid in ea
i Tit. 3. b appareat, dignum est ut quæramus. Utique secundùm verba Apostoli [i], *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* Ecce enim in Evan-
k Matt. 1. b gelica lectione audivimus [k], quoniam, *intrantes domum, Magi invenerunt*
Quid in prima apparitione gestum. *puerum cum Maria matre eius.* In infantuli corpore quod virgineo mater fovebat in gremio. Quid nisi veritas susceptæ carnis apparuit? Quid
Quid in secunda. in eo quod cum matre parvulus invenitur, nisi verus homo & verus hominis filius declaratur ? Jam verò & in secunda apparitione vide si non

manifestè

manifestè vocis paternæ testimonio Dei Filius approbatur [l]. Cœli namque aperti sunt super eum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in illum, & vox patris audita est. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Satis equidem manifestum est ex hoc ipso, satis evidens & indubitabile, quoniam Dei filium necesse est Deum esse. Nam & filios hominum homines, & ipsorum quoque animalium fœtus ex eodem cum eis genere esse nemo est qui dubitet. Veruntamen ut nullus sacrilego errori remaneat locus, qui in prima apparitione verus homo & filius hominis est declaratus, & in secunda verus nihilominus Dei filius: in tertia jam verus Deus & auctor naturæ probatur, ad cuius nutum natura mutatur. Nos ergò, dilectissimi, Christum Jesum diligamus ut verum hominem & fratrem nostrum, honoremus ut Dei Filium, adoremus ut Deum. Securè credamus in eum, securè credamus ei nos ipsos, fratres mei, cui nec potestas deest salvandi nos, cùm sit verus Deus & Dei filius: nec bona voluntas, cùm sit tanquam unus ex nobis verus homo, & hominis filius. Quomodo namque nobis erit inexorabilis, propter quos factus est similis nobis passibilis?

[l] Matt. 3. d

Quid in tertia.

Excitatio fiduciæ nostræ.

Jam si desideratis super his Apparitionibus aliquid ad ædificationem morum audire, illud attendite, quod *primò* omnium Christus appareat puer cum Virgine Matre, ut simplicitatem & verecundiam ante omnia quærendam nobis doceat esse. Nam & pueris simplicitas naturalis, & cognata virginibus verecundia est. Omnibus ergo nobis in conversionis nostræ initio nulla magis virtus necessaria est, quàm simplicitas humilis, & gravitas verecunda. In *secunda* verò *apparitione* venit Salvator ad aquas baptismi, non quidem lavandus, sed magis à Patre testimonium accepturus. Hæ sunt lachrymæ devotionis, in quibus non indulgentia peccatorum, sed beneplacitum quæritur Dei Patris, cùm descendit in nos Spiritus adoptionis filiorum, testimonium perhibens spiritui nostro quòd sumus filii Dei, ut mellifluam nobis vocem de cœlo videamur audire: quia verè Deus Pater in nobis complaceat sibi. Nec parum diitat inter has lachymas devotionis, & ætatis utique iam virilis, atque eas, quas primæva ætas inter infantiæ vagitus emisit? lachrimas utique pœnitentiæ & confessionis. Veruntamen longè amplius utrisque procedunt aliæ quædam lachrymæ, quibus & infunditur sapor vini. Illas enim lachrymas verè & in vinum mutari dixerim, quæ fraternæ compassionis affectu in fervore prodeunt charitatis: pro qua etiam ad horam tui ipsius immemor esse sobria quadam ebrietate videris,

Simplicitas humilis & gravitas verecunda nobis commendatur prima apparitione.

Lachrymæ devotionis in secunda.

DE CIRCUNCISIONE, BAPTISMO, & verbo Domini ad Joannem.

Sic decet nos implere omnem justitiam, Matt. 3. d

SERMO IV.

POpulo duræ cervicis cultellus erat necessarius, & lapideis cordibus meritò cultri lapidei debebantur; qualibus à JESU Nave facta circuncisio memoratur [a]. Noster autem JESUS tanquam Agnus mansuetus omnem austeritatem abstulit. Domine, agnus es cum lana & lacte veniens; aufer à me, obsecro, cultellum istum. Durum enim videtur & crudele, parvulo recenter nato cultrum lapideum adhibere. Sic agit misericors. Duritiam duris congruam servis, filiis commutavit in mansuetudinem, ut rubiginem originalis peccati, quam vix cultellus eradere poterat, ex hoc jam cum unctione gratiæ facilè lavet aqua. Nihil ergo mirum, si pro diversitate temporum mutata sint sacramenta: ut daretur utrisque quod congruum erat eis. Ipse verò Christus utrumque suscepit, ut tanquam lapis angularis utrique parieti cohæreret, ac si duarum capita corrigiarum consuetudo connecteret: sicut & pascha figuratum ipse complevit, & verum protinus inchoavit.

a Ios. 5. a b

In veteri lege durum peccati originalis remedium.

ur Christus ircuncidi voluit.

. Ratio.

Sed & propterea voluit circuncidi, ut ostenderet auctorem se esse veteris legis, sicut & Evangelii, quoniam qui per seipsum ait [b]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* ipse idem per servum priùs dixerat [c]: *Omnis anima cuius præputii caro circuncisa non fuerit, peribit de populo suo.* Quòd si solùm baptisma suscepisset, videri poterat refugisse circuncisionem, tanquam nihil ad se pertinentem. Si verò circuncideretur & non baptizaretur, quomodo mihi persuaderi posset baptizari, circuncisione relicta? Nunc itaque post circuncisionem baptisma suscipiens, illud mihi tenendum tradidit, quòd ultimò suscepit.

. Ratio.
loan. 3. a

ien. 17. b

Denique communitatis amator & commendator, qui habitare facit unius moris in domo [o], quomodo communitatem desereret & alios scandalizaret? Sic enim scandalizarentur videntes eum non circuncidi, sicut hodie scandalizaretur Ecclesia, si infantem videret non baptizari. Nec solùm communitatis & unitatis bonum commendare, sed humilitatem voluit exhibere, ut ligaturam vulneratorum susciperet, qui solus erat absque vulnere. Hinc enim Apostolus [d] dicit: *Misit Deus filium suum in mundum, natum ex muliere, factum sub lege.*

. Ratio.
Ital. 67. a

riſtus communitatis amator & ommendator, em humilitatis.

Galat. 4. a

Verùm ne quis fortè diceret, quòd circumcisus est, parentes fecerunt, parvulus enim erat: jam triginta annorum ad Baptismum ipse perrexit. Inclinatur sub Baptistæ manibus caput tremendum potestatibus,

bus, principatibus adorandum. Quid mirum si Baptista contremuit? Quis vel ipsa cogitatione non contremiscat? O quàm altum erit in judicio caput quod modò inclinatur? & vertex qui modò tam humilis videtur, quàm sublimis & excelsus tunc apparebit? *Sine* (inquit [e]) *modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Siquidem qui in plenitudine temporis venit, & in quo habitat plenitudo divinitatis, nihil novit nisi plenum. Nam legem non venit solvere, sed implere [f]. Est autem justitia quædam stricta & angusta valde: ita ut quam citò pedem verteris: in peccati foveam cadas; nec præponere se æquali, nec æquare præposito. Huius definitio est reddere unicuique quod suum est. Altera latior & amplior justitia, nec æquare se superiori nec inferiori præponere. Sicut enim grandis & gravis est superbia præferre se æquali, aut æquare prælato; ita magnæ humilitatis est inferiorem se exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Maxima & plena justitia est se inferiorem exhibere etiam ipsi inferiori. Sicut enim summa & intolerabilis superbia est superiori se præponere: ita inferiori se subdere, summa & plena justitia est. Quod Joannes ait, *Ego à te debeo baptizari*: de prima fuit, quia superiori se subdidit, quod autem Christus fecit, de plena justitia fecit: siquidem ille servuli sui manibus se inclinavit.

Christi humilitas in baptismo.

e Matt. 3. d*

f Matt. 5. b

Duplex justitia: stricta & lata.

g Matt. 3. d

Videat autem nunc quisque quem imitetur, hunc, an eum qui extollitur super omne quod creditur Deus aut colitur. Studeamus & nos, obtecro, fratres, adimplere omnem justitiam. Ipsa enim est via per quam ad lætitiam venitur. Nam lætitia præmium est: justitia verò meritum & materia. Nam de ipsa justitia erit lætitia nostra, quando Christus apparebit vita nostra: & nos apparebimus cum ipso in gloria: quoniam ipse est qui factus est nobis à Deo patre justitia. Beati verò qui etiam nunc de justitia lætantur & exhilarantur in conscientiis suis sugentes mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Nunc autem videtur laboriosa justitia: sed veniet quando in suavitate & jucunditate sine omni labore desideretur & habeatur, & ametur, & percipiatur, quando fruemur ipsa justitia. Væ autem his qui prætergrediuntur viam, qui relicta justitia, vanam & transitoriam lætitiam quærunt. Cùm enim de transitoriis quærunt lætitiam, non poterit non transire transeuntibus his de quibus erat.

Justitiæ laus & fructus.

Sicut enim lignis deficientibus deficit ignis: sic mundus transit,
& concupiscentia eius: haud dubium quin &
lætitia quoque.

DOMI-

DOMINICA PRIMA POST Octavam Epiphaniæ.

De miraculo facto in nuptiis : & de eo quod Dominus ait: *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis,* Luc. 12.

SERMO I.

IN lectione sancti Evangelii, Fratres, hodie audivimus, quia Dominus noster ivit ad nuptias. Faciamus ergò, quod alibi monet [a] : & studeamus similes fieri *hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur à nuptiis.* Nam tenenti carruecam in agro, & vendenti aliquid vel ementi in foro, non dicitur, quid expectas ? Neque enim similes sunt expectantibus. Ei verò quem videmus stare ante januam, pulsare crebriùs, sæpius suspicere ad fenestras : nihil mirum si dicitur, quid expectas ? Illi ergo sunt similes expectantibus, qui non surda aure audierunt: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus* [b]. Veniet Dominus expectantibus eum in veritate : qualis erat qui dicit [c] : *Expectans expectavi Dominum.* Veniet tanquam revertens à nuptiis inebriatus vino charitatis, & immemor iniquitatum nostrarum. Veniet non expectantibus tanquam revertens à nuptiis, tanquam potens crapulatus à vino, verè ebrius, & immemor miserationum suarum. Tunc enim quantum ad illos obliviscetur misereri Deus. Veniet in ira & indignatione tanquam furibundus : sed ô Domine, ne in furore tuo arguas me. Hæc modò non tam in præsentibus nuptiis, quàm pro earum occasione sint dicta.

a Luc. 12. c

b Psal. 45. b

c Psal. 39. a *Adventus Domini secundus severus.*

Jam verò sequamur unà cum Discipulis ad nuptias euntem Dominum, ut videntes quod facturus est, pariter credamus cum illis. *Deficiente vino dixit Mater Iesu ad eum : Vinum non habent.* Compassa est enim eorum verecundiæ, sicut misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas ? Quid, inquam, mirum si pietatem exhibent viscera pietatis ? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi servabit odorem ? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit ? Nam & ante mentem replevit, quàm ventrem : & cùm processit ex utero, ab animo non recessit. Durior fortasse & austerior videri posset responsio Domini, sed noverat ille cui loqueretur : & quis loqueretur, illa non ignorabat. Denique ut scias quomodo responsum ipsum acceperit ; aut quantum de Filii benignitate præsumpserit, ait ministris : *Quæcunque præceperit vobis, servate, & facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ.*

Has

Sex hydriæ mystica.

Has nunc hydrias purificandis veris Judæis non litera, sed spiritu, necesse habemus apponere, vel magis appositas demonstrare. Quia enim nondum pervenit Ecclesia ad perfectam purificationem, quando eam sibi Christus exhibebit gloriosam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi: multis interim purificationibus opus habet, quatenus sicut abundant peccata, abundet indulgentia: sicut multiplicatur miseria, sic & misericordia; nisi quod non sicut delictum, ita & donum. Gratia enim non solum peccata lavat, sed & merita donat. Sex igitur hydriæ sunt positæ his qui post baptismum in peccata labuntur: de his enim loquimur, quia de his sumus. Exuimus tunicam veterem: sed heu peiùs reinduimus eam. Lavimus pedes nostros. sed peiùs inquinavimus eos. Sicut ergo quod alius inquinaverat, lavit alius: sic inquinatos à nobis lavari opus est à nobis. Aliena lavit aqua, quos culpa inquinaverat aliena. Nec tamen sic alienam dixerim, ut negem nostram, alioquin nec inquinaret. Sed aliena est, quia in Adam omnes nescientes peccavimus; nostra, quia etsi in alio, nos tamen peccavimus, & nobis justo Dei judicio imputabatur, licet occulto. Veruntamen, ut jam non sit quod causeris, ô homo, contra inobedientiam Adæ datur tibi obedientia Christi, ut gratis venundatus es, gratis & redimaris. Si nesciens in Adam periisti, nesciens vivificeris in Christo. Nescisti quando ad lignum vetitum vetus Adam tetendit manus noxias: nescisti nihilominus quando in ligno salutifero innoxias manus Christus extendit. A primo homine in te manavit macula, qua inquinatus es: à Christi latere aqua, quâ mundatus es. Nunc jam inquinatus propria culpa, propria nihilominus aqua mundaberis, ab alio tamen & per illum, qui solus est purgationem faciens peccatorum.

Posita his qui post baptismum in peccata labuntur.

Christi & Adæ collatio.

Prima ergo hydria & prima purgatio in *compunctione* est, de qua legimus, quoniam *in quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor* [d]. Secunda vero *confessio* est. Omnia siquidem in confessione lavantur. Tertia *eleemosynarum* largitio. Hinc enim habes in Evangelio [e]: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quarta, *remissio* iniuriarum, secundùm quod orantes dicimus [f]: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quinta, est *afflictio corporis*: unde & oramus [g], ut mundi per abstinentiam Deo canamus gloriam. Sexta, est *obedientia* præceptorum, sicut audierunt discipuli: (quod utinam audire mereamur & nos:) *Vos mundi estis propter sermonem quem loquutus sum vobis* [h]. Nimirum quia non erant sicut hi quibus dicitur [i]: *Sermo meus non capit in vobis*: sed in auditu verbi obaudierant ei. Hæ sunt sex hydriæ positæ in purificationem nostram,

1. *Hydria compunctio.*
d Ezech. 18. f
2. *Confessio.*
3. *Eleemosyna.*
e Luc. 11 f
4. *Remissio iniuriarum.*
f Matt. 6. b
5. *Afflictio corporis.*
g hymn. ad f.
6. *Obedientia.*
h Ioan. 15. a
i Ioan. 8. c

quæ vacuæ sunt & plenæ vento, si pro inani gloria observantur. Aqua repleantur, timore Dei custodiantur, quoniam timor Domini fons vitæ, aqua, inquam, timor Domini est, & si minus sapida, sed optimè refrigerans animam noxiis desideriis æstuantem. Aqua est quæ jacula inimici ignita possit extinguere. Nam nec illud dissonat, quod aqua semper ima petit, & timor ad ima cogitationem deducit, & in inferioribus immoratur, atque loca horrenda pavida mente colluſtrat, juxta illud: *Vadam ad portas inferi* [k]. Sed divina virtute aqua mutatur in vinum, quando perfecta charitas foras mittit timorem.

Istæ hydriæ, seu vasa pœnitentiæ implentur aqua Timoris Dei, postea convertenda in vinum Amoris.

k Esai. 38. b

Dicuntur autem lapideæ hydriæ, non tam propter duritiam quam stabilitatem. *Capientes singulæ metretas binas vel ternas.* Duæ metretæ, duplex timor, ne forte trudi in gehennam, ne forte ab æterna vita contingat excludi. Sed quia de contingente futuro sunt ista, & blandiri potest sibi anima dicens: Postquam aliquandiu in voluptatibus tuis vixeris, ages pœnitentiam, nec ista jam carituras, nec periturus in illa: bonum est adhibere & tertium: qui utique spiritualibus notus est, eo utilior quod de præsenti est. Timent enim qui noverint spiritualem cibum, ne quando forte fraudentur eo. Cibo siquidem forti egent qui manum miserunt ad fortia. Vivant de paleis Ægypti qui deserviunt in operibus luti & lateris, nobis fortior cibus est necessarius: quoniam nobis grandis restat via, ut ambulemus in fortitudine cibi illius. Ipse est panis Angelorum, panis vivus, panis quotidianus. Hic est de quo nobis promissum est [l], *quia centuplum accipiemus in hoc sæculo.* Sicut enim mercenariis & quotidianus cibus datur in opere, & merces servatur in fine: sic Dominus vitam æternam in fine reddet, & interim centuplum repromittit & exhibet. Quid ergo mirum si timet ne perdat hanc gratiam, qui jam consecutus est eam. Hæc est metreta tertia, quam sub disjunctione signanter posuit, eò quòd non omnium sit, quia nec omnibus centuplum repromissum, sed solis qui omnia reliquerunt.

Duplex timor.

Tertius Timor Religiosorum proprius.

l Matt. 9. d

DOMIN. I. POST OCTAV. EPIPHAN.

De spiritualibus nuptiis in Evangelica historia designatis.

Sermo II.

IN operibus Domini, Fratres, & minùs capaces animos exterior consideratio pascit: & qui magis exercitatos habent sensus, solidiorem intus cibum inveniunt, & suaviorem, tanquam adipem medullamque frumenti. Sunt enim & exteriori specie delectabilia, & interiori virtute multo delectabiliora: quemadmodum & ipse exteriùs quidem speciosus

Christi duplex pulchritudo:

erat

erat forma præ filiis hominum : interiùs autem tanquam candor lucis æternæ, etiam ipsis supereminens vultibus Angelorum. Apparebat enim foris homo sine culpa, caro sine peccato, agnus sine macula. Quam speciosi pedes annunciantis pacem, annunciantis bona [a] ? sed multo speciosius & preciosius caput eius : quoniam caput Christi Deus. Delectabilis aspectus hominis in quem peccatum non cadit : & beati oculi qui viderunt, sed multo magis *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [b]. Denique cum perveniſſet ad nucleum, testam jam (licet decoram valde) non reputabat Apostolus, dicens [c] : *Et si cognovimus aliquando Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Nimirum quia Dominus ipse prædixerat [d] : *Caro non prodest quicquam, spiritus est qui vivificat.* Sed hæc est sapientia quam loquitur Paulus inter perfectos, non inter eos quibus legimus ab eodem dictum [e] : *Nihil arbitratus sum me scire inter vos nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Totus suavis est, totus salubris est, totus delectabilis, totus denique secundùm Sponsæ vocem [a] desiderabilis. Sicut autem in eo ostensum est ; sic & in operibus eius reperies. Nam & superficies ipsa tanquam à foris considerata decora est valde : etsi quis fregerit nucem, intus inveniet quod jucundiùs sit, & multo amplius delectabile. Non sic apud Patres veteris testamenti reperies. Nam & in operibus eorum decora & delectabilis est significatio mystica : ipsa tamen si per se considerentur, invenientur aliquanto minùs digna, ut sunt facta Jacob, adulterium David, & multa similia. Preciosa quidem sunt fercula, sed vasa non adeo pretiosa. Et fortasse propterea dictum est [f] : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, quoniam tenebrosæ nubes illæ fuerunt, & subiunctum est de Domino ; *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt.*

interior & exterior.

a Esa. 52.

b Matt. 5. a

c 2. Cor. 5. d

d Ioan. 6. g

e 1. Cor. 2. a

a Cant. 4. d

Patrum Vet. Test. facta quædam significatione decora, etsi opere ipso fœda.

f Psal. 17. b

Credo jam advertistis ad quid hæc dicere velim. Audistis enim hodie miraculum factum in nuptiis : initium utique signorum Domini : cuius & historia satis est admirabilis, & significatio amplius delectabilis. Magnum enim divinæ maiestatis indicium fuit, ad nutum Domini aquam in vinum converti : sed est illa multò melior mutatio dexteræ Excelsi, quam in ista præfiguravit. Omnes enim nos ad spirituales nuptias vocati sumus : in quibus utique sponsus est Christus Dominus : unde canimus in Psalmo [g] : *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Sponsa verò nos ipsi sumus, si non vobis videtur incredibile, & omnes simul una sponsa, & animæ singulorum quasi singulæ sponsæ. Sed quando hoc sentire poterit fragilitas nostra de Deo suo, quod eo affectu se diligat, quo diligitur sponsa à sponso ? Multum enim hæc sponsa sponso suo inferior genere, inferior specie, inferior dignitate. Attamen propter

Nuptiæ spirituales ad quas omnes vocati sumus.

g Psal. 18. b

Christus Sponsus.

Anima hominis sponsa. Amor sponsi erga sponsam.

Æthiopissam istam de longinquo Filius æterni Regis advenit, & ut sibi desponsaret illam, etiam mori pro ea non timuit. Moyses quidem Æthiopissam duxit uxorem [h]: sed non potuit Æthiopissæ mutare colorem. Christus verò quam adamavit ignobilem adhuc & fœdam, gloriosam sibi exhibuit Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam. Murmuret Aaron, murmuret & Maria, non nova, sed vetus: non Mater Domini, sed soror Moysi: non nostra, inquam, Maria, illa enim sollicita est, si quid forte deest in nuptiis. Vos autem ut dignum est murmurantibus Sacerdotibus, murmurante synagoga, toto affectu in gratiarum actione versamini.

h Num. 11.

Dignitas & excellentia sponsi.

Unde enim tibi, ô humana anima, unde tibi hoc? Unde tibi tam inæstimabilis gloria ut eius sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli ipsi prospicere? Unde tibi hoc, ut ipse sit sponsus tuus, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur, ad cuius nutum universa mutantur? Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi, ut sis socia mensæ, socia regni, socia deniq; thalami, ut introducat te rex in cubiculum suum? Vide jam quid de Deo tuo sentias: vide quantum de Deo præsumas. Vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti te æstimavit, imo qui tanti te fecit: de latere enim suo te reformavit, quando propter te obdormivit in cruce, & somnum mortis excepit. Propter te à Deo Patre exivit: & matrem Synagogam reliquit: ut adhærens ei, unus cum eo spiritus efficiaris. Et tu ergo audi filia & vide, & considera quanta sit erga te dignatio Dei tui: & obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Desere carnales affectus, sæculares mores dedisce: à prioribus vitiis abstine, consuetudines noxias obliviscere. Quid enim putas? nonne stat Angelus Domini qui secet te mediam, si forte (quod avertat ipse) alterum admiseris amatorem?

Reciprocus sponsæ erga sponsum Amor.

Convivium nuptiale.

Jam enim desponsata es illi, jam nuptiarum prandium celebratur: nam cœna quidem in cœlo & in aula æterna paratur. Veruntamen nunquid ibi vinum deficiet? Absit. *Inebriamur* ibi *ab ubertate Domus Dei, & torrente voluptatis eius potabimur* [i]. Paratum est profecto illis nuptiis flumen vini, vini inquam, quod lætificat cor. Siquidem fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Nunc autem quoniam grandis nobis restat via, prandium quidem accipimus hic, etsi non in tanta copia, quòd plenitudo & satietas cœnæ reservetur æternæ. Hîc ergo nonnunquam vinum deficit, gratia scilicet devotionis, & fervor charitatis. Quoties mihi necesse est, Fratres, post lachrymosas querimonias vestras, exorare Matrem misericordiæ, ut suggerat suo benignissimo Filio quoniam vinum non habeatis? Et ipsa, dico vobis charissimi, si piè à nobis pulsata fuerit, non

i Psal. 45. a

Cœna est alterius vitæ, Prandium præsentis, ibi mera abundantia; hic sæpè defectus vini.

deerit

deerit necessitati nostræ: quoniam misericors est, & mater misericordiæ. Nam si compassa est verecundiæ illorum à quibus fuerat invitata, multo magis compatietur nobis, si piè fuerit invocata. Placent enim illi nuptiæ nostræ, & pertinent ad eam multo amplius illis: nimirum de cuius utero tanquam è thalamo suo cœleitis sponsus processit.

Recursus BERNARDI *ad Virginem Deiparam.*

Sed quem non moveat quod in nuptiis illis respondit Dominus benignissimæ ac sanctissimæ matri suæ dicens: *Quid mihi & tibi est mulier?* Quid tibi & illi, Domine? Nonne quod Filio & Matri? Quid ad illam pertinet quæris, cum tu sis benedictus fructus ventris eius immaculati? Nonne ipsa est quæ salvo pudore concepit, & sine corruptione te peperit? Nonne ipsa est, in cuius utero novem mensibus moratus es: cuius virgineis uberibus lactatus es: cum qua jam duodecim annorũ factus de Hierusalem descendisti, & eras subditus illi? Nunc ergo Domine quid molestus es illi dicens: *Qnid mihi & tibi*? Multum per omnem modum. Sed manifestè jam video quod non velut indignans, aut confundere volens virginis Matris teneram verecundiam, dixeris, *Quid mihi, & tibi*? cùm venientibus ad te (juxta matris præceptum) ministris, nihil cunctatus facias quod illa suggessit. Ad quid ergo fratres, ad quid sic respondebat prius? Utique propter nos, ut conversos ad Dominum jam non sollicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illæ non impediant exercitium spirituale. Quandiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus. At postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum sollicitudine liberi sumus. Unde & legimus fratrem quemdam in eremo conversantẽ, cum ad eum carnalis frater auxilii gratia adventasset, respondisse, ut adiret alterum fratrem eorum, cum illẽ utique jam obiisset. Cumque admiratus qui venerat responderet: quia ille obiit: eremita se quoque similiter obiisse respondit. Optimè ergo nos docuit Dominus ne solliciti sumus super propinquis carnis nostræ plus quàm religio postulet, quando ipse Matri & tali Matri respondit, *Quid mihi & tibi est mulier*? Sic & in alio loco cum suggereret ei quidam quoniam foris staret cum fratribus Domini quærens ei loqui, respondit [k]: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei*? Ubi modò sunt qui tam carnaliter & inaniter super carnalibus propinquis suis solent esse solliciti, ac si adhuc viverent & ipsi cum eis?

Responsũ Christi ad Matrem durius & asperius, quid sibi velit.

Religiosos Parentibus & propinquis nimium affectos Christus exemplo suo redarguit.

k Matt. 12. & Marc. 3.

Sed videamus jam quid sequitur. *Erant*, ait Evangelista, *hydriæ sex positæ secundùm purificationem Iudæorum*. Vel ex hoc potes manifestiùs advertere non plenitudinem, sed præparationem nuptiarum esse, ubi nimirum adhuc opus est purificatione. Desponsationis ergo nuptiæ istæ sunt, non copulationis. Absit enim illis in nuptiis fore vasa

purificationis? quando glorioſam ſibi Chriſtus Eccleſiam exhibebit, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid huiusmodi. Ubi autem non erit macula, quæ purificatio erit neceſſaria? Nunc utique lavandi tempus eſt, nunc purificationem patet eſſe neceſſariam: quoniam nemo mundus à ſorde, nec infans cuius eſt unius diei vita ſuper terram. Nunc abluitur ſponſa, nunc purificatur: ut in cœleſtibus illis nuptiis ſponſo ſuo ſine omni macula præſentetur. Quæramus ergo hydrias ſex, in quibus hæc ablutio Judæorum, id eſt, confitentium purificatio fiat. Nam ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt [l], quæ ſola liberat, ſola ſalvat, ſola lavat. Quod ſi confiteamur peccata noſtra, non deerunt veris Judæis purificationis hydriæ: quoniam fidelis eſt Deus, qui dimittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.

Hæc vita tempus purificationis.

l 1. Ioan. 1. c

Ego quidem ſex hydrias, ſex obſervantias arbitor eſſe, quas ad purificanda confitentium corda Sancti Patres inſtruere, & omnes illas (ni fallor) hîc poterimus invenire. Prima ſiquidem *continentia* eſt caſtitatis, qua diluitur quicquid antè luxuria inquinavit. Secunda verò *jeiunium* eſt, ut quod maculaverat crapula, nunc abſtinentia mundet. Per ſegnitiem quoque & otioſitatem quæ inimica eſt animæ, multas contraximus ſordes contra Dei ſententiam [m] in ſudore vultus alieni, non noſtri, pane veſcentes: propter hoc quoque tertia hydria, nobis apponitur, ut ſordes illæ in *labore manuum* diluantur. Sic & per ſomnolentiam cæteraque noctium & tenebrarum opera, multa deliquimus: ideo quoque quarta hydria *vigiliarum* obſervantia ponitur, ut nocte ſurgentes ad confitendum Domino, non bonas noctes præteriti temporis redimamus. Jam verò de lingua quis neſciat quàm multùm inquinaverit nos per vaniloquia & mendacia, per detractiones & adulationes, per verba malitiæ & verba jactantiæ? Pro his omnibus neceſſaria eſt hydria quinta, *ſilentium* ſcilicet cuſtos religionis, & in quo eſt fortitudo noſtra. Sexta quoque hydria *diſciplina* eſt, qua non noſtro arbitrio, ſed alieno vivimus, ut deleatur quicquid indiſciplinatè vivendo deliquimus. Lapidea ſunt hæc, dura ſunt, ſed neceſſe habemus in his lavari: niſi fortè voluerimus propter fœditates noſtras à Domino accipere libellum repudii. Attamen in eo quod dicuntur lapideæ; non ſolùm duritia, ſed multò meliùs ſoliditas poteſt intelligi: quoniam non lavant hæc, niſi firma ſtabilitate permanſerint.

Sex hydriæ myſticæ:
1. *Continētia.*
2. *Abſtinentia.*

m Gen. 3. d

3. *Labor manuum.*

4. *Vigiliæ.*

5. *Silentium.*

6. *Diſciplina.*

« Ait ergo Dominus ad miniſtros: *Implete hydrias aqua.* Quid ſibi iſtud vult Domine? Miniſtri ſolliciti ſunt de vini penuria, & tu dicis, *Implete hydrias aqua*? Illi de poculis cogitant, & tu præcipis ut vaſa purificationis

tionis impleant? Sic omnino sic suspiranti Jacob ad Rachaelis amplexus, Lia à Patre supponitur [m]. Nobis, Fratres, qui Ministri sumus & servi vestri, per Christum nobis præcipitur implere hydrias aquâ, quoties deest vinum. Ac si dicatur: Illi devotionem desiderant, vinum requirunt, fervorem flagitant: sed nondum venit hora mea, implete hydrias aqua. Quæ est enim aqua sapientiæ salutaris, etsi non adeò suavis, nisi fons vitæ, & initium Sapientiæ timor Domini? Dicitur ergo Ministris, Incutite metum, & spiritu timoris non tam vasa quàm corda replete: quia ut ad charitatem perveniant, initiandi sunt à timore, ut dicant & ipsi [n]: *A timore tuo concepimus Domine, & parturivimus spiritum salutis.* Sed quomodo implebuntur hydriæ? Prædixerat enim Evangelista, *capientes singulæ metretas binas vel ternas.* Quæ sunt duæ metretæ, quæve tertia? Utique duplex timor, communis & notus omnibus: ac tertius quidem minùs communis, & minùs notus, *Primus* enim timor est, ne cruciemur in gehenna. *Secundus* ne excluſi à visione Dei privemur tam inæstimabili gloria. *Tertius* replet animam omni sollicitudine timidam, ne fortè deseratur à gratia.

[m] Gen. 29. f

[n] Esa. 26. d

Duplex timor.
1. *de cruciatu Gehennæ.*
2. *de carentia gloriæ; accedit.*
3. *de jactura gratiæ.*

Et quidem omnis timor Domini, sicut aqua extinguit ignem, sic extinguit peccati concupiscentiam: sed is maximè cum ad omnem tentationem statim occurrit, ne fortè contingat amittere gratiam, ut sibi derelictus homo labatur quotidie de malo in peius, de periculo minori in graviorem culpam: quales utique multos videmus cum in sordibus sint, sordescentes adhuc. Nam adversus timorem istum non est unde sibi blandiatur anima sive de minori fortè quantitate peccati, sive de emendatione futura. Talibus enim blandimentis impediuntur aliquatenus duo prima genera timoris. Præcipit ergò nobis Dominus, ut hac aqua hydrias impleamus. Sunt enim aliquando vacuæ, & plenæ vento: si quis tamen adeò insanus est, ut in eo per vanitatis studium illæ, quas prædiximus, observantiæ, mercede perpetua vacuentur, ut sunt fatuæ virgines, in quarum vasis oleum non habetur. Interdum autem (quod peius est) plenæ quidem sunt, sed plenæ veneno, quod est invidia, murmur, rancor animi, & detractio. Propterea ne fortè subintrent ista, dum vinum deest, jubemur implere hydrias aqua; ut observentur mandata Domini in timore, quæ tunc mutatur in vinum, cum timor expellitur à charitate, & implentur omnia fervore Spiritus, & jucunda devotione.

Vilitas timoris, adversus peccati concupiscentiam.

IN

IN CONVERSIONE S. PAULI.

De persecutionibus etiam nunc Ecclesiam affligentibus, & vera obedientia.

SERMO I.

Saule, Saule quid me persequeris? Act. 9. 4.

Paulus conversus convertit gentes, etiam hodie.

MEritò quidem, dilectissimi, conversio Doctoris gentium ab universitate gentium festivis gaudiis hodie celebratur. Multos enim ab hac radice ramos prodiisse videmus. Conversus Paulus, conversionis ministeer factus est in universo mundo. Et multos quidem olim in carne adhuc, sed non jam secundùm carnem ambulans, prædicationis officio convertit ad Deum; nunc quoque in ipso feliciùs vivens, & apud ipsum, ne adhuc quidem cessat ab hominum conversione: dico autem exemplo, oratione, doctrina. Propterea denique conversionis eius memoria frequentatur, quòd & ipsa quoque memorantibus utilis inveniatur. In hac enim memoria & peccator spem veniæ concipit, & provocatur ad pœnitentiam, & qui jam pœnitet, perfectæ conversionis accipit formam. Quis desperet ultra pro magnitudine cuiuslibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc spirantem minarum, & cædis in discipulos Domini, subitò factum vas electionis? Quis dicat iniquitatis pondere pressus, assurgere jam ad studia meliora non valeo: quando in ipso itinere quo sanguinem sitiens Christianum, dirum toto pectore virus efflabat, persecutor crudelissimus in fidelissimum repente mutatus est prædicatorem? Magnificè siquidem in hac una conversione & misericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur.

Idque tripliciter; Exemplo, Oratione, doctrina.

Festivitas conversionis triplicem adfert utilitatem.

1. Spem veniæ.

Subito (ait Lucas [a]) *circumfulsit eum lux de cœlo.* O verè inæstimabilis divinæ dignatio pietatis! Illustrat cœlesti fulgore vel à foris, intus adhuc luminis incapacem. Qui necdum infundi poterat, divina saltem circumfunditur claritate. *Et vox facta est.* Lucis & vocis testimonia credibilia facta sunt nimis; nec dubitare est de veritate quæ sese ingerit per utrasque, oculorum scilicet auriúmque fenestras. Sic nimirum, sic in Jordane quoque supra caput Domini & columba apparuit, & vox sonuit: sic & in monte quando transfiguratus est coram Discipulis, & claritas visa est, & vox nihilominus Patris audita: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Verè deprehensus est Saulus: non est dissimulandi locus, non est facultas ulla negandi. In manibus sunt epistolæ crudelissimæ legationis, auctoritatis execrandæ, potestatis iniquæ. *Quid me persequeris?* inquit. An non persequebatur Christum, qui Christi membra trucidabat in terris? An verò persecuti sunt Christum, qui sacratissimum illud

[a] Actor. 9. 3

Fidelium persequutio ipsius Christi censetur.

corpus

corpus crucis affixère patibulo, & non persequebatur eum qui adversus corpus eius quod est Ecclesia (est enim corpus eius etiam ipsa) odio fuere batiniquo? Denique si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione, avertit ab eo animas quas redemit, quàm à Judæo qui sanguinem illum fudit.

Salutem animarum impedire, gravissima persequutio est.

Agnoscite dilectissimi & expaveſcite consortia eorum qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino maiestatis manus sacrilegas injecerunt. Videbatur jam cessasse persecutionis tempus, sed ut palàm factum est, nunquam deest persecutio Christiano, sed neque Christo. Et nunc quod gravius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo utique Christiani dicuntur. Amici tui DEUS & proximi adversum te appropinquaverunt & steterunt. Coniurasse videtur contra te universitas populi Christianià minimo usque ad maximum: à planta pedis usque ad verticem nõ est sanitas ulla: egressa est iniquitas à senioribus, judicibus, vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum: non est jam dicere, Ut populus, sic Sacerdos; quia nec sic populus, ut Sacerdos. Heu, heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum! Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt m'unitiones, & universam deinceps liberè & potestativè tradunt incendio civitatem. Misera eorum conversatio, plebis tuæ miserabilis subversio est. Atque utinam sola hac parte nocerent. Esset fortè qui Dominica præmonitus & præmunitus exhortatione, daret operam ipsorum non exempla imitari, sed observare præcepta, juxta illud [b]: *Quæ dicunt facite, & ad opera eorum nolite respicere.* Nunc autem dati sunt sacri gradus in occasionem turpis lucri, & quæstum æstimant pietatem. Copiosissimæ siquidem pietatis inveniuntur in suscipienda (imò accipienda magis) animarum cura; sed hæc apud eos cura minor, & de animarum salute novissima cogitatio est. An verò Salvatori animarum gravior ulla esse poterat persecutio? Iniquè agunt & cæteri contra Christum, multique sunt nostris temporibus Antichristi. Meritò tamen & crudeliorem eam censet persecutionem pro acceptis beneficiis, & graviorem sentit pro potestate, quam propriis sustinet à ministris: licet alii quoque multi contra proximorum salutem multifariè multisque modis & variis occasionibus agere videantur. Hæc videt CHRISTUS & silet; hæc Salvator patitur & dissimulat. Propterea dissimulemus nos quoque necesse est, & sileamus interim,

Nunquã deest persequutio Christiano, adeoq; Christi.

NOTA. Prælati & Pastores mali maximi persecutores Christi.

[b] Matt. 23. a

Sacros Ordines in turpis lucri occasionem cedere deplorat.

maximéque de Prælatis nostris, Magistris Ecclesiarum. Sic nimirum, sic placet & ipsis, ut evadant nunc humana judicia, veniatque semel judicium grave his qui præsunt, & potentes patiantur tormenta potenter.

Detractores & scandali auctores, etiam Christi persecutores.

Vereor, dilectissimi, ne quis fortè sit & in nobis Domini persecutor; quia manifesta docuit ratio, impedire salutem, esse persequi Salvatorem. Quas ego de salute animæ meæ fratri illi gratias agere possum, qui mihi propinat detractionis fraternæ venenum? Meritò *detractores Deo odibiles* describuntur [c], tanquam persecutores. Quid & is qui exemplo suo ad remissius agendum cæteros provocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate, aut impatientia sua & murmuratione molestat, aut quocunque modo contristat spiritum Dei qui in eis est, scandalizans unum de minimis istis credentibus in eum? Nonne & hic manifestè persequitur Christum? Ut ergo persecutorum & nomen & crimen longè sit semper à nobis, obsecro vos dilectissimi, benignos semper & mites exhibeamus nos, invicem supportantes in omni patientia, & ad id quod melius & perfectius est, alterutrum provocantes. Quis enim servus sufficere sibi putat non persequi Dominum, sed nec obsequi Domino? Quam habiturus est gratiam, si ut non resistit, sic nec assistit quidem? Denique si quis adeo pusillanimis est, ut satis sibi reputet nec persequutorem esse nec coadiutorem Dei, audiat quid ipse loquatur [d]: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit.*

[c] Rom. 1. d

[d] Matt. 12. c Luc. 11.

Saule, Saule, quid me persequeris? Et ille: Quis es Domine [e]? Hinc profectò datur intelligi quia verè circunfusa erat illi claritas, non infusa. Audiebat Paulus vocem Domini, sed faciem Domini non videbat, quoniam erudiebatur ad fidem: ut & ipse postea docuit, *fides ex auditu est* [f]. *Quis es?* Inquit. Ignotum enim persequebatur, & ideo consequutus est misericordiam, quia ignorans in incredulitate hoc fecit.

[e] Actor. 9. a

[f] Rom. 10

Leviora etiam peccata quam studiosè cavenda.

Discite ex hoc, Fratres, justum judicem Deum, non modò quid fiat, sed & quo animo fiat, considerate: & cavete deinceps ne quis parva reputet, quamlibet parva scienter delinquere convincatur. Nempe dicat in corde suo, Levia sunt ista, non curo corrigere: non est magnum si in his maneam venialibus minimísque peccatis. Hæc est enim dilectissimi, impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis. Paulus quidem blasphemus fuit, sed non in Spiritum Sanctum, quia ignorans fecit in incredulitate: non in Spiritum Sanctum blasphemans: ideo consequutus est misericordiam.

Quis es Domine? Et Dominus ad eum: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Ego sum Salvator, quem tu persequendo petis*. Ego sum de quo tu in lege tua legis prædictum quod nescis impletum [g], *quia Nazarenus*

* *al.* peris.

[g] Matt. 2. d

garenus vocabitur. Et ille: *Domine, quid me vis facere?* Hæc planè fratres, perfectæ conversionis est forma. *Paratum,* inquit [h], *cor meum Deus, paratum cor meum. Paratus sum & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua* [i]. *Domine, quid me vis facere?* O Verbum breve, sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum omni acceptione. Quàm pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abjecerint voluntatem ut ne ipsum quidem cor proprium habeant, ut non quid ipsi, sed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes sine intermissione: *Domine, quid me vis facere?* Et illud Samuelis [k]: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Heu plures habemus Evangelici illius cæci, quam novi Apostoli imitatores. *Quid vis* (ait Dominus ad cæcum illum [l]) *ut faciam tibi?* Quanta est miseratio tua Domine, quanta dignatio tua? Siccine Dominus quærit ut servi faciat voluntatem? Verè cæcus ille, quia non consideravit, non expavit, non exclamavit. Absit hoc Domine, tu magis dic quid me facere velis. Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri & fieri voluntatem. Videtis, Fratres, quia verè necessaria erat hoc in loco conversio? Sic profecto, sic multorum usque hodie pusillanimitas & perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat. Quid vis ut faciam tibi? Non ipsi quærant: *Domine, quid me vis facere?* Considerare necesse habent Ministri & Vicarii Christi, quid sibi præcipi velint: non ipsi considerant quæ voluntas sit præceptoris. Non est obedientia eorum plena, non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt & dijudicant eligentes in quibus obediant imperanti, imo in quibus Præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. Huiusmodi itaque etsi tolerari se videant, & condescendi ac morem geri infirmitati suæ, proficiant obsecro, pudeátque semper parvulos inveniri, ne quando fortè audiant: Quid debui vobis facere, & non feci? & abutentibus patientia & benignitate Prælati, fiat tandem multitudo exhibitæ miserationis cumulus justæ damnationis.

Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad illum: Surge, & ingredere civitatem, ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. O sapientia suaviter verè universa disponens! Eum cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, ut socialis vitæ commendetur utilitas, & edoctus per hominem, discat & ipse secundùm datam sibi gratiam hominibus subvenire. *Ingredere civitatem.* Videtis, Fratres, non sine divino consilio factum esse, ut hanc civitatem Domini virtutum ingrederemini, divinam discere voluntatem? Planè qui te salubriter terruit, & convertit cor tuum ad desiderandam voluntatem suam, ipse tibi dixit, *Surge, & ingredere civitatem.*

[h] Psal. 56. b

[i] Psal. 118. h

Perfecta Pauli obedientia, & propriæ voluntatis abdicatio commendatur.

[k] 1. Reg. 3. b

[l] Matt. 10. & Luc. 18. g

Religiosi propriæ magis quam Prælatorum voluntatis studiosi perstringuntur.

Cœnobiticæ seu socialis vitæ utilitas.

civitatem. Sed audi quàm manifeste in his quæ sequuntur, voluntaria simplicitas & Christiana commendatur mansuetudo. *Apertis oculis nihil videbat: ad manus autem trahebatur ab his qui comitabantur eum.* Fœlix cæcitas, qua malè quondam illuminati in prævaricatione, tandem in conversione oculi salubriter excæcantur. Sanè quod triduo Paulus sine cibo manet persistens in oratione, ad eos maximè pertinet, qui noviter seculo abrenunciantes, necdum in cœlesti consolatione respirant. Sustineant ergo & ipsi Dominum in omni patientia, orent sine intermissione, quærentes, petentes, pulsantes: quia exaudiet eos Pater cœlestis in tempore opportuno. Non oblivisetur eorum in finem, veniet & non tardabit. Si triduo sustinueris eum non habens quod manduces, confide quia miserator & misericors Dominus jeiunum te non dimittet.

Converſis recenter & carentibus conſolatione cœleſti quid faciendum.

Exinde jubetur Ananias manus imponere Saulo, sed tanquam benè eruditus, non continuò acquiescit. Vide enim si non etiam Paulus ipse doctrinam hanc deinde ttadidit discipulo: *Nemini,* inquiens [m], *cito manus imponas. Vidit* (ait Dominus) *virum imponentem sibi manus ut visum recipiat*.* Fratres, Paulus hoc cum vidisset, non continuò illuminatus est. Nunquid non expectavit Ananiæ manum, quia venturum eum fortè in somnis prævidit? Hæc dico, charissimi, quia vereor ne quis fortè sit inter vos, qui solo se somnio præsumat illuminatum esse: nec jam æquanimiter patiatur ad manum trahi, sed ductorem sese profiteatur aliorum. Cui enim necdum administrationis cura injuncta est, cui necdum credita dispensatio, cui necdum præceptum ut videat & provideat his qui apertos oculos habentes nil vident? Quid hoc præsumere tentat, nisi quia meditatur inania, & quasi omnia vana sectatur? Caveamus ab hoc vitio, Fratres, semper, quod in nobis est, abiecti eligamus esse, & ad manus trahi, mansuetudinem & humilitatem discentes à Christo Domino: cui eit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

m 1. Tim. 5. d „ „ „

Viſionibus non temerè & præpropere credendum; Exemplo Ananiæ.

* *Hæc verba in Bibliis correctis includuntur parentheſi, ut ſint verba Lucæ hiſtoriam Apoſt. ſcribentis, hic Chriſto tribuuntur.*

DE CONVERSIONE S. PAULI,

SERMO II.

COnversus est hodie Paulus, imo Saulus conversus, versus est in Paulum. Siquidem factus est tanquam Evangelicus ille parvulus, de quo Dominus ait [a]: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.* Fortè enim seipsum dicebat. Nimirum ipse magnus Dominus & laudabilis nimis, ipse parvulus qui datus est nobis;

a Matt. 18. a

Chriſtus parvus & humi-

nec

hec tamen magnus interim, sed parvulus exhibetur, ut seipsum faciat gratum & efficax necessariæ parvitatis exemplum. Ad parvulum ergo sit conversio tua, ut discas parvulus esse: tu quoque cum converteris, parvulus fias. Enimverò audi quàm evidenter ipsum tibi (in quo constituit formam conversionis) parvulum manifestat, signanter ea quæ sunt parvuli in seipso imitanda proponens: *Discite à me*, inquit [b], *quia mitis sum, & humilis corde.* Gemina parvitas, humilitas & mansuetudo. Et illa interior, ista exterior parvitas: utraque tamen non parva virtus est: nempe quam parvulus ille tam magnus unicum magisterium profitetur. Hodie ergo conversus est Paulus, hodie desiit esse Saulus. Hodie factus est humilis, & mitis corde. Probat oris confessio cordis humiliationem, dum clamat [c]: *Domine, quid me vis facere?* Magis autem probat ipsa collatæ gratiæ magnitudo, quæ nimirum tam multa, nisi multum humili, data non fuit.

lis necessariæ parvitatis exemplum.

[b] Matt. 11. d

[c] Actor. 9. a

Cæterum mansuetudo quoniam exterior quædam (ut diximus) parvitas, & ob hoc manifestior est, tripliciter nobis in conversione hac commendatur. Triplici quidem velut arìete mansuetudo nostra pulsatur, verborum iniuriis, damnis rerum, corporis læsione. In his tribus omnis exhibitio patientiæ, omnis exercitatio mansuetudinis. Probata est illa virtus, quam nihil horum videtur concurrere potuisse. Considerare libet quemadmodum Paulus super his omnibus in ipsa statim sua conversione tentatus, verè jam Paulus inventus sit, in hac parte verè mitis & patiens [d]: *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Durum eiusdem verbum, verbum increpatorium, plenum comminatione. Sanè quod ad corpus pertinuit, concussus est & prostratus in terram. An verò & damno quoque probatus est? Et valde. Siquidem ipsum ei lumen ademptum est oculorum, *& apertis*, ut scriptum est [e], *oculis nihil videbat.* Experta est in his tribus & exercitata patientia Jobi quem in hac virtute opinatissimum DEUS exemplar dedit. Sed vestræ hoc industriæ relinquimus vestigandum. Sufficit nos monere formam veræ conversionis magna ex parte in hac mansuetudine constitutam, ut pudeat eos qui conversi esse debuerant vel in corporum læsione, vel in damno rerum, vel (quod magis indignum est) in verborum injuriis inveniri perversos penitus & aversos.

Mansuetudo triplici ariete pulsatur.

Sed ab eo Paulus illæsus.

[d] Ibid.

[e] Ibid.

Patientia Iobi.

IN PURIFICATIONE BEATÆ MARIÆ.

Suscepimus DEVS misericordiam tuam in medio Templi tui. Psal. 47. b.

De triplici misericordia.

SERMO I.

Prima Christi processio.

HOdie templi Dominum, in templum Domini Virgo Mater induxit: Joseph quoque sistit Domino non suum, sed eius Filium dilectum, in quo ei bene complacuit. Agnoscit justus quem expectabat, Anna quoque vidua confitetur. Ab his quatuor primò hodierna processio celebrata est, quæ postmodum exultatione universæ terræ in omni loco & ab omni gente celebraretur. Nec sanè mirum si tunc parva fuit, quandoquidem parvus erat qui suscipiebatur. Nullum ibi locum peccator habuit, omnes Justi, omnes Sancti, omnes fuère perfecti. Sed nunquid hos tantum salvabis Domine? Crescat corpus, crescat & miseratio. Homines & jumenta salvabis Domine, cum multiplicaveris misericordiam tuam Deus. In secunda jam processione præeunt turbæ, turbæ sequuntur, nec virgo portat, sed asellus. Neminem itaque dedignatur: nec ipsos qui computruerunt tanquam jumenta in stercore suo: non dedignatur inquam, sed si apostolica vestimenta non desint, si doctrina eorum, si morum justitia, si obedientia, si charitas cooperiat multitudinem peccatorum, ex hoc jam processionis suæ gloria non censebit indignos. Magis verò & ipsam quæ tam paucis collata videtur, nobis quoque ab ipso invenire est reservatam. Quidni reservaret posteris, quam & prærogavit antiquis.

Ratio processionis hodiernæ insinuatur.

Secunda Christi processio.

David Rex & Propheta exultavit ut videret diem istum, vidit & gavisus est. Alioquin si non viderat, unde psallebat: *Suscepimus*, inquit [a], *Deus misericordiam tuam in medio templi tui?* Suscepit hanc misericordiam Domini David, suscepit Simeonem. Suscepimus & nos, & quicunque sunt præordinati ad vitam. Siquidem Christus heri & hodie & in æternum. In medio enim templi misericordia est, non in angulo aut diversorio, quia non est acceptio personarum apud Deum. In communi posita est, offertur omnibus, & nemo illius expers, nisi qui renuit. Derivantur aquæ tuæ foras Domine Deus, nihilominus tamen fons tuus tibi proprius est, & non bibit alienus ex eo. Qui tuus est, non videbit mortem, donec viderit Christũ Domini, ut securus dimittatur in pace. Quidni dimittatur in pace, qui Christũ Domini habet in pectore? Ipse enim est pax nostra qui per fidem habitat in cordibus nostris. Tu quomodo hinc exibis anima misera, quæ ducem itineris Jesum ignoras? Ignorantiam enim Dei quidam

[a] Psal. 47. b

Copia miserationis divinæ.

quidam habent. Unde hoc? Nempe quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. *Et lux*, inquit [b], *in tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt.* Ac si dicat. Et in plateis derivantur aquæ, & alienus non bibit ex eis, & misericordia in medio templi est, & nec tamen accedunt quos manet æterna damnatio. Medius vestrum stat, ô miseri, quem vos nescitis, ut morientes, ante quam videritis Christum Dominum, non in pace dimittamini: sed potius rapiamini à rugientibus præparatis ad escam. [b] Ioan. 1. a

Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui [c]. Longè est hæc gratiarum actio à voce illa gementis [d]: *Domine in cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.* Quid enim? Videturne tibi in medio fuisse misericordia: cum apud solos cœligenas spiritus haberetur? At ubi sanè minoratus est Christus paulominus ab Angelis, factusque est Dei & hominum mediator, ac velut lapis angularis pacificavit per sanguinem suum, quæ in cœlis sunt, & quæ super terram: ex hoc planè jam suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Eramus enim & nos natura filii iræ, sed consequuti sumus misericordiam. Cuius iræ filii? & quam misericordiam consequuti? Nempe filii ignorantiæ, ignaviæ, captivitatis: & consequuti sumus sapientiam, virtutem, redemptionem. Ignorantia mulieris seductæ excæcaverat nos: mollities viri abstracti & illecti à propria concupiscentia enervaverat nos: malitia diaboli expositos justè à Deo captivaverat nos. Sic ergo nascimur universi, primùm quidem viæ civitatis habitaculi prorsus ignari; deinde imbecilles & ignavi, ut etsi nota nobis esset via vitæ, propria tamen præpediremur & detineremur inertia: postremò captivi sub pessimo crudelissimóque tyranno, ut licet prudentes essemus atque robusti, ipsa tamen miseræ servitutis opprimeremur conditione. Nunquid non misericordia & miseratione multa opus habet tanta miseria? Aut certè si jam salvi sumus ab hac triplici ira per Christum, qui factus est nobis sapientia à Deo Patre, & justitia & sanctificatio & redemptio: quanta nobis vigilantia opus est, dilectissimi, ne forte (quod absit) inveniantur nostra novissima peiora prioribus, si denuò contingat iram incendere, utpote qui non natura jam, sed propria voluntate filii iræ sumus? [c] Psal. 47. b [d] Psal. 35. b

Triplicem misericordiam consequuti sumus, contra triplicem miseriam.

Amplectamur itaque misericordiam quam in medio templi suscepimus, & cum beata Anna non dimoveamur à templo. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*, ait Apostolus [e]. Propè est hæc misericordia, prope est verbum in ore vestro, & in corde vestro. Denique in cordibus vestris per fidem habitat Christus. Hoc templum eius, & hæc sedes eius; nisi fortè excidit vobis, quoniam *anima justi sedes sapientiæ*

v. Notas. *tiæ est*†. Quod ergò frequenter, imò & semper, admonere cupio fratres meos, obsecro & nunc, ambulemus non secundùm carnem in carne, ne displiceamus DEO. Non simus amici huius sæculi, ne Dei constituamur inimici. Resistamus ergo diabolo, & fugiet à nobis, ut liberè jam ambulemus in spiritu, & in corde sit conversatio nostra. Siquidem *corpus quod corrumpitur, aggravat*, & enervat & effœminat *animam, & terrena inhabitatio sensum multa cogitantem deprimit* [f], ut ad cœlestia non assurgat. Unde & *sapientia huius mundi stultitia est apud Deum* [g], & à maligno qui superatur, ei & servus addicitur. Porrò in corde suscipitur misericordia, & in corde habitat Christus: in corde loquitur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor.

f Sap. 9. a
g 1. Cor. 3. d

IN PURIFICATIONE B. MARIÆ,

Sermo II.

De ordine & modo processionis Christi in templum.

GRatias Redemptori nostro, qui tam copiosè prævenit nos in benedictionibus dulcedinis, sacramentis infantiæ suæ gaudia nostra multiplicans. Celebratis siquidem paulò antè Nativitate, Circuncisione, & apparitione eius, festus hodie nobis Oblationis eius dies illuxit. Hodie namque sistitur Creatori terræ fructus sublimis, hodie placabilis & Deo placens hostia virgineis manibus offertur in templo, portatur à parentibus, à senibus expectatur. Offerunt Joseph & Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum, Simeon & Anna suscipiunt. Ab his quatuor celebrata processio est, quæ per quatuor orbis climata solemnibus hodie gaudiis ad memoriam revocatur. Quia ergo festivam hodie & nos ipsi præter cæterarum consuetudinem solemnitatum acturi sumus processionem, non inutile arbitror modum ipsius & ordinem diligentius intueri.

Processionis hodie in Ecclesiis usitatæ ritus & mysteria tropologicè explicat.

Processuri sumus bini & bini candelas habentes in manibus, ipsas quoque succensas, nec quolibet igne, sed qui priùs in Ecclesia sacerdotali benedictione fuerit consecratus. Ad hæc futuri sunt in processione nostra novissimi primi, & primi novissimi: & cantabimus in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

Cur bini procedant.

Meritò sanè bini & bini procedimus: sic enim ob commendationem fraternæ charitatis, & socialis vitæ missos à Salvatore discipulos Evangelia sacra testantur [a]. Turbat processionem si quis solitarius incedere curat, nec sibi soli nocet, sed etiam cæteris est molestus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes, nec solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Jam verò sicut non est bonum

a Marc. 6. a

esse

esse hominem solum, sic in conspectu Domini vacuum apparere, est prohibitum [b]. Cum enim arguantur ociositatis ipsi quoque quos nemo conduxit [c]: qui jam conducti sunt, si ociosi inventi fuerint, quid merentur? *Fides quippe sine operibus mortua est* [d]. Ipsa denique opera nostra in fervore agenda sunt, & in desiderio cordis: ut sint lucernæ ardentes in manibus nostris. Alioquin timendum est, ne fortè tepidos nos evomere incipiat, qui in Evangelio loquitur dicens [e]: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Hic planè sacer & benedictus est ignis, quem Pater sanctificavit & misit in mundum, & cui benedicitur in Ecclesiis, sicut scriptum est [f]: *In Ecclesiis benedicite Deo Domino.* Habet enim etiam adversarius noster, utpote perversus divinorum operum æmulator, habet, inquam, ignem suum & ipse, ignem concupiscentiæ carnalis, ignem invidiæ & ambitionis, quem salvator in nobis non accendere sed extinguere venit. Denique si quis alienum hunc ignem in divino offerre præsumpserit sacrificio, etiam si patrem habeat Aaron, morietur in iniquitate sua.

b Exod. 23. c
c Matt. 20. a
d Iacob. 2. d
Quid ignis seu cerei ardentes significent.
e Luc. 12. f
Ignis benedictus.
f Psal. 67. c
Ignis malignus quis.

Porrò super hæc quæ de sociali vita & fraterna dilectione, de bonis operibus & fervore sancto dicta sunt: humilitatis virtus maxima, maximéque necessaria est, ut honore præveniamus invicem: nec modò priores, sed & ipsos juniores sibi quisque præponat: quæ nimirum humilitatis perfectio est, & justitiæ plenitudo. Et quoniam hilarem datorem diligit Deus, & fructus charitatis est gaudium in Spiritu sancto; cantemus, ut dictum est, in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini. Cantemus Domino Canticum novum, quia mirabilia fecit. In quibus omnibus si quis forsitan proficere dissimulat, & proficisci de virtute in virtutem, noverit quisquis huiusmodi est, in statione non in processione se esse, imo vero & in regressione: quoniam in via vitæ non progredi, regredi est, cum nihil adhuc in eodem statu permaneat. Porrò profectus noster in eo consistit (ut sæpius me dixisse memini) ut nunquam arbitremur nos apprehendisse, sed extendamur ad anteriora, incessanter conemur in melius: ut imperfectum nostrum divinæ misericordiæ obtutibus jugiter exponamus.

2. Cor. 9. b
Non proficere, est deficere.

IN PURIFICATIONE B. MARIÆ, SERMO III.

De Puero, MARIA & Ioseph.

PUrificationem beatæ MARIÆ virginis hodie celebramus, quæ secundùm legem Moysi facta est [a], transactis à Nativitate Domini quadra- Levit. 12. a

quadraginta diebus. In lege enim scriptum erat, ut mulier quæ susceptо semine peperisset filium, immunda esset septem diebus, & octavo die circumcideretur puer: dehinc absolutioni & purificationi intenta, abstineret ab ingressu templi triginta tribus diebus, quibus expletis offerret filium Domino cum muneribus. Sed quis non advertat in ipso sententiæ huius initio liberam Matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim quia dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super Matre Domini blasphemiæ crimen incurrere, & idcirco præmiserit, suscepto semine? Alioquin nisi parituram prævidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaque quod lex ista Matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine filium peperit, sicut prædictum erat per Hieremiam: Quia *novum faceret Dominus super terram.* Quæris quod novum? *Mulier,* inquit [b], *circundabit virum.* Non ab altero viro virum suscipiet, non humana lege concipiet hominem: sed intra viscera intacta & integra virum claudet: ita sane ut intrante & exeunte Domino, juxta alium Prophetam [c], porta orientalis clausa jugiter perseveret.

Matrem Domini non fuisse legi purif. obnoxiam.

*b Hier. 31. d

c Ezech. 44. a

Putas ergo non poterat moveri animus eius & dicere. Quid mihi opus Purificatione? Cur abstineam ab ingressu templi, cuius uterus nesciens virum, templum factum est Spiritus sancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirum cum proles ista fons puritatis sit & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum in ipso partu immaculato. Verè ô beata Virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed nunquid filio tuo opus erat Circuncisione? Esto inter mulieres tanquam una earum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum. Circuncidi voluit, & non multo magis velit offerri? Offer filium tuum Virgo sacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam, DEO placentem. Omnino acceptabit Deus Pater oblationem novam, & precioſissimam hostiam, de qua ipse ait [d]: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui,* Sed oblatio ista, Fratres, satis delicata videtur, ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus, & illico reportatur. Veniet quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio, quia in redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum. Istud quidem jucundius, sed illud plenius.

*d Matt. 3. d

Oblationis hodiernæ, & oblationis in cruce collatio.

Istud

Istud enim tempore Nativitatis, illud jam in plenitudine ætatis: de utroque tamen potes accipere quod Propheta prædixit [c]: *Oblatus est quia ipse voluit.* Nam & modò oblatus est, non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia voluit: & in cruce nihilominus oblatus est, non quia meruit, non quia Judæus prævaluit, sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi Domine: quia voluntariè oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. [c] Esai. 53. b

Optimũ quod habemus offerendum Deo.

Sed quid, Fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam preciosiorem quam habuit, nimirum, qua preciosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit, tu quis es qui teipsum offerre cunctaris? Quis mihi tribuat ut oblationem meam dignetur majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo Domine, corpus & animam dico: utinam hæc tibi perfectè possim in sacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi longéque glorioſius atque utilius est, ut tibi magis offerar, quàm deserar mihi ipsi. Nam ad me ipsum anima mea conturbatur, in te verò exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. Fratres morituro Domino Judæus mortuas hostias offerebat, sed jam nunc, *Vivo ego,* dicit Dominus, *nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat* [f]. Non vult Dominus mortem meam, & non libenter offeram illi vitam meam? Hæc est enim hostia placabilis, Deo placens hostia, hostia viva. Sed in oblatione illa Domini tres fuisse leguntur, & in oblatione nostra tria nihilominus à Domino requiruntur. Fuit in oblatione illa Joseph sponsus Matris Domini, cuius filius putabatur: fuit & ipsa virgo Mater, & puer Jesus qui offerebatur. Sit ergo & in oblatione nostra constantia virilis, sit continentia carnis, sit conscientia humilis. Sit, inquam, in proposito perseverandi animus virilis, sit in continentia castitas virginalis, sit in conscientia simplicitas, & humilitas puerilis, Amen. [f] Ezech. 18. g

IN SEPTUAGESIMA,

Sermo I.

MAgna mihi consolatio est, fratres mei, in verbo illo Domini [a], *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Propterea enim vos libenter auditis, quia ex Deo estis. Nec ignoro quod alio in loco dicit Scriptura [b]: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*: sed multo aliter sunt ex eo, qui secundum beati Joannis Evangelium, *non ex voluntate carnis nati sunt, sed ex Deo* [c]. Unde & invenies ab eodem Joanne in epistola sua scriptum [d]: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio cœlestis conservat illum.* [a] Ioan. 8. f [b] Rom. 11. d [c] Ioan. 1. b [d] 1. Ioan. 5. d*

Non peccat, inquit, id est, non permanet in peccato: quia conservat illum, utique ut perire non possit, ea quæ falli non potest generatio cœlestis. Sive non peccat, id est, tantum est ac si non peccet, pro eo scilicet quòd non imputatur ei peccatum, generatio enim cœlestis etiam in hac parte conservat illum. Sed generationem istam quis enarrabit? Quis potest dicere, Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam dicere potest? reclamante nimirum Scriptura [e]; *Nescit homo si sit dignus amore, an odio.* Certitudinem utique non habemus: sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data sunt signa quædam & indicia manifesta salutis ut indubitabile sit eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint. Propter hoc, inquam, quos præscivit Deus, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut quibus certitudinem negat causâ sollicitudinis, vel fiduciam præstet gratiâ consolationis. Hoc enim est unde semper solliciti & in timore & tremore humiliemur necesse est sub potenti manu Dei, quoniam quales sumus, nosse possumus, vel ex parte: quales autem futuri sumus, id nosse penitus nobis impossibile est. Itaque qui stat, videat ne cadat: & in ea forma quæ salutis indicium est, & argumentum prædestinationis, perseveret atque proficiat.

[e] Eccl. 9. a

Nemo de salute sua certitudinem habet, sed fiduciam.

Signa prædestinationis spem nostram confirmantia.

Porrò inter ea quæ fiduciam præstant & materiam spei, unum illud maximum est de quo nunc cœpimus loqui: *Qui de Deo est, verba Dei audit.* Nonnullos enim sic interdum audientes invenies, ac si nihil omnino ad eos pertineant quæ dicuntur: non intrare cor suum, non discutere mores suos, non cogitare ne forte quod audiunt, dictum sit propter eos. Magis autem si forte sermo Dei vivus & efficax (qui suo, & non eius qui loquitur, arbitrio fertur, quocunque voluerit) si inquam, manifestè adversùs vitia illa processerit, quibus sese illi sentiunt obligatos, dissimulant, & avertunt oculos cordis: aut qualibet adinventione palliant vitia, & seducunt miseri semetipsos. In his ergo salutis signa non video, magis autem vereor ne forte propterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi ex Deo. In vobis, Fratres (gratia*Deo) verè invenio aures audiendi: nimirum cum in emendatione vestra sine mora appareat fructus verbi, sed etiam inter loquendum (fateor) nonnunquam sentire mihi videor fervorem studii vestri. Etenim quanto abundantiùs sugitis, tantò ampliùs replet ubera mea dignatio Spiritus sancti, & tanto copiosius datur quod propinem vobis, quantò citiùs quod propinatur hausistis. Propterea sæpius loquor vobis etiam præter consuetudinem Ordinis nostri: scio enim quis dixerit [f]: *Si quid supererogaveris, cum rediero, reddam tibi.*

Præcipuum est debitè audire verbum Dei.

NOT. A Quomodo audiendum verbum DEI.

* *al.* gratias. *Pro dispositione auditorum afficitur lingua prædicatorum.*

[f] Lucæ 10. f

Initium

Initium Septuagesimæ, Fratres, hodie celebratur, cuius nomen in universa Ecclesia celebre satis habetur. Jam verò dico vobis charissimi, quia plurimum in hoc nomine compatior mihi ipsi. Commovetur enim intra me spiritus meus, spirans nimirum ad patriam, in qua nec numerus est, nec mensura, nec pondus. Quamdiu enim in pondere & mensura & numero universa corporis & animæ bona recipio? Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus? ego autem hic fame pereo. Nam de corporali cibo ad Adam dictum est, & pervenit usque ad me: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* [g]. Sed & cum laboravero, panis datur mihi in pondere, potius in mensura, pulmenta in numero, Et de corporali quidem sic. Quid verò de spirituali? Utique antequam comedam, suspiro: atque utinam cum spiravero & flevero, vel fragmentum exiguum merear de cœlesti convivio, & tanquam catellus edam de micis, quæ cadunt de mensa dominorum meorum. O Jerusalem civitas regis magni, qui te ex adipe frumenti satiat, & quam fluminis impetus lætificat, in te nec pondus utique nec mensura, sed satietas & affluentia summa. Sed nec habes numerum: quippe cuius participatio eius in idipsum. Ego verò qui totus sum in vicissitudine & numero, quando veniam ad unam illam quam requiro? Quando satiabor apparente gloria tua Domine? Quando inebriabor ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ quando potabis me? Nunc enim tam exigua sunt stillicidia stillantia super terram, ut nec glutire quidem possim salivam meam.

[g] Gen. 3. d

In vita præsenti omnia parcè dantur, in altera copiosè sine mensura.

Sic omnino, sic verum est Fratres, quoniam modò omnia dantur in pondere & mensura & numero: sed venit dies quando omnia sunt cessatura. Nam de numero quidem legimus [h]: *Quoniam sapientiæ illius non est numerus.* Et alio in loco apud eundem Prophetam [i]: *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Audi etiam apud Apostolum pondus sine pondere, *Supra modum*, inquit [k], *in sublimitate æternum pondus gloriæ.* Audi pondus æternum: sed attende quia præmiserit, supra modum. Sic & Christum audio, mensuram sine mensura promittentem. *Mensuram*, inquit [l], *confertam & coagitatam, & supereffluentem.* Sed quando venient ista? Profectò in fine præsentis Septuagesimæ, quod est tempus captivitatis nostræ. Sic enim legimus [m], quod captivitati à Babiloniis filii Israel terminum acceperunt annorum septuaginta: quibus transactis redierunt in sua, cum instauratum est templum, & civitas reædificata. At verò captivitas nostra, fratres, quando finietur, quæ tot annis ab initio utiq; mundi protenditur? Quando liberabimur à servitute ista? Quando restaurabitur Hierusalem civitas sancta? Utique completa hac Septuagesima, quæ ex

[h] Psal. 146. a
[i] Psal. 15. d
[k] 2. Cor. 4. d
[l] Luc. 6. f
[m] Ier. 25. & 29

Vita nostra velut Septuagesima captivitatis.

denario & septenario constat, propter decem mandata quæ accepimus: & septem impedimenta quibus à mandatorum obedientia retardamur.

Septem impedimēta mandatorum Dei executionem retardantia.

Primum enim impedimentum nostrum & occupatio gravis, est ipsa necessitas huius miseri corporis, quòd dum modò somnum, modò cibum, modò vestem, cæteráque similia quærit, haud dubium, quin frequenter impediat nos ab exercitio spirituali. *Secundo* loco impediunt nos vitia cordis, ut est levitas, suspicio, impatientiæ aut invidiæ motus, laudis appetitus, & similia, quæ quotidie experimur in nobis. *Tertium & quartum* impedimentum accipe prosperitatem huius sæculi & adversitatem. Sicut enim corpus quod corrumpitur, aggravat animam, sic deprimit etiam terrena inhabitatio sensum multa cogitantem [n]. Utrinque ergo cave à laqueo tentationis, & quære arma justitiæ à dextris & à sinistris. *Quintum* impedimentum gravissimum & periculosissimum ignorantia nostra est. In multis enim omnino incertum habemus quid agere debeamus: ita ut quid oremus sicut oportet, nesciamus. *Sextum* impedimenum est adversarius noster, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret [o]. Atque utinam in istis sex tribulationibus liberaremur, ut vel in *septima* non tangeret nos malum, nec apprehenderet nos periculum in falsis fratribus. Utinam soli impugnarent nos maligni spiritus cum suggestionibus suis, & nihil nocerent homines pernicioſis exemplis, persuasionibus importunis, sermonibus adulationis vel detractionis, atque aliis mille modis. Videtis certè quàm necessarium sit ut adversus hæc septem pericula quibus impedimur, septiformis Spiritus sancti auxilio sublevemur. Pro his enim septem quibus ab observantia decalogi retardamur in luctu pœnitentiæ Septuagesima præsens agitur. Unde & reticetur interim Alleluja solemne, & humanæ transgressionis historia miserabilis ab exordio recensetur.

n Sap. 9. d

o 1. Pet. 5. b

IN SEPTUAGESIMA.

De eo quod scriptum est, *Immisit Dominus soporem in Adam.*

SERMO II.

Duplex sopor, primi Adam & secundi.

Immisit Dominus soporem in Adam [a]. Immisit & in seipsum factus nimirum secundus Adam: sed est distantia forte non parva. Ille enim soporatus videtur præ excessu contemplationis, Christus miserationis affectu: ut in illum soporem immiserit veritas, in hunc charitas, cum utraque sit Dominus. Ait enim Joannes Evangelista [b]: *Deus charitas est*, Et ipse Dominus [c]: *Ego sum via, veritas & vita*: Sanè soporem Christi solius charitatis fuisse nemo dubitat vel nomine tenus Christianus. Siquidem

a Gen. 2. d*

b 1. Ioan. 4. c

c Ioan. 14. h

dem accubuit ut leo, non victus planè, sed victor, potestate propria ponens animam, somnum mortis excipiens propria voluntate. Cæterum qualis & ille sopor dicendus sit fuisse, vel credendus, quem Dominus immisit in Adam, in quo sine sensu omnino doloris in mulierem ædificandam costa sublata est de latere dormientis? Mihi quidem non nisi incommutabilis veritatis intuitu, & abysso divinæ sapientiæ corporeis excedens sensibus obdormisse videtur: quod ex eius verbis vel maximè conjici potest. Rediens nimirum indicat quò abiisset, dum tanquam ebrius de cella vinaria veniens, & eructans illud magnum sacramentum quod tanto pòst in Christo & in Ecclesia Apostolus commendavit, *Hoc nunc* (inquit) *os ex ossibus meis* [d]. Et propter hoc, inquit [e], *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* An tibi penitus obdormisse videtur, qui in hanc vocem excitatus erupit, & non magis dicere potuisse [f]: *Ego dormio, & cor meum vigilat?*

Raptus Adami extaticus.

d Gen. 2.d
e Ephes. 5.g
f Cant. 5.b

Verum id quidem sine præjudicio dixerim, si forte aliter visum fuerit, maximè si quid aliud in Sanctorum paginis invenitnr. Neque enim communem arbitror fuisse soporem, aut nostris similem somnis, quos nec contemplationis excessus, nec miserationis affectus, sed infirmitatis defectus immittit; quos nec veritas nec charitas, sed necessitas parit. *Grave* siquidem *jugum super filios Adam*: non autem in principio super Adam: sed nunc jam super filios eius. Quid non grave miseris, quibus & vivere labor est? Quibus & (quod pauci videntur advertere, sentire penitus nemo) ipse quoque sensualitatis usus invenitur oneri, adeo, ut nequeat sustineri nisi alterna requie foveamur? Quid non labor & dolor & afflictio spiritus ex omnibus quæ sub sole sunt, quando & illud ei gravissimum est, quo potissimùm delectatur, vegetatio scilicet & sensificatio carnis? Nimirum quàm sit ei dulce consortium, triste divortium manifestat; dum vix tandem avelli potest, dum corruptio ipsa corporis penitus intolerabilis est vegetanti. Sanè non simpliciter corpus, sed *corpus quod corrumpitur, aggravat animam* [g], ut immunem ab hoc gravamine primi parentis animam noveris extitisse, donec adhuc corpus degeret incorruptum. Nimirum in libertate posuit eum Deus, ut inter summa & infima versans, & in illa excederet sine difficultate, & ad hæc sine illecebra aut necessitate descenderet: Illa penetrans naturali vivacitate & puritate mentis, hæc auctoritate dijudicans præsidentis. Denique adducta sunt animalia ad Adam ut videret quid vocaret ea; non ipse aliqua curiositate ductus est ut videret ea.

Sopor eius non fuit communis aut nostro similis.

g Eccl. 40.a*
g Sap. 9. d

Status Adami ante peccatum.

Non sic in nobis libera ratio, sed undique ei luctandum est. Sic enim & ab infimis visco quodam captiva tenetur, & à summis indigna repellitur;

Hominis post lapsũ miseria.

tur : ut nec ab his sine dolore possit avelli , nec ad illa sine magno gemitu vel raro queat admitti. Hinc nempe vim faciunt qui quærunt animam meam , ut clamare necesse sit : *Infelix ego homo,*
[b] Rom. 7. d *quis me liberabit de corpore mortis huius* [b] ? Inde priusquam comedam suspiro, *quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt il-*
[i] Matt. 11. b *lud* [i] . Nihilominus tamen & illic unitas, & hic tenenda divisio est : sicut & Adam soporatus est in contemplatione, & animalia nominum impositione discrevit. Sic nimirum sic & Abraham in sacrificio non qui-
[k] Gen. 15. b dem volatilia, sed animalia legitur divisisse [k] . Et Martha erga multa
[l] Luc. 10. turbatur [l] , cum unum sit necessarium. Necessarium planè unum, & maxime necessarium, quoniam hæc pars optima, quæ non auferetur.
Elegans tropologia. Cessabit divisio cum venerit plenitudo, & erit totius sanctæ civitatis Hierusalem participatio in id ipsum. Interim Spiritus sapientiæ non modò unicus, sed & multiplex est : inferiora quidem in unitatem solidans, sed sub judicio exteriora distinguens. Utrumque tibi in primitiva Ecclesia
*[m] Act. 4. f commendatur [m] , *quando multitudinis credentium erat cor unum, & anima una,* ne volatilia scinderentur : *dividebatur autem singulis prout cuique opus erat,* ut animalia secarentur. Sit igitur etiam in nobis, charissimi, unitas animorum, unita sint corda diligendo unum, quærendo unum, adhærendo uni, & ipsum invicem sentiendo. Sic nimirum exterior ipsa divisio & evadit periculum, & scandalum non incurrit, dum videlicet etsi propria cuique tolerantia, propria quoque nonnunquam in terrenis agendis sententia, sed & diversa interdum dona gratiarum, nec membra omnia actum eundem videntur habere : unitas tamen interior & unanimitas ipsam quoque multiplicitatem colligat & constringit charitatis glutino, & vinculo pacis.

IN CAPITE JEIUNII.

Quid ungere caput, & faciem lavare ?

SERMO I.

Tu, cum jeiunaveris, unge caput tuum, & faciem tuam lava,
Matth. 6. c.

HOdie dilectissimi sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ. Non nobis singularis est hæc observatio ; una omnium est, quicumque in eandem fidei conveniunt unitatem. Quidni commune sit Christi jeiunium omnibus Christianis ? Quidni caput suum membra sequantur ? Si bona suscepimus ab hoc capite, ma-
Vide quid sentiendum la autem quare non sustineamus ? An respuere tristia volumus, & communicare jucundis ? Si ita est, indignos nos capitis huius participatione probamus.

probamus. Omne enim quod patitur ille, pro nobis est. Quod si in opere salutis nostræ ei collaborare piget, in quo deinceps coadiutores nos exhibebimus illi? Non est magnum, si jeiunet cum Christo, qui sessurus est ad mensam Patris cum ipso. Non est magnum, si compatitur membrum capiti, cum quo & glorificandum est. Felix membrum, quod huic adhæserit per omnia capiti, & sequetur illud quocumque ierit. Alioquin si forte abscindi separarique contingat, privetur statim necesse est etiam spiritu vitæ. Quæcumque enim portio capiti non cohæret, unde ei iam sensus aut vita? Nec sanè deerit qui expositam occupet, ut ne tunc quidem sit absque capite. Germinabit rursum radix amaritudinis, venenatum caput iterum pullulabit. Illud, inquam caput, quod in eo contriverat ante fortis mulier mater Ecclesia. Dico autem quando per eam regeneratus est in spem vitæ, quem natura filium iræ mater carnalis ediderat.

de Christianis jeiunium detestantibus.

Videbit ergo jam, si fuerit qui revelatos habeat oculos cordis, & spiritualiter intueatur, horrendum omnino monstrum, corpus quidem hominis, caput autem dæmonis habens. Non solum autem, sed etiam erunt novissima hominis illius peiora prioribus, cum vipereum illud caput, quod priùs fuerat amputatum, non absque septem nequioribus se revertatur. Quis non solo contremiscat auditu? Tollens membrum Christi, faciam membrum dæmoniorum? Abscissus autem à corpore Christi, Satanæ miser incorporabor? Sit procul à nobis semper execranda ista communicatio, Fratres mei. Mihi omnino adhærere tibi bonum est, ô Caput glorioſum & benedictum in sæcula, in quod & Angeli prospicere concupiscunt. Sequar te quocunque ieris. Si transieris per ignem, non avellar à te, non timebo mala quoniam tu mecum es. Tu dolores meos portas, & pro me doles: tu priùs transis per angustum passionis foramen, ut latum præbeas sequentibus membris ingressum. *Quis nos separabit à Charitate Christi* [a]? Ipsa enim est per quam omne corpus per nexus & juncturas crescit. Hoc glutinum bonum, cuius meminit Esaias [b]. Hæc, per quam *bonum est & jucundum habitare fratres in unum* [c]. Hoc unguentum quod descendit à capite in barbam, à capite descendit & in oram vestimenti, ut ne minima quidem fimbria careat unctione. In capite siquidem plenitudo gratiarum, de qua accipimus omnes, in capite universitas miserationis, in capite inexhaustus fons pietatis divinæ, in capite affluentia tota spiritalis unguenti, sicut scriptum est [d]: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Ipsum tamen quod tam copiosè Pater unxerat caput, Maria quoq; ungere non veretur. Calumniantur quidé discipuli [e], sed respondet Veritas pro ea, quod bonũ opus sit operata.

Qui à Christo Capite se separat, moritur, aut monstrũ fit.

[a] Rom. 8.
[b] Esaiæ. 41. b
[c] Psal. 132. a
[d] Psal. 44. a
[e] Matt. 26.

Denique & nobis hodie quid præcipit in Evangelio? *Tu* (inquit) *cum jejunaveris, unge caput tuum* [f]. Mira dignatio. Spiritus Domini super eum, eo quod unxit eum, & nihilominus tamen Evangelizans pauperibus ait: *Unge caput tuum*. Complacet sibi Pater in Filio, & dum vox sonat in æthere, descendit Spiritus in columba. Putatis fratres, quia Christi baptismo chrisma defuerit? Manet Domini spiritus super ipsum; & unctum ab eo quis dubitet? *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benecomplacui* [g]. Hæc planè spiritalis unguenti fragantia est. Unxit Pater Filium præ participibus suis, in quo præ cæteris singulariter complacet sibi. Pater enim diligit Filium, affectu utique divino, & inexperto omni creaturæ. Unxit, inquam, præ participibus suis, accumulans super eum universa charismata benignitatis, mansuetudinis, & suavitatis, abundantius eum replens visceribus misericordiæ & miserationis. Unctum denique misit ad nos, quem nobis exhibuit plenum gratiæ & miserationis. Sic unctum à Patre est caput nostrum, & nihilominus ungi postulat & à nobis. *Cum jejunaveris* (inquit) *unge caput tuum* [h]. Itáne aquam petit à rivulo fons indeficiens? Petit sine dubio, aut certè repetit magis. *Ad fontem* enim *unde exeunt, flumina revertuntur ut iterum fluant*.

f Matt. 6. c

g Matt. 3. d

h Matt. 6. c

i Eccli. 1. b

Non verò ut minus habens quod dederat Christus repetit, sed ne tibi pereat quicquid ad eum referre volueris. Si quidem etiam fluminis aqua si stare cœperit, & ipsa putrescet, & inundatione facta superveniens repelletur. Sic planè, sic gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato, sed & quod acceperat, vertitur ei in perniciem. Fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori. Unge igitur caput tuum refundens in eum qui supra te est, quicquid in te est devotionis, quicquid delectationis, quicquid affectionis. Unge igitur caput tuum, ut si qua in te est gratia revertatur ad ipsum: nec tuam quæras gloriam, sed ipsius. Ungit enim Christum, qui bonus eius odor est in omni loco. Memento sanè adversus hypocritas hunc processisse sermonem. *Nolite* (inquit [k]) *fieri sicut hypocritæ tristes*. Non omnimodam nobis tristitiam interdicit, sed quæ in facie est coram hominibus. Alioquin *cor sapientis ubi tristitia* [l]: & Paulum quoque discipulos contristasse non piget [m], pro eo quod contristati sunt ad salutem. Non est talis tristitia hypocritarum: non in corde, sed in facie est. Exterminant enim facies suas.

Gratitudo cumulat beneficia.

k Matt. 6.

l Eccl. 7. a

m 2. Cor. 7. c

Nota proinde quod non dixerit, Nolite esse sicut hypocritæ tristes, sed, *nolite fieri*, hoc est fingi. Sic quippe vulgo dicitur. Tristem se facit, aut magnificat se: &c. Qui beatificat te, in errorem te adducit; & similia,

milia, quæ ſimulationis ſunt, non veritatis. *Tu autem cum jeiunaveris, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Exterminant illi faciem, tu autem lavare juberis. Eſt autem facies, quæ in facie eſt converſatio. Hanc fidelis Chriſti ſervus lavat, ne quod offendiculum præbeat intuenti: hypocrita magis exterminat, dum ſingularia magis & inuſitata ſectatur. Sed nec caput ungit, cuius affectio elongatur à Chriſto, & vanis favoribus delectatur. Ungit potius ſemetipſum, ut propriæ fragantiam opinionis reſpergat. Aut certè quia manifeſtum eſt non eſſe caput hypocritæ Chriſtum: nec ſuum tamen qualecunque caput ungere poteſt, cuius mens non propriæ teſtimonio conſcientiæ ſed adulationibus demulcetur. *Date nobis* (aiunt fatuæ virgines) *de oleo veſtro* [n]. Cur hoc? Quia in vaſis ſuis oleum non habent. Sed non eſt prudentium hujuſcemodi oleum dare. Quod enim ſibi fieri nolunt, quando ipſi facient aliis? Audi verò Prophetam, cui incerta & occulta ſapientiæ ſuæ revelaverat Deus, *Oleum*, inquit [o], *peccatoris non impinguet caput meum.* Emunt oleum iſtud hypocritæ ſicut ait Dominus [p]: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam: Exterminant enim facies ſuas, ut appareant jeiunantes.* Vides quam brevi ſermone hypocritas & ſingularitatis notat, & arguit vanitatis. Vide etiã quàm paucis & coram Deo ſuadeat bona, & coram hominibus providere. *Vnge caput tuum, & faciem tuam lava*, hoc eſt, ſic te irreprehenſibilem foris exhibe, ut divinam tibi conciliare ſtudeas gratiam: & ante oculos humanos non propriam quæras gloriam, ſed Auctoris.

Converſatio ſyncera non ficta aut ſimulata.

Hypocritæ non ſuæ conſcientiæ, ſed alienæ ſcientiæ ſtudent.

n Matt. 25. a

o Pſal. 104. b

p Matt. 6. c

Hypocritæ ſingularitatis & vanitatis arguuntur.

Poteſt tamen & alio modo *lota facies*, conſcientia pura, & *unctum caput* intelligi mens devota. Quod ſi id probas, adverſus duplex vitium quod maximè ſolent appetere jeiunantes, hæc duo verba *ablutionis* & *unctionis* dicta videntur. Alius enim jeiunat ſtudio vanitatis & huic dicitur, *Faciem tuam lava.* Alius jeiunat cum in patientia & rancore, & huic opus eſt, ut *caput ungat.* Eſt autem caput iſtud, mens interior, quæ tunc ungitur in jeiunio, cum ſpiritualiter delectatur in ea. An verò tibi novum videtur, ut dicamus caput ungi jeiunio? Ego plus dico, etiam impinguatur. Nunquam ne legiſti quod ſcriptum eſt [q], *Vt alat eos in fame*? Eſt ergo jeiunium corporis, capitis unctio, & carnis inedia, refectio cordis. Quidni dixerim unctionem, quæ & medetur vulneribus, & exaſperatas conſcientias lenit? Emat igitur hypocrita jeiunio ſuo oleum peccatoris, ego meum interim non vendo jeiunium, & ipſum mihi oleum eſt quo ungar. *Vnge* (inquit) *caput tuum*, ne quid forte murmuris aut impatientiæ ſubeat. Non ſolum autem, ſed & *gloriare in tribulatione*, ſicut ait Apoſtolus [r]. Gloriare, inquam, ſed abſque omni ſtudio vanitatis: ut ſit etiam facies munda ab oleo peccatoris.

Duplex vitium jeiunantibus maximè cavendum:

Vana gloria & impatientia.

q Pſal. 32. d

r Rom. 5.

IN CAPITE JEIUNII.

Quomodo debeamus converti ad Dominum.

SERMO II.

Convertimini ad me in toto corde vestro, in jeiunio, & fletu & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, ait Dominus omnipotens [a]. Quid sibi vult dilectissimi, quod præcipit Dominus, ut convertamur ad eum? Ubique enim est, & replet omnia, & nihilominus complectitur universa. Quo me vertam, ut convertar ad te Domine Deus meus? *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades* [b]. Quid jubes quò convertar ad te? supra an infra? ad dexteram, an ad sinistram? Consilium istud, Fratres mei, secretum est, quod solis credatur amicis. Mysterium regni Dei est, Apostolis revelatur in aure, nam turbis nihil dicitur absque parabola. *Nisi conversi fueritis*, inquit [c], *& efficiemini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.* Agnosce planè quò * velit ut convertamur. Ad parvulum converti necesse est, ut discamus ab eo, quia mitis est, & humilis corde. Ad hoc siquidem parvulus datus est nobis. Sanè idem & magnus est, sed in civitate Domini, cui & dicitur [d]: *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.* Quid tu inflaris ô homo? Quid extolleris sine causa? Quid alta sapis, & oculi tui omne sublime vident, quod tibi non cedet in bonum? Sublimis quidem Dominus, sed non ita proponitur tibi. Laudabilis magnitudo illius, non etiam imitabilis. Elevata est magnificentia illius, & non poteris ad eam. Nec si te ruperis apprehendes. *Accedet*, inquit [e], *homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Excelsus siquidem Dominus & humilia respicit, & alta à longè cognoscit [f]. Humiliare & apprehendisti. Hæc planè lex pietatis: & propter hanc legem sustinui te Domine. Si fortè sublimitatis esset via proposita, & illic iter, quo ostenderetur Salutare Dei, quanta facerent homines ut exaltarentur? Quam crudeliter invicem sternerent, invicem conculcarent? Quam impudenter reperent, manibusq; & pedibus conarentur in altum, ut imponerent sese homines super capita aliena? Et certè qui contendit supergredi proximos, multas inveniet difficultates, multos habebit æmulos, multos patietur contradictores, ascendentes equidem ex adverso. Nihil verò facilius est volenti, quàm humiliare semetipsum. Hoc verbum est, dilectissimi, quod omnino nos reddit inexcusabiles: ut ne tenue quidem nobis velamen prætendere liceat.

Sed jam ad hunc parvulum, ad magnitudinis & humilitatis magistrum quoniâ modo converti necesse sit, videamus. *Convertimini* (inquit) *ad me in toto corde vestro.* Fratres, si dixisset convertimini nihil addens;

esset

[a] Ioel. 2. c
[b] Ps. 138. b
[c] Matt. 18. a
* al. quâ
[d] Esai. 12. b
[e] Psal. 63. b
[f] Psal. 129 a

Ad Deum magnum & excelsum non sublimi sed humili viâ tenditur.

esset vobis forsitan liberum respondere, Factum est, jam aliud propone mandatum. Nunc autem spiritualis (ut audio) conversionis nos admonet, quæ non una die perficitur, utinam vel in omni vita qua degimus in hoc corpore, valeat consummari. Corporis namque conversio si sola fuerit, nulla erit. Forma siquidem conversionis est ista, non veritas, vacuam virtute gerens speciem pietatis. Miser homo, qui totus pergens in ea quæ foris sunt, & ignarus interiorum suorum, putans aliquid se esse cum nihil sit, ipse se seducit. *Sicut aqua effusus sum* (ait Psalmista [g] in persona hominis huiuscemodi) & *dispersa sunt omnia ossa mea.* Et alius quidam Propheta [h]. *Comederunt*, inquit, *alieni robur eius, & ignoravit.* Exteriorem quippe superficiem intuens, salva sibi omnia suspicatur, non sentiens vermem occultum, qui interiora corrodit. Manet tonsura, vestis necdum mutata est, jeiuniorum regula custoditur, statutis psallitur horis; sed cor longè est à me, dicit Dominus [i].

Conversio exterioris hominis sine interiore inanis.

g Psal. 21. c
h Osee. 7. c*
NOTA.
Quam multos fallat exterior sui superficies & cortex sine medulla.
i Marc. 7.

Attende solerter quid diligas, quid metuas: unde gaudeas, aut contristeris, & sub habitu religionis animum secularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est; & de his accipiendum puto quod dicitur, ut in toto corde tuo convertaris ad Dominum. Convertatur proinde *amor* tuus, ut nihil omnino diligas nisi ipsum, aut certè propter ipsum. Convertatur etiam ad ipsum *timor* tuus, quia perversus est timor omnis quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic & *gaudium* tuum, & *tristitia* æquè convertatur ad ipsum. Hoc autem ita fiet, si non nisi secundùm eum doleas aut læteris. Quid enim perversum magis quàm lætari cum malefeceris: & in rebus pessimis exultare? Sed & ea quoque quæ secundùm carnem est tristitia, mortem operatur [a]. Si pro tuo sive proximi peccato doles, bene facis, & hæc tristitia est ad salutem. Si gaudeas ad munera gratiæ, hoc gaudium sanctum est, & securum gaudium in Spiritu sancto. Debes, & in dilectione Christi fraternis congaudere prosperitatibus, & adversitatibus condolere, sicut scriptum est [k]; *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.*

Passiones animi uti examinandæ & ordinandæ.

a 2. Cor. 7. c

k Rom. 12.

Verum ne ipsa corporis quidem est parvipendenda conversio, quia spiritualis huius adminiculum noscitur esse non parvum. Inde est quod in hoc loco Dominus cum dixisset, *in toto corde*, adiunxit protinus, *in jeiunio*: quod utique corporis est. Volo tamen admonitos esse fratres meos, observandum illud non ab escis tantum, sed ab omnibus illecebris carnis, & universa corporis voluptate. Imò verò jeiunandum longè amplius à vitiis quàm à cibis. Sed est panis à quo vos jeiunare nolo, ne forte deficiatis in via; & si nescitis, panem dico lachrymarum. Sequitur enim:

Conversio corporis quoque non negligenda.

Jeiunandum non solum ab escis, sed ab

omnibus illecebris, & potissimum à vitiis.

in ieiunio & fletu & planctu. Exigit enim planctum à nobis pœnitentiæ præteritæ conversationis: exigit fletum desiderium futuræ beatitudinis. *Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte* (ait Propheta [l]) *cum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* Parum ei placet huius vitæ novitas, qui necdum vetera plangit, necdum plangit admissa peccata, necdum plangit tempus amissum. Si non plangis, planè non sentis animæ vulnera conscientiæ læsionem, Sed nec futura satis gaudia concupiscis, si non quotidie satis postulas ea cum lachrymis. Minus tibi nota sunt, si non renuit consolari anima tua, donec veniant.

[l] Psal. 41. a

Addit deinde Propheta: *Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Quibus verbis manifestè prior ille populus Judæorum & duritiæ cordis & vanæ superstitionis arguitur. Crebra siquidem apud eos scissio vestium, sed non cordium esse solebat. Quando enim scinderentur corda lapidea, quæ non poterant nec circuncidi? *Scindite,* inquit, *corda vestra & non vestimenta vestra.* Quis in vobis est, cuius voluntas circà unum aliquid solet obstinatior inveniri scindat cor suum gladio spiritus, quod est verbum Dei: scindat illud, & in multas minutias festinet dispartiri. Alioquin non est converti ad Dominum in toto corde, nisi scisso corde. Donec enim illam unam accipias Hierusalem, cuius est participatio in idipsum, multa interim tibi præcipiuntur, & si in uno offenderis, factus es omnium reus. *Spiritus Domini multiplex,* ait Sapiens [n], nec potes sequi multiplicem sine multiplici scissione. Audi denique hominem quem secundum cor suum invenerat Deus. *Paratum,* inquit [o], *cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum ad adversa, paratum ad prospera: paratum ad humilia, paratum ad sublimia: paratum ad universa, quæcunque præceperis. Vis pastorem ovium facere? Vis constituere regem populorum; Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Quis ut David fidelis ingrediens & egrediens, & pergens ad imperium regis? Et dicebat de peccatoribus [p]: *Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego verò legem tuum meditatus sum.* Inde enim cordis duritia, inde mentis obstinatio, quia mediatur quis non legem Domini, sed propriam voluntatem.

Quomodò scindendum cor.

[n] Sap. 7. c

[o] Psal. 65. a & 107.

Scissio cordis est resignatio voluntatis.

[p] Psal. 118. i

Scindamus itaque corda nostra, dilectissimi, quatenus integra proinde vestimenta servemus. Vestes enim nostræ, virtutes sunt. Bona vestis charitas, bona vestis obedientia est. Beatus qui custodit vestimenta hæc, ut non ambulet nudus. Denique beati quorum tecta sunt peccata [m]: etenim charitas *operit multitudinem peccatorum* [q]. Scindamus corda, sicut prædictum est, ut hæc vestimenta integra servemus, quemadmodum integra servata est tunica Salvatoris. Nec modò integram

[m] Psal. 31. a
[q] Iacob 5. d

servat

ſervat veſtem ſciſſio cordis, ſed & talarem eam facit & polymitam, qualem à ſancto patriarcha Jacob accepit filius, qui præ cæteris amabatur [r]. Hinc nempe virtutum perſeverantia, hinc converſationis pulchræ diſcolor unitas. Hinc illa eſt gloria regis filiæ in fimbriis aureis, circumamictæ varietatibus [ſ]. Poteſt tamen & aliter hæc ſciſſio cordis intelligi, ut ſiquidem pravum fuerit, ſcindatur ad confeſſionem: ſi durum, ad compaſſionem. Quidni ſcindatur cor, ut viſceribus effluat pietatis? Quidni ſcindatur uleus, ut ſanies effluat? Utilis prorſus utraque ſciſſio, ut nec clauſum lateat peccati virus in corde, nec indigenti proximo claudamus viſcera miſericordiæ: ut & ipſi conſequamur miſericordiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui eſt ſuper omnia DEUS benedictus in ſæcula, AMEN.

[r] Gen. 37. a

[ſ] Pſal. 44. b

Sciſſio cordis ad confeſſionem, & compaſſionem.

DE JEIUNIO QUADRAGESIMÆ, SERMO III.

ROgo vos, dilectiſſimi, tota devotione ſuſcipite Quadrageſimale Jeiunium, quod non ſola abſtinentia commendat, ſed multo magis ſacramentum. Nam ſi devotè uſque modò jeiunavimus, utique ſancto hoc tempore jeiunandum nobis eſt multo devotiùs. Si quid enim additur ad ſolitum abſtinentiæ modum, nunquid non valde indignum eſt, ut nobis oneroſum ſit quod Eccleſia portat univerſa nobiſcum? Hactenus uſque ad nonam jeiunavimus ſoli: nunc uſque ad veſperam jeiunabunt nobiſcum pariter univerſi reges & principes, clerus & populus, nobiles & ignobiles, ſimul in unum dives & pauper. Hæc idcircò dixerim, Fratres, ne quis fortè turbetur à puſillanimitate ſpiritus, & jeiunium præſens quis minori devotione ſuſcipiat, dum ſe fortaſſis meminerit prioris quoque jeiunii pondus ſatis difficile toleraſſe. Hoc enim quantum poteſt laborat adverſarius noſter, ut holocauſtum noſtrum devotionis pinguedine vacuetur, ut & minus acceptum ſit Deo, & conſcientia noſtra in ſpirituali gaudio minus exhilaretur: ſicque de puſillanimitate tolerantiæ, etiam conſcientiæ puſillanimitas generetur. Cuius aſtutias non ignorantes, tota obſecro adverſus eum ſollicitudine vigilemus; & quia hilarem datorem diligit Deus, & ipſa quoque conſcientia noſtra ampliori exinde fiducia ſublevatur, ut devotiora ſint noſtra jeiunia, ſollicitè nobis totius Eccleſiæ proponamus exempla.

Obſerva priſcum jeiunandi morem uſque ad veſperam.

Dæmon inſidiatur jeiunio.

Sed quid de his loquor quos habemus in hac jeiunii obſervatione conſortes, quaſi non multò excellentiores habeamus in ea duces, imò & conſecratores? Quanta devotione ſuſcipiendum eſt vobis, quod à ſancto Moyſe tanquam hæteditario jure traditur, cui ſpeciali præ cæteris prophetis

Jeiunii quos duces habeamus.

phetis prærogativa, facie ad faciem Dominus loquebatur? Quanto fervore amplectendum est, quod Helias ille commendat igneo curru raptus in cœlum? Ecce enim quam multa millia à diebus illis generalis conditio mortis invasit: Helias tamen usque adhuc conservante Domino manus eius evasit. Jam verò si commendant jeiunium præsens Moyses & Helias, quamvis magni, tamen conservi nostri, quantum commendat illud JESUS Dominus noster, qui & ipse diebus totidem jeiunavit? Qualis ille est, non dicam monachus, sed Christianus, qui minus devotè jeiunium suscipit, quod ei tradit ipse Christus. Denique tanto devotiùs imitandum nobis est, dilectissimi, Christi jeiunantis exemplum, quanto certius est propter nos eum jeiunasse non propter seipsum.

Moysis, Eliæ, & Christi Exemplo jeiunium commendatur.

Jeiunemus ergo charissimi,& devotè jeiunemus sancto hoc Quadragesimæ tempore: ita sanè ut noverimus quadragesimam nostram non solos quadraginta dies habere. Continuanda enim nobis est quadragesima cunctis diebus miseræ huius vitæ, dum per auxiliũ gratiæ(quæ quatuor Evangeliis commendatur) necesse est nos decalogum legis implere. Errant planè qui pauciſſimos dies istos ad pœnitentiam sufficere credunt, cum certum sit totum vitæ huius tempus non nisi ad pœnitentiam institutum. *Quærite Dominum*, ait Propheta, non solùm quadraginta diebus, sed *dum inveniri potest*: *invocate eum, dum prope est* [b]. Neq; enim tunc erit invocandi tempus, quando nemini proximus erit DEUS, sed aliis quidem præsens, aliis verò nimis valde remotus. Interim sanè ex eo quod proximus dicitur, manifestum est quod nondum habetur, sed tamen haberi, & inveniri facile potest. Quis tibi videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones? utiq; qui fecit cum eo misericordiam [c]. Ergo quia toto hoc tempore misericordiæ proximus est: quærite Dominum, charissimi, dum inveniri potest, invocate eum dum prope est.

Totum tempus vitæ, tempus Pœnitentiæ.

b Esa. 55. b

c Luc. 10. c

Veruntamen præsenti Quadragesima maiore nobis nunc fervore quærendus, quæ non solum pars, sed & sacramentum est totius temporis huius. Propterea si forte diebus cæteris studia vestra aliquatenus intepuerant, dignum est ut nunc in fervore spiritus recalescant. Quod si gula sola peccavit, sola quoque jeiunet,& sufficit. Si verò peccaverunt & membra cætera, cur non jeiunent & ipsa: Jeiunet ergo oculus qui deprædatus est animam, jeiunet auris, jeiunet lingua, jeiunet manus, jeiunet etiam anima ipsa. Jeiunet oculus à curiosis aspectibus & omni petulantia, ut benè humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Jeiunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, & quæcunque ociosa sunt, & ad salutem minimè pertinentia. Jeiunet lingua à detractione & murmuratione, ab inutilibus, vanis atque scurrilibus

Jeiunium singulis membris seu sensibus quemodo indicendum.

bus verbis: interdum quoque ob gravitatem ſilentii, & ab ipſis quæ videri poterant neceſſaria. Jeiunet manus ab ocioſis ſignis, & ab operibus omnibus quæcunque non ſunt imperata. Sed & multo magis anima ipſa jeiunet à vitiis, & propria voluntate ſua. Etenim ſine jeiunio hoc cætera à Domino reprobantur, ſicut ſcriptum eſt [c] *,quia in diebus jeiuniorum veſtrorum voluntates veſtræ inveniuntur.*

[c] Eſa. 58.c

IN QUADRAGESIMA

De Oratione & Ieiunio.

SERMO IV.

QUia jeiunii quadrageſimalis tempus advenit, quod tota devotione ſuſcipere moneo charitatem veſtram: dignum reor aliquatenus exponere, quo fructu & quemadmodum oporteat jeiunare. Primùm quidem fratres, pro eo quod ab ipſis quoque licitis abſtinemus, ea nobis quæ priùs commiſimus illicita condonantur. Quid verò eſt condonari commiſſa, niſi jeiunio brevi jeiunia redimi ſempiterna? Gehennam enim meruimus, ubi nullus unquam cibus eſt, conſolatio nulla, terminus nullus: ubi guttam aquæ dives poſtulat [a], & accipere non meretur. Bonum ergo & ſalutare jeiunium, quo redimuntur æterna ſupplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Non ſolùm autem abolitio eſt peccatorum, ſed extirpatio vitiorum: non ſolùm obtinet veniam, ſed & promeretur gratiam: non ſolùm delet peccata præterita quæ commiſimus, ſed & repellit futura quæ committere poteramus.

Quo fructu, & quemodo jeiunandum.

[a] Luc. 16.d

Dicam unum adhuc quod facile capiatis, ſæpius, niſi fallor, experti? Jeiunium orationi devotionē & fiduciam donat. Et vide quemadmodum ſibi invicem jeiunium & oratio ſocientur, ſicut ſcriptum eſt [b], *Frater adiuvans fratrem, ambo conſolabuntur*: Oratio virtutem impetrat jeiunandi, & jeiunium gratiam promeretur orandi. Jeiunium orationem roborat, oratio ſanctificat jeiunium, & Domino repræſentat. Quid enim jeiunium nobis proderit, ſi relinquatur in terra? quod abſit. Sublevetur ergo jeiunium penna quadam orationis. Verùm huic, ne fortè minus ſufficiat, alteram quoq; neceſſe eſt ſociari. *Oratio iuſti*, ait Scriptura [c], *penetrat cœlos.* Sint ergo jeiunio noſtro, ut facilè cœlos penetret, alæ duæ orationis ſcilicet, atq; juſtitiæ. Juſtitia vero quæ eſt, niſi quæ cuique reddit quod ſuum eſt? Noli ergo quaſi ſolum attendere Deum, debitor enim es etiam Prælatis, etiam fratribus tuis: nec vult Deus ut parvipendas quos ipſe minimè parvipendit. Neque enim ſine cauſa ait Apoſtolus [d], *Providentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Dicebas fortaſſe. Sufficit mihi ſi tantum DEUS approbat quod ago, quæ mihi de humano

Ieiunii & orationis copula.

[b] Prov. 18.c

Oratio & Iuſtitia ſunt alæ Ieiunii.

[c] Eccleſ. 35.c

[d] Rom. 12. d

Ingratum Deo, quod ſcandalo, inobedientiæ, &

singularitati commixtũ est.

cura judicio? Sed certus sis, quod ei minimè placeat, quicquid cum scandalo filiorum eius, & contra ipsius feceris voluntatem, cui obedire tanquam eius vicario oportebat. *Sanctificate* (inquit [e]) *jeiunium, vocate cœtum.* Quid enim est cœtum vocare? Unitatem servare, diligere pacem, fraternitatem amare. Superbus ille Pharisæus jeiunium habuit, jeiunium sanctificavit, qui nimirum jeiunavit bis in sabbato; & gratias egit Deo: sed non vocavit cœtum, dicens [f]: *Non sum sicut cæteri hominum,* ideoque ala una nitens jeiunium eius non pervenit in cœlum. Vos ergo, charissimi, lavate manus vestras in sanguine peccatoris, & omnino solliciti estote, ut alas duas habeat jeiunium vestrum, sanctimoniam scilicet & pacem, sine qua nemo videbit Deum. *Sanctificate jeiunium*, ut pura intentio & devota oratio divinæ illud offerat maiestati. *Vocate cœtum,* ut congruat unitati. *Laudate Dominum, in tympano & choro* [g], ut concors sit mortificatio carnis.

e Ioel. 1.

f Luc. 18. b *Jeiunii utilis conditiones & requisita.*

g Psal. 150. a

Tria Orationis vitia.

Porrò quia & de Jeiunio & de Justitia aliqua diximus, dignum est ut de Oratione quoque pauca loquamur. Hæc enim quanto efficacior est si fiat ut debet, tanto callidiùs impediri ab adversario solet. Interdum enim graviter impeditur oratio à pusillanimitate spiritus, & timore immoderato. Hoc autem tunc solet fieri cum sic cogitat homo propriam indignitatem, ut non convertat oculos ad divinam benignitatem: *abyssus* enim *abyssum invocat* [h]: abyssus luminosa, abyssum tenebrosam, abyssus misericordiæ, abyssum miseriæ. Profundum namque est cor hominis, & imperscrutabile. Sed si magna est iniquitas mea, multo maior est Domine pietas tua. Ideoque cum ad meipsum turbata fuerit anima mea, memor sum multitudinis misericordiæ tuæ, & respiro in ea: & cum introiero in potentias tuas*, nolo memorari justitiæ tuæ solius.

1. Nimia Timiditas.

h Psal. 41. b

Malè alii. meas.

Veruntamen sicut periculum est, si fuerit oratio nimis timida, sic in contraria parte non minus imò & maius periculum est, si forte fuerit temeraria. De his qui sic orant, audi quid loquatur ad Prophetam Dominus. *Clama,* inquit [i], *ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, &c.* Quasi tuba, inquit, quia in spiritu vehementi increpandi sunt temerarii. Me etenim quærunt, qui seipsos nondum invenerunt. Nec hoc dico ut peccatoribus auferam orandi fiduciam, sed volo eos orare tanquam gentem quæ peccatum fecerit, non justitiam. Orent pro indulgentia peccatorum suorum in animo contrito, & spiritu humilitatis, quemadmodum publicanus ille, *Deus,* inquit [k] *propitius esto mihi peccatori.* Temeritatem enim dico, quando is, in cuius conscientia peccatum adhuc aut vitium aliquod regnat, ambulat in magnis & mirabilibus super se, minus sollicitus pro periculo animæ suæ. Tertium periculum est, si sit oratio tepida, & non

2. Orationis vitium, Temeritas.

i Esaiæ. 58. a

Peccatori quomodo orandum.

k Luc. 18. b

ex viva

ex viva affectione procedens. Timida quidem oratio cœlum non penetrat, quia reſtringit animum timor immoderatus ut oratio non dicam non aſcendere, ſed nec procedere queat. Tepida verò in aſcenſu langueſcit & deficit, eo quòd non habeat vigorem. Nam temeraria non aſcendit, ſed reſilit: reſiſtitur enim ei; nec tantùm non obtinet gratiam, ſed & meretur offenſam. Quæ verò fidelis & humilis & fervens oratio fuerit, cœlum ſine dubio penetrabit: unde certum eſt quòd vacua redire non poterit.

3. Vitium Orationis, Tepiditas.

IN QUADRAGESIMA

De triplici modo orationis.

Sermo V.

CHaritas qua pro vobis ſollicitus ſum, Fratres mei, cogit ut loquar vobis: & urgente ea multo ſæpius loquerer, niſi tam multis occupationibus impedirer. Nec mirum ſi ſollicitus ſum pro vobis, cum inveniam in meipſo materiam multam & occaſionem ſollicitudinis. Quoties enim propriam miſeriam, & multimoda pericula cogito, haud dubium quin ad me ipſum conturbetur anima mea. Nec minor mihi ſollicitudo eſt pro ſingulis quibuſque veſtrum, ſi tamen diligo vos tanquam meipſum. Novit ipſe qui ſcrutatur corda, quoties in corde meo propriæ ſollicitudini præponderat ſollicitudo veſtra. Nec mirum ſi multa mihi ſollicitudo eſt, & timor magnus conturbat me ſuper omnibus vobis, quos video in tanta miſeria, & in tantis conſtitutos eſſe periculis. Ipſe enim (ut manifeſtum) geſtamus laqueum noſtrum, ubi proprium circunferimus inimicum, carnem hanc loquor, de peccato natam in peccato nutritam, corruptam nimis ipſa origine, ſed multo amplius prava conſuetudine vitiatam. Hinc eſt quòd tam acriter caro adverſus ſpiritum concupiſcit, quòd aſſiduè murmurat, & impatiens eſt diſciplinæ, quòd illicita ſuggerit, quòd nec rationi obtemperat, nec inhibetur ullo timore.

Inimicus noſter domeſticus, caro noſtra.

Huic accedit, hanc adiuvat, hac utitur ad impugnandos nos callidiſſimus ſerpens, cui nullum aliud deſiderium eſt, nullum ſtudium, nullum negotium, niſi effundere ſanguinem animarum. Hic eſt qui jugiter machinatur malum, qui deſideria carnis inſtigat, qui concupiſcentiæ ignem naturalem, quodammodo venenatis ſuggeſtionibus ſuffLat, illicitos motus inflammat, peccati occaſiones parat, & mille nocendi artibus corda hominum tentare non ceſſat. Hic eſt qui manus noſtras proprio cingulo alligat, & ut dicitur, baculo noſtro nos cædit, ut caro quæ data eſt in adiutorium, in ruinam nobis & in laqueum fiat.

Alter hoſtis noſter inſenſiſſ. Diabolus.

Adversus utrumque grave hominis certamen.

Sed quid prodest indicasse pericula, si nulla consolatio, nulla adhibeantur remedia? Grande quidem periculum est, & gravis lucta adversus domesticum hostem, maximè cum nos advenæ simus, & ille civis: ille suam inhabitet regionem, nos exules simus, & peregrini. Magnum quoque discrimen, adversus diabolicæ fraudis astutias tam crebros imò continuos habere conflictus, quem nec videre quidem possumus & quem nimis astutum fecerit tam natura subtilis, quàm longa exercitatio malitiæ eius. Veruntamen in nobis est, si vinci nolumus, & nemo nostrum in hoc certamine dejicitur invitus. *Sub te est ô homo appetitus tuus, & tu dominaberis illi** [a]. Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in te est si volueris dare seu negare consensum. In tua facultate est si volueris inimicum tuum facere servum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflammat inimicus desiderium cibi, vanitatis aut impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum: tu solummodo ne consenseris: & quoties restiteris, toties coronaberis.

a Gen. 4.a

* *al.* illius.

Hostis noster debilis; neminem vincit nisi volentem.

Veruntamen negare non possumus, Fratres, molesta sunt hæc, & periculosa, sed & in ipso certamine si viriliter resistimus, quædam pia tranquillitas de conscientia bona nascitur. Credo etiam, si cogitationes istas quàm citò in nobis advertimus, non patimur remorari, sed in spiritu vehementi animus adversus illas excitatur: quoniam inimicus confusus abscedet à nobis; non tam libenter illicò revertetur. Sed qui sumus nos aut quæ fortitudo nostra, ut tam multis tentationibus resistere valeamus? Hoc erat certè quod quærebat Deus, hoc erat ad quod nos perducere satagebat: ut videntes defectum nostrum, & quòd non est nobis auxilium aliud, ad eius misericordiam tota humilitate curramus. Propterea rogo vos, Fratres, ut semper ad manũ habeatis tutissimum orationis refugiũ, de qua etiã memini me paulo ante in fine sermonis esse locutum.

Tentationes aperiunt nobis imbecillitatem nostrã, & ad Deum refugere docent.

NOTA Antidotum tentationis humanæ, cum nobis videmur in vanum, & sine fructu orare.

Verumtamen quoties de oratione loquor, verba quædam humanæ cogitationis audire mihi videor in corde vestro, quæ & ab aliis frequenter audivi, & nonnunquam expertus sum in corde meo. Quid enim est, quod licet numquam ab oratione cessemus, vix & unquam experiri videatur aliquis nostrum, quis sit orationis suæ fructus? Sicut ad orationem accedimus, sic redire videmur: nemo nobis respondit verbum, nemo quicquam donat: sed laborasse videmur incassum. Sed quid in Evangelio dicit Dominus? *Nolite*, ait [b], *judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.* Quod est autem justum judicium, nisi judicium fidei? Quoniam justus ex fide vivit [c]. Ergo judicium fidei sequere, & non experimentum tuum: quoniam fides quidem verax, sed experimentum fallax. Quæ est ergo veritas fidei, nisi quod promittit ipse filius DEI?

b Ioan. 7. c

c Abac. 2.a

Quidquid

Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis [d]. Nemo veſtrum, fratres, parvipendat orationem ſuam. Dico enim vobis, quia ipſe ad quem oramus, non parvipendit eam. Priuſquam egreſſa ſit ab ore noſtro, ipſe ſcribi iubet eam in libro ſuo. Et unum indubitanter è duobus ſperare poſſumus: quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis noverit eſſe utilius. Nos enim quid oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed miſeretur ille ſuper ignorantiam noſtram: & orationem benignè ſuſcipiens, quod nobis aut omnino non eſt utile, aut non tam cito dari neceſſe eſt, minimè tribuit: oratio tamen infructuoſa non erit.

d Matt. 11. e

Quomodo oratio noſtra non ſit inanis & infructuoſa: NOTA, pro ſolatio orantium.

Ita ſanè, ſi fecerimus quod monemur in pſalmo; id eſt, ſi delectemur in Domino. Ait enim ſanctus David: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui* [e]. Sed quid ô Propheta, quod tam abſolutè mones delectari in Domino, ac ſi ad manum nobis ſit huiuſmodi delectatio? Delectationem cibi, ſomni & quietis, & cæterorum quæ in terra ſunt, novimus: Deus autem quam delectationem habet, ut in eo delectemur? Fratres mei, ſæculares hoc dicere poſſunt, vos non poteſtis. Quis enim veſtrum eſt, qui non ſæpe expertus ſit conſcientiæ bonæ delectationem? Qui non guſtaverit ſaporem caſtitatis, humilitatis, charitatis? Non eſt hæc delectatio potus neque cibi, aut ſimilis cuiuslibet rei: delectatio tamen eſt, & maior omnibus illis: divina enim eſt, & non carnalis delectatio: & cum in his delectamur, planè delectamur in Domino.

e Pſal. 36. a

Delectatio in Domino quæ ſit.

Maior eſt quacunq; alia.

Sed cauſantur multi fortaſſe quod affectum hunc delectabilem & dulciorem ſuper mel & favum rariùs experiantur: nimirum quia tentationibus interim exercentur, multoque virilius agant, ſi virtutes ipſas non pro delectatione quam experiantur, ſed pro virtutibus ipſis & pro ſolo beneplacito Dei tota intentione, etſi non tota affectione ſectantur. Nec dubium quin optimè complaceat, qui huiuſmodi eſt, Prophetæ admonitioni, qua dicit: *Delectare in Domino*: quoniam non de affectu loquitur, ſed de exercitio. Affectus enim ille beatitudinis eſt, exercitium verò virtutis. *Delectare*, inquit, *in Domino*, ad hoc tende, ad hoc conare, ut in Domino delecteris, *& dabit tibi petitiones cordis tui*. Sed conſidera quod *petitiones cordis* dixerit, quas approbat judicium rationis. Nec habes unde cauſeris, ſed unde magis tanto affectu in gratiarum actione verſeris: quandoquidem tanta ſuper te cura eſt Deo tuo, ut quoties ignorans quæris quod tibi inutile eſt, non te audiat ſuper hoc, ſed mutet illud utiliori dono. Sic & pater carnalis parvulo quærenti panem libenter porrigit: quærenti cultellum, quem non neceſſarium putat, non conſentit, ſed magis panem ei quem dederat frangit, vel per aliquem miniſtrorum frangi præcipit, ut nihil ille habeat periculi, nihil laboris.

Per tentationes non excluditur.

Orantes nos non exaudiri, ſæpè divinæ bonitatis indicium eſt.

Simile.

Porrò *petitiones cordis* in tribus credo constare, nec video quid præter illa electus quisque sibi debeat postulare. Duo quidem huius temporis sunt, id est, bona corporis & animæ, tertium verò beatitudo æternæ vitæ. Nec mireris quod bona corporis à Deo dixerim esse quærenda, quoniam eius sunt corporalia omnia, sicut & spiritualia omnia bona. Ab eo ergo petendum & sperandum nobis est, unde possumus in eius servitio sustentari. Veruntamen pro necessitatibus animæ orandum nobis est & frequentius, & ferventius, id est, pro obtinenda gratia Dei, animæque virtutibus. Sic & pro vita æterna tota pietate & toto nobis orandum est desiderio, ubi nimirum corporis & animæ plena & perfecta sit beatitudo.

Tria bonorum genera, quæ a DEO peti possunt.

Orandum pro necessitatib. animæ potissimùm.

In his ergò tribus, ut cordis petitiones sint, tria nobis sunt observanda. Nam & in prima quidem *superfluitas*, & in secunda *impuritas*, & *elatio* interdum surrepere solet in tertia. Nonnunquam enim temporalia quæri solent ad voluptatem, virtutes ad ostentationem. Sed & vitam æternam fortassis aliqui non in humilitate quærunt, sed tanquam in fiducia suorum meritorum. Nec hoc dico quin accepta gratia fiduciam donet orandi, sed non oportet ut in ea constituat quisquam fiduciam impetrandi: hoc solum conferunt hæc præmissa dona, ut ab ea misericordia quæ tribuit hæc, sperentur etiam ampliora. Sit ergo oratio quæ pro temporalibus est, circa solas necessitates restricta, sit oratio quæ pro virtutibus est animæ, etiam ab omni impuritate libera, & circa solum beneplacitum Dei intenta: sit ea quæ fit pro æterna vita, in omni humilitate, præsumens de sola (ut dignum est) miseratione divina.

Tria in istis tribus bonorum generib. ritè petendis observanda.

Brevis Regula bene orādi.

IN QUADRAGESIMA

De Oratione Domini.

SERMO VI.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra a.

*a Matt. 6. b

VOluntas Domini, Fratres, quæ priùs Angelos creavit faciens eosdem, postmodum in eis facta beavit. Sicut enim *Verbum* quod erat in principio, carnem suscipiens dicitur (& verè dicitur) *factum caro* [b], sic voluntas illa æterna in Angelo facta est, cum Angelicam omnino in se absorbuit voluntatem. Quidni dicatur facta in Angelo, cum Angelica facta est? Hæc enim summa illius felicitatis est, hic voluptatis cœlestis torrens, quod divina voluntas ipsa facta est etiam Angelorum: ut quemadmodum placet DEO universitas administrationis huius, sic & ipsi in eunctis gaudeant, in omnibus delectentur. Hoc igitur oramus, ut hæc voluntas sicut in cœlestibus facta est creaturis, fiat etiam in terrenis: ut

b Ioan. 1. b

Varia in homine divina

sicut

ſicut Angelus, ſic & homo adhærens DEO, unus cum eo ſpiritus ſit. Sed heu me, quot obſtacula ſeparant, quot prohibent impedimenta! Objicit ſeſe malitia mediam, objicit infirmitas, objicit concupiſcentia & ignorantia noſtra. Ineſt enim nobis quaſi à natura, magis autem ab exterminio naturæ, affectio quædam peſſima & libido nocendi, ut inextinguibilis inveniatur in miſeris animabus noſtris malitiæ delectatio. Quid verò longius à voluntate divina? Planè chaos magnum inter nos & illam firmatum eſt in hac parte: cum ſemper eum delectet præſtare beneficia, & ingratis nobis econtra ſuggerat affectio crudeliſſima & innoxiis velle nocere. Hinc omnis radix amaritudinis germinat, hinc invidiæ, hinc detractiones, hinc diſſenſiones pullulant, hinc ſylveſcunt inimicitiæ: At hæc quidem germina virulenta præcidi ſemper neceſſe eſt falce juſtitiæ, qua videlicet extorquemus à nobis, ne cui faciamus quod nolumus nobis fieri: ſed quæ volumus ut faciant nobis homines, & nos eis eadem faciamus. Eradicari tamen aut extirpari à cordibus noſtris omninò non poterit malitia, donec in mundo fuerimus, qui totus poſitus eſt in maligno. Conteritur quidem ſerpentis caput, ſed experiri eſt frequenter calcaneo inſidiantem.

voluntatis obſtacula.

1. Ex innata malitia, ſeu corruptione naturæ.

Secundo loco ipſa quoque corruptibilis huius infirmitate corporis præpedimur, ne voluntas noſtra divinæ valeat cohærere. Nobis quidem quod moleſtum ſentimus, non poteſt non diſplicere: & frequenter in his voluntas noſtra à divina diſſidet voluntate, cui ne penitus adverſetur, fortitudo eſt nobis neceſſaria, quæ ſecunda ſpecies eſt virtutis.

2. Ex Infirmitate humana.

Nec ſola impedit afflictio corporis: Impedit & concupiſcentia, qua multiplicibus & inexplebilibus diſtrahimur deſideriis! Quando autem poterit anfractuoſa & angulis plena voluntas ei uniri, quæ rectiſſima eſt, & omnimodis indiſtorta? Heu mihi Domine DEUS, quia undique mihi bella, undique tela volant, undique perîcula, undique impedimenta! Quocunque me vertam, nulla uſquam ſecuritas eſt: & quæ mulcent, & quæ moleſtant, timeo: & eſuries & refectio, & ſomnus & vigiliæ, & labor & requies militant contra me. *Divitias & paupertatem ne dederis mihi*, orat Sapiens [c]: nimirum quia utrobique laqueus, utrobique periculum. Quod ſi reprimit temperantia concupiſcentiam (hoc quippe unicum in huiuſmodi remedium eſt) erit quidem unio jam nonnulla, ſed plena non erit. Hinc & Apoſtolus de ſe fatetur [d]. *Ego ipſe*, ait, *mente conſentio legi DEI, carne autem legi peccati, quæ eſt in membris meis.* Ex parte ergo cohæret, & ex parte diſſidet, donec veniat quod perfectum eſt, & quod ex parte eſt evacuetur.

3. Ex Concupiſcentia.

c Prov. 30. b

Nunquam & nuſquam ſecuritas in hac vita.

d Rom. 7. d

Quarta eſt ignorantia, quam & ipſam nobis plurimum obeſſe non ignoratis.

4. Ex Ignorantia.

ignoratis. Quo enim pacto voluntatem DEI prævíam sequar, ubi ignoro eam? Cognosco autem tantùm ex parte, & necdum sicut cognitus sum. Propterea inquirenda sunt nobis cum omni desiderio incrementa prudentiæ, ut magis ac magis notam faciat nobis DEUS voluntatem suam, ut sciamus quid acceptum sit ei omni tempore. Sic virtutum consummatio, justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, & prudentiæ unionem illam tam felicem quàm desiderabilem consummabit, ut sit nobis cum Deo una voluntas: & quæcunque ei placent, placeant simul & nobis: atque hoc nobis erit (ut de Angelis supradictum est) omnino perfecta jucunditas.

Oramus autem ut *adveniat regnum Domini*, quo videlicet nobis plena sit de regni potestate securitas. Quod autem petimus ut *sanctificetur nomen eius*, omnino jam supra nos in eius notitiam pergere concupiscimus. Ubi nimirum nobis in nobis & felix securitas & secura felicitas fuerit, in eum qui super nos est, tota iam spiritus vehementia rapiemur, *Sanctificetur nomen tuum.* Nomen eius, gloria eius. Et illa quando non sancta? Fieri tamen dicitur sancta gloria eius, cum in sanctitate glorificatur à nobis: sicut & voluntatem eius, quæ æterna est, in nobis (ut nostra fiat) fieri postulamus. Hoc ergo primùm fieri petimus quod maximum est, ut nobis gloriæ illius innotescat sanctitas illibata. Exinde quod ad nos spectat optamus, & regni potestatem propter securitatem, & voluntatis eius in nobis perfectionem propter jucunditatem. Sed quia necdum illa perfectione gaudentes non sine magno labore divinæ possumus obtemperare voluntati, opus est cibo ne deficiamus, opus est, inquam, *pane quotidiano.* Sæpius quoque aberrantes ab ea, & delinquentes, hoc est derelinquentes eam, necessariò pro indulgentia supplicamus, dicentes: *Dimitte nobis debita nostra, &c.* Ne forte in eadem recidamus post acceptam veniam peccatorum, orandus à nobis idem ipse est *ne nos inducas in tentationem*: sed magis educat nos, & liberet à malo.

Quomodo sanctificari dicatur nomen Dei in seipso summè sanctum.

IN QUADRAGESIMA,

De Peregrino, Mortuo, & Crucifixo,

SERMO VII.

Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis a.

a 1. Pet. 2. b

FElices qui præsenti sæculo nequam advenas & peregrinos exhibent, immaculatos se custodientes ab eo. *Neque* enim *habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* b. Abstineamus ergò à carnalibus desideriis quæ militant adversus animam tanquam advenæ & peregrini.

b Heb. 13. c

Peregri-

Peregrinus ſiquidem via regia incedit, non declinat ad dexteram neque ad ſiniſtram. Si forte jurgantes viderit, non attendit: ſi nubentes aut choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominus tranſit, quia peregrinus eſt, & non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam ſuſpirat, ad patriam tendit, veſtitum & victum habens non vult aliis onerari. Beatus planè qui ſuum ſic agnoſcit, ſic deplorat incolatum, dicens Domino [c]: *Quoniam advena ego ſum apud te, & peregrinus ſicut omnes patres mei.* Magnum hoc quidem, ſed forte gradus aliquis altior eſt. Nam peregrinus etſi non admiſcetur civibus, aliquando tamen delectatur videre quæ fiunt, aut audire ab aliis, aut ipſe narrare quæ viderit: & his & huiuſmodi etſi penitus non retinetur, detinetur tamen & retardatur, dum minus memor patriæ minori accelerat deſiderio. Nam & tanto tempore poteſt in his delectari, ut jam non ſolùm remoretur, & minus citò veniat, ſed & remanens ex toto ne tardè quidem perveniat.

Peregrini myſticâ deſcriptio.

[c] Pſal. 38. d

Quis igitur eſt magis alienus ab actibus ſæculi, quàm peregrinus? Profectò quibus dicit Apoſtolus [d]: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in DEO.* Peregrinus nimirum poteſt facile occaſione viatici plus quam oporteat & detineri quærēdo, & prægravari portando: mortuus, ſi deſit etiam ipſa ſepultura, non ſentit. Sic vituperantes ut laudantes, ſic adulantes audit ut detrahentes: imò verò nec audit, quia mortuus eſt. Omninò felix mors, quæ ſic immaculatum ſervat, imo penitus alienum facit ab hoc ſæculo. Sed neceſſe eſt ut qui non vivit in ſe, vivat Chriſtus in illo. Hoc eſt enim quod ait Apoſtolus [e]: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Ac ſi diceret: Ad alia quidem omnia mortuus ſum, non ſentio, non attendo, non curo: ſi qua verò ſunt Chriſti, hæc vivum inveniunt & paratum. Nam ſi non aliud poſſum, ſaltem ſentio, placet quod ad eius honorem fieri video, diſplicent, quæ aliter fiunt. Magnus omnino gradus eſt iſte.

[d] Coloſſ. 3. a

Mortuus Mundo quis.

[e] Gal. 2. d

At fortaſſe poterit aliquid adhuc ſuperius inveniri. In quo ergo quæremus? In quo putas, niſi in eo de quo nunc loquebamur, qui raptus eſt uſque ad tertiũ cœlum? Quis enim prohibet tertium cœlum dicere, ſi quem gradum ſupra iſtos poteris invenire? Audi igitur ipſum de hac tanta altitudine non in ſe gloriantem, ſed dicentem [f]: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Non ſolùm, inquit mortuus mundo, ſed & crucifixus: quod eſt ignominioſum genus mortis. Ego illi, pariter & ipſe mihi. Omnia quæ mundus amat, crux mihi ſunt: delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes: Quæ verò mundus reputat crucem, illis affixus ſum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu. An non maior iſte eſt

[f] Gal. 6. d

Crucifixus mundo quis.

secundo & primo gradu? Peregrinus si prudens est, & non obliviscitur suæ peregrinationis, licet cum labore transit, & non magnopere sæcularibus implicatur: mortuus æquè blanda huius sæculi sicut aspera spernit. Quia verò raptus est usque ad tertium cœlum, crux illi est omne cui mundus inhæret: & his adhæret quæ mundo crux esse videntur. Quamvis in his verbis Apostoli illud quoque non incongruè posset intelligi, crucifixum ei mundum reputatione, ipsum verò mundo crucifixum compassione. Crucifixum enim mundum videbat obligationibus vitiorum, & ipse crucifigebatur ei per compassionis affectum.

Pensemus singuli in quo gradu quisque sit positus, & studeamus proficere de die in diem, quoniam de virtute in virtutem videbitur *Deus Deorum in Sion* [g]. Maximè verò hoc sancto tempore in omni, obsecro, puritate conversari studeamus, ubi & certus & brevis dierum numerus positus est, ne desperet humana fragilitas. Nam si dicitur nobis in omni tempore, solliciti estote omnino ad custodiendam puritatem vestræ conversationis, quis non desperet? Nunc autem monemur, brevi dierum numero omnes aliorum temporum negligentias emendare: ut vel sic gustemus dulcedinem perfectæ puritatis, & omni deinceps tempore in conversatione nostra sanctæ huius quadragesimæ vestigia clara resplendeant. Conemur ergo, fratres sanctum hoc tempus tota devotione suscipere, & tunc magis arma spiritualia reparare. Nunc enim generali quodam totius orbis exercitu contra diabolum Salvator congreditur: beati, qui sub tali duce strenuè militârint. Toto siquidem anno domestica regis familia militat, & assidua est in bellorum procinctu: semel autem & certo tempore universum imperium generali congregatur exercitu. Felices vos, qui domestici meruistis esse: quibus dicit Apostolus [b]. *Iam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei.* Quid igitur facturi sunt qui toto anno pugnam susceperunt, quando & ipsi rudes & vacantes priùs spiritualia arma arripiunt? Utique solito amplius solitæ opus est insistere pugnæ, ut magna quædam victoria regi nostro ad gloriam, nobis proveniat ad salutem.

[g] Psal. 83. d

Tempore Quadrag. Christus generali totius orbis exercitu cum diabolo congreditur.

[b] Ephes. 2. d

DE S. BENEDICTO ABBATE,

Sermo.

Convenientibus vobis in unum ad audiendum verbum salutis, magnus mihi timor, Fratres mei, ne quis fortè minùs dignè illud recipiat, & non sicut recipiendum est verbum Dei. Scio enim terram quæ sæpius supervenientem in se recipit imbrem, si fructum non fecerit, reprobam fore, & proximam maledicto [a]. Et ego utique si possem, bene-

[a] Heb. 6. b

dictiones

nedictiones illi dare mallem, & non maledictiones. Imò verò jam benedictionem cœlestis Patris vestri non meam (quam tamen ipso quidem dignante accipitis per os meum) opto vobis benedictionem manere semper nec in maledictionem posse mutari. Celebramus hodie magistri nostri glorioſi Benedicti natalem: pro eo vobis de eo solemnis ex more sermo debetur. Cuius dulcissimum nomen, cum omni vobis jucunditate amplectendum est, & honorandum, quoniam ipse dux vester, ipse magister, & legifer vester est. Delector quidem & ego in ipsius memoria, licet non meo sine rubore Beati huius Patris nomen audeam memorare. Est enim mihi de ipsius imitatione vobiscum sæculi abrenuntiatio, & monasticæ professio disciplinæ, sed singulariter sine vobis cum eo participo nomen Abbatis. Abbas fuit, & ego. O Abbas & abbas. Nomen unum, sed in altero sola magni nominis umbra. Ministerium unum, sed heu me! quàm dissimiles ministri, quantum ministratio ipsa dissimilis? Væ mihi si tam longe à te fuero, ô beate Benedicte, in futuro, quàm à tuæ vestigiis sanctitatis longè esse reperior in præsenti. Sed non mihi hæc apud vos perorare necesse est: scio quod scientibus me loquor: tantùm peto, ut pudorem hunc, & hunc timorem meum fraterna compassione levetis.

Humilis confessio S. Bernardi seipsum deprimentis.

Quoniam tamen omnino dispensatio mihi credita est, etsi non habeo apud me quod vobis apponam, quæram à beato Benedicto tres panes, quibus vos pascam. Reficiat vos Sanctitas eius, Justitia eius, Pietas eius. Recolite, dilectissimi, quòd non omnes qui in processione Domini fuerunt, sua illi prostraverint vestimenta. In illa, inquam processione quam annuente Domino in proximo sumus celebraturi, quando venienti Domino ad passionem, & sedenti super asellum populi occurrerunt, non omnes vestimenta sua prosternebant in via, sed cædebant aliqui ramos de arboribus. Non erat hoc magnum: quod gratis acceperant, gratis dabant. Veruntamen ne ipsi quidem penitus ociosi fuerunt, sed nec à processione leguntur excluſi. Fratres mei, pium Christi jumentum, qui cum Propheta dicere potestis [b]: *Vt jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*: vos quibus insidet Christus, quoniam *anima justi sedes est sapientiæ*, & Apostolus prædicat *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam* [c]: si non habeo vestes quas pedibus vestris prosternam, tentabo vel ramos cædere de arboribus, ut tantæ processioni vel parum aliquid non desit ministerii mei.

[b] Psal. 72. d

[c] 1. Cor. 1. d

Arbor fuit beatus Benedictus grandis atque fructifera, tanquam *lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* [d]. Ubi sunt decursus aquarum; Profectò in vallibus, quia inter medium montium pertransi-

[d] Psal. 1. a

B. Benedicti arbori frugiferæ & in valle plantatæ comparat.

bunt aquæ. Quis enim non videat etiam torrentes montium ardua declinare, & mediam ad humilitatem semper divertere vallis? Sic profectò sic DEUS superbis resistit, humilibus dat gratiam [e]. Securus hic fige pedem quicunque es jumentum Christi: super hunc ramum initere, semitam vallis incede. Nimirum in monte sibi sedem constituit serpens antiquus, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro, propterea vallem magis elige ad ambulandum, vallem elige ad plantandum. Neque enim vel in serendis arboribus montana solemus eligere, quòd frequenter arida sunt & petrosa. In vallibus pinguedo est, ibi proficiunt plantæ, ibi plena spica, ibi centesimus oritur fructus, juxta illud [f]: *& valles abundabunt frumento.* Audis quia ubique vallis laudatur, ubiq; humilitas prædicatur. Ibi plantate ubi decursus aquarum, quia ibi copia gratiæ spiritualis: & aquæ quæ super cœlos sunt, laudant nomen Domini, id est, cœlestes benedictiones faciunt ut laudetur. Stemus in hac charissimi, & plantati stemus, ut non arescamus, non moveamur quocunque flatu, sicut scriptum est [g]: *Si spiritus habentis potestatem super te irruerit, locum tuum ne deseras.* Nulla enim tentatio vobis prævalebit, si non in magnis & mirabilibus super vos ambuletis, sed permaneatis radicibus firmis in humilitate radicati atque fundati. Sic fuit plantatus secus decursus aquarum Sanctus iste confessor Domini, quoniam fructum suum dedit in tempore suo.

e Iacob. 4. d

Arbores in vallibus plantatæ felicius oriscunt, sic iusti in humilitate fundati proficiunt.

f Psal. 64. c

g Eccl. 10. a

Humilitas securior à ruina.

Discrimen arborum spiritualium.

Arbores infructuosæ sunt filii huius sæculi.

Sunt enim qui factum non faciunt: sunt qui faciunt sed non suum: sunt qui faciunt suum, sed non in tempore suo. Sunt, inquam, *arbores infructuosæ*, ut quercus & ulmus & sylvestres aliæ arbores: sed huiusmodi nemo plantat in horto suo, quia non faciunt fructum: & si quem faciunt, non humano esui aptus est, sed porcino. Tales sunt filii huius sæculi agentes in commessationibus & ebrietatibus, in crapula & voracitate, in cubilibus & impudicitiis. Hæc namque porcorum cibus sunt, quos Judæus verus prohibetur comedere [h], quia Christianus his non debet adhærere. Sicut enim caro porcina cum comeditur, nostræ adhæret carni, ut jam sit una caro: sic transgressor præcepti Dominici spurcos sibi sociat spiritus, & adhærendo eis unus cum eis efficitur dæmon. Nam & idcirco in sacrificiis prohibetur animal illud offerri, quod spurcos spiritus immundosque designet: qui relicta omni munditia, solis sibi spurcitiis complacentes, vitiorum & criminum semper cœno delectantur involvi. Unde & in Evangelio [i], legio illa maledicta dum ejiceretur ab homine, tanquam simile sibi animal porcos postulat, nec negantur. His fructum ferunt arbores infructuosæ ad quarum radices securis posita jam videtur.

Porcorum esus & immolatio prohibita Iudæis, ratio moralis.

*h Deut. 14.

i Marc. 5. b

Arbo-

Arbores autem quæ fructum faciunt, sed non suum, hypocritæ sunt, cum Simone Cyrenæo crucem portantes non suam : qui religiosa intentione carentes, angariantur : & quæ non amant, amore gloriæ quam desiderant, facere compelluntur. Jam in eo quod dicitur, *in tempore suo* [k], arguuntur quidam ante tempus fructificare volentes. Nonne enim & arboribus nostris citiùs quàm oporteat pullulantibus, timemus omnino floribus intempestivis ? Sic sunt aliqui quorum fructus, quia nimis properè, minùs prosperè oriuntur. Hi sunt qui in initio conversionis suæ aliis fructificare continuò velle præsumunt, contraque legis decreta arare in primogenito bovis, & ovis primogenita tondere festinantes. Vultis nosse quam sollicitè id vitaverit sanctus iste Magister noster ? Et hunc ramum vobis appono : quoniam tribus annis soli DEO notus, hominibus mansit incognitus. Fructum quidem multum tulit, ipsi cernitis, sed in tempore suo. Neque enim credebat tempus esse fructificandi, quando tanta carnis tentatione gravatus est, ut penè cederet, penè discederet. Ego enim nec istum quidem ramum præteribo, quoniam etsi hirsutus quodammodo spinarum aculeis, quibus seipsum Domini Benedictus injecit : tamen utilis est omnino : utilis jumento Domini propter foveas tentationum, ne in eas incidat consentiendò, sed magis resistat, & viriliter agat, sustineatque Dominum ne desperet. Hic ergo fige pedem Christi jumentum, & disce quantumcunque acerba tentatio sæviat, non cedere, nec credere propterea derelictum te esse à Domino, sed memineris scriptum esse ; *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me* [l].

Arbores fructum facientes sed non suum quinam.

[k] Psal. 1. a

Tempore opportuno fructificandum.

S. Benedict. tribus annis latuit.

[l] Psal. 80. b

Ergo ut dicere cœperam, non credebat Benedictus tunc esse fructificandi tempus, quando adhuc tantis tentationibus urgebatur : sed venit tempus, & in tempore suo fructum dedit. De fructu eius, sunt illa tria quæ superiùs tetigit : Sanctitas eius. Justitia eius. Pietas eius. Sanctitatem *miracula* probant, *doctrina* pietatem, *vita* justitiam. Vides, ô jumentum Christi, ramos foliis virentes, vernantes floribus, onustos fructu ? Super istos innitere, ut gressus rectos facias pedibus tuis. Sed quomodo tibi appono eius miracula ? Nunquid ut miracula facere velis ? Nequaquam, sed ut miraculis eius innitaris : videlicet ut confidas & gaudeas, quod sub tali positus es pastore : quod tantum meruisti habere patronum. Omnino enim valde potens est in cœlis, qui tam magnus & potens extitit in terris ; secundùm magnitudinem gratiæ, magnitudine gloriæ exaltatus. Nam & juxta radicum quantitatem rami prodire noscuntur ; & quot radicibus arbor innititur, tot ramis, sicut aiunt, decoratur. Sic ergò licet non habeamus nostra, consolatio magna nobis

Miracula SS. quorsum nobis proponantur.

esse debent Patroni nostri miracula. Doctrina verò instruit nos, & dirigit gressus nostros in viam pacis. Porrò vitæ justitia omnino roborat & animat nos: ut tantò magis accendamur ad agenda quæ docuit, quantò certi sumus eum non alia docuisse quàm fecerit. Sermo quidem vivus & efficax, exemplum operis est: plurimum faciens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur.

Exemplo efficaciter docetur.

v. NOTAS.

In hunc ergo modum & Sanctitas confortat, Pietas informat, Justitia confirmat. Quantæ enim pietatis fuit, quòd non solum præsentibus profuit, sed & pro futuris sollicitus fuit? Non solùm his qui tunc erant, fructum tulit hæc arbor, sed utique hodie fructus eius & crescit & manet. Dilectus planè DEO & hominibus: cuius non sola præsentia in benedictione fuit, sicut sunt multi dilecti Deo soli, quia soli Deo jam cogniti: sed & memoria eius etiam nunc in benedictione est. Nam & usque hodie in triplicem amoris Domini confessionem, triplici hoc fructu pascit Domini gregem. Pascit *Vita*, pascit *Doctrina*, pascit *Intercessione*. Per quem incessanter adiuti, fructificate & vos charissimi, quoniam in hoc positi estis, ut eatis & fructum afferatis. Unde eatis? Utique à vobisipsis, sicut scriptum est [m]. *A voluntate tua avertere.* Nam & de Domino legimus, quia *exiit seminare semen suum* [n]. Ecce & hic habemus semen suum, sicut & prius fructum suum. Imitemur & hunc, Fratres, quoniam ad hoc venit, ut formam nobis traderet, & viam demonstraret.

Arboris huius fructus. Pascit vita, doctrina, intercessione.

m Eccl. 18. d

n Matt. 13. a

Fortassis & ipse Dominus arbor est, & debemus ab eo quoque ramos accipere, quos nostris pedibus apponamus; imo non fortasse, sed magis verè arbor est ipse & planta cœlestis, sed in terris plantata, sicut scriptum est [o] *Veritas de terra orta est, & justitia de cœlo prospexit.* Ab eo igitur hunc ramum vobis appono, ut sicut seipsum exinanivit, hoc ipsum sentiatis in vobis, nisi quod non tam ego appono, quàm Apostolus, apud quem legistis *hoc* [p]: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem DEO, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens: in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Et vos, Fratres charissimi, exinanite vos, humiliate vos, seminate vos, perdite vos. Seminate corpus animale, & resurget corpus spirituale. Perdite animas vestras, & in vitam æternam servabitis eas. Vultis nosse quomodo id fecerit Apostolus ipse qui docuit? *Sive*, inquit [q], *mente excedimus, DEO: sive sobrii sumus, vobis.* Quid ergo tibi? *Ego*, inquit [r], *factus sum tanquam vas perditum.* Bene seipsum perdit, qui nihil unquam pro se facit: sed omnis eius intentio & omne desiderium tendit ad Dei placitum, & utilitatem fratrum suorum. *Infelix* enim

Et Christus arbor mystica.

o Psal. 84. b

p Philip. 2. a

Christi humilitas imitãda.

q 2. Cor. 5. c

r Psal. 30. c

enim *qui seminat in carne, quia de carne metet corruptionem* [f]. Alibi vero scriptum est [t]: *Beati qui seminant super omnes aquas.* Sed quomodo super omnes aquas? Forte & super aquas de quibus legitur [u]: *Et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini*: quæ sunt virtutes Angelicæ, & cœlestes populi. Ita planè: *quoniam spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus* [x].

f Galat. 6.b
t Esai. 32.d
u Psal. 148.a
x 1.Cor.4.b

Seminemus igitur hominibus exemplum bonum per aperta opera: seminemus Angelis gaudium magnum per occulta suspiria, & cætera huiusmodi quæ solis eis sunt nota. Gaudium enim est Angelis Dei super unopeccatore pœnitentiam agente. Hinc dicebat Apostolus [y]: *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus*: Coram Deo dixit, coram eis qui vultui Dei assistunt. Ipsis enim maximè placet, quum vos vident occultè orantes, aut ruminantes psalmum aliquem, aut tale aliquid facientes. Sic seminate & vos, sic fructificate charissimi. Seminate & vos, qui tam multi ante vos seminaverunt: fructificate, quia vobis seminaverunt. O genus Adam, quàm multi seminaverunt in te, & quàm pretiosum semen: quàm malè peribis, & quàm merito, si perierit in te tantum semen, simul & seminantium labor? Cui perditioni traderis ab agricola, si in te perierint hæc universa? Seminavit in terra nostra tota Trinitas, seminaverunt Angeli pariter & Apostoli, seminaverunt Martyres, & Confessores, & Virgines. Seminavit & Filius, *Ipse enim est qui exiit seminare semen suum* [z]: Pater enim non exiit, sed Filius à Patre processit, & venit in mundum: ut qui priùs erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipse pax nostra in utero Matris, seminavit & Spiritus sanctus, quia & ipse venit, & apparuerunt discipulis dispartitæ linguæ tanquam ignis. Ita tota Trinitas seminavit: Pater scilicet pacem de cœlo, Filius veritatem, Spiritus sanctus charitatem.

y 2.Cor.8.d

Christiani steriles quam graviter damnandi.

Varii seminatores mystici.

1. *SS. Trinitas.*

z Matt.13.a & Luc.8.a

Angeli quoque seminaverunt, quando cadentibus aliis ipsi steterunt. Dixit enim Lucifer ille, (sed non jam lucifer, sed tenebrifer & vesperus) *Sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo* [a]. O impudens! Millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt [o], & tu sedebis? *Cherubim*, ait Propheta [b], *stabant, & non sedebant*, quid laborasti, ut jam sedeas? Omnes administratorii sunt Spiritus missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, & tu sedebis? Quid seminasti, ut jam metas? Non est tuum, non est tuum hoc, sed quibus paratum est à Patre. Quid eis invides? Profectò ipsi sedebunt, ipsi inquam vermiculi terræ judicantes sedebunt, & tu non modo non stabis, sed judicandus astabis. *Nescitis*, ait Apostolus [c], *quia & Angelos iudicabimus?* Ipsi utique *ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione*

2. *SS. Angeli.*

a Esa.14.d
o Dan. 7.c
b Ezech. 10.a & Esa. 6.a

Quies non capranda nisi post laborem.

c 2.Cor. 6.a

d Psal. 125, a *tatione portantes manipulos suos* [d]. Duo manipuli sunt quos quæris, honoris scilicet, & quietis. Sessionem affectas & altitudinem, sed non sic, non sic: non colliges, quia non seminasti. Qui seminaverunt laborem & utilitatem, metent honorem pariter & quietem. Pro confusione enim sua, duplici & labore, in terra sua duplicia possidebunt. Unde & dicebat quidam [e]: *Vide humilitatem meam, & laborem meum.* Hodie audistis in Evangelio promittentem Dominum, & dicentem Discipulis [f]: *Sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel.* Ecce quies sessionis, & honor judicii. Nam & ipse Dominus ad hæc noluit pervenire, nisi per humilitatem & laborem. Unde & morte turpissima condemnatus est, interrogatus tormentis, & opprobriis saturatus: utique ut inimicus induatur confusione ipse, pariter & omnes qui imitantur eum, & prætergrediuntur viam. Ipse est, ô inique, ipse est qui sessurus est in sede maiestatis suæ similis Altissimo, & coaltissimus ei. Hoc utique cogitaverunt Angeli sancti, qui cadente maligno apostasiæ illius non consenserunt: nobis relinquentes exemplum, ut quemadmodum ipsi elegerunt ministrare; sic & nos faciamus. Nam etiam qui laborem fugiunt, honorem captant, illum se noverint imitari, qui sessionem altitudinemque quæsivit: & si non satis terret eos illius culpa, terreat vel vindicta. Omnia enim in contrarium devenerunt, ut formatus sit ad illudendum ei, & ignis æternus præparatus est illi. Ad hæc vitanda, prudentiam nobis seminaverunt sancti Angeli, qui priùs eam aliis cadentibus tenuerunt.

e Psal. 24. d

f Matt. 19. d

Ne Christus quidem sine labore pervenit ad quietem.

Honorum cupidi, & laborum inimici, similes Diabolo.

Sed & Apostoli hanc ipsam seminaverunt nobis, quando recedentibus his qui sapientiam huius mundi sequebantur (quæ stultitia est apud Deum) & prudentiam carnis (quæ mortem operatur, & inimica est Deo) ipsi Domino adhæserunt. Scandalizati enim illi audientes de sacramento carnis & sanguinis, ultra non ibant cum eo. Discipuli verò interrogati an & ipsi vellent abire? responderunt [g], *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Necesse habemus fratres hanc prudentiam imitari: quia multi adhuc ambulant cum JESU, donec veniatur ad edendam eius carnem, & bibendum sanguinem illius, ad communicandum scilicet passionibus eius: hoc enim & verbum illud, & ipsum Sacramentum significat: ex tunc autem scandalizantur, & abeunt retro, dicentes. *Quia durus est hic sermo* [h], Nos cum Apostolis prudentes simus, & dicamus: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Non discedimus à te, vivificabis nos. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* [i], Non solus mundus habet delectationem, sed multo maior est in verbis tuis. Unde & Propheta ait [k]: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!* Ad quem igitur eamus? verba vitæ

3. *Seminant nobis Apostoli.*

g Ioan. 6. g

h Ibid.

i Deut. 8. a & Matt. 4.

k Psal. 18. n

æternæ

æternæ habes Domine : & ea quæ sunt super omnia quæ mundus habere potest. Non solum ipsa vita, sed & promissio vitæ æternæ, & expectatio justorum, lætitia est, & tanta lætitia, ut omne quod concupiscitur, ei non valeat comparari. Hanc igitur prudentiam nobis Apostoli sancti seminaverunt. Martyres verò manifestum est fortitudinem seminasse. Porrò veri Confessores seminaverunt justitiam, quam in omni vita sua sequuti sunt. Hoc enim interest inter Martyres & Confessores, quod inter Petrum simul omnia relinquentem, & Abraham substantiam mundi in bonos usus expendentem. Sic enim illi consummati in brevi expleverunt tempora multa : isti verò longa & multimoda traxere martyria. Virgines sanctæ planum est quia temperantiam seminarunt, quæ sic libidinem calcaverunt.

Martyres, Confessores, Virgines quid nobis seminaverint.

Discrimen Martyrum & Confessorum.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS B. Mariæ Virginis.

SERMO I.

De Verbis Psal. *Ut inhabitet gloria in terra nostra; Misericordia & veritas obviaverunt sibi, Justitia & pax osculatæ sunt.* Psal. 84.

GLoria nostra hæc est (ait Apostolus) *testimonium conscientiæ nostræ* [a]. Non quidem tale testimonium, quale ille superbus Pharisæus habebat, seducta & seductrice cogitatione [b], testimonium perhibens de seipso, & testimonium eius verum non erat : sed cum Spiritus ipse testimonium perhibet spiritui nostro. Porrò hoc testimonium in tribus consistere credo. Necesse est enim *primò* omnium credere quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei : *deinde* quòd nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse : *postremò* quòd æternam vitam uullis potes operibus promereri, nisi gratis detur & illa. Quis enim potest facere mundum de immmundo conceptum semine, nisi qui solus est mundus [c] ? Utique quod factum est, non potest non fieri : ipso tamen non imputante erit quasi non fuerit. Quod Propheta quoque considerans ait [d] : *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* De operibus verò bonis certum omninò est, quòd nemo hæc habeat à seipso. Nam si stare non potuit humana natura adhuc integra, quantò minus poterit per seipsam resurgere jam corrupta? Certum est ad suam originem universa quantum in eis est tendere, & in eam semper esse partem procliviora. Sic & nos qui de nihilo creati sumus, constat; quia si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper (quod nihil est) declinamus.

[a] 2. Cor. 1. c

[b] Luc. 18. b

Testimonium conscientiæ cõsistit in tribus. Remissio peccatorum, Opera bona, & vita æterna, à solo Deo.

[c] Job. 14. a

[d] Psal. 31. a *Homo sibi relictus continuò tendit in nihilum.*

Jam verò de æterna vita scimus, qui non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, nec si unus omnes sustineat. Neque enim talia sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam ut taceam quòd merita omnia dona Dei sunt, & ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quàm Deus homini: quid sunt merita omnia ad tantam gloriam? denique quis melior est Propheta cui Dominus ipse tam insigne testimonium perhibet, dicens [b]: *Virum inveni secundum cor meum.* Veruntamen & ipse necesse habuit dicere DEO, *Non intres in judicium cum servo tuo Domine.* Nemo itaq; se seducat: quia si bene cogitare* voluerit, inveniet proculdubio, quod nec cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se [e].

Merita nostra sunt Dei dona.

a 1. Reg. 13. c & Act. 13. d

d Psal. 142. a

*al. computare.

e Luc. 14. g

Verum hæc quæ nunc diximus non omninò sufficiunt, sed magis initium quoddam & velut fundamentum fidei sunt habenda. Ideóque si credis peccata tua non posse deleri nisi ab eo cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, benè facis: sed adde adhuc, ut & hoc credas quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus [f]: *gratis justificari hominem per fidem.* Ita de meritis quoque si credis non posse haberi nisi per ipsum, non sufficit, donec tibi perhibeat testimonium Spiritus veritatis, quia habes ea per illum. Sic & de vita æterna habeas necesse est testimonium spiritus; quod ad eam divino sis munere perventurus. Ipse enim peccata condonat: ipse donat merita, & præmia nihilominus ipse redonat.

f Rom. 3. d

Solius Dei est condonare opera bona, & eorũ præmia.

Porrò testimonia ita credibilia facta sunt nimis. Nam de *remissione* quidem *peccatorum* validissimum teneo argumentum, Dominicam passionem. Vox siquidem sanguinis eius invaluit multò plus quàm vox sanguinis Abel, clamans in cordibus electorum, remissionem omnium peccatorum. *Traditus est enim propter peccata nostra* [g]: nec dubium quin potentior & efficacior sit mors illius in bonum, quàm peccata nostra in malum. De *bonis* autem *operibus* argumentum nihilominus efficax mihi est Resurrectio eius, quia *resurrexit propter justificationem nostram* [h]. Porrò de spe præmiorum testimonium eius est Ascensio, quia ascendit propter glorificationem nostram. Hæc tria in Psalmis habes dicente Propheta [i]: *Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum.* Et alibi [k]: *Beatus vir cuius est auxilium abs te.* Item alibi [l]: *Beatus quem elegisti & assumpsisti, habitabit in atriis tuis.* Hæc est gloria vera, gloria inhabitans; quia ab eo est, qui per fidem habitat in cordibus nostris. Filii verò Adam gloriam quæ ab invicem est quærentes, gloriam quæ à solo DEO est non volebant

Passioni Christi tribuitur remissio peccatorum.

g Rom. 4. d

Resurrectioni justificatio.

h Ibid.

Ascensioni glorificatio.

i Psal. 31. a

k Psal. 83. b

l Psal. 64. a

lebant, sed sic gloriam extrinsecus fluentem sectantes habebant gloriam non in semetipsis, sed magis in aliis.

Vis nosse unde sit homini inhabitans gloria? Dico breviter, quoniam ad mystica festinat intentio. Nam & ea sola proposueram in verbis illis propheticis diligentius festigare, sed reflexit ad moralia occurrens prima fronte Apostolicus sermo de interna gloria & testimonio conscientiæ. Sic ergò inhabitat hæc gloria etiam hic in terra nostra si misericordia & veritas obvient sibi, & sese justitia & pax osculentur. Prævenienti siquidem misericordiæ, ut veritas nostræ conversionis occurrat necesse est, ac de cætero sanctimoniam sectemur & pacem, sine qua nemo videbit DEUM. Ubi enim compungitur quis, jam tunc eum misericordia prævenit, sed nequaquam ingredietur, donec ei veritas confessionis occurrat. *Peccavi Domino*, ait ipse David [m] ad Nathan Prophetam, cum de adulterio & homicidio argueretur. *Et transtulit Dominus peccatum à te*, ait Propheta, Nimirum *misericordia & veritas obviaverunt sibi*. Et hoc quidem, ut declines à malo. Jam verò ut facias bonum, in tympano & choro tibi psallendum est, ut ipsa mortificatio carnis tuæ & pœnitentiæ fructus, ac justitiæ opera, in unitate & concordia fiant: quoniam unitas spiritus, vinculum est perfectionis. Neque ad dexteram neque ad sinistram declinaveris. Sunt enim quorum dextera, est dextera iniquitatis. Pharisæus ille [n], cuius supra meminimus, non erat sicut cæteri hominum, sed ipse sibi (ut diximus) testimonium perhibuit, sed non verum. Sanè quisquis ille est in quo misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt, securè glorietur, sed in eo qui sibi testimonium perhibet in spiritu utique veritatis.

Vera & inhabitans gloria unde homini contingat.

Nimirum ex compunctione, & conversione, seu, declinando malum, & faciendo bonum.

m 2. Reg. 12. d

n Luc. 18. b

Vt inhabitet gloria in terra nostra, misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt. Si gloria Patris, Filius sapiens, cum sit sapientia ipsa, sapientior nemo; liquet profecto gloriam Patris, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam esse. Quia ergo multifariè multisq; modis de eo prædictum fuerat in Prophetis [o], quod in terris videndus esset, & inter homines conversaturus, quonam modo id factum sit, ut impletis quæ de eo per os omnium Prophetarum dicta fuerant, habitaverit gloria in terra nostra, Psalmista indicat in his verbis [p], ac si manifeste dicat. Ut Verbum caro fieret & habitaret in nobis, *misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt*. Magnum sacramentum, fratres, & diligentius perscrutandum, nisi & intellectus mysterio, & ipsi quoq; intellectui verba deessent. Dico tamen utcunque modicum id quod sentio, si fortè vel occasionem dedisse videar sapienti. Videre mihi videor, dilectissimi quatuor virtutibus his amictum primum hominem ab ipso

»

o Heb. 1. a

*p Psal. 84. b

Homo ab ipso creationis exordio quatuor virtutibus tãquam vestimento salutis amictus.

suæ creationis exordio, & (ut Propheta meminit [a]) vestimento salutis indutum. Est enim in his quatuor illa salutis integritas: nec sine his omnibus potest constare salus: præsertim cum nec possint esse virtutes ullo abinvicem separentur. Acceperat ergo homo *Misericordiam*, custodem scilicet atque pedissequam, ut ipsa præveniret, ipsa & sequeretur eum, ipsaque protegeret & conservaret ubique. Vides qualem nutritium contulit parvo suo DEUS, qualem dedit pedissequam homini recens orto. Sed erat illi necessarius etiam eruditor tanquam ingenuæ & rationabili creaturæ, ut non sicut jumentum aliquod custodiretur, sed tanquam parvulus educaretur. Cui sanè magisterio nemo poterat aptior inveniri, quàm *Veritas* ipsa, quæ eum in agnitionem summæ perduceret aliquando veritatis. Interim verò ne sapiens inveniretur ut malum faceret, esset-que peccatum ei tanquam scienti boni & minime facienti, *Justitiam* quoque qua regeretur accepit. Adhuc autem & *Pacem* qua foveretur & delectaretur addit manus benignissima Creatoris. Pacem utique duplicem, ut nec intus pugnæ, nec foris timores, id est nec caro concupisceret adversus spiritum: nec esset ei creatura ulla formidini. Nam & bestiis omnibus liberè imposuit nomina, & serpens ipse, qui violentia non præsumpsit, fraude magis eum aggressus est. Quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, docebat Veritas, regebat Justitia, Pax fovebat.

Sed heu homo iste ad multam perniciem & insipientiam sibi, descendit de Hierusalem in Hiericò [q]. Siquidem incidit in latrones, à quibus & ante omnia legitur despoliatus. An non despoliatus, qui Domino veniente nudum se esse conqueritur? Nec verò poterat revestiri, vel ablata sibi recipere vestimenta, nisi Christus amitteret sua. Sicut enim vivificari in anima nisi interveniente corporali morte Christi non potuit, ita nec revestiri sine eius despoliatione. Et vide, si non propter has quatuor partes vestimenti quod amiserat primus & vetus homo, in totidem quoque divisa sunt secundi & novi hominis vestimenta. An fortè quæris & tunicam inconsutilem, quæ non dividitur, sed sorte provenit? Ego divinam arbitror esse imaginem, quæ nimirum non assuta, sed insita atque ipsi impressa naturæ, dividi scindique non potest. Ad imaginem nempè & similitudinem Dei factus est homo, in imagine arbitrii libertatem, virtutes habens in similitudine. Et similitudo quidem periit, veruntamen in imagine pertransit homo. Imago siquidem in gehenna ipsa uri poterit non exuri, ardere, sed non deleri. Hæc ergo non scinditur, sed sorte provenit. Et quocunque perveniat anima, simul & ipsa erit. Nam similitudo non sic, sed aut manet in bono; aut si peccaverit anima, mutatur miserabiliter, jumentis insipientibus similata.

Sed

[a] Esa. 61, d

1. *Misericordia.*

2. *Veritas.*

3. *Justitia.*

4. *Pax.*

[q] Luc. 10. c

Homo despoliatus vestimento salutis, & nudus relictus.

Sed quia spoliatum virtutibus quatuor hominem diximus, quonam modo singulis sit spoliatus, congruum est ut dicamus. Perdidit homo *Justitiam*, cum Eva serpentis, Adam mulieris voci obedivit potius quàm divinæ. Erat tamen residuum aliquid, quod apprehendere possent, idque Dominus suo illo scrutinio innuebat, sed abiecerunt etiam illud, conversi in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Prior enim justitiæ portio non peccare, secunda per pœnitentiam damnare peccatum. Perdidit & *Misericordiam* cum sic exarsit Eva in concupiscentia sua, ut nec sibi, nec viro, nec filiis pareeret nascituris, simul omnes terribili maledicto & necessitati mortis addicens. Adam quoque indignationi divinæ mulierem pro qua peccaverat objecit: quasi post tergum eius volens declinare sagittam. *Vidit enim mulier lignum quod esset pulchrum visu, & ad vescendum suave* [r], & à serpente audierat tanquam Deos se futuros. Funiculus triplex difficile rumpitur, curiositatis, voluptatis, & vanitatis. Hæc sola mundus habet, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. His abstracta & illecta misericordiam omnem crudelis mater abjecit. Sic & Adam qui mulieri malè misertus est, ut cum ea peccaret, benè noluit misereri ut pœnam sustineret pro ea. Privata est etiam mulier *Veritate*, primo quidem malè detorquens quod audierat, *morte morieris*, & dicens *ne forte moriamur*: demum serpenti credens, penitus abneganti & dicenti, *nequaquam moriemini* [s]. Privatus est & Adam veritate, ubi eam confiteri erubuit, folia, hoc est excusationum operimenta prætendens. Siquidem ipsa dicit: *Qui erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego eum coram patre meo* [t]. *Pacem* quoque protinus amiserunt, quia non est pax impiis, dicit Dominus. Nónne enim contrariam legem invenerant in membris suis, quos de novo pudere cœperat nuditatis? *Timui ego*, inquit [u], *eò quod nudus essem*. Non sic miser, non sic paulò antè timebas, non quærebas folia, licet corpore nudus sicut & modo.

Quomodo spoliatus 4. supradictis virtutibus; id est
Primò.
justitiâ.

2. Misericordiâ.

[r] Gen. 3. a

3. Veritate.

[s] Gen. 3. a

[t] Luc. 9. d

4. Pace.

[u] Gen. 3. b

Et hoc sanè (ut Prophetæ ipsius parabolam prosequamur, qui sibi obviasse eas, & reconciliatas in osculo memoravit) gravis quædam inter virtutes videtur orta contentio. Siquidem veritas & justitia miserum affligebant, pax & misericordia zeli huius expertes judicabant magis esse parcendũ. Sunt etenim collectaneæ hæ duæ sibi, quemadmodum & priores. Unde & factum est ut perseverantibus illis in ultione & prævaricatorem hincinde cædentibus, & præsentes molestias futuri cumulantibus comminatione supplicii, illæ secederent in cor patris redeuntes ad Dominum, qui illas dedit. Solus siquidem ipse cogitabat cogitationes pacis cum afflictionis plena omnia viderentur. Siquidem non cessabat pax,

Inter istas virtutes occasione prævaricationis orta contentio pulchrè depingitur.

non ei misericordia dabat silentium, sed pio quodam susurro paterna pul-
x Psal. 76. b santes viscera loquebantur x. *Nunquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Et quamvis diu multúmque visus sit dissimulare Pater miserationum, ut interim satisfaceret zelo justitiæ & veritatis; non tamen infructuosa fuit supplicantium importunitas, sed exaudita est in tempore opportuno.

Conciliationê misericordiæ & veritatis, Iustitiæ & Pacis, quasi Schemate iudicii eleganter repræsentat.

Fortè enim interpellantibus tale dicatur dedisse responsum. Usquequo preces vestræ? Debitor sum & sororibus vestris, quas accinctas videtis ad faciendam vindictam in nationibus, justitiæ & veritati. Vocentur & veniant, & super hoc verbo pariter conferamus. Festinant ergo Legati cœlestes, & ut viderunt miseriam hominum & crudelem plagam, ut Propheta loquitur y, *Angeli pacis amarè flebant.* Qui enim fidelius quærerent aut rogarent quæ ad pacem sunt, quam Angeli pacis? Sanè ex deliberatione communi ascendit veritas ad constitutam diem, sed ascendit usq; ad nubes, necdum planè lucida, sed sub obscura & obumbilata adhuc zelo indignationis. Factúmq; est ut legimus in Propheta z: *Domine in cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.* Medius autem Pater luminum residebat & utraq; pro parte sua utilius quod habebat loquebatur. Quis putas illi colloquio meruit interesse, & indicabit nobis. Quis audivit & enarrabit? Forte inenarrabilia sunt, & non licet homini loqui. Summa tamen controversiæ totius hæc fuisse videtur. Eget miseratione creatura rationalis, ait Misericordia, quoniam misera facta est, & miserabilis valde. Venit tempus miserendi eius quia jam præteriit tempus. Econtra Veritas. Oportet, inquit impleri sermonem quem locutus es Domine. Totus moriatur Adam necesse est cum omnibus qui in eo erant, qua die vetitum pomum in prævaricatione gustavit. Ut quid ergo, ait Misericordia, ut quid me genuisti pater citius peritura? Scit enim Veritas ipsa, quoniam misericordia tua periit, & nulla est, si non aliquando miserearis. Similiter autem econtrario & illa loquebatur. Quis enim nesciat, quod si prædictam sibi prævaricator sententiam mortis evaserit, periit, nec permanebit jam in æternum veritas tua Domine?

y Isa. 33. b
z Psal. 35. b

Summa controversiæ & contentionis inter Miser. & Verit. Iustit. & pacê.

Ecce verò unus de Cherubim, id est magni consilii Angelus ad regem Salomonem suggerit esse mittendus. Quoniam filio, inquit, datum
a Ioan. 5. d est omne judicium a: Et in eius ergo conspectu misericordia, & veritas obviaverunt sibi, eadem quæ supra meminimus verba quærimoniæ repetentes. Fateor, ait Veritas, zelum bonum Misericordia habet, sed utinam secundum scientiam. Nunc autem quid prævaricatori potius quàm sorori judicat esse parcendum? At tu, inquit Misericordia, neutri parcis, sed tanta

Eleganti prosopopœia introdu-

indigna-

indignatione sævis in prævaricatorem, ut involvas pariter & sororē. Quid mali merui? si quid habes adversum me, dicito mihi. Sin autem nihil, quid me persequeris? Grandis controversia, Fratres, & intricata nimium disceptatio. Quis non illic diceret, bonum nobis erat si natus non fuisset homo iste? Sic erat, dilectissimi, omninò, sic erat: non videbatur quomodo simul possent erga hominem Misericordia & Veritas conservari. Cumq; adjiceret veritas in ipsum quoq; Judicem patris suæ injuriam retorqueri, dicens cavendum omninò, ne fieret irritum verbū Patris, ne sermo vivus & efficax qualibet occasione evacuaretur: parcite quæso, ait Pax, parcite verbis huiu modi, non nos talis altercatio decet, virtutū est inhonesta contentio.

cit Misericordiam & Iustitiam de negotio humanæ redempt. disceptantes.

Porrò Judex inclinans se, digito scribebat in terra. Erant autem verba scripturæ, quæ pax ipsa legit in auribus omnium. Ea siquidem propius assidebat, Hæc dicit, perii, si Adam non moriatur: & hæc dicit, perii, nisi misericordiam consequatur. Fiat mors bona, & habet utraq; quod petit. Obstupuere omnes in verbo sapientiæ & forma compositionis pariter atque judicii. Siquidem manifestum fuit nullam eis querimoniæ occasionem relinqui: siquidem fieri posset quod utraq; petebat, ut & moreretur, & misericordiam consequeretur. Sed id quomodo fiet? inquiunt. Mors crudelissima, & amarissima est, mors terribilis, & ipso horrenda auditu; Bona fieri quadam ratione poterit. At ille. Mors, inquit, peccatorum pessima, sed preciosa fieri potest mors sanctorum. An non preciosa erit si fuerit janua vitæ, porta gloriæ? Preciosa, inquiunt. Sed quomodo fiet istud? Fieri, ait, potest: si ex charitate moriatur quis, utiq; qui nihil debeat morti. Neq; enim detinere poterit mors innoxium, sed forabitur (ut scriptum est [b]) mayilla Leviathan, & destruetur paries medius, solveturque chaos magnum, quod inter mortem vitámque firmatum est. Nimirum charitas fortis ut mors, imò & fortior morte, si fortis illius intraverit atrium, alligabit eum, & diripiet utique vasa eius, & ipso transitu suo ponet profundum maris viam, ut transeant liberati.

En sententia Iudicis, & decisio controversiæ.

b Ezech. 3.

Bonus visus est sermo utpote fidelis, & omni acceptione dignus. Sed ubi poterit ille innocens inveniri, qui mori velit non ex debito sed ex voluntate, nō ex malo merito, sed ex beneplacito suo? Circuit Veritas orbem terræ; & nemo mundus à sorde: nec infans cuius est unius diei vita super terrā [o]. Sed & misericordia cœlū omne perlustrat, & in Angelis quoq; ne dixerim pravitatem, minorem tamen invenit charitatem. Nimirum hæc victoria alii debebatur, quo maiorem charitatē nemo haberet, ut animam suā poneret quis pro servis inutilibus, & indignis. Nam & si ipse jam non dicit nos servos, hoc ipsum immensæ dilectionis est, & eximiæ dignationis. Nos autem & si omnia quæ præcepta sunt nobis faceremus *, quid aliud

Approbatio sententiæ.

o Iob. 15. b *Nullibi repertus idoneus ad opus Redemptionis perficiendum, nisi ipse Deus.*

** o* Luc. 17. c

*Luc. 17.c aliud dicere deberemus, nisi quod servi inutiles sumus * ? Sed quis eum super hoc convenire præsumeret? Redeunt ad constitutam diem Veritas & Misericordia, anxiæ plurimùm non invento quod desiderabant.

Pacis interlocutio.

Tunc verò seorsum Pax consolans eas, vos, inquit, nescitis quicquam, nec cogitatis. Non est qui faciat bonum hoc, non est usque ad unum. Qui consilium dedit, ferat auxilium. Intellexit rex quid loqueretur, & ait [c] : *Pœnitet me fecisse hominem.* Pœna, inquit, me tenet, mihi incumbit sustinere pœnam, pœnitentiam agere pro homine quem creavi. Tunc ergo dixit, ecce venio. Non enim potest hic calix transire, nisi bibam illum. Et accersito Gabriele, vade, inquit, dic filiæ Sion, *ecce rex tuus venit.* Festinavit ille & ait: *adorna thalamum tuum Sion, & suscipe Regem* [d]. Porrò venturum regem Misericordia & Veritas prævenerunt, sicut scriptum est [e]. *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam.* Justitia thronum præparat secundum illud. *Justitia & judicium præparatio sedis tuæ.* Pax cum rege venit, ut Propheta fidelis inveniretur qui dixerat. *Pax erit in terra nostra cum venerit.* Inde est quod nato Domino Angelorum chorus canebat [h]. *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Sed & tunc Justitia & Pax osculatæ sunt, quæ non modicè videbantur hactenus dissidere. Prior enim si qua erat ex lege justitia, non osculum, sed aculeum habebat magis urgens timore, quàm provocans dilectione. Sed nec habuit illa reconciliationem, sicut habet nunc quæ ex fide noscitur esse justitia. Alioquin quid erat quod nec Abraham, nec Moyses, nec cæteri justi temporis illius, in obitu suo pacem illam beatitudinis æternæ apprehendere, aut regnum pacis poterant introire, nisi quod minimè adhuc justitia & pax sese fuerant osculatæ? Ex hoc fanè, dilectissimi, ferventiore nobis zelo sectanda justitia est. Siquidem justitia & pax osculatæ sunt, & indissolubile amicitiarum iniere fœdus: ut quicunque testimonium justitiæ secum tulerit, hilari vultu jam amplexibus lætis accipiatur à pace, in idipsum dormiens & requiescens.

c Gen. 6.

d Zach. 9.

e Psal. 88.c

f

g

h Luc. 2.b

IN ANNUNCIATIONE DOMINICA.

SERMO II.

De septiformi Spiritu in Christo.

COnsiderare est, fratres, in solemnitate hodierna Dominicæ Annunciationis, velut amœnissimam quandam planiciem, simplicem nostræ reparationis historiam. Injungitur nova legatio Angelo Gabrieli, & novam Virgo professa virtutem novæ salutationis honoratur obsequio. Antiqua excluditur maledictio mulierum, novam nova Mater accipit benedictionem. Impletur per gratiam quæ concupiscentiam nescit, ut

Spiritu

Spiritu superveniente Altissimi, pariat Filium, quæ virum dedignatur admittere. Intrat ad nos eadem porta salutis antidotum, qua venenum serpentis ingrediens, universitatem generis humani occuparat. Innumeros huiuscemodi flores ex his facile est legere pratis, sed intueor mediam metuendæ profunditatis abyssum. Abyssus planè imperscrutabilis, Incarnationis Dominicæ sacramentum, abyssus impenetrabilis, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Quis enim investiget, quis attingat, quis apprehendat? Puteus altus est, & in quo hauriam non est mihi. Veruntamen solet interdum superposita puteis humectare linteamina vapor exhalans. Propterea sanè licet irrumpere verear propriæ conscius infirmitatis, frequenter tamen velut super os huius putei expando ad te Domine manus meas, pro eo quod anima mea sicut terra sine aqua tibi. Et nunc siquidem quod (ascendente de deorsum nebula) tenuis ebiberit cogitatio, vobis fratres modicum illud sine invidia communicare curabo, velut expresso linteamine vel exigua refundens cœlestis stillicidia roris.

Incarnationis Dominicæ mysterium abyssus imperscrutabilis.

Quæro igitur qua ratione Filius magis incarnatus sit quàm Pater, aut Spiritus sanctus, cum totius Trinitatis non modo æqualis sit gloria, sed una eademq; substantia? Sed quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Altissimum est mysterium, nec nos oportet temerè super huiuscemodi præcipitare sententiam. Videtur tamen nec Patris nec Spiritus incarnationem in pluralitate filiorum effugisse confusionem, dum alius Dei, alius filius hominis diceretur. Videtur & illud maximè congruum, ut hic specialiter filius fieret, qui filius erat: ne quid esset ambiguitatis in nomine. Deniq; ipsa est Virginis nostræ gloria singularis & excellens prærogativa Mariæ, quod filium unum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem, quam sanè periisse constat si non Filius incarnaretur. Sed nec nobis alia dari posset occasio similis sperandæ salutis & hæreditatis, fictus primogenitus in multis fratribus, qui unigenitus erat, asciscet eos sine dubio in hæreditatem, quos vocavit in adoptionem. Si enim fratres, & cohæredes. Hic ergò Christus Jesus mediator fidelis, sicut in persona una Dei hominisq; substantiam copulavit ineffabili sacramento; sic & in ipsa reconciliatione consilio usus altissimo, mediam non deseruit æquitatem, utrisque tribuens quod oportebat, honorem DEO, homini miserationem. Hæc enim optima inter offensum Dominum & reum servum forma compositionis, ut nec honorandi Domini zelo servus opprimatur auste iori sententia: nec rursum dum huic immoderatius condescenditur, ille debito fraudetur honore.

Cur Filius potius incarnatus, quam Pater aut Sp. S.

Prima ratio.

2.

3.

Audi igitur & diligenter observa Angelicam in huius Mediatoris ortu distributionem, *Gloria* inquiunt [a], *in altissimis DEO & in terra pax hominis*

[a] Luc. 2. b *Septiformis spiritus in*

Christo iuxta vaticinium Isaiæ.

hominibus bonæ voluntatis. Huius denique gratia observationis fideli reconciliatori Christo nec *timoris* spiritus defuit, quo Patri semper reverentiam exhiberet, semper ei deferret, semper gloriam eius quæreret: nec spiritus *pietatis*, quo misericorditer compateretur hominibus. Unde & necessarium habuit spiritum quoque *scientiæ*, per quem timoris pariter & pietatis distributio fieret inconfusa. Et nota quod in primo illo parentum nostrorum peccato tres quidem auctores extiterunt, sed manifeste defuerunt tria tribus. Dico enim Evam, diabolum, & Adam. Non habuit Eva scientiam, quæ, ut ait Apostolus [b], seducta est in prævaricationem. Verum hæcquidem serpenti non defuit, qui calidior describitur cæteris animantibus, sed pietatem malignus non habuit, qui ab initio factus est homicida. Adam verò pius fortè videtur mulierem non contristando, sed timorem Domini dereliquit, voci illius magis obediens quàm divinæ. Utinam magis timor Domini prævaluisset in eo, sicut de Christo signanter legitur [c]. Quia *replevit eum* non pietatis *spiritus*, sed *timoris*. In omnibus enim & per omnia pietati proximorum timor Domini præferendus est, & solus ipse est qui totum sibi hominem debeat vendicare. In his igitur tribus, timore, pietate, & scientia, mediator noster reconciliavit homines DEO. Nam in consilio & fortitudine de manu adversarii liberavit. *Consilio* siquidem pristino jure privavit hostem, data potestate ut manus injiceret innocenti. *Fortitudine* prævaluit? ne violenter posset retineri redemptor, dum victor ab inferis rediit, & vita omnium cum eo surrexit.

b 1. Tit. 2. d

c Isa. 11. a

Timor Domini præferendus pietati proximi.

Exinde cibat nos pane vitæ & intellectus, & potat aqua sapientiæ salutaris. Est enim *intellectus* rerum spiritualium & invisibilium verus animæ panis, confirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Carnalis autem homo qui non percipit ea quæ sunt spiritus DEI, sed stultitia ei videntur, gemat & lugeat, dicens [d]: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Ecce enim mera & perfecta veritas est, non prodesse homini, si universum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat. Sed quando id capere possit avarus? Sine causa laborat quisquis ei id persuadere conatur. Ut quid hoc? Nempe quia stultitia illi videtur. Quid verius quàm jugum Christi esse suave? Appone homini seculari, & vide si non magis lapidem quàm panem reputabit, & certè huiusmodi intelligentia veritatis internæ vivit anima, & his est spiritualis cibus. Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei [e]. Veruntamen donec sapit tibi veritas, non sine difficultate ad interiora trajicitur. Ubi verò cœperis in ea oblectari, jam non cibus, sed potus est, &

d Psal. 101. a

e Deut. 8. a

sine

sine difficultate intrat in animam, quo videlicet spiritualis cibus intelligentiæ potu sapientiæ digeratur, ne ipsius interioris hominis artubus, id est affectibus siccitate laborantibus, oneri magis sit quàm utilitati.

Ex omnibus ergo quæ salvandis populis fuerant necessaria, nihil penitus defuit Salvatori. Ipse est enim de quo præcinit Isaias [f]: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Illud sanè diligenter attende, quod florem hunc de radice non de virga dixerit ascensurum. Quia etenim si nova Christi caro in Virgine creata esset ex nihilo, quod æstimaverunt nonnulli, non de radice flos, sed fortè de virga dici poterat ascendisse. Nunc autem quia prodiit ex radice, sine dubio ab origine communem probatur habuisse materiam. Nam quod super eum Spiritus requievit, nihil in eo contradictionis fuisse declarat. In nobis enim quia non omnino superior est spiritus, non requiescit, carne nimirum adversus spiritum, & spiritu adversus carnem concupiscente: à quo conflictu nos liberet, in quo nihil simile fuit novus homo & verus homo, qui veram carnis nostræ susceptit originem, sed fermentum vetus concupiscentiæ non suscepit. [f] Isa. 11. a*

IN FESTO ANNUNCIATIONIS.

SERMO III.

Habitus est hic sermo, cũ festum Annunc. incideret in Sabbatum tertium Quadr. quo die legitur historia Susannæ & Evang. de Adultera.

QUàm dives es in misericordia, quàm magnificus in justitia, in gratia quàm munificus Domine DEUS noster. Non est qui similis sit tibi, munerator copiosissime, remunerator æquissime, piissime liberator. Gratis respicis humiles, justè judicas innocentes, misericorditer salvas etiam peccatores. Hæc sunt, dilectissimi, quæ nobis immensa divitis huius patrisfamilias sanctarum testimoniis scripturarum, hodie quidem, si diligenter advertimus, solito copiosius apponuntur. Nimirum hanc nobis copiam præstant, quæ pariter convenerunt sacrum videlicet tempus Quadragesimæ, & sacratissima dies Annunciationis Dominicæ. Hodie enim in auribus nostris deprehensam in adulterio mulierem, indulgentia Redemptoris absolvit; hodie innoxium Susannæ sanguinem liberavit; hodie quoquè beatam Virginem singulari munere gratuitæ benedictionis implevit. Magnum convivium, ubi pariter nobis misericordia, justitia, & gratia apponuntur. Nunquid non misericordia esca hominum, salutaris omnino & efficax ad medelam? Nunquid non etiam justitia panis cordis? Et quidem optimè confirmans illud, utpote cibus solidus ad nutrimentum. Denique Beati qui esuriunt illum, quoniam ipsi saturabuntur.

Cibus animæ Misericordia, justitia, gratia.

[a] Matt. 5. b

buntur [a]. Nunquid non cibus animæ gratia DEI sui? Dulcissimus sanè, & omnem habens in se suavitatem, & delectamentum saporis. Imò verò hæc sibi omnia pariter vendicans non modò delectat, sed & reficit & medetur.

Accedamus ad mensam hanc, Fratres mei, & ex singulis dapibus vel modicum aliquid deguſtemus. *In lege Moyses mandavit huiusmodi lapidari,* aiunt de peccatrice peccatores, de adultera Pharisæi. Sed ad duritiam lapidei cordis vestri ille locutus est. *Iesus autem inclinavit se* : Domine inclina cœlos tuos & descende [c]. Inclinans se & ad misericordiam flexus (neque enim Judaici cordis erat) *digito scribebat,* non jam in lapide, *sed in terra.* Neq; hoc tantum semel, sed hic quoque duplex scriptura, sicut apud Moysen tabulæ, & fortè veritatem & gratiam scribens, & iterum scribens terræ impressisse videtur, secundū quod Joannes Apostolus ait [d]. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Considera denique an videri possit de tabula veritatis legisse: unde refelleret Pharisæos. *Qui sine peccato est vestrûm, primus in eam lapidem mittat.* Verbum quidem abbreviatum, sed vivum & efficax, & ancipiti gladio penetrabilius. Quàm graviter enim ad verbum hoc saxea corda transfossa, quàm vehemēter hoc uno lapillo contritæ sint lapideæ frontes, rubor ipse confusionis & clandestinus probavit abscessus. Meruit quidem adultera lapidari: sed is punire gestiat, qui dignus non est etiam ipse puniri. Is præsumat à peccatrice exigere ultionem, qui eandem excipere non meretur. Alioquin ipse sibi vicinior, à se incipiat: in se prius sententiam ferat exerceátque vindictam. Hæc Veritas.

[b] Joan. 8. a

[c] Psal. 143. b

[d] Ioan. 1. b

Eius est velle punire, qui dignus non est ipse puniri.

Cæterum adhuc minus est. Etsi accusatores refellit hæc Veritas, sed ream necdum absolvit; scribat iterum, scribat gratiam, legat, & audiamus. *Nemo te condemnavit mulier? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo: vade, & amplius noli peccare.* O vox misericordiæ, ô auditus lætitiæ salutaris! Auditam fac mihi mane misericordiam tuam; quia in te speravi Domine. Sola nimirum spes apud te miserationis obtinet locum; nec oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ ponis. Sed est infidelis fiducia, solius utique maledictionis capax, cum videlicet in spe peccamus. Quanquam nec fiducia illa dicenda sit, sed insensibilitas quædam & dissimulatio perniciosa. Quæ enim fiducia ei qui periculum non attendit? Aut quod ibi timoris remedium, ubi nec timor sentitur, nec materia ipsa timoris? Fiducia solatium est: nec eget ille solatio qui lætatur cum malè fecerit, & in pessimis rebus magis exultat. Rogemus itaq;, Fratres, responderi nobis quantas habeamus iniquitates & peccata, scelera nostra & delicta nobis desideremus ostendi. Scrutemur vias nostras & studia nostra; periculáque

* Psal. 142. *Fiducia capaces nos reddit misericordiæ.*

Falsa fiducia.

universa

universa vigili intentione pensemus. Dicat quisque in pavore suo, vadam ad portas inferi: ut jam non nisi in sola Dei misericordia respiremus. Hæc verba hominis fiducia à se deficientis & innitentis Domino suo. Hæc inquam, vera fiducia, cui misericordia non denegatur, Propheta attestante, *quoniam beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Nec parva itaque suppetit in nobis; In nobis quidem timoris, in ipso autem causa fiduciæ. Suavis & mitis est, copiosæ misericordiæ; præstabilis super malitia; multus ad ignoscendum. Credamus sanè vel inimicis, qui in eo nihil aliud unde occasionem struendæ calumniæ caperent, invenerunt. Compatietur (aiunt) peccatrici, nec sibi oblatam ullatenus occidi patietur. Tenebitur itaque manifestus adversarius legis, cum absolverit lege damnatam. In vestrum, ô Pharisæi, caput, tota vestræ malignitatis adinventio retorquetur. Diffiditis causæ, qui judicium subterfugitis. Nam illa quidem sine injuria legis absolvitur, quæ sine accusatore relinquitur.

Vera fiducia quænam.

Christus ab inimicis habet testimonium misericordiæ.

Sed considerabimus Fratres, quoniam hinc abeant Pharisæi. Videtis-ne duos senes (nam à senioribus exire cœperunt [e]) quomodò in pomœrio Joachim abiconduntur? Susannam quærunt uxorem eius: sequamur eos: nam iniqua cogitatione pleni sunt contra eam. *Consentite nobis,* aiunt senes, aiunt Pharisæi, aiunt lupi, qui ab alterius paulo ante, licet errantis oviculæ fuerant devoratione frustrati. *Consentite nobis, & commiscere nobiscum.* Inveterati dierum malorum, modo accusabatis adulterium, modo adulterium suadetis? Sed hæc est tota justitia vestra, & quæ palam arguitis, eadem agitis in occulto. Hinc fuit quod existis unus post unum, cum ille omnium cõscius occultorum, vestras tam validè percussisset conscientias dicens [f]: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* Merito proinde ad Discipulos Veritas ait [g]: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Alioquin dicemus, aiunt, contra te testimonium. Semen Chanaan & non Juda: nec hoc quidem Moyses in lege mandavit. An qui decrevit adulteram lapidare, mandavit accusare pudicam? An qui jussit adulteram lapidibus opprimi, etiam jussit contra insontem testimonium ferri? Imò verò sicut adulteram, sic etiam falsum testem non impunitum esse præcepit [a]. Sed qui gloriamini in lege, per legis prævaricationem DEUM inhonoratis.

Historia Susannæ ex Danielis cap. 13. Collata cũ historia adultera.

[e] Ioan. 8. a

[f] Ioan. 8. a

[g] Matt. 5. c

[a] Deut. 19. c
Prov. 19. b

Ingemuit Susanna, & ait [b]: *Angustiæ mihi sunt undique.* Undique enim mors. Hinc quidem corporea, inde spiritualis. *Si hoc,* inquit, *egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras.* Vestras ô Pharisæi manus, nec adultera effugit, nec pudica; vestras accusationes,

[b] Dan. 13. c

nec sanctus, nec peccator evadit. Dissimulatis peccata vestra, ubi inveneritis aliena; Alioquin si quis fortè suum non habet, vestrum ei impingitis crimen. Quid tamen Susanna facit inter mortem & mortem, animæ scilicet & corporis, undique angustiata? *Melius est mihi*, inquit, *absque opere incidere in manus hominum, quàm derelinquere legem Dei mei.* Nimirum sciebat ista quàm horrendum sit incidere in manus DEI viventis. Nam homines cum occiderint corpus, animæ non habent ultra quid faciant: ille autem timendus est, qui potestatem habet & corpus & animam mittere in gehennam. Quid familia Joachim tardat? Irruat per posticum, nam in pomœrio clamor auditur: Clamor ut luporum gravium, & balantis oviculæ inter eos. Sed non patitur ab eis innoxiam devorari, qui ab ipsis eorum faucibus tam dignanter eripuit etiam eripi non merentem. Merito proinde *cum duceretur ad mortem, erat cor eius fiduciam habens in Domino*, quem usque adeo timuisset, ut timorem omnem postposuisset humanum, & ipsius legem, & simul vitæ præposuisset & famæ. *Non enim dictus fuerat sermo huiuscemodi aliquando de Susanna. Sed & parentes eius justi erant, & vir eius honoratior omnium Iudæorum.* Meritò igitur à justo judice justam de injustis obtinuit ultionem; quæ tam vehementer justitiam esurivit, ut propter eam contemneret mortem corporis, opprobrium generis, luctum inconsolabilem amicorum.

Animæ salus corporis damno redimenda.

i Matt. 10. c

Et nos, fratres, si à Christo audivimus, nec ego te condemnabo, si peccare jam nolumus contra ipsum: si in Christo volumus piè vivere, necesse est sustineamus persequutionem, ne malum pro malo, aut maledictum pro maledicto reddamus. Alioquin qui patientiam non servaverit, perdet justitiam, hoc est vitam perdet, hoc est, perdet animam suam. *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus* [k]. Ita prorsus est. Ipse retribuet, sed si ei vindictam serves, si non tollas ab eo judicium, si non reddas retribuentibus tibi mala. Faciet judicium, sed injuriam patienti in æquitate judicabit, sed pro mansuetis terræ. Jam vobis (ni fallor) molestum est, quòd deliciæ tardant. Non miremini, deliciæ sunt. Non onerabunt quamlibet satiatos, nec à ructantibus quidem poterunt fastidiri.

Patientia tuetur justitiã.

k Rom. 12. d & Ezech. 9. a & Deut. 32. c*

» *Missus est Gabriel Angelus à DEO, in civitatem Galileæ cui nomen Nazareth.* Miraris quod Nazareth parva civitas, & tanti regis nuncio illustretur & tanto? sed magnus latet in hac parva civitate thesaurus, latet, inquam, sed homines latet non DEUM. An non thesaurus de Maria? ubicunque illa est, & cor eius. Oculi eius super eam, ubique respicit humilitatem ancillæ suæ. Novit cœlum Unigenitus Dei Patris? Si novit cœlum, novit & Nazareth. Quidni sciat patriam suam? quidni noverit hæ-

De annunciatione Incarnation. Domin. ex Luc. 1. c

rit hæreditatem ſuam? Cœlum ex Patre: Nazareth ex Matre vendicat ſibi, ſicut ipſe ſe & Filium David, & Dominum eſſe teſtatur [l]. *Cœlum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Cedat ergo ei utrumque neceſſe eſt in poſſeſſionem, qui non modo Dominus, ſed & filius hominis eſt. Audi etiam quomodo terram ſibi tanquam filius hominis vendicat, ſed & communicat tanquam ſponſus. *Flores*, inquit [m], *apparuerunt in terra noſtra*, neque hinc diſcrepat quod Nazareth interpretatur flos. Amat florigeram patriam Flos de radice Jeſſe, & libenter inter lilia paſcitur Flos campi, & Lilium convallium. Commendant enim flores pulchritudo, ſuaveolentia, & ſpes fructus, gratia triplex. Teque florem reputat Deus. Et bene ei complacet in te, ſi tibi nec honeſtæ converſationis decor, nec bonæ opinionis fragrantia, nec intentio deſit futuræ retributionis. Fructus enim ſpiritus eſt vita æterna.

l Pſal. 113. d

m Cant. 2. c *Nazareth interpretatur Flos.*

Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Dominum. Quantam gratiam? Gratiam plenam, gratiam ſingularem. Singularem, an generalem? Utramque ſine dubio, quia plenam; & eò ſingularem, quò generalem: ipſa enim generalem ſingulariter accepiſti. Eò, inquam, ſingularem, quò generalem: nam ſola præ omnibus gratiam inveniſti. Singularem quòd ſola hanc inveneris plenitudinem. Generalem quod de ipſa plenitudine accipiant univerſi. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui* [n]. Singulariter quidem fructus ventris tui eſt, ſed ad omnium quidem mentes te mediante pervenit. Sic nimirum, ſic olim ros totus in vellere, totus in area, ſed in nulla parte areæ totus, ſicut in vellere fuit [o]. In te ſola rex ille dives, & prædives, exinanitus; excelſus, humiliatus; immenſus, abbreviatus, & ab Angelis minoratus eſt; verus denique Deus & Dei filius, incarnatus. Sed quo fructu? Nempe ut omnes eius paupertate locupletemur, eius humilitate ſublevemur, eius minoratione magnificemur, eius Incarnatione adhærentes Deo incipiamus unus eſſe ſpiritus cum eo.

n Luc. 1. c

o Iudic. 6. g *Singularis gratia & prærogativa Mariæ.*

Sed quid dicimus, Fratres? Cuinam potiſſimum vaſi gratia infundetur? Si (ut ſupra meminimus) capax quidem eſt miſericordiæ fiducia: patientia verò juſtitiæ; quale jam poterimus idoneum gratiæ receptaculum exhibere? Baſiamum eſt, puriſſimum & ſolidiſſimum vas requirit. Et quid tam purum, quidve tam ſolidum, quàm humilitas cordis? Merito proindè humilibus dat gratiam: merito reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ. Quonam merito quæris? Ego utique, quo animum humilem, meritum non occuparet humanum, quo minus libere influeret divinæ gratiæ plenitudo. Sed ad hanc nobis humilitatem quibuſdam erit gradibus aſcendendum. *Primo* enim cor hominis quem adhuc peccare delectat,

Gratiæ idoneos non efficit humilitas.

Ad humilitatem quibus gradibus aſ-

tendendum.

Gratiæ impedimenta removenda.

Primò, Delectatio peccandi.

2. Neglectus condignæ pœnitentiæ & satisfactionis.

3. Tepor & defectio à primo fervore.

delectat, nec miseram consuetudinem proposito meliore mutavit, ne sit gratiæ capax, propriis vitiis præpeditur. *Secundò* quoque ubi corrigere mores, & priores nequitias de cætero non iterare proponit, ipsa tamen peccata præterita licet jam amputata quodammodò videantur; dum in eo manent, gratiam non admittunt. Manent autem donec confessione laventur, donec succedentibus dignis fructibus pœnitentiæ de medio fiant. Sed væ tibi si fortè vitiis & peccatis pernicioſior successerit ingratitudo. Quid enim tam evidenter gratiæ adversatur? Tepescimus processu temporis à fervore conversationis nostræ, paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas, ut consummemur carne, qui spiritu cœperamus. Inde enim est ut minus ea sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, indevoti pariter & ingrati. Timorem Domini relinquimus, religiosam omittimus solitudinem: verbosi, curiosi, faceti etiam detractores & murmuratores, vacantes nugis, fugitantes labores disciplinæ, quoties sine nota id licet; quasi vero confestim sit etiam sine noxa. Quid ergo tantis repulsam obstaculis gratiam nobis deesse miramur? Jam verò si quis juxta Apostolum [p], ut Verbum Christi, verbum gratiæ in eo habitet, gratus est, si quis devotus, si quis sollicitus, si quis spiritu fervens, caveat sibi ne suis fidat meritis, ne suis operibus innitatur: alioquin nec huiusce modi quidem animum intrat gratia. Nimirum plenus est, nec in eo jam invenit gratia locum sibi.

p Coloss. 3. c

4. Elatio de propriis meritis.

Considereris Pharisæum illum orantem [q]. Non erat raptor, non injustus, non adulter. An sine fructibus pœnitentiæ erat? Jejunabat bis in sabbato, decimas dabat omnium quæ possidebat. Sed ingratum forsitan suspicamini. Audite quid dicat. *Deus gratias ago tibi.* Sed non erat vacuus, non erat exinanitus, non erat humilis, sed elatus. Non enim quid sibi deesset scire studuit, sed exaggeravit meritum suum, nec erat solida plenitudo, sed tumor. Vacuus proinde redit: quia plenitudinem simulavit. Nam Publicanus ille qui exinanire seipsum, qui vacuum vas exhibere curavit, gratiam retulit ampliorem. Nos ergo, fratres, si gratiâ cupimus invenire: sic de cætero abstineamus à vitiis, ut de præteritis quoq; peccatis dignè pœniteamus. Nihilominus quoq; solliciti simus, & devotos nos Deo, & verè humiles exhibere: hujusmodi nempe animas gratanter respicit pro illo respectu, de quo Sapiens ait [r]: *Quoniam gratia & misericordia DEI est in sanctos eius, & respectus in electos illius.* Et fortè propterea quater revocat animam quam respicit dicens. *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere ut intueamur te*: quo videlicet nec in peccandi consuetudine, nec in conscientia peccatorum: sed nec in tepore & torpore ingratitudinis, aut in elationis cæcitate persistat. A quo nos

q Luc. 18. b*

Pharisæi orãtis arrogantia, & elatio.

Vacuus abiit quia plenum se præsumpsit.

r Sap. 4. c

s Cant. 6. d

quadri-

quadripartito periculo revocare & eripere dignetur, qui factus est nobis à DEO sapientia, & justitia, & sanctificatio, & redemptio JESUS Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per infinita secula seculorum. AMEN.

AD LECTOREM.

Hùc referri possunt IV. sermones De Laudib. Virg. Matris, *alias, super* Missus est, *supra in Adventu positi. Item Sermo, de Verbis Apoc.* 22, Signum magnum apparuit &c. *inf. in Assumpt. B. V. poni solitus, huc potius spectare videtur.*

DOMINICA PALMARUM.

De tribus ordinibus obsequentium Christo.

SERMO I.

NOn sine causa spiritum Sponsi pariter & DEI sui habens Ecclesia, processionem hodiè nova quadam & mira coniunctione addidit passioni. Nam processio plausum habet, passio planctum. Quoniam ergo sapientibus & insipientibus debitores sumus: videamus quid utrisque conferat hæc coniunctio. Et prius quidem quid secularibus indicet: quoniam non prius quod spirituale, sed quod animale. Videat secularis anima, videat & intelligat, quoniam extrema gaudii luctus occupat. Propter hoc enim qui cætera quoque cœpit facere & docere, non solum verbis prædicans, sed exemplis: quod antè prædixerat per Prophetam [b]; Quoniam *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, tanquam flos fœni*: etiam apparens in carne manifestè studuit probare in seipso. Unde & processionis gloria voluit sublimari: qui paulò post sibi noverat imminere diem ignominiosissimæ passionis. Quis ergo sperare jam debeat in incerto gloriæ temporalis, cum videat in ipso quoque qui peccatum non fecit, Creatore temporum & conditore universitatis, post exaltationem tantam, tantam nihilominus humiliationem sequi? In eadem enim civitate, à plebe eadem, & eodem tempore, nunc quidem processionis gloria & divinis est laudibus honoratus: postmodum verò interrogatus contumeliis & tormento, & cum sceleratis deputatus. Hic est transitoriæ finis lætitiæ: hic fructus gloriæ temporalis. Propterea prudenter orat Propheta, ut cantet Domino gloria eius, & non compungatur [c], id est, processionem habeat, quam passio non sequatur.

Processionis hodiernæ & passionis coniunctio quid sibi velit.

Quid secularibus hinc discendum.

b Esa. 40.b *Mundi & gloriæ temporalis inconstantia.*

c Psal. 29.a

Vobis autem, charissimi, tanquam spiritualibus spiritualia comparantes, in *processione* quidem cælestis patriæ repræsentamus gloriam, in *passione* monstramus viam. Nam si in processione quidem venit tibi in mentem futura illa lætitia, & exultatio multa nimis, quando rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, si tota concupiscentia videre desideras diem

Quid Religiosis & spiritualibus discendũ ex coniunctione hodiernæ processionis & passionis.

diem illam quando suscipietur in cœlesti Hierusalem Christus Dominus Caput cum omnibus membris portans triumphum victoriæ, applaudentibus jam non popularibus turmis, sed virtutibus Angelicis, clamantibus undique populis utriusque testamenti, *Benedictus qui venit in nomine Domini* [c]: si inquam considerasti in processione quò properandum sit: disce in passione quà sit eundum. Hæc est enim via vitæ, tribulatio præsens, via gloriæ, via civitatis habitaculi, via regni, secundùm quod clamat Latro de cruce [d]. *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Euntem in regnum vidit, quò cum pervenisset, sui memorem esse rogavit. Pervenit ergo & ipse. Sed si vis nosse quàm compendiosa via: eadem die meruit cum Domino esse in paradiso. Tolerabilem proinde reddidit passionis laborem gloria processionis: quoniam amanti nihil difficile est.

Passio & crux seu tribulatio via est ad gloriam.

[c] Matt. 21. Marc. 11. Ioan. 12.

[d] Luc. 23. c

Ne mireris quod præsenti processione cœlestem dixerim repræsentari: quando unus & idem in utraque suscipitur, etsi longè aliter, & ab aliis. In hac enim processione irrationabili jumento Christus insidet: in illa verò jumentum futurum est, sed rationale; quoniam *homines & jumenta salvos facies Domine* [e]. Cui simile est illud [f]: *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Et vide si non de processione loquitur, cum sequitur: *Tenuisti manum dexteram, & in voluntate tua deduxisti me: & cum gloria suscepisti me.* Ibi certè ne ipse quidem pullus deerit: quoniam etsi murmuret hæreticus parvulos non sinens venire, parvulorum baptismo detrahens: qui parvulus natus est, & primam parvulorum elegit aciem (Innocentes loquor) hodie quoque parvulos à gratia non excludit: quia nec pietati incongruum, nec majestati eius difficile est, ut suppleat munus gratiæ, quod minus in eis habet natura possibile. Ibi non ramos arborum, non vilia vestimenta popularis turma prosternet: sed demittent pennas suas animalia sancta: deponent coronas suas ante thronum Agni viginti quatuor seniores, & virtutes omnes Angelicæ quicquid habent gloriæ vel decoris: totum ei adscribent, totum ei attribuent.

Hodierna processio repræsentat cœlestem.

[e] Psal. 35. b

[f] Psal. 72. c

Baptismus parvulorum.

Jam verò quoniam de jumento & vestibus, & de ramis arborum mentio facta est: considerare diligentius libet triplex obsequium, quod in processione hac exhiberi video Salvatori. *Primum* quidem à jumento cui insidet. *Secundum* ab eis qui sua illi vestimenta sternunt. *Tertium* verò ab his qui de arboribus ramos cædere perhibentur. Nonne tamen omnes requi ex eo quod abundat sibi, mittunt, & quasi sine gravamine obsequuntur Domino, solùm verò jumentum semetipsum exponit eius obsequio? Silendum mihi est, ut elationem caveatis, an magis loquar ut habeatis consolationem? Jumentum cui insidet Christus, nonne vos estis, juxta

Triplex obsequium in hodierna processione Christo exhibitũ.

præceptum

præceptum Apostoli *& glorificantes & portantes DEVM in corporibus vestris*? Expendunt enim seculares homines in obsequium Domini, non quidem corpora, sed quæ adjacent & necessaria sunt corporibus, cum de terrena substantia eleemosynas largiuntur. Prælati quoque ramos cædunt de arboribus, verbi causa, cum de fide & obedientia Abrahæ, de castitate Joseph, de mansuetudine Moysi, cæterorúmque Sanctorum virtutibus evangelizant. Veruntamen & illi de promptuariis plenis largiuntur: & hi, quæ acceperunt gratis, gratis nihilominus dare jubentur. Omnes tamen si fideliter suo quisque intentus fuerit ministerio, in processione Salvatoris sunt, & cum eo ingrediuntur in sanctam civitatem: quoniam tres prævidit Propheta [h] salvandos: *Noe* cædentem ramos in Arcæ fabricam: *Danielem* in vili edulio, & labore abstinentiæ factum tanquam jumentum, Salvatorémque portantem: tertium quoque *Iob* bene dispensantem substantiam huius mundi, & de velleribus ovium suarum pauperum latera calefacientem. Cui tamen in processione illa JESUS propinquior, cui de tribus ordinibus salus vicinior, facile credo potestis advertere.

*g 2. Cor. 6. d

*h Ezech. 14. d

DOMINICA PALMARUM.

De Passione & Processione, & quatuor ordinibus Processionis.

Sermo II.

NEcesse est ut loquamur hodie brevius propter angustiam temporis. Multa quidem nobis ministrat processio quam celebraturi sumus: sed eadem impedit ne dicere plura possimus. Celebraturi sumus hodie processionem, & paulò post audituri passionem. Quid sibi vult mirabilis ista coniunctio, aut quid cogitaverunt Patres nostri passionem addentes processioni? Nam processio quidem meritò representatur hodie, quæ facta est hodie. Passio verò cur addita est, quam sexta feria constat esse sequutam? Opportunè utique processioni passio coniuncta est, ut discamus in nulla lætitia huius seculi habere fiduciam: scientes quoniam extrema gaudii luctus occupat. Propterea non simus stulti, ut occidat nos prosperitas nostra, sed in die bonorum non immemores simus malorum: & è converso. Istis enim mixtum est præsens seculum, non secularibus tantùm, sed etiam spiritualibus viris. Nam secularibus viris aliquando quæ placent, quandoque quæ displicent videmus accidere: & ipsis nihilominus spiritualibus non semper tristia, non semper læta succedunt, sed vespere & mane dies unus. Et illud [a]: *Visitas eum diluculo, & subitò probas illum.* Verum hoc interim dum præsens seculum manet, vel manat magis, & fluit.

Processionis & Passionis coniunctio quid significet.

Lætis mixta sunt tristitia

*a Iob. 7. b

Cæterum post hoc seculum duo futura sunt secula valde divisa & diversa: ita ut in altero non nisi fletus & stridor dentium; in altero sola gratiarum actio & vox laudis. *Absterget* enim *Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum: & mors jam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor: quoniam priora transierunt* [b]. Interim sicut amatores mundi multa patiuntur adversa: sic nec ipsis servis Dei omnia in hoc mundo optata succedunt. In die ergo malorum memores sunt bonorum, ne pusillanimes fiant & impatientes, sicut is de quo legimus in Psalmo [c]: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* In die quoque bonorum non immemores sunt malorum; ne extollantur & dicant in abundantia sua: Non movebimur in æternum. Sicut enim secularium rerum prosperitas occidit stultum sæcularem, sic potest & abundantia spiritualis prosperitatis occidere indoctum spiritualem, atque ideò non spiritualem. Spiritualis quippe dijudicat omnia. Unde autem eveniat quod stultum occidit prosperitas, & non sapientem, alibi habemus [d]. *Cor sapientis ubi tristitia, & cor stultorum ubi latitia.* Meritò proinde ait: *Bonum est magis ire ad domum luctus, quàm ad domũ convivii* [e]. Licet enim multos frangat adversitas, tamen multò plures extollit prosperitas: sicut scriptum est [f]. *Cadent à latere tuo mille,* sinistro scilicet, per quod signatur adversitas: *& decem millia,* id est, multò plures, *à dextris tuis,* in quibus prosperitas designatur. Denique quia utrobique periculum est, orat Sapiens & dicit [g]: *Divitias & paupertates ne dederis mihi*: ne forte aut divitiæ extollerent in superbiam, aut paupertas dejiceret in impatientiam.

b Apoc. 21. b

c Psal. 48. d

Nimia prosperitas ferè periculosa & perniciosa.

d Prov. 1. d

e Eccl 7. a

Ibid.

f Psal. 90. b*

g Prov. 30. a

Unde & Dominus sicut in passione, patientiam; ita in processione humilitatem exhibere curavit. In illa enim tanquam ovis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente obmutuit, & non aperuit os suum: Qui cum percuteretur, non comminabatur: sed magis orabat dicens [h]: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* In processione autem quid? Parabant sese populi, ut exirent obviam ei: nec eum latebat, qui noverat quid esset in homine. Propter quod & ipse paratus est non in curribus & in equis, nec in frænis argenteis, aut sellis auro tectis, sed humilis aselli tergo sedens, suppositis Apostolorum vestibus, quas ego de precioſioribus regionis fuisse non credo.

Lue. 23. e

Christi humilitas.

Sed quid fuit, quod processionem habere voluit, qui mox futuram noverat passionem? Forte ut amarior esset passio quàm processio præcessisset. Ab eodem enim populo, in eodem loco & ipso tempore paucissimis diebus interpositis, primò cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus est. O quàm dissimile est, *Tolle, tolle, crucifige eum* [i]: & *Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis* [k]. Quam dissimile,

Christi plausus quam subito mutatus in planctum.

i Matt. 19.

k Matt. 21.

Rex

Rex Israel [l]; &, *Non habemus regem nisi Cæsarem* [m]. Quàm dissimiles rami virentes & crux, flores & spinæ. Cui prius sternebantur vestimenta aliena, ecce suis exuitur, & sors mittitur super ea. Væ tibi amaritudo peccatorum nostrorum, propter quæ solvenda tanta amaritudo necessaria est.

[l] Ioan. 12.
[m] Ioan. 19.

Quatuor ordines in hodierna processione.

Jam vero ad processionem accedens tanquam quatuor ordines in ea mihi videor intueri: & fortassis in hac nostra processione hodie omnes potuerunt inveniri. *Præibant* enim aliqui, & viam parabant. Ipsi sunt qui viam parant Domino ad corda vestra, qui vos regunt, & dirigunt gressus vestros in viam pacis. Alii *sequebantur*, & hi sunt qui propriæ inscientiæ conscii devotè sequuntur, & adhærent semper vestigiis præcedentium. Erant quoque discipuli tanquam domestici *lateri* eius *adhærentes*. Ipsi sunt qui optimam partem elegerunt, qui in claustro soli Deo vivunt, semper Deo adhærentes, & eius beneplacitum considerantes. Ipsum quoque *jumentum* cui insidebat, non defuit, quod designat duros corde, & animo quodammodo bestiales. Verùm non fuit animalium ibi huiusmodi copiosior multitudo: nec oportuit. Tales enim magis oneri sunt quàm honori, nec propter eos processio valde gloriosior est. Huiusmodi namque cantare non norunt, sed malè sonoros dant rugitus. Ipsi sunt qui virga semper & calcaribus egent. Attamen nec ipsos relinquit Dominus cum disciplinam ferre voluerint. His enim dicitur [n]: *Servite Domino in timore, & apprehendite disciplinam; ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Postquam enim jumentum hoc disciplinam ferre noluerit: quid restat, nisi ut abjiciat eum Dominus cum indignatione quadam, & protinus exeat à via, currens ad spinas & tribulos, à quibus suffocatur verbum Dei, qui sunt divitiæ huius mundi, & voluptates carnis?

Quadruplicis istius ordinis mystica explicatio.

[n] Psal. 2. c

Religiosi tardi duri & indevoti iumento comparantur.

Sed qui tales sunt hic, quibus gravis sit ordo, & omnia onerosa: quos pungi frequenter oporteat & urgeri: obsecramus eos, ut studeant de jumentis, si forte queant, in homines commutari, & computari inter eos, ut aut de præcedentibus, aut adhærentibus & collateralibus, aut de sequentibus sint. Quod si non faciunt, obsecro, ut vel in eo quod sunt permaneant, & patienter interim ferant quæ salubria sunt, etsi minus suavia, donec complaceat Domino respicere humilitatem eorum, & in melius aliquid eos promovere. Vultis autem ut aliquatenus consolemur jumentum nostrum? Scimus equidem quia cantare non novit. Neque enim de eis est qui dicere possit [o], *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Attamen unum est, quod nemini cæterorum tam prope est Dominus. Nam nec ipsi qui hinc inde adhærent, tam prope

[o] Psal. 118. g

eum habent ut jumentum cui insidet. Et audi hoc ipsum à Propheta [p], *Propè est Dominus his qui tribulato sunt corde.* Nam & mater quem ægrotantem novit filium, magis fovet & sæpius amplectitur eum. Nemo igitur indignetur, nemo contemnat, dum voluerit esse Christi jumentum. Etenim qui scandalizaverit unum de pusillis istis, illum graviter offendit, qui eos tanquam mater gremio suæ fovet misericordiæ, donec roborentur. Unde & morum infirmitates patientissimè ferendas Beatus Benedictus† admonuit.

Quatuor ergo sunt genera in processione Domini. Boni *prudentes*, & boni *simplices*, hi sunt qui præeunt, & qui sequuntur. Bonos autem addidi, quia prudentes non boni, iniqui sunt, juxta illud [q]: *Sapientes sunt ut faciant mala*, & simplices non boni stulti sunt. In processione autem Domini, nec iniquus locum habet, nec stultus. Porrò qui adhærent ei contemplativi sunt. Qui portant eum & onerantur eo: ipsi sunt duri corde, & parum devoti. Sed ecce omnes sunt in processione Domini; & nemo ex ipsis faciem eius videt. Nam qui præcedunt, occupati sunt in paranda via, solliciti circa peccata & tentationes aliorum. Qui sequuntur, ipsi omnino faciem eius videre non possunt: sed sicut Moysi dictum est [r], posteriora eius vident. Jumentum cui insidet, nunquam ad videndum levat oculos: sed pronum est semper in terram. Qui verò adhærent ipsi, aliquando videre possunt, sed raptim & non continuè, nec planè dum adhuc sunt in via. Attamen quantum ad alios, ipsi magis facie ad faciem vident: juxta quod verè de Moyse scriptum est [s], quia cæteris quidem Prophetis per visiones & somnia, Moysi verò facie ad faciem loquebatur. Quantum ad plenam sanè visionem, nec ipse Moyses dum viveret in hoc mundo, impetrare potuit faciei ipsius visionem: quia sicut ipse ait [t], *Non videbit me homo, & vivet.* Non videbor, inquit, in hac vita: non videbit quis faciem meam in hac via, & in processione ista. Ipse itaq; magna pietate sua donet nobis sic in eius processione perseverare dum vivimus, ut in magna illa processione, qua cum suis omnibus à Patre suscipiendus est, & traditurus regnum Deo & Patri, sanctam civitatem ingredi mereamur, cum eo qui vivit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

[p] Psal. 33. d

† S. Bened. Regula 72.

[q] Hier. 4. a

[r] Exod. 33. d

[s] Ibid. *Moyses quomodo Deum viderit.*

[t] Exod. 33. a

DOMINICA PALMARUM.

De quinque Diebus: Processionis, Refectionis, Passionis, Requietionis, Resurrectionis.

SERMO III.

[a] Sap. 11. d

CUm universa fecerit DEUS in numero, pondere, & mensura: specialiùs tamen ea tempora quibus in terris visus est, & cum hominibus

bus conversatus est, quæcunque in eis operatus, locutus, aut passus est, ita disposuit, ut ne minimum quidem momentum, ne unum jota à sacramento vacaverit, aut præterierit sine mysterio. Evidentiùs tamen quatuor proximos dies, & ipsum quem hodie colimus, illustravit diem Processionis, diem Refectionis, Passionis, Requietionis & Resurrectionis suæ. Notabiles admodum dies, & inter cæteros insignes magis. Prima siquidem die gloriam suscipere dignatus est humanam: & cum ingenti quodam tripudio, & exultatione vniuersæ teræ, Hierosolymam non propriis (ut hactenus consueuerat) pedibus, sed jumento vectus intrare. Et hæc quidem præparatio ad passionem fuit, excitata hinc maximè invidia Sacerdotum. Sanè venturas aliquando turbas ut raperent, & eum regem facerent, fugiens legitur declinasse [a]. Nunc verò etiam non quæsitus affuit, ut tanquam rex Israel susciperetur & prædicaretur ab eis, quin etiam in hæc ipsa præconia eorum (quod dubium non est) animos excitavit. Sic nimirum & de passione advertere est. Exiit quandoque & abscondit se ab eis, scilicet Judæis: nec volebat jam ambulare palam in Judæa: qui quærebant eum interficere [b]. Sciens autem quod venerit hora eius: tanquam potestatem habens, spontaneus ipse se obtulit passioni. Decebat nempe Pontificem nostrum [c] tentari per omnia pro similitudine absque peccato, ut tanquam verus homo & prospera hominum & adversa opportunè vitaret, opportunè susciperet, & utrarumque rerum in seipso nobis salutare præberet exemplum. Ut enim temperantiæ est, præconia populi & seculi huius prospera declinare: sic interdum justitiæ est, certâ quidem dispensatione admittere ea. Persecutio quoque & temporalis omnis adversitas pro loco & tempore prudenter aliquando fugienda erit: cum autem necesse fuerit, viriliter toleranda.

1. *Dies processionis.*

Cur Christus gloriam mundanam admiserit.

[a] Ioan. 6. b

[b] Ioan. 7. a

Christus spontaneè mortem subiit.

[c] Hebr. 4. d

Et in his quidem duobus (prosperitatem & adversitatem loquor) humana omnis vita versatur. Nihilominus autem in illis quatuor notissimis utique speciebus virtus universa consistit. Ita ergo omnem virtutem implere decuit eum in quo plenius habitabat omnis plenitudo virtutis, ut notum fieret omnibus quia is sciret maximè abundare, sciret & penuriam pati. Non enim Dei sapientia de his erat, quos occidere prosperitas sua, non Dei virtus de his, quos perdere posset aversio. Utrumq; enim scriptum est [d]; quòd *prosperitas*, non tamen omnium, sed *stultorum occidat illos*: *aversio* utique non quorumlibet, sed *parvulorum*, *perdat illos*. Quàm modestè tamen hanc ipsam videtur gloriam suscepisse ad triumphalem occursum in asino veniens, non in curribus aut in equis? Et dicebat [e]: *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his*

[d] Prov. 1. d

[e] Matt. 21.

his opus habet. Opus magnum, opus salutis. Nempe homines & jumenta salvos facere venerat : multiplicans misericordiam suam DEUS. Initia nostræ conversionis fovet ista dignatio, ut primum ex ancilla filium generemus. Solutus est ad mandatum Domini qui antea tenebatur, aut non volens bene facere, ut utroque fortiùs vinculo alligatus, nec volens scilicet nec valens. Non novit interim puriùs in Domino gratulari : persuasum tenet placere ei quod agit, & consolatur in eo quod sibi eum quodammodo se facere reputet debitorem : sæpiùs memorans quia Dominus his opus habet. Nam processu temporis in eo magis afficietur ut suo sollicitetur debito, & timeat, ne forte tantis beneficiis inveniatur ingratus ; dicens, quia servus inutilis sum, & bonorum meorum non eges. Ad hæc quidam verax affectio & fidelis : hic filius liberæ, cum quo ancillæ filius hæres esse non possit. Ita ergo in hac processione.

2. *Dies Refectionis.*

Cæterum ante passionem affectuosiùs paterfamilias *Refectionem* suis curavit domesticis exhibere : & in hoc quoque apparuit benignitas & humanitas Salvatoris. Cum enim dilexisset suos, in finem dilexit eos, & dicebat [f] : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Oportebat enim. Expetierat eos Satanas ut cribraret sicut triticum : opus erat prævenire refectione. Denique qui refecti paulominus defecerunt, quid jejuni fecissent ? Hinc fuit quod non modò corpora, sed etiam corda refecit, & ea quàm maximè. Neque enim corporalis passio, sed tentatio spiritualis instabat, quod singulariter ille futurus esset donec transiret. Et nimirum hostia sicut sola prodesse potuit, sic sola sufficit : nec Christum decuit simul & Petrum, aut Jacobum, vel Joannem pro salute hominum pati. Crucifixi tamen fuere cum eo alii duo nequam : de quibus nulla prorsus suspicio posset haberi, tanquam ex eis minus efficax sacrificium suppleretur.

[f] Luc. 22. h

Cur solus Christus passus.

Quibus panibus Christus refecit Apostolos.

Quibus ergo panibus in cœna refecit Apostolos ? Ut ego arbitror, quinque. *Meus* (inquit [g]) *cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei.* Cibus utique, sed cibus cordis. Quid enim æquè confirmat & corroborat cor humanum, quid ita in omni necessitate confortat & sustentat, ut divinæ voluntatis executio, velut in quendam animæ ventrem, conscientiam scilicet eius ingesta ? Sic & sermonem divinæ exhortationis, & promissionum eius consolationem, & orantium lachrymas, panes cordis esse solus ille ignorat, cuius jam aruit cor, pro eo quod suum ipsius panem comedere sit oblitus. Super omnia autem caro Domini verè est cibus, & cibus vitæ, panis de cœlo vivus [h]. Nullum ex his in hac tam solemni Cœna Domini defuisse reperies, si diligenter advertas. Recumbentibus adhuc discipulis surgit à Cœna ; præcingitur linteo ; aquam ponit in pelvim ;

[g] Ioan. 4. c

Voluntatis divinæ executio cor hominis confortat.

Panis Eucharistiæ.

[h] Ioan. 6. d

vim: Discipulorum pedes abluit & extergit [i]. Non est voluntas carnis & sanguinis hæc, sed voluntas Patris, & sanctificatio nostra. Denique *si non lavero te* (ait Dominus ad Petrum obnixiùs repugnantem) *non habebis partem mecum* [k]. Scimus autem quid dixerit [l], *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras: quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Opportunè autem, & utique more suo, post exemplum operis, exhortationem sermonis adiunxit. Inter loquendum quoque (nam copiosissimus extitit sermo) multis eos promissionibus propter instantem maximè passionem refovere & refocillare curavit: de Resurrectione sua: de adventu Paracleti: de eorum confirmatione, & aliquando assumptione ad seipsum. Nec multo pòst ventum est ad orationem, & usque tertiò factus in agonia orabat. Ubi quidem non solis oculis, sed quasi membris omnibus fleviſſe videtur: ut totum corpus eius, quod est Ecclesia, totius lachrymis corporis purgaretur. Nam de Sacramento quidem Corporis & Sanguinis sui, nemo est qui nesciat hanc quoque tantam & tam singularem alimoniam ea primùm die exhibitam, ea die commendatam & mandatam deinceps frequentari.

[i] Ioan. 13. a

[k] Ibid.

[l] Ioan. 6. c

Christus post exemplum operis suo jecit exhortationē sermonis.

Christi oratio & sudor in horto.

Ex hoc jam dies sequitur *Passionis*. In qua nimirum sicut totum hominem salvum fecit, sic de toto se fecit hostiam salutarem: corpus exponens tantis supplicijs & injurijs: animum verò geminæ cuiusdam humanissimæ compassionis affectui: hinc quidem super mœrore inconsolabili sanctarum fœminarum, inde super desperatione & dispersione Discipulorum. In his quatuor crux Dominica fuit: & hæc omnia propter nos passus est, qui tanta charitate compassus est nobis. Veruntamen quæ de ipso erant, finem habuere, sicut ipse lamentantibus mulieribus ait [m]: Finem utique celerrimum & celeberrimum, primò quidem *Requiem*, deinde *Resurrectionem*. Nos quoque si festinamus in illam ingredi requiem, per multas tribulationes nobis (si meminerimus) transeundum est. Et prius quidem donec sumus in tribulatione; magnum nobis videretur aspirare ad requiem: tanquam nihil simus amplius desideraturi. Verùm non erit nobis requies, ne in requie quidem ipsa, à desiderio gloriæ, à desiderio resurrectionis. *Amodo* (inquit [n]) *jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* A labore ergo requiescunt, qui in Domino moriuntur, sed non requiescunt interim à clamore. Denique sub throno Dei clamant animæ occisorum: quia etsi nihil habeant quod molestet: nondum tamen totum habent quod delectet, donec requiem resurrectio, donec Sabbatum Pascha sequatur.

3. Dies Passionis.

[m] Luc. 22.

4. Dies Requietionis, & 5. Resurrectionis.

[n] Apoc. 14. c

DOMINICA PALMARUM.

SERMO IV.

REdemptor noster, Fratres charissimi, Dominus noster JESUS, quem Pater ad salutarem victimam misit in mundum. Cùm tempus instaret quando moreretur, præsentem (ut scitis) exhibere se voluit in loco ubi moreretur. Sicut autem venit ut moreretur, sic prævidit & ubi, quando, & quo mortis genere moreretur, præscriptum coram se habens ab æterno mortis suæ genus, locum & tempus. Hæc autem tria erant, Hierosolyma, Pascha, & Crux. Nam si de loco quæris, in Hierosolyma mortuus est: Si de de genere, morte crucis: Si verò de tempore, instante tempore Paschalis solennitatis. Ut autem vos satis legendo & audiendo didicistis, iniqui eum Judæi, aliquando & aliter, & alibi, & antea perimere voluerunt. Nam quando eum duxerunt ut præcipitarent, ubi & transiens per medium illorum ibat, nec ad Hierusalem venerunt, nec Pascha expectaverunt, nec Crucem quæsierunt; sed in perimendo eum nequaquam vel modum, vel locum mutare, nequaquam tempus præoccupare seu differre valuerunt. Venit itaque hodierna die Hierosolimam ante quinque videlicet dies Paschæ, illo se insinuans Agno præfigurato, qui decima quarta die mensis verni ad vesperam immolandus, decima quidem eiusdem mensis die tolli, & usque ad prædictum terminum jubebatur sevari [b].

[a] Luc. 4.

[b] Exod. 12.

Christi in Hierusalem ingressus mystica expositio à Patribus recepta.

De hoc autem adventu eius ad Hierusalem multi ante nos multa dixerunt, quæ quia nos vera atque Catholica esse cognoscimus, dignum est ut nostro ea silentio approbemus. Et communis quidem sensus est, quod eius in Hierusalem ingressus, ipsius est ad Ecclesiam adventus: duo Discipuli asinam solventes & pullum, atque ad JESUM ducentes, duo sunt Prædicatorum ordines, quorum unus in circuncisionem; alter in præputium est missus, utrumque populum & peccatorum funibus absolventes, & ad agnitionem veræ fidei perducentes. Vestimenta jumento imposita sacramenta sunt fidei populo Christiano commissa, super quod sedet JESUS, quia per fidem in cordibus eorum habitat Christus. *Plurima autem turba quæ sternebat vestimenta sua in via.* Multitudo est Martyrum sanctorum corpora sua ad imitationem Christi opponentium ad supplicia. *Ramos de arboribus cædentes*, Doctores sunt Catholicas ex libris sanctis sententias extrahentes, *Qui præibant & qui sequebantur, clamabant Osanna*: quia unam eandemque confitentur fidem Christianam, & populus Judaicus in eadem fide præcedens, & gentilis subsequens. Et quidem sensus hic per omnia approbandus est; quia sanus & plenè Catholicus est. Verum nos istum appro-

approbantes, alium non autem alienum in hoc sancto Evangelio perquiramus, & sensus in eo moralis medullam perscrutantes ad ædificationem morum ministerium linguæ nostræ convertamus.

Ego puto quod quotidie Dominus appropinquat Hierusalem veniens Betphage, & Bethaniæ ad montem Oliveti; mittens in castellum quod contra eos est, duos discipulos, qui ad eum perducant super quod sedeat jumentum, sed spiritualiter. Spiritus enim ante faciem nostram Christus Dominus etsi cognovimus Christum secundùm carnem, sed jam nunc non novimus [c]. Proinde quærendus est adventus eius ad Hierusalem spiritualis, & quod hodierna die appropinquante tempore sacrosanctæ passionis suæ fecit in adventu suo in Hierusalē, qualiter id adhuc quotidie actitare dignatur in nobis. *Appropinquavit*, ut ait Evangelista, *Hierosolymis*. Ipsius appropinquare in Hierosolymā; eius est appropinquare ad animam. Non solùm autem, sed & suum appropinquare ad nos, nostrū est appinquare ad ipsum. Nam cum longè ab eo peccando simus, quando ei bene vivēdo appropinquaverimus, nisi primitus ipse appropinquaret nobis? Sicut enim dicit Joannes [d], quod hæc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Sic & nos dicere possumus & debemus, quòd hæc est gratia, non qua nos appropinquavimus Deo, sed quoniam ipse prior appropinquavit ad nos. Approqinquans itaque Hierusalem *venit Betphage & Bethaniæ ad montem Oliveti*: innuens nobis, ut arbitror, in hoc sancto itinere suo non posse nos ad veram pertingere pacem, nisi simus & per confessionem, purè nos detegentes, & in præceptis promptè & humiliter obedientes, & aliorum necessitatibus per misericordiam piè compatientes.

Alia expositio mystica seu tropologica.

[c] 2. Cor. 5.

[d] 1. Ioan. 4.

Nam, ut scitis, Hierusalem visio pacis dicitur. Ad quam tunc recta & regia via pergimus, si per *confessionis* puritatem, per *obedientiæ* humilitatem, & per *misericordiæ* sublimitatem incedimus. Ecce tres virtutes eximiæ, quarum primam impendere nobis debemus, secundam Prælatis, tertiam verò proximis nostris. Nam *confessionem* debes tibi ipsi, ut qui peccando te inquinasti, per confessionem te mundes. *Secundam* Prælato tuo, ut obedias & subjaceas ei, qui pervigilat quasi rationem redditurus pro anima tua. *Tertiam* verò proximis tuis, ut eorum necessitatibus juxta vires concurras, sed prodesse etiam supra vires exoptes. *Primam* designat Bethphage, quæ domum buccæ sonat. *Secundam* Bethania, quæ domus obedientiæ dicitur. *Tertiam* quoque mons Oliveti, quia oleum in Scripturis, ut scitis, misericordiam exprimere solet. Fratres, unde bella & lites in nobis? Nónne ex imperfectione propria, qui reddere nolumus, quæ debemus nobis ipsis, quod Prælatis, quod consortibus nostris?

Hierusalem visio pacis. Quæ recta & regia ad eam via: nempe per Confessionem, obedient. & misericord.

[e] Hebr. 13.

Confessio sanat occulta conscientiæ vulnera.

stris? Nam si vellemus ire à Bethphage ad Hierusalem, intra nos pervenire possemus, quia nunquam plenam habere pacem poterimus, quamdiu occultantes intrà nos reatum nostrum, per puram & humilem confessionem non detegimus. Nunquid inexpertis loquor? Semper penè & ubique remordet conscientia, occultum jugiter vulnus mentis oculis subjiciens eamque super ipsius latebris anxiè & durè reprehendens. O

Malæ conscientiæ continuum tormentum.

vermis, qui quamdiu vivit, nunquam interiora cordis comedere & depascere omittit, qui nunquam vivere & per hoc nunquam rodere desinit, nisi eum mucrone puritatis suæ humilis confessio jugulaverit.

Si autem vellemus ire ad Bethaniam, pertingere possemus ad Hierusalem, & in Prælatis nostris: quia tunc ab eis perniciosè discordamus,

Obeäiendum prælatis.

cùm eorum quæ secundùm DEUM sunt præceptis superbè contraimus. Quod si montem Oliveti conscenderemus, proculdubio tunc citò ad Hierusalem veniremus. Prope enim est mons Oliveti Hierusalem, quia &

Compatiendũ proximis.

obsequium parit amicos, & construeremus eam in sociis nostris. Quia tunc plena pace perfruimur, cum piè pro invicem solliciti, mutuis necessitatibus misericorditer condescendendo, & diligenter pro posse subveniendo compatimur. Videtis ergo non esse abs re, quod iturus Dominus Hierusalem, per Bethphage & per Bethaniam atque per montem Oliveti voluit transire, intimans nobis pacis nobis esse occasionem & causam, & erga nos quidem confessionis puritatem, & erga Prælatos nostros obedientiæ alacritatem, & erga contubernales nostros misericordiæ compassionem.

Mittit duos discipulos ut eant in castellum quod contra eos est. Castellum

Castellum est anima peccatrix.

quod contra Discipulos Christi est, anima est peccatrix, quæ per obstinationem & elationem internis & spiritualibus Redemptoris nostri virtutibus contraria est. Talis anima turrim elationis, & murum habet obstinationis, per terram pertinaciæ clausa, & per eminentiam superbiæ erecta. Hanc turrim facere aggressi sunt quondam illi filii Adam, de quibus ait Scriptura [f], quod proficiscentes de Oriente, *campum invenerunt latissimum in terra Sennaar.* Qui sunt hi, nisi reprobi, inanis gloriæ cupidi, tumore superbiæ inflati, qui ab eo corde & opere discedentes, de

f Gen. 11.

g Zach. 6.

Qui ædificent turrim Babylonis.

quo Propheta dicit [g]: *Ecce vir, Oriens nomen eius*, in contagiis fœtidæ conversationis per viam latam incedunt, quæ ducit ad perditionem: quia Sennaar fœdor eorum dicitur. *Ædificemus*, inquiunt, *turrim & celebremus nostrum nomen.* Hi sunt qui vocant nomina sua in terris suis,

**fortè*, construunt.

& altitudinem in se construentes * elationes, *amantes primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus*

hominibus Rabbi [h]. Et unde ruinosam hanc turrim erigunt? *Habuerunt*, inquit verax historia, *lateres pro saxis & bitumen pro cæmento.* Saxa robur exprimunt bonæ operationis, lateres igne concoquuntur & indurantur. Reprobi flamma libidinis exuruntur, & pertinaces efficiuntur. Invidia bitumen est, concordia cæmentum. Aiunt enim bitumen nasci de terra fulminata, & scimus in mente oriri invidiam tumore superbiæ percussa. Cæmento simul junguntur lapides in ædificio. Et quæ est alia virtus quàm concordia, qua in charitatis ædificio conglutinantur lapides vivi, ex quibus cœlestis Hierusalem quotidie construitur? Habent itaque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento, quia fortitudinem deferentes bonæ actionis, luto se inquinant sordidæ libidinis: & abjicientes glutinum concordiæ, pertinaciam amplectuntur invidiæ.

[h] Matt. 23.

Vnde cõstruatur hæc turris.

Enormis quidem hæc turris admodum, sed ne facilè possit prosterni, obsistit non modò sui ipsius altitudo, sed & muri includentis eam fortitudo. Et hoc est quod nostros conatus sæpè effringit, cum contra castellum illud pugnamus: quia facile machinis & arietibus sanctæ prædicationis tumorem in anima dejiceremus elationis, nisi tam invincibiliter nobis, ut sic dixerim, in ea resisteret pertinacia obstinationis. Quid enim erga eam poteris proficere, quam insensibili quadam duritie adamantinam effectam nec præceptis vales flectere, nec consiliis attrahere, nec blanditiis mulcere, nec comminationibus terrere, nec emendare denique flagellis, nec emoliri beneficiis? Nonne de ea dicas, pene esse impossibile, ut curetur? Verumtamen etsi apud homines impossibile est, sed apud DEUM omnia possibilia sunt. Mittit namque misericors Dominus & pius eloquium suum terræ, inspirationem scilicet huiusmodi infundens animæ, ad quam velociter currit sermo eius, non reversus ad eum vacuus, sed faciet quæcunque vult, & prosperabitur in his ad quæ misit illud. Unde & hic *mittit Discipulos suos in castellum hoc, quod contra eos est.* Et ad quid? ut asinam quam in eo reperiunt alligatam, & pullum cum ea, solvant, & adducant ad eum. Qui jussa perficientes non solum solvunt & ad eum adducunt, sed ut prosperetur verbum de ore egrediens in his ad quæ mittit illud, *vestimenta sua imponunt, & eum desuper sedere faciunt.* Ad hoc spectare videtur, quod qui *emittit eloquium suum terræ, dat nivem sicut lanam* [i], induens eos per justitiam, qui primitus frigidi erant per culpam: *nebulam sicut cinerem spargit*, infusa illis, qui obscuri erant per ignorantiam, notitia corruptionis suæ * concutit eos per pœnitentiam. *Mittit chrystallum suam sicut buccellas*, illos sibi incorporans per mansuetudinem, qui obdurati erant per obstinatio-

Quàm ægrè prosternatur hæc turris.

Deo facile hominis duritiem frangere.

[i] Psal. 147.

* *al.* Concutiens. Ibidem.

nem. Sed qualiter opus illud salutis peragit? *Emittit verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ,* ut euntibus duobus Discipulis in Castellum quod contra eos est, faciant de asina & pullo quod modò breviter tetigimus.

Qui duo discipuli, nempe, Timor & Amor.

Sed qui sunt duo Discipuli isti? Fortassis duæ illæ eximiæ virtutes sunt *Timor & Amor.* Ille tristia comminando & aspera, per austeritatem deterret. Iste verò læta pollicendo & lenia, per suavitatem demulcet. Ille initium sapientiæ, hic autem consummatio est. Ille tibi aufert quod malum est, ut emunderis à culpa: iste verò confert quod bonum, ut exorneris in justitia. Ille ab anima exhaurit iniquitatem, hic autem infundit ei sanctitatem. Hi duo Angeli sunt, & de loco perditionis [k] Loth educunt, dum animam quam eligit Deus à vitiis eripiunt. Hi duo spirituales Levitæ sunt [l]; qui in commotione castrorum ad ostium stant tabernaculi clangentes argenteis tubis: quia ad ipsum mentis aditum silentibus quibusdam mentis clamoribus Timor & Amor insonant: * quibus interna illa cogitationum collegia, & ad malum deserendum, & ad bonum exercendum incitant. Quasi tuba exaltat ille vocem suam, & dicit: *Quiescite perverse agere.* Iste verò, *discite benefacere.* Ille, *evelle & destrue, & disperde, & dissipa,* hic autem, *ædifica & planta* [m]. Ille denique, *diverte à malo*: iste quoque, *fac bonum* [n]. Isti duo viri sunt, qui botrum ad filios Israel de terra repromissionis afferunt [o], dum internis nostris meditationibus, quis sit cœlestis patriæ fructus innotescunt. Hi duo nuncii sunt qui Raab de destructione Hierico eripiunt [p], dum animam quam suis Deus muneribus dilatat, ab huiusmodi perditione abstrahunt. Hi & duo isti, de quibus modò agimus, Discipuli sunt, qui in hoc castellum missi alligatam asinam & pullum solvunt, & ad Christum adducunt.

k Gen. 19.
l Num. 20.
* *Forte,* quoties.
m Ierem. 1.
n Psal. 33.
o Num. 13.
p Iosue. 6. a

Amori divino adversatur tumor; timori obstinatio.

De quo bene dicitur, *quod contra eos est.* Quid enim magis contrarium divino amori, quàm tumor elationis? Quid magis timori, quàm pertinacia elationis & obstinationis? Est enim superbia, ut aliqui dicunt, amor propriæ excellentiæ. Et quomodo quamdiu inanis gloriæ cupidus propriam amas excellentiam, illius perfectè honorem affectas & gloriam, de quo Paulus [q]? *Soli,* inquit, *Deo honor & gloria?* Sed & obstinatio (ut aiunt) insensibilis quædam est pertinacia mentis, nolens aliquando acquiescere, magis autem parata semper repugnare, quod quidem mortiferum malum dum animam plenè possidet, timoris nimirum divinis stimulis insensibilem reddit. Sed castellum quod contra hos discipulos est, dum extra illud sunt: jam cum illis est, dum illud ingressi aliquamdiu intra illud sunt. Illud quippe sibi potenter subjiciunt, quia *Amor* dum cœ-

q 1. Tim. 1.

cœlestem

cœleſtem & æternam, ac per hoc longè meliorem, quam ibi haberi poteſt, alibi habendam eſſe celſitudinem aſſerit, nimirum turrim elationis proſternit. *Timor* verò, dum his qui attrita fronte indomabili corde ſunt, æternum gehennæ ſupplicium comminans promittit, murum profectò obſtinationis confringit. Et hoc modo caſtellum hoc, dum ipſis extra illud degentibus contra eos eſt, ipſis intra illud commorantibus jam cum eis eſt. Unde fit, ut juxta quod vaticinatur Iſaias [r], Civitas quæ dudum meretrix dicebatur, cuius habitatores homicidæ fuerunt, jam dignè vocari poſſit *civitas juſti, urbs fidelis.*

Amor & Timor hoc caſtellum ſibi ſubjiciunt.

[r] Iſai. 1.

Sed jam neceſſe eſt, ut de ſolvenda Aſina alligata & Pullo, & adducendis ad Jeſum, duo hi ſe Diſcipuli intromittant. Duæ ſunt, Fratres, virtutes homini valdè neceſſariæ, humilis videlicet ſimplicitas, & agilis libertas. Illam *Aſina*, hanc autem *Pullus* exprimere poteſt. Aſina enim jugo ſupponitur, pullus verò propria adhuc ſua libertate potitur. Unde ad manſuetudinem nos invitans humilitatis Dominus Jeſus ſuum nobis offert jugum tollendum: *Tollite*, inquiens [ſ], *jugum meum ſuper vos.* Mox autem quid ſit jugum eius tollere, innuit dum ſubiungit: *Et diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Per pullum verò libertatem eſſe accipiendam cenſuit, qui de viro vano in ſuperbiam erecto ait [t], quod *quaſi pullum onagri natum ſe liberum putat.* Quod licet de quadam prava libertate accepit, de qua Paulus, *Cum*, inquit [u], *ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ*, pro eo tamen quod necdum jugo ſupprimitur pullus, libertatem nimirum, cuius agilitatem quodlibet obſtaculum non impedit, per eum exprimi poſſe demonſtravit: In caſtello autem iſto duo hæc alligantur animalia, Aſina videlicet & Pullus, dum in anima peccatrice qualem ſuperius per caſtellum illud accipiendam eſſe docuimus, hæ duæ virtutes, Simplicitas ſcilicet & Libertas, cum forte habentur ad intellectum, nequaquam tamen exercentur ad fructum.

Quid aſina & pullus? Humilis ſimplicitas, & agilis libertas.

[ſ] Matt. 11.

[t] Iob. 11. c

[u] Rom. 6.

Vincula verò quibus alligantur ſi quæritis quæ ſunt, accipite confuſionem pudoris & inertiam timoris. Pravus ſiquidem in homine itidem pravo & ſimplicitatem pudor, & libertatem impedit timor, ne veram in ſe videlicet illa humilitatem oſtendere audeat, vel iſta puritatem exercere præſumat. Plerumque enim quod maxima ſit virtus humilis ſimplicitas, ſeu ſi ita congruentius dicitur, ſimplex humilitas, *nonnulli* evidenter agnoſcunt: ſed dum à præſentis vitæ gloria necdum exutum habentes animum viles haberi refugiunt, eam in opere nullatenus apprehendunt. *Alii* verò quam ſit ſublime quid puritas libertatis intelligunt: ſed dum trepidi pavent vel optant, quòd non eſt ſtabilis vel ſui juris, vel prava ſpe acquirendi intellecti, vel inerti timore dimittendi conceſſi, nec voce eam

Vincula quibus alliguntur: pravus pudor & timor.

Quinam perverſo pudore ligentur.

Qui pravo timore.

ce eam nec opere exercere præsumunt. Nonne & si istis simplicitatem atque libertatem, quantum quidem ad intellectum, inesse consideras, utramque tamen apud eos quantum ad exercitium, alligatam esse ignoras?

Cæterum electos suos Spiritus sanctus, qui in columba apparuit [x], & igne [y], & in humilitate reddit simplices, ne per elationem superbiant, & in puritate audaces, ne per inertiam torpescant. Revocate in memoriam duos illos virtutis viros, dico autem prophetam David, & Apostolum Paulum: & videte si non utrumque habuerunt apud se animal istud tam asinam simplicitatis, quàm pullum libertatis: neutrum utique ligatum, sed utrumque solutum. Ait enim Sanctus David [a]: *Ludam coram Domino, & vilior fiam plus quam factus sum, eróque humilis in oculis meis.* Merito dicit de eo Spiritus sanctus [b], quod erat quasi tener ligni vermiculus. Unde & Dominum alloquens, in hanc vocem prorupit [c]: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Et asina in Castello sancti David. Sed videte & pullum: *Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescam? Profecto odio oderam eos, & inimici facti sunt mihi* [d]. Pullus quoque parvulus est Paulus juxta nomen suum, & modicus in medio discipulorum suorum: & cùm undique tormentis affligatur, verbum Dei non est apud eum alligatum. Qui etiam cum suos obsecret discipulos per mansuetudinem & modestiam Christi [e], asserens se facie quidem humilem esse inter eos [f], ipsi quoque Cephæ in faciem apud Antiochiam restitit, quia eum esse reprehensibilem cernit [g]. Mirare itaque eum & ibi per humilitatem submissum, & hic per libertatem erectum. Sanctus quidem Moyses, ut his aliquamdiu immoremur, & superbientem Pharaonem ex auctoritate premit, & consulenti Jetro ex humilitate obedit [h]. Vir Domini Samuel peccatum se perpetrare existimat, si pro populo qui eum de principatu dejicit non orat [i]: Et Agag pinguissimum in fruſtra conscindere non formidat [k]. Quomodo satis sanctissimum admirabimur Heliam, videntes eum modò tanta humilitate submissum, ut vilis in oculis suis & contemptor sui accinctus lumbis humiliter currat ante Achab [l], modò verò tanta auctoritate erectum, ut zelo zelans pro Domino exercituũ, & super idololatras tabescens, ipsos vita privare non formidet [m]? Eius quoque libertatem simplicem, & simplicitatem liberam sequens discipulus suus sanctus Helisæus, à mulierecula tangi non dedignatur [n], & ad Naaman principem non egreditur, & Regem Israel nec attenderet quidem nec respiceret, si non vultum Josaphat regis Judæ erubescceret [o]. Hos itaque, cæterosque huiusmodi Viros solutam habuisse dixerim asinam humilitatis, & pullum libertatis, qui ut in omnibus

[x] Matt. 3.
[y] Actor. 2.

Davidis simplex humilitas,

[a] 2. Reg. 6.
[b] 2. Reg. 23.
[c] Psal. 130.

& generosa libertas.

[d] Psal. 138.

Item Pauli Apostoli,

[e] 2. Tim. 2.
[f] 2. Cor. 10.
[g] Gal. 2.

Moysis quoq;

[h] Exo. 8. 9. 18.

Et Samuelis,

[i] 1. Reg. 12.
[k] 1 Reg. 15.

nec non Heliæ.

[l] 4 Reg. 4.
[m] 3 Reg. 19.
[n] 4. Reg. 4.
[o] 4. Reg. 3.

bus semetipsos humilient, simplices & mansueti sunt : & ut viriliter quicquid contra Deum est, persequantur, recti & liberi sunt.

Sed si est in vobis aliquis, qui hæc duo animalia apud se habet quidem, sed alligata ; necesse est, ut dissolvendis eis se supranominati Discipuli intromittant. Qui sint autem Discipuli hi, jam audistis, quæve animalia hæc, quæ etiam vincula quibus alligantur? Et quis est qui hæc apud se animalia habet sed alligata ? Cum videris aliquem sub humilitatis habitu superbientem, magis quæ circa se sunt ornantem ad nitorem elationis, quàm componentem ad decorem honestatis, scito hunc asinam habere, sed alligatam. Benè instructus & edoctus est, ut perfectè sciat quam humiliter exhibere se debeat in incessu, in statu, in gestu & habitu, in vultu & affectu, in omnibus denique motibus suis. Sed dum se talem in veritate ostendere confunditur, habet quidem apud se asinam simplicitatis, sed alligatam vinculo pudoris. *Item* cum deprehenderis aliquem ad instar pravi speculatoris videre gladium, & non insonare buccina [p], ad instar mercenarii videre lupum venientem [q], & fugere ad instar pigri & negligentis coloni, scire spinas & vepres in horto Domini, & cætera quæque inutilia ac nociva ascendere, & ad eradicandum, seu etiam, quod minus est ad succidendum manum non apponere : agnosce apud hunc esse pullum, sed alligatum. Prava quippe cernit, & eis licet forte consentire nolit, redarguere tamen ea pro persona & re, pro loco & tempore non præsumit, & est alligatus apud hunc pullus vinculo timoris.

Quinam sint qui hæc animalia alligata habent.

1. *qui sciunt, sed præ pudore non faciunt.*

[p] Ezech. 33.
[q] Ioan. 10.

2. *qui officio suo desunt præ torpore vel timore.*

Sed veniant discipuli, & solvant asinam : solvant & pullum, amor ordinatus pravum expellat pudorem, quatenus prævaleat simplicitas, timor nihilominus ordinatus inertem eliminet pavorem, ut vigeat libertas. Jam itaque animus ex non pio pius effectus, ita amet veritatem, * ut habeat vanitatem : ita timeat incurrere quod pœnale est, ut timeat pro posse non persequi quod culpabile est. Si sic fieri contigerit in castello quod antea contra discipulos erat, soluta est asina, solutus est pullus : quia in anima quæ dudum & per timorem elationis amori, & per pertinaciam obstinationis contraria erat timori, prævalet vigetque tam simplicitas, quæ omnem in eo fastum deprimat, quàm libertas quæ pium erga alios zelum exerceat.

Discipuli solventes animalia.

* *Deesse videtur*, odio, *vel* non.

Solvite, inquit, *& adducite mihi.* Quid est à Discipulis solvi asinam, solvi & pullum, nisi interveniente amore à pravo liberali pudore simplicitatem, mediante & timore bono ab inerti liberali timore libertatem? Soluta verò hæc duo animalia adducuntur ad JESUM, cum intentione pura hæ duæ exerceantur virtutes ad fructum veræ salutis

Quid sit solvi à Discip. asinam & pullum.

obtinendum. Nam quasi quis illa habet soluta, sed ad Jesum non adducta, qui has quidem viriliter exercet, sed pro eis vel favorem humanum, vel commodum aliquod terrenum, non autem præmium veræ salutis quærit. Vides ergò quia non sufficit, quod asina in castello tuo & pullus solvantur, nisi & soluta ad Jesum adducantur, quia secundùm Pauli sententiam [r] : *Reddit Deus unicuique secundum opera sua, his quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem, se quærentibus vitam æternam.* In eo itaque quod gloriam & honorem & incorruptionem his redditurum Deum ait, qui secundùm patientiam sunt boni operis, asinam solutam esse & pullum intellige. In eo verò quod audis hæc illis redditurum, qui quærunt vitam æternam, adductam ad JESUM & asinam & pullum agnosce.

Et ad Iesum adducta.

r Rom. 2.

Pura & recta intentio.

Sed hæc alta & profunda sunt, solisque perfectis conveniunt, quæ etiam sunt quæ perfectos faciunt. Perfectum namque te dixerim, cùm te video instantia jugi, & te ipsum in cunctis motibus tuis districto judicio reprehendere, & erga proximos tuos pio zelo fervere. Ideo si ad perfectionis huius cupis fastigia conscendere, cum tibi tua resistit pusillanimitas, ne hæc audeas exercere, scito te sine his perfectum esse non posse. Unde & istis Dominus discipulis, *Si quis*, inquit, *vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet.* Quis enim discipulis asinam solventibus & pullum aliquid dicit, nisi cogitatus in nobis fatuus, qui dum tumidus est, amori quidem in nobis, ne puritatem simplicitatis, & dum timidus est, timori, ne liberet vigorem libertatis, contradicit? Sed *Dominus his opus habet*: Quia qui ad spirituale sanctæ perfectionis dominium pertingere cupit, hæc exercere necesse habet. Spirituali namque Domino duo valde necessaria sunt, potestas & ausus, ut videlicet nequaquam te esse Dominum agnoscas, nisi & te semper illicitum quid committentem humiliter judicare queas, & alios pravè agentes, ut superius dictum est, pro re, pro tempore, pro persona & loco redarguere succensus audeas.

Quis contradicat Discipulis animalia solventibus.

Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Vestimenta discipulorum ornamenta sunt virtutum. Et quid est, eorum vestimenta imponi, nisi quæcunque ad mortem & timorem Dei excitare possunt, conferri? Ipse etiam Jesus desuper sedet, dum in his omnibus veræ salutis supereminet appetitus. Primò asina & pullus à discipulis solvuntur. Secundò ad Jesum adducuntur. Tertiò eorum vestimenta imponuntur. Novissimè verò desuper ipse sedet Jesus. Et ad quid ista? Utique ut primò sancta quæque faciamus, operantes bonum ad omnes [f]. Secundò, ut soli DEO in his omnibus placere appetamus, quærentes vitam æternam. Tertiò verò, ut in bono semper

Vestimẽta discipulorum, ornamenta virtutum.

f Galat. 6.

semper magis ac magis proficere studeamus, ad interiora nos extendentes, & sic venire cupiamus, & apparere ante faciem Dei, desiderium habentes dissolvi, & esse cum Christo [t]. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via*, pro eo quod bona sua internæ in nobis cogitationes deponunt in imo. *Alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via*, quia non solùm in bonis operibus se humiliant, quæ ad corporalem pertinent exercitationem, quæ ad modicum, juxta Apostolum [u], utilis est, sed & ipsos spiritualium sensuum ramos, quos de sublimibus contemplationum arboribus cædunt, in imis dejiciunt, quos ad pietatem spectare dubium non est, quæ ad omnia utilis [x].

[t] Phil. 2. & 3

[u] 1. Tim. 4.

[x] Ibid.

Non solum autem in cunctis bonis exterioribus corporis, & in universis interioribus fructibus spiritus se humiliant, sed & inter omnes quas habent virtutes seu per naturam insertas, seu per gratiam superadditas, precibus insistunt devotis pro salute æterna, quia *qui præibant & qui sequebantur clamabant Osanna*, festinanter ista percurrimus, quia ad finem sermonis properamus. Sunt in nobis affectus boni quidam per naturam, quidam per gratiam. Et illi quidem præeunt, isti autem sequuntur. Quædam nobis bona inseruit natura: sed quia ad salutem non erant sufficientia, quod minus contulit ipsa, superaddidit gratia. Sciendum tamen, quod sicut ex gratia sunt bona conscientiæ sic ex gratia bona sunt naturæ, sed illa ex gratia creatrice sunt, hæc autem ex salvatrice. Ex illa habent bona naturæ, ut inchoentur, ex ista ut augeantur, & aucta ut perficiantur. Sed in piis cogitationibus & circa salutem suam sollicitè vigilantibus, tam præeuntia naturæ quàm subsequentia gratiæ clamant, Osanna: ut ad obtinendam salvationem æternam, non tam de meritorum fidant qualitate & quantitate, quàm de orationum pura assiduitate & assidua puritate. *Osi*, namque, ut dicitur, *salvifica* interpretatur. Quod autem† subauditur *anna*, affectuosum orantis exprimit motum. Humiliemus itaque nos, fratres, in omnibus bonis nostris tam internis quàm externis: & inter multas virtutes tam ex natura nobis insertas, quàm ex gratia nobis superadditas, totis medullis cordis clamemus, Osanna. Igitur non solum iniustum, sed etsi habuerimus quippiam justum, non respondeamus ei; sed nostrum cum bono Job [y] judicem deprecemur, quem dominationes adorant, tremunt potestates DEUM omnipotentem, viventem & regnantem in omnia secula seculorum,

Affectus quidam boni per naturam, quidam per gratiam.

† *al.* subditur.

[y] Iob. 9.

A M E N.

FERIA QUARTA HEBDOMADÆ SANCTÆ,

De Passione Domini,

Sermo.

VIgilate animo, Fratres, ne infructuosè vos huius temporis sacramenta pertranseant. Copiosa est benedictio: date receptacula munda; devotas animas, sensus vigiles, affectus sobrios, puras conscientias exhibere tantis charismatibus gratiarum. Nimirum admonet vos sollicitudinis huius non modo specialis ipsa conversatio, quam professi estis: sed & generalis Ecclesiæ observatio, cuius filii estis. Universi siquidem Christiani sacra hac septimana, aut præ solito, aut præter solitum, pietatem colunt, modestiam exhibent, humilitatem sectantur, induunt gravitatem, ut Christo patienti quodammodo compati videantur. Quis enim tam irreligiosus qui non compungatur? quis tam insolens ut non humilietur? quis tam iracundus ut non indulgeat? quis tam deliciosus ut non abstineat? quis tam flagitiosus ut non contineat? quis tam malitiosus, ut non pœniteat his diebus? Merito quidem. Nempe adest *Passio* Domini utique hodie terram movens, petras scindens, aperiens monumenta: prope est etiam *Resurrectio* eius: in qua solemnitatem celebrabitis altissimo Domino: utinam usque in altissima quæ fecit magnalia alacritate & aviditate spiritus subeuntes. Nihil in mundo poterat melius fieri quàm quod factum est à Domino his diebus. Nihil mundo poterat melius vel utilius commendari, quàm ut ritu perpetuo celebret, & singulis annis memoriale eius in desiderio animæ, & memoriam abundantiæ suavitatis suæ eructet. Utrumque autem propter nos, quod in utroque nobis salutis fructus, in utroque vita spiritus nostri. Mirabilis *Passio* tua Domine JESU, quæ passiones omnium nostrum propulsavit: propitiata est omnibus iniquitatibus nostris, & nulli unquam pesti nostræ invenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non tua morte salvetur.

Christianorũ in hebdomada sancta religio & pietas.

Passionis & meriti Christi vis & efficacia.

In hac igitur Passione, Fratres, *tria* specialiter convenit intueri, *opus, modum, causam.* Nam in opere quidem Patientia, in *modo* Humilitas, in *causa* Charitas commendatur. Patientia autem singularis, quod videlicet cum supra dorsum eius fabricarent peccatores, cum sic extenderetur in ligno, ut dinumerarentur omnia ossa eius: cum fortissimum illud propugnaculum, quod custodit Israel, undique foraretur, cum foderentur manus & pedes: sicut agnus ad occisionem ductus sit, & tanquam ovis coram tondente, non aperuerit os suum, non adversus Patrem murmurans, à quò missus fuerat; non adversus humanum genus, pro quo

In Passione tria consideranda: opus, modus, causa.

In opere patientia.

quæ

quæ non rapuit exolvebat: non denique vel contra populum ipsum peculiarem sibi, à quo pro tantis beneficiis tanta mala recipiebat. Plectuntur aliqui pro peccatis suis, & humiliter sustinent: hoc ipsum tamen eis ad patientiam reputatur. Flagellantur alii non tam purgandi quàm probandi, coronandique, & maior in eis patientia comprobatur & commendatur. Quomodo non maxima censeatur in Christo, qui in funiculo hæreditatis suæ, ab his quibus specialiter advenerat salvator, crudelissima morte mulctabatur sicut fur, nullum omnino peccatum, nec actu proprio, nec contractu, sed nec in quo crescere posset, habens? Nimirum in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, non umbraticè, sed corporaliter: in quo DEUS est mundum reconcilians sibi, non figurativè, sed substantialiter: qui denique plenus est gratiæ & veritatis, non cooperativè, sed personaliter, ut faciat opus suum. *Alienum est opus eius ab eo* (Esaias loquitur [a]) quia & opus suum fuit, quod dedit ei Pater ut faceret: & alienum ab eo, ut talis talia sustineret. Ita ergo habes in opere patientiam. *Quanta in Christo patientia.*

[a] Esa. 28. f

Nam *modum* ipsum si diligenter attendas non modò mitem, sed & humilem corde cognosces. Nempe in humilitate judicium eius sublatum est, cum nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima quæ sibi objiciebantur crimina responderet. *Videmus*, inquit [b], *eum & non erat ei aspectus*, nec speciosum forma præ filiis hominum, sed opprobrium hominum, *& tanquam leprosum*: *novissimum virorum*, planè *virum dolorum à DEO percussum & humiliatum*: *ita ut nulla esset ei species neque decor*. O novissimum, ô altissimum, ô humilem & sublimem, ô opprobrium hominum & gloriam Angelorum. Nemo illo sublimior, nemo humilior. Denique sputis illitus est, opprobriis saturatus est, morte turpissima condemnatus est, cum sceleratis deputatus est. Nihilne merebitur vel ista humilitas, quæ hunc habet modum, imò quæ tam est ultra modum? Sicut est patientia singularis, sic & humilitas admirabilis, utraque sine exemplo. *Modus passionis Christi.*

[b] Esa. 53. a

Utramque tamen magnificè causa ipsa commendat: nimirum charitas est. Propter nimiam quidem charitatem suam, qua dilexit nos DEUS, ut servum redimeret, nec Pater Filio, nec sibi Filius ipse pepercit. Verè nimiam, quia & mensuram excedit, modum superat, planè supereminens universis. *Maiorem*, inquit [c], *charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Tu maiorem habuisti Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam & tibi reconciliati sumus, & Patri. Quænam alia videbitur esse

[c] Ioan. 15. b

Charitas Christi eximia.

vel fuisse vel fore huic similis charitati? Vix pro justo quis moritur; tu pro impiis passus es: moriens propter delicta nostra, qui venisti justificare gratis peccatores, servos facere fratres, captivos cohæredes, exules reges. Nec sanè aliud aliquid patientiam hanc & humilitatem æquè illustrat, quam quod tradidit in mortem animam suam, & peccata multorum tulit, etiam pro transgressoribus rogans, ut non perirent. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. Quia enim voluit, oblatus est. Non modò voluit & oblatus est, sed quia voluit. Solus nimirum potestatem habuit ponendi animam suam: nemo eam abstulit ab eo. Ultro cum accepisset acetum, dixit: *Consummatum est* [c]. Nihil restat implendum: jam non est quod expectem. *Et inclinato capite* (factus obediens usque ad mortem) *tradidit spiritum.* Quis tam facilè quando vult dormit? Magna quidem infirmitas mori: sed planè sic mori virtus immensa. Nempe quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Potest humana vesania sibi ipsi in mortem sceleratas injicere manus, sed non hoc est ponere animam suam; urgere eam magis, & violenter abrumpere, quàm ad nutum ponere est. Tibi, impie Juda, misera plane facultas fuit non ponendi animam, sed pendendi: nec tradente te, sed trahente laqueo nequissimus ille spiritus tuus exivit; non emissus à te, sed amissus, Solus in mortem tradidit animam suam, qui solus virtute propria regressus est ad vitam. Solus potestatem habuit ponendi, qui solus facultatem æquè habuit liberam resumendi, imperium habens vitæ & mortis.

Christi mors spontanea.

c Ioan. 19. f

Christi dominium in mortem.

Digna ergo charitas tam inæstimabilis, humilitas tam admirabilis, patientia tam insuperabilis. Digna planè tam sancta, tam immaculata hostia, tam acceptabilis. Dignus est Agnus qui occisus est accipere fortitudinem, facere ad quod venit, tollere peccata mundi. Ego autem dico peccatum triplex quod invaluit super terram. Putatis quod dicere velim concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Funiculus triplex est, qui difficile rumpitur: propterea multi trahunt, imò trahuntur hoc funiculo vanitatis, sed prior ille ternarius non immeritò prævalet in electis. Quomodo enim non illius patientiæ recordatio omnem arceat voluptatem? Quomodo non illius humilitatis consideratio superbiam vitæ prorsus extundat? Cum charitas illa planè digna eius meditatione sic mentem occupet, sic totam sibi vendicet animam, ut omnino vitium curiositatis exsufflet. Fortis igitur contra hæc passio Salvatoris.

Christi mors omnia peccata expugnat.

Sed aliud ego triplex æquè peccatum, quemadmodum virtus crucis expugnat, dicere cogitavi, & id forte utilius audiatur. Primum quidem *originale*, secundum *personale* dixerim, tertium *singulare*. Et originale

Triplex peccati genus

nale quidem maximum illud delictum vocatur; quod à primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur universi. Maximum planè, quod sic totum non modo genus humanum, sed & quemlibet ipsius generis occupat, ut non sit qui evadat, non sit usque ad unum. A primo homine usque ad novissimum protenditur: & in singulis quoque à planta pedis usque ad verticem diffunditur hoc venenum. Sed & aliter nihilominus in universam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die, qua sua quemque concipit, usque ad eam, qua communis eum recipit mater. Alioquin unde grave jugum super omnes & totos filios Adam, idque à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium? In sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur. Ante exitum miseras oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus: mirum quod non ipsi pariter laceramur. Primam vocem plorationis edimus, meritò quidē, utpote vallem plorationis ingressi ut nobis illud sancti Job ex omni parte possit aptari: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* [d]. Quàm verum verbum hoc sit, non nos verba docuere, sed verbera. *Homo* (inquit) *natus de muliere*, nihil abiectius. Et ne forte ex ipsa sibi voluptate corporeorum sensuum, quam de sensibilibus hauriat, blandiatur; in ipso statim introitu de exitu quoque terribiliter admonetur, cum dicitur, *brevi vivens tempore*. Ac ne spatiosum illud quod inter ingressum, & egressum relinquitur, sibi liberum putet, *repletur*, ait, *multis miseriis*. Multis & multiplicibus (inquam) miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis cum dormit, miseriis cum vigilat, miseriis quaquaversum se vertat. Nimirum ipse quoque natus ex Virgine, imo factus ex muliere, (sed benedicta in mulieribus) qui loquitur ad matrem [e], *Mulier, Ecce Filius tuus*: etiam brevi vivens tempore super terram; & nihilominus multis est repletus miseriis, in illa brevitate appetitus insidiis, interrogatus contumeliis, pulsatus injuriis, vexatus suppliciis, convitiis lacessitus.

Cruce & morte Christi expugnatum.
1. Originale.

Hominis miseria.

*d Iob. 14. a

e Ioan. 19. a

Tu ne hanc sufficere dubites obedientiam, quæ reatum omnem primæ prævaricationis absolvat? imò verò non sicut delictum, ita & donum. Nam peccatum ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Et grave quidem omnino delictum illud originale, quod non solum personam infecit, sed & naturam. *Personale* tamen cuique gravius est cum jam laxatis habenis exhibemus undique membra nostra arma iniquitatis peccato: non modo jam alieno, sed & proprio crimine compedit. *Singulare* verò est gravissimum quod commissum est in Dominum maiestatis, cum viri impii virum justum injuste occiderunt, & sacrilegas manus, in ipsum Dei Filium injecerunt crudelissimi

Item Personale & Singulare.

liſſimi homicidæ: imò (ſi fas eſt dicere) etiam Deicidæ. Quid duo præcedentia ad tertium? Ad hoc expalluit & expavit tota machina mundialis, & pene in antiquum chaos ſunt omnia revoluta. Ponamus aliquem de regni principibus terram regiam populaſſe in vaſtitate hoſtili: ponamus alium, cum eſſet de convivio & conſilio regis, unicum eius filium proditoriis manibus ſuffocaſſe. Nunquid non primus reſpectu ſecundi innocens videbitur & immunis? Sic eſt omne peccatum quantum ad hoc peccatum: & tamen hoc peccatum in ſe pertulit, qui ſeipſum fecit peccatum, ut de peccato damnaret peccatum. Per hoc enim omne peccatum tam originale quam perſonale deletum eſt, & ipſum quoque ſingulare eliminatum eſt per ſe ipſum.

Argumentum mihi eſt à maximo, quod duo minora ſunt exploſa. Et ecce argumentum. Peccatum multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit, ut non perirent [f]: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Volat irrevocabile verbum tuum Domine, nec revertetur ad te vacuum; ſed faciet ad quod miſiſti. Vide nunc opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram. Flagellis cæſus eſt, ſpinis coronatus, clavis confoſſus, affixus patibulo, opprobriis ſaturatus, omnium tamen dolorum immemor, *Ignoſce*, ait, *illis.* Hinc multæ miſeriæ corporis, hinc multæ miſericordiæ cordis, hinc dolores, hinc miſerationes, hinc oleum exultationis, hinc ſanguinis guttæ decurrentis in terram. Miſericordiæ Domini multæ, ſed & miſeriæ Domini multæ. Vincent ne miſeriæ miſericordias, an miſericordiæ miſerias ſuperabunt? Vincant miſericordiæ tuæ antiquæ Domine, vincat ſapientia malitiam. Magna enim illorum iniquitas, ſed nunquid non major pietas tua Domine? Multum per omnem modum. *Nunquid redditur pro bono malum*, ait, *quia foderunt foveam animæ meæ?* Planè foderunt impatientiæ foveam, occaſiones indignationis plurimas & quam maximas miniſtrantes. Sed quid horum fovea ad abyſſum manſuetudinis tuæ? Retribuentes mala pro bonis foveam foderunt, ſed charitas non irritatur, non præcipitatur, nunquam excidit, non in foveam ruit, & pro retributis malis cumulat bona. Abſit ut muſcæ morituræ exterminent ſuavitatem unguenti, quod de tuo corpore fluit: quia apud ſinum tuum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Muſcæ morituræ miſeriæ ſunt, muſcæ morituræ blaſphemiæ ſunt, muſcæ morituræ inſultationes ſunt quas tibi reddit generatio prava & exaſperans.

Tu autem quid? In ipſa elevatione manuum tuarum, cum jam ſacrificium matutinum in holocauſtum veſpertinum tranſiret: in ipſa inquam virtute incenſi, quod cœlos aſcendebat, terram operiebat, inferos reſpergebat. exaudiendus pro reverentia tua clamas [h]; *Pater ignoſce illis,*

quia

Invicta Chriſti Charitas & miſericordia.

Chriſti patientia & benignitas tot adverſis, plagis, injuriis laceſſita, non ceſſit.

[f] Luc. 23. c

[g] Hier. 18. c

[h] Marc. 15.

quia nesciunt quid faciunt. O quàm multus es ad ignoscendum! ô quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! O quam longè cogitationes tuæ à cogitationibus nostris! ô quàm firmata est etiam super impios misericordia tua! Mira res. Ille clamat, *Ignosce*: Judæi, *Crucifige.* Molliti sunt sermones eius super oleum, & isti iunt jacula. O charitas patiens, sed & compatiens! Charitas patiens est, sufficit. Charitas benigna est, cumulus est. Noli vinci à malo; charitas abundans, sed vince in bono malum; superabundans est. Non enim sola patientia, sed & benignitas Dei ad pœnitentiam Judæos adduxit: quia *benigna* charitas, etiam quos tolerat, amat, & amat tam ardenter. *Patiens* charitas dissimulat, expectat, sustinet delinquentem: sed benigna trahit, adducit, converti facit ab errore viæ suæ: denique cooperit multitudinem peccatorum. O Judæi, lapides estis, sed lapidem percutitis molliorem, de quo resonat tinnitus pietatis, & ebullit oleum charitatis! Quomodo potabis Domine desiderantes de torrente voluptatis tuæ qui sic perfundis crucifigentes te oleo misericordiæ tuæ?

Lue. 23. *Ignitum Bernardi eloquiũ.*

Christi erga impios Iudæos, tortores suos, mira benignitas & patientia.

Patet igitur quia hæc passio potentissima est ad exhaurienda omnium genera peccatorum. Sed quis scit si data est mihi? Mihi data est, quia alteri dari non potuit. Nunquid Angelo? Sed ille non eguit. Nunquid diabolo? Sed ille non resurgit. Deniq; non in similitudinem Angelorum, absit autem ut in similitudinem dæmonum, sed *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo,* exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. Filius erat: & factus est tanquam servus. Non solum formam servi accepit, ut subesset: sed etiam servi, ut vapularet: & servi peccati, ut pœnam solveret, cum culpam non haberet. *In similitudinem,* inquit [i] *hominum,* non hominis: quia prius homo nec in carne peccati, nec in similitudine carnis peccati creatus est. Christus enim in universali hominum miseria pressiùs & profundiùs se immersit, ne subtilis ille diaboli oculus magnum hoc pietatis deprehenderet sacramentum. Ideo habitu & omni habitu inventus est, ut homo: nec in eo quantum ad naturæ debitum signum aliquod singularitatis apparuit. Quia enim inventus est, ideo crucifixus. Paucis autem revelavit seipsum, ut essent qui crederent: reliquis autem absconditus est: *quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* [k]. Ad hoc etiam illi singulari peccato ignorantiam copulavit, ut sub aliqua justitiæ umbra ignorantibus posset ignosci.

i Philip. 2.

k 1. Cor. 2. b

Duo autem nobis in hæreditatem reliquerat ille vetustus Adam qui fugit à facie Dei, laborem videlicet, & dolorem: *laborem* in actione, *dolorem* in passione. Non hoc ipse audierat in paradiso, quem acceperat ut operaretur, & custodiret illum. Operaretur delectabiliter, custodiret fideliter

Labor & dolor nobis ex peccato primi parentis adhærent.

fideliter & sibi & posteris suis. Christus Dominus laborem & dolorem considerauit, ut traderet eos in manus suas: imò se magis in manus eorum, infixus in limo profundi: & intraverunt aquæ istæ usque ad animam eius. *Vide* (ad Patrem inquit [l]) *humilitatem meam, & laborem meum*: quia *pauper ego sum, & in laboribus à juventute mea**. Laboravit sustinens, manus eius in laboribus servierunt. De dolore vide quid dixerit [m]: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus. Verè languores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portavit* [n], vir dolorum, pauper & dolens, tentatus per omnia absque peccato. Et in vita passivam habuit actionem, & in morte passionem activam sustinuit, dum salutem operaretur in medio terræ. Proinde memor ero quandiu fuero, laborum illorum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum eius, conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobationum, clavorum, horumque similium, quæ per eum & super eum abundantiùs transierunt. Facit ergo mihi fortitudo, facit similitudo, sed si accesserit etiam *Imitatio*, ut sequar vestigia eius. Alioquin etiam exquireretur à me sanguis justus, qui effusus est super terram, nec immunis ero ab illo tam singulari scelere Judæorum: quòd videlicet tantæ charitati ingratus fuerim; quòd spiritui gratiæ contumeliam fecerim: quòd sanguinem testamenti pollutum dixerim; quòd conculcaverim filium DEI.

[l] Psal. 24. d
* Psalm. 87.
[m] Thren. 1. d
[n] Esa. 53. b

Christus nos vicissim labore & dolore redemit.

Sunt plerique qui laborem & dolorem patiuntur; sed necessitas in causa est, non voluntas: & hi non sunt conformes imagini filii DEI. *Sunt* qui ex voluntate sustinent: sed non eis est sors neque pars in sermone isto. Vigilat tota nocte *luxuriosus*, non solùm patienter, sed & libenter ut suam expleat voluptatem: vigilat *raptor* vestitus ferro, ut diripiat prædam: vigilat *fur*, ut domum perfodiat alienam. Sed hi omnes & horum similes longè sunt à labore & dolore quem considerat Dominus. Homines autem bonæ voluntatis, qui Christiana voluntate divitias paupertate commutaverunt, vel etiam non habitas tanquam habitas contempserunt, relinquentes omnia propter ipsum, sicut & ipse reliquit omnia propter ipsos, sequuntur eum quocunque ierit. Huiusmodi autem imitatio validissimum argumentum mihi est, quòd Passio Salvatoris, & similitudo humanitatis in meam transeunt utilitatem. Hic enim sapor, hic fructus est & laboris & doloris.

Diversa hominum studia & labores.

Argumentũ passionis Christi in nobis fructificantis.

Vide ergo quam magnificaverit facere tecum illa maiestas. De omnibus quæ in cœlo & sub cœlo sunt, *dixit, & facta sunt* [o]. Et quid facilius

[o] Psal. 148.

facilius dictu ? Sed nunquid solo verbo factum est, cum te quem fecerat, refecit ? Triginta & tribus annis super terram visus, & cum hominibus conversatus, etiam habuit in factis calumniatores, in dictis insultatores, non habens ubi caput suum reclinaret. Quare hoc? Quia Verbum à suа subtilitate descenderat, & grossius acceperat indumentum. Nam *caro factum* fuerat, & ideò grossiori & morosiori opere utebatur. Sicut autem cogitatio vestit sibi vocem corpoream absque sui diminutione, vel ante vocem, vel post vocem : sic Filius Dei assumpsit carnem, non commixtionem passus neque diminutionem, nec ante carnem, nec post carnem. Apud Patrem invisibilis, sed hic manus nostræ tractaverunt de verbo vitæ : & quod erat ab initio, vidimus oculis nostris. Hoc autem Verbum quia carnem purissimam & animam sanctissimam unierat sibi, liberè moderabatur actiones corporis sui, tum quia sapientia & justitia erat ; tum quia nullum habebat prorsus legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Meum verbum nec sapientia nec justitia est, sed tamen utriusque capax, & possunt ei hæc abesse & adesse : abesse autem faciliùs. Familiare enim magis jam nobis est carnis nostræ servire vitiis, quàm actiones & passiones eius ordinare : pro eo quod omnis ætas ab adolescentia prona est in malum, inter flagella quoque & gladios, etiam sub discrimine mortis, ad suas ambiens voluptates.

Opus Redemptionis quam arduum.

Christi libertas in moderandis actionibus corporis sui.

Felix, cuius cogitatio, (hoc est verbum nostrum) omnes actiones suas ad justitiam dirigit, ut & intentio sana sit, & operatio recta. Felix, qui passiones corporis sui propter justitiam ordinat, ut quicquid patitur, propter Dei filium patiatur ; quatenus & à corde tollatur murmuratio, & in ore versetur gratiarum actio, & vox laudis. Qui sic extulit se ; iste tollit grabatum suum, & vadit in domum suam. Grabatum nostrum corpus est, in quo prius languidi jacebamus, servientes desideriis & concupiscentiis nostris. Nunc portamus illud, cum spiritui obedire cogimus : & mortuum nostrum portamus ; quia corpus mortuum est propter peccatum. Ambulamus tamen, non currimus : quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensuum multa cogitantem* [p]. Ambulamus etiam in domum nostram. In quam domum? In matrem omnium, quia *sepulchra eorum domus illorum in æternum* [q]. Vel potius in domum nostram, quam *habemus ex Deo non manufactam, æternam in cœlis* [r]. Quid sub hoc onere ambulamus, posito eo quid putatis quomodò curremus? quomodo vocabimus? Planè super pennas ventorum. Amplexatus est nos Dominus JESUS per laborem & dolorem nostrum. Amplectamur eum nos quoque vicariis quibusdam amplexibus propter justitiam & ad justitiam suam ; actiones ad justitiam

p Sap. 9. d
q Psal. 48.
r 2. Cor. 5.

dirigendo, passiones propter justitiam sustinendo. Dicamus quoq; cum Sponsa [f] : *Tenui eum, nec dimittam.* Dicamus etiam cum Patriarcha: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* [t] . Quid enim jam supereſt nisi benedictio? Quid post amplexum, nisi osculum restat? Si sic adhærerem DEO, quomodo non jam clamare liberet [u] : *Osculetur me osculo oris sui*? Ciba nos interim Domine lacrymarum pane, & potum da nobis in lacrymis in mensura: donec perducas nos ad mensuram bonam & confertam & coagitatam, quam dabis in sinus nostros, qui es in sinu Patris super omnia benedictus DEUS in sæcula, AMEN.

[f] Cant. 3.
[t] Gen. 32. f

[u] Cant. 1. a

IN COENA DOMINI;

De Baptismo; Sacramento Altaris; & ablutione pedum.

Sermo I.

Sanctitas horum dierum.

HI sunt dies quos observare debemus: dies pleni pietate & gratia, quibus etiam sceleratorum hominum mentes ad pœnitentiam provocantur. Tanta siquidem est vis sacramentorum eorum quæ diebus istis recoluntur, ut possint ipsa quoque lapidea scindere corda, & pectus omne licet ferreum emollire sufficiant. Denique videmus usque hodie ad passionem Christi non modò cœlestia compati, sed terram moveri, & petras scindi, & in confessionem peccatorum aperiri monumenta. At verò quoniam sic est in spiritualibus cibis, sicut & in corporalibus, ut in quibusdam statim præsto sit sapor, in aliquibus oporteat laborare: quæ manifesta sunt, nostro non indigent ministerio: quæ verò clausa sunt, diligentem volunt habere consideratorem. Neque enim tradit mater parvulo nucem integram, sed frangit eam, & nucleum porrigit. Sic & ego vobis, fratres charissimi, si possem, sacramenta quæ clausa sunt, aperire debueram: sed quia minus possum, rogemus ut vobis pariter & mihi mater Sapientia frangat nuces istas, nuces, inquam, quas protulit sacerdotalis virga virtutis, quam emisit Dominus ex Sion. Multa quidem sunt sacramenta, & scrutandis omnibus hora non sufficit. Fortassis etiam aliqui vestrûm imbecilles sunt ad tanta simul capienda. De tribus itaque sacramentis * quæ satis congrua sunt huic tempori, dicendum erit quod Dominus ipse donaverit.

*v. Notas.

Sacramentum quid.

Sacramentum dicitur sacrum signum, sive sacrum secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantum: alia verò propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa, & sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum: datur annulus absolutè propter annulum, & nulla est significatio: datur ad investiendum de hæreditate aliqua, & signum est: ita ut jam dicere possit qui accipit: Annulus non valet quicquam, sed hæreditas est

quam

quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse Baptismus initium Sacramentorum omnium; in quo conplantamur similitudini mortis eius: Unde & trina mersio, tridui, quod nunc celebrandum est, formam gerit. Sicut enim in exterioribus diversa sunt signa, ut cepto immoremur exemplo, variæ sunt investituræ secundum ea de quibus investimur: verbi gratia, investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum simul: sicut, inquam; in huiusmodi rebus est, sic & divisiones gratiarum diversis sunt traditæ Sacramentis. Quæ est gratia unde per Baptismum investimur? Utique purgatio delictorum. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus est mundus, & in quem peccatum non cadit, Deus? Huius quidem gratiæ sacramentum priùs erat Circunciſio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat à parentibus primis, cultellus eraderet: sed veniente Domino, qui Agnus est totus suavis & mitis, cuius jugum suave est, & onus leve, optime satis mutatum est, ut inveteratam rubiginem cum unctione sancti Spiritus aqua dilueret, & acerbitas illa cessaret.

Sacramenta quorsum instituta.

Quæ gratia Baptismi?

Circunciſio olim vice Baptismi.

Sed forte quærat aliquis, & dicat: Si deletum est in Baptismo quod contraximus à parentibus, cur adhuc manet cupiditatis fomes, & velut incentivum quoddam peccati? Neque enim dubium quin à primis parentibus in nos traducta sit lex ista peccati. Omnes siquidem in peccatrice voluptate generamur: propterea, licet inviti, illicitos quosdam motus concupiscentiarum, & tanquam bestiales sentimus. Dixi vobis sæpius nec mente excidere debet, quoniam in casu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem super acervum lapidum, & in luto: unde non solùm inquinati, sed etiam vulnerati & graviter quassati sumus. Lavari quidem citò possumus, ad sanandum verò opus est curatione multa. Lavamur igitur in Baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ: & gratia hæc nobis confertur, ne jam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus: atque ita tanquam sanies inveterati ulceris removetur, dum tollitur damnatio, & responsum mortis, quod prius inde manabat. Sed quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris huius ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis, sacramenti Dominici corporis & Sanguinis precioſi investituram habetis. Duo enim illud sacramentum operatur in nobis;

Cur deleto peccato originali fomes in homine remaneat.

Vis sacramẽti Eucharistiæ ad frangendos

motus concupiscentiæ.

in nobis : ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpè modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi : gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo : & gaudeat quòd pessimum ulcus accedat ad sanitatem.

Sed tamen quid agimus quod in hoc corpore peccati, & in hoc tempore malo non possumus esse sine peccato ? Nunquid desperabimus? Absit. *Si dixerimus* (ait Beatus Joannes [a]) *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis Deus est qui remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate* Nam ut de remissione quotidianorum minimè dubitemus, habemus eius sacramentum, pedum ablutionem. Quæris forte unde sciam quod sacramentum sit huius remissionis, maximè cum ipse Dominus promiserit Petro dicens [b] : *Quod ego facio, tu nescis modo : scies autem postea*, nihil autem de sacramento locutus est : sed tantum, *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut & vos ita faciatis.* Verùm multa habebat illis dicere, sed tunc portare non poterant. Ideoque nec ex toto voluit eos anxios & suspectos relinquere, nec dicere quod tunc non caperent. Vis autem nosse, quia pro sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende quod Petro dictum est : *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi & Dei. Vide enim si non expaverit Petrus ad tantæ comminationis terrificum verbum, si non agnoverit salutare esse mysterium, cum respondit : *Domine non tantùm pedes meos, sed & manus & caput.* Et unde scimus quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, & à quibus plenè cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat ? Ex eo planè, quod offerrenti manus & caput pariter ad abluendum responsum est : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Lotus est, qui gravia peccata non habet, cuius *caput*, id est, intentio, & *manus*, id est operatio & conversatio munda est: sed *pedes*, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plus quam oportet cedat animus vel ad horam. *In multis enim offendimus omnes* [c].

Lotio pedum peccatorum venialium denotat remissionem.

[a] 1. Ioan. 1. c

[b] Ioan. 13. a

Ioan. 13. b

[c] Iacob. 3. a

Veruntamen nemo contemnat, aut parvipendat. Impossibile est enim cum eis salvari, impossibile est ea dilui, nisi per Christum Jesum, & à Christo. Nemo, inquam, pernicioſa securitate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam (ut audi-

Peccata leviora non parvipendenda.

vit

vit Petrus ab ipso) nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo. Nec ideò tamen pro eis necesse est nimis esse sollicitos : ignoscet facilè, imò & libenter, si tantummodo nos agnoscamus. In huiusmodi namque quasi inevitabilibus & negligentia culpabilis est, & timor immoderatus. Hinc est quod in oratione, quam ipse constituit [d], quotidie pro peccatis illis voluit nos orare. Sicut enim de concupiscentia diximus, quod licet damnationem abstulerit, quia juxta Apostolum [e], *nulla damnatio est his, qui sunt in Christo Iesu*: tamen ad humiliandos nos ipsam adhuc patitur vivere in nobis, & graviter affligere nos, ut sentiamus quid nobis gratia præstet, & semper ad illius auxilium recurramus : sic & de minoribus istis peccatis pia dispensatione nobiscum agitur, ut non penitus auferantur, sed in illis nos erudiat DEUS, ut cum minima cavere non possumus, certi simus quod non nostris viribus maiora superemus : semperque timorati, & omnino solliciti simus quomodo eius gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter necessariam esse sentimus.

Nimia tamen anxietas cavenda.

d Luc. 11.

e Rom. 8. a

Concupiscentia cur etiamnum in nobis residua.

Cur minoribus quibusdã vitiis maneamus obnoxii?

IN COENA DOMINI.

Sermo II.

Sedisti ad mensam divitis, diligenter attende quæ apponuntur tibi, & scito quoniam talia oportet te præparare. Prov. 23. a. †.

† Ita legunt LXX. Et hæc huius loci lectio frequens est apud Patres.

IN verbis istis loquitur spiritus consilii voce suavi : sed & terribili. Vox suavis est, sed obedientibus : vox terroris contemnentibus. Recipientibus debentur præmia : rejicientibus intentantur supplicia. Vivent qui recipiunt, damnabuntur qui rejiciunt. *Sedisti*, inquit. Ecce principium huiusmodi verborum quantæ suavitatis præfert insigne ! Verba præcedentia suaviter sonant, affectum mulcent : & de sensuum ubertate mentem impinguant. Quæ autem sequuntur [b], id est, *scito, quoniam talia oportet te præparare* : dum intellectum quo plus exercent, plus terrent, de altitudine mysteriorum miro modo nos humiliant, sive propter indignitatem nostram, sive propter incapacitatem. *Dives* itaque & potentissimus ille, Dominus est virtutum, & ipse rex gloriæ : cui dicitur per Prophetam [c] : *ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* Ipse est qui aufert spiritum principum, terribilis apud reges terræ. *Mensa* ad quam residentes fideles epulaturi cum eo, Incarnatio ipsius est. *Parasti*, inquit, *in conspectu meo mensam*, id est, Incarnationis tuæ remedium, quod semper attendo & recogito, *adversus eos qui tribulant me* : ne morte antiquo prævaleant, qui misero & exuli insultare consueverant.

b Prov. 23. a

c Psal. 62. a

Porrò in mensa, & de mensa Incarnationis Dominicæ refectio acquiritur

Incarnatio Christi mensa divitis.

ritur opulenta. Regia quidem ibi sumuntur ferecula, & accuratiori arte diligentiùs præparata, delicioſa multùm ad saporem, solida ad nutrimentum: efficacia verò ad medicinam. *Primum* itaque ferculum, est *obedientia* filialis, tribus contexta funiculis, habens humilitatem in corde, patientiam in ore, perseverantiam in bono opere. Christus namque factus est obediens Patri. Unde & ipse dicit [d]: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Et in alio loco [e]: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, Patris.* Quæris de humilitate? Dominus omnium servuli forma indutus est: de paupercula Virgine natus est. Ideoque cum liber esset à lege, factus est sub lege, sine querela conversatus in lege. Cum publicanis & peccatoribus cibum sumpsit, discipulorum quos elegerat pedes lavit: hoc ab ortu suo usque ad finem vitæ satagens, ut sicut in Matre specialis & sine exemplo fuit virginitas, sic in Filio singularis & unica esset humilitas. Quod si de *patientia* quæritur, *sicut ovis ad occisionem ductus est, & propter iniquitates nostras vulneratus est: & cum iniquis deputatus est* [f]. Ut etenim invisibilis videretur à nobis, & immortalis moreretur pro nobis: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis* [g]. Habitavit hoc Verbum in nobis obumbratum carne, quam pro nobis assumpsit ex nobis, Verbum in carne, sol in nube, mel in cera, lumen in testa, cereus in lucerna. Sustinuit in assumpta carne incommoda nostra sine peccato carnis, portans in carne peccata nostra; & hoc totum non propter se, sed propter nos: ut redderet nos incolumes de infirmis, cohæredes de extraneis, liberos de servis. Si de *perseverantia* quæris: obediens fuit usque ad mortem. Obedientia, talaris est tunica, quam Joseph (quod sonat Accrescens vel Augmentum, id est, quilibet perfectus dono clementioris gratiæ, quæ est mater credentium) singulariter induit.

Secundum ferculum, est *paupertas spiritualis*, quam tria constituunt: depositio rerum & contemptus: vilitas & abjectio sui ipsius: abdicatio propriæ voluntatis in omnibus. Voluntaria ergo paupertas quæ sine possessione vel desiderio habetur: quantò expeditior est, tantò securior est. Custos & magistra est virtutum huiusmodi paupertas: sicut è contrario radix est vitiorum immoderata rerum affluentia. Expedit esse nudos, cum diabolo, qui nudus est, luctaturos. Nudus athleta fortiùs dimicat: natator exuitur, ut fluvium transeat: viator rejectis sarcinulis bene cursitat. Nobilis itaque titulus voluntariæ paupertatis, quam Christus docuit verbo, *Beati*, inquiens [h] *pauperes spiritu*, &c. Consecravit exemplo, nec enim habuit propriam domum in qua caput reclinaret, & in qua cum discipulis pascha manducaret: nec proprium habuit, unde tributum solveret. Commendavit eam etiam ore prophetico dicens: *Ego*

vir

Fercula mensæ varia:
1. Christi obedientia; *quæ constat*
d Ioan. 5. b
e Ioan. 4. c
Humilitate,

patientiâ,
f Isa. 53. c

g Ioan. 1. b

Et perseverantiâ.

Alterum ferculum mensæ Domin. Incarn.
Paupertas Spiritus.
Ad hanc pertinent
1 *Contemptus terrenorum.*
h Matt. 5. a

vir videns paupertatem meam. Huius paupertatis exemplum primi post Christum Apostoli ediderunt, quando in primitiva Ecclesia multitudinis credentium erat cor unum & anima una, & omnia communia [k]. Hæc religiosis Apostolorum sequacibus indicta est. Paupertas ista quæ nec habet, nec habere desiderat, lateralem adjunctam sibi quærit paupertatem, videlicet superbiæ latentis contritionem: ut qui membrum DEI est, pauper sit spiritu, id est humilia & abiecta de seipso sentiat & judicet. Non applaudat sibi, non infletur de meritorum eminentia, nec aliis insultet: quod Christus tenuit & servavit præ omnibus: unde & ad discipulos dicebat [l]: *Cum feceritis hæc omnia, dicite quia servi inutiles sumus.* Tertiò religiosus sit pauper spiritu, nihil unquam ex propria faciens voluntate: sed in omnibus & per omnia jugo mancipatus obedientiæ. Hæc sunt tria quæ præmisimus veræ religionis insignia, quæ hominem Deo & Angelis reddunt conformem, cœlestis patriæ civem conscribunt & hæredem.

i Thren. 3. b

k Actor. 4. f

2. *Despicientia seu humiliatio sui.*

l Luc. 17. c

3. *Abdicatio propriæ voluntatis.*

Tria Religiosorum insignia.

Tertium ferculum, est mors Christi reverenda: præ omnibus sacramentis affectuosa. In hoc enim sacramento pietas magis enituit, gratia plus refulsit, charitas ampliùs radiavit. Ad mortem Christi tria præcipuè respiciunt, non sine timore, non sine lachrymis & gemitu prosequenda: injuriarum multiformium illatio: manuum ac pedum in cruce confixio: sepulchri ac sepulti sub militum excubiis observatio.

Tertium ferculum mensæ Domin.

Mors Christi.

Ad hanc tria referuntur.

Porrò *sedere* duo significat: potestatem judiciariam & subjectionem voluntariam. Habes ad manum exempla congrua de utroque. *Sede à dextris meis* [m]: & illud [n] *Vidi Dominum sedentem*: atque illud [o]: *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ*, signa sunt judiciariæ potestatis. Cæterum ipsa Scriptura clamat [p]: *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Et illud: *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus* [q]: & illud Christi ad discipulos [r]: *Sedete hic donec orem*: verba sunt debitæ subiectionis. Christo igitur adhuc orante, nequaquam surgere debemus per aliquam extollentiam, sed humiliari & in bonis exercitari operibus convenit: ut quandoq; post laborum, quibus hic afficimur, tolerantiam, surgamus loco & tempore suo promovēdi ad cœlestē gloriam.

Sedere variè accipitur.

m Psal. 109. a

n Esai. 8. a

o Matt. 19. c

p Psal. 126. a

q Psal. 136. a

r Marc. 14. f

Tu itaq; qui sedes ad mensam divitis, ferculis quæ præmisimus appositis teipsum subjiciens & humilians Incarnationis Dominicæ sacramento, non negligenter, sed *diligenter attende quæ apponuntur tibi.* Attende, inquam, ut discas in referendo gratiam non esse tardus aut segnis: ut discas ad singula dona agere gratias. Attende, inquam, ut nulla Dei munera debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non modica. Denique jubemur colligere fragmenta ne pereant, id est,

Beneficia Passionis Christi grato animo recolenda.

nec minima beneficia obliviſci. *Nunquam non perit quod datur ingrato. Terribile eſt quod ſequitur, quia oneroſum, & quaſi impoſſibile videtur. Sed quibus? Mollibus, effœminatis, ignavis. In quibus libertate pernicioſa, ruptis habenis continentiæ eunt quò volunt ebriæ concupiſcentiæ, temulentique affectus, dum poſt carnem carnaliùs evagantur: dum mundum ſupra modum ambiunt & ſequuntur. Sed quid eſt illud quod terribile judicant? Hoc eſt, *quoniam talia oportet te præparare*: Nota, *quoniam*, compatiendo, commoriendo & conſepeliendo te ipſum, & cætera. Dignum eſt enim & tibi multum expedit, compati, commori, conſepeliri paſſo, mortuo, & ſepulto. Ad hoc enim facta ſunt hujuſmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Chriſtiani. Qui enim tanquam membrum Chriſti dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. Nam propter crucem piis dictum eſt [f]: *Qui ſunt Chriſti Ieſu, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* propter ſepulturam dictũ eſt, *Conſepulti ſumus cum Chriſto* [t], &c.

Ingratitudinis damna.

Chriſti geſtis vita Chriſtiani conformanda.

[f] Gal. 5. d
[t] Rom. 6. a

Et ideo ut validius compungamur, ut amplius moveamur, & curramus per omnia, revolvamus ſingula contexendo reſticulum, connexendo funiculum, connectendo faſciculum: de omnibus & ſingulis quæ facta referuntur, de humili Dei Filio, de ſummo Patris Unigenito, de Redemptore piiſſimo, de amantiſſimo fratre noſtro. Occurrat itaque ſpiritualiter & ingerat ſe ipſum cordibus noſtris Dominus Chriſtus, proditus & venditus à diſcipulo, à Judæis tanquam vile mancipium, pretio ſatis exiguo comparatus, captus, tractus & ligatus, tanquam homo ſine adjutorio: ſciſſo etiam verberibus dorſo, vellicatis genis, facie ſputis illita, puncto vepribus capite, ſaucio latere, terebratis palmis pedibuſque confoſſis: qui tanquam jugulatori ſuo alludens, ſeipſum non reluctans expoſuit, & nudum corpus quaſi incudem malleatorum ictibus patienter explicuit: dum pro nobis per huius vitæ pelagus ad patriam de exilio transferendis, rapacibus piratis naulum propriæ mortis exolvit. Sed nec prætermittam myrrham qua in cruce potatus eſt: ſed neque illam qua unctus eſt in ſepulturam. Quarum in prima ſibi applicuit meorum amaritudinem peccatorum: in ſecunda futuram mei corporis incorruptionem dedicavit. Hoc eſt celeberrimum & regale convivium, in quo Juſti epulantur & exultant in conſpectu Dei, aut delectantur in lætitia.

Chriſti patientis ſpecies & habitus.

Convivium paſſionis Domini.

Præter hæc omnia dulce pigmentum apponitur invitatis ad lætificandum de Cyprio vino, & preciosis & peregrinis, quia nobis adhuc inexpertis ſpeciebus conditum. *Botrus*, inquit [u], *Cypri, dilectus meus mihi.* Præmiſſum erat in proximiore verſiculo, *faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, ſcilicet Chriſtus ſecundùm carnem. Botrus verò Cypri Chriſtus

Pigmenta ſeu bellaria menſæ Chriſti.

[u] Cant. 1.

eſt

est secundùm deitatem? fasciculus Myrrhæ Christus in passione. Botrus Cypri, Christus in Resurrectione: fasciculus myrrhæ, grando & tonitru Judaicæ tempestatis. Botrus Cypri destructio totius adversariæ potestatis; fasciculus myrrhæ, multitudo afflictionum. Botrus Cypri, abundantia gaudiorum: illinc amaricans, istinc inebrians.

Sed non est prætereundum quod dicitur [x], *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera commorabitur.* Ibi enim est cor. Et ubi est cor: ibi dilectio, & ubi dilectio, ibi dilecti mansio. Novit autem quicunque rectè sapit, quantum Christianæ pietati expediat, quantum Dei servum deceat sacrosanctæ passionis ipsius fideliùs recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, ad recondendum plenius per imitationem in memoria: quod est spiritualiter manducare Corpus Domini, & Sanguinem eius bibere, ob amorem & reverentiam eius, qui credentibus in se præcipit dicens [y]: *Hoc facite in meam commemorationem.* In quo etiam quàm impium sit hominem tantæ pietatis Dei esse immemorem, palam est omnibus: cum amici morientis vel peregrè proficiscentis commendatam sibi sub aliquo signo memoriam nefas sit obliviscì. Siquidem huius reverendæ commemorationis mysterium, suo modo, suo tempore, suo loco celebrare licet paucis hominibus, quibus & hoc traditum est mysterium. Rem verò mysterii omni tempore & in omni loco dominationis Dei modo quo traditum est, id est, debitæ pietatis affectu, & sanctæ imitationis affectu agere, tractare & sumere in salutem cunctis fidelibus in promptu est. Nam & sacramentum sicut accipit ad vitam dignus: sic ad judicium & mortem propriam indignus. Sacramentum enim sine re sacramenti, mors est sumenti. Res verò sacramenti etiam præter sacramentum, vita æterna est accipienti. Quoties in commemorationem eius qui pro te passus est, piè ac fideliter Christum imitando fueris affectus & devotus, corpus eius manducas, & sanguinem eius bibis: & quandiu in eo manes per amorem, ipse verò in te per justitiæ & sanctitatis operationem, in eius corpore & in membris eius computaberis. Et ideo si amas animam tuam, propter Christum perdere debes eam, sive ponendo ut martyr, si necessitas exegerit; sive affligendo districtiùs ut pœnitens: quanquam & genus martyrii sit spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitiùs, diuturnitate autem molestiùs. Habeamus ergo eorum quæ contemptibilia Christo sunt illata, continuam & indesinentem memoriam: non utique ociosam, non tepidam, non torpentem: sed compassionis ardore super omnia plurimùm delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem. Unde Propheta [z] *Delectare in Domino*, inquit, ut spreta mundi vi-

Meditatio Passionis Domin. quam expediens pietati Christianæ.

Mysterium passionis dominicæ quomodo spiritualiter sæpissimè tractandum.

Quid spiritualiter manducare corp. & bib. sanguinem Dom.

Mortificatio carnis instar martyrii.

x Ibidem.

y 1. Cor. 11. c

z Psal. 36. a

tiorum omnium jucunditate suavior eius recordatio sit: *& dabit tibi petitiones cordis tui*, non carnis.

Species unde constat pigmentum regalis convivii,

Porrò tres sunt species de quibus conficitur pigmentum, quod ad regalis convivii festinam exhilarationem apponitur: triumphalis reditus ab inferis: gloria resurrectionis: confessus ad dexteram Dei Patris. Cibi prædicti confortant: ista verò tria lætificant. Convivantes & invitati in tempore gratiæ præ cæteris Apostoli & Martyres esse creduntur, qui in fortitudine cœlesti & spirituali exultatione non ingrati vel immemores exhibiti à Christo convivii, retribuunt & offerunt de seipsis qualia acceperunt. In desiderio & in agone isto sudant, currunt & laborant: quos elegit Deus ut seipsos hostiam vivam & Deo acceptam exhibeant. Et utinam Christus nobis indulgeat quantulacunque bonorum operum executione, illorum vestigia humiliter adorare; qui est Deus benedictus in sæcula, AMEN.

SERMO SEU MEDITATIO

In Vitam & Passionem Domini.

Beneficia Christi morte nobis sollata.

JESUM Nazarenum à Judæis innocenter condemnatum, à Gentibus crucifixum, Christiani divinis honoremus obsequiis. Salvatoris infirma nos qui Christiani sumus, reverenter venerari, amanter amplecti, fortiter imitari, dignum est, salubre, & honorificum. Hæc enim sunt instrumenta fortissima in quibus omnipotens virtus & investigabilis sapientia Dei, restaurationem mundi potenter atque mirificè operata est, & usque modo operatus Christus Dominus minoratus est ab Angelis, ut nos æquaret Angelis. Et quis propter Christum non se humiliet? Christus Dominus pro peccatis nostris crucifixus est, & crucem amaram suis amatoribus dulcoravit. Mortuus est, & mortem necavit, ut viveremus per illum. Et quis non amet Christum Dominum? Quis non patiatur pro Christo? Christus per crucis ignominiam ad supernæ claritatis gloriam transit, & data est ei pro sua reverentia à Deo Patre omnis potestas in cœlo & in terra, ut adorent eum omnes Angeli Dei, & in nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Ubi est gloriatio tua, ô Christiane, nisi in nomine crucifixi Domini Dei tui, & in Christi nomine quod est super omne nomen, in quo qui benedictus est super terram benedicetur? Gloriamini in nomine Filii redemptoris, &

Gloria Christiani in nomine Christi.

date honorem illi Salvatori nostro, qui magna fecit in nobis, & magnificate nomen eius mecum, dicentes.

Adoremus te Christe rex Israel, pariter & gentium, Princeps regum, terræ Dominus, Deus Sabaoth, Virtus omnipotentis Dei fortissima.

Adora-

Adoramus te precioſum pretium redemptionis noſtræ, Hoſtiam pacificam, qui ſola odoris tui ſuavitate inæſtimabili Patrem qui in altis habitat, ad reſpiciendum humilia inclinaſti, & filiis ita placabilem reddidiſti. Tuas Chriſte miſerationes prædicamus; tuæ ſuavitatis memoriam cum abundantia eructamus. Tibi Chriſte ſacrificium laudis immolamus pro multitudine bonitatis tuæ, quam oſtendiſti nobis ſemini nequam, filiis ſceleratis & perditis. Cum adhuc inimici tui eſſemus Domine, & mors iniqua in omnem carnem exerceret dominium, cui omne ſemen Adam erat obnoxium lege primordialis culpæ: recordatus es verbi miſericordiæ tuæ, & proſpexiſti ex ſublimi habitatione tua in hanc vallem plorationis noſtræ & miſeriæ. Vidiſti afflictionem populi tui & tactus dulcore charitatis intrinſecus, appoſuiſti cogitare ſuper nos cogitationes pacis & redemptionis. *Chriſti miſerationes prædicandæ.*

Et quidem cum eſſes Filius Dei, Deus verus, Deo Patri, ſanctoque Spiritui coæternus & conſubſtantialis, lucem habitans inacceſſibilem, portanſque omnia verbo virtutis tuæ: non deſpexiſti in hoc noſtræ mortalitatis ergaſtulum altitudinem tuam inclinare, ubi noſtram & guſtares, & abſorberes miſeriam, noſque reparares ad gloriam. Parum fuit charitati tuæ ad conſummandum opus noſtræ ſalutis, Cherubim aut Seraphim, aut unum ex Angelis deſtinare: ipſe venire ad nos dignatus es per mandatum Patris, cuius nimiam charitatem experti ſumus in te. Veniſti, inquam, non locum mutando, ſed præſentiam tuam nobis per carnem exhibendo. Veniſti à regali ſolio ſublimis gloriæ tuæ in humilem & abjectam in oculis ſuis puellam pio virginalis continentiæ voto ſigillatam, in cuius ſacro utero ſola Spiritus ſancti inenarrabilis virtus te concipi fecit, & naſci in veræ humilitatis natura: ita ut nec divinitatis in te majeſtatem, nec virginitatis integritatem in Matre violaret nativitatis occaſio. O amanda, ô admiranda dignatio! Deus immenſæ gloriæ, vermis contemptibilis fieri non deſpexiſti. Deus omnium, conſervus ſervorum apparere voluiſti. Parum tibi viſum eſt Patrem te nobis eſſe & Dominum, frater noſter eſſe dignatus es. Et tu Domine univerſorum, qui nullam habes indigentiam, intra ipſa nativitatis tuæ initia non abhorruiſti abjectiſſimæ paupertatis deguſtare incommoda. Ut enim ait Scriptura, Tibi cum naſcereris, *non erat locus in diverſorio*: neque cunabula, quæ teneritudinem tuam exciperent, habuiſti: ſed ſed in vili præſepio ſordentis ſtabuli, tu qui terram palmo concludis, involutus panniculis reclinatus es. Et hoc ipſum à brutis animalibus Mater tua mutuo accepit. Conſolamini, qui in ſordibus paupertatis enutrimini, quia vobiſcum DEUS in paupertate. Non cubat in deliciis ſplendidi cubiculi, *Chriſti humilitas in Incarnatione.* *Chriſti in Nativitate paupertas.* Luc. 2. *Doceat nos tenera deſpicere.*

nec invenitur in terra suaviter viventium. Quid ultra gloriaris ô dives, lutea res in volutabro lecti picti & delicati, cum Rex regum recubitu suo pauperum stramenta honestare maluerit ? Quid dura stramenta detestaris, cum tener infantulus, in cuius manu sunt omnia, tuis sericis, tuis plumis duras jumentorum stipulas præelegerit ?

Sed hæc tenella tua, Christe, infantia à persecutorum gladiis tuta non fuit. Adhuc enim inter dulcia Matris ubera sugens dependebas, quando apparuit Angelus in somnis Joseph, dicens : *Surge, & accipe Puerum & Matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, usquedum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Jam ex tunc, bone JESU, dura pati cœpisti. Nec solum illam infantiæ tuæ vexationem in teipso pertulisti, sed mortem in pusillis tuis, quorum multa millia inter mammillas matrum pro te, Herodis trucidavit immanitas.

a Matth. 2. *Persecutio & fuga Christi in Ægyptum.*

Infantia verò teneriori decursa, humiliter veritatis nobis exemplum tribuisti. Non enim sedisti cum consilio vanitatum, sed in medio doctorum, interrogans & audiens illos, cum tamen Dominus scientiarum esses atque sapientia Dei Patris. Sed & obedientiæ nobis formam tribuisti, dum parentum imperio tu imperator mundi humiliter subditus extitisti. At ubi robustioris ætatis plenitudo advenit, missurus manus ad fortia, egressus es in salutem populi tui ut gigas magnificus ad currendam viam totius nostræ miseriæ.

Christus duodennis in templo inter Doctores.

Christus Parentibus subditus.

Et quidem ut per omnia te primum fratribus adsimilares, servum tuum baptizantem peccatores in pœnitentiam, tanquam peccator adisti, baptizari te postulasti innocens Agne Dei, quem nulla peccati stilla unquam maculavit. Baptizatus autem non te in aquis, sed aquas in te sanctificas, ut per eas sanctificares nos. De baptismo in desertum in spiritu fortitudinis egressus es, ut vitæ solitariæ in te non deesset exemplum. Solitudinem ac jeiunium quadraginta dierum, famis acerbitatem, tentamenta & illusiones spiritus æquanimiter tolerasti, ut hæc omnia nobis tolerabilia efficeres. Demum venisti ad oves quæ perierant domus Israel, divini verbi lampadem extollens palam ad illuminationem orbis terræ, & regnum Dei cunctis annuncians obtemperantibus verbo, sermonem sequentibus signis confirmasti, virtutem divinitatis in cunctis ostendisti, malè habentibus, & omnia omnibus gentibus gratis exhibens, quæ saluti peccatorum congruerent, ut omnes lucrifaceres. Sed obscuratum est insipiens cor eorum Domine, & proiecerunt sermones tuos retrorsum, neque attenderunt ad omnia mirabilia tua Domine quæ operatus es in eis, exceptis perpaucis nobilibus Athletis, quos inter infirma mundi elegisti & abiecta, ut per ipsos fortia & alta mirificè expugnares. Nec solùm ingrati

A Ioanne baptizatur.

In deserto ieiunans, tentatur.

Prædicans, & docens varia passim signa edit.

grati gratuitis beneficiis tuis extitê re, sed contumeliis affecerunt te Domine dominantium, & fecerunt tibi quæcunque voluerunt. Te enim faciente opera DEI, quæ nemo alius fecit, quid dixerunt? *Non est hic homo à DEO, in principe dæmoniorum ejicit dæmonia, dæmonium habet, seducit turbas, vorax est, potator vini, & amicus publicanorum & peccatorum.* Quid fles, quid suspiras, ô homo, dum sustines verborum injurias? Non audis quanta adversus Dominum Deum tuum ceciderunt opprobria propter te? Si Patremfamilias, Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius? Sed hæc quidem & similia blasphemantes, & aliquoties te lapidibus impetentes, JESU bone, patienter sustinuisti, & factus es coram eis sicut homo non audiens, & in ore non habèns redargutiones.

Christus ab impiis innumeras patitur calumnias. Et Christianus erit immunis?

Novissimè justum sanguinem tuum à discipulo tuo, filio perditionis traditum triginta argenteis appreciati sunt, ut præcipitarent animam tuam in morte sine causa. Et te quidem perditissimi traditoris tui perfidia non latebat, quando in cœna ablutionis etiam coram ipso genuflexus procumbens, maledictos pedes eius, veloces ad effundendum sanguinem tuum, sanctissimis manibus tuis attrectare, lavare & extergere dignatus es. Cur autem adhuc extento collo ambulas ô terra & cinis? Adhuc te superbia elevat? Adhuc te impatientia exagitat? Intuere humilitatis & mansuetudinis Dominum JESUM, universæ creaturæ factorem, tremendum Judicem vivorum & mortuorum, ante pedes hominis & traditoris sua genua incurvantem. Disce quia mitis est & humilis corde, & confundere in superbia tua, & erubesce in patientia sua. Hoc quoque erat mansuetudinis tuæ Domine, perfidum illum in cœtu fratrum detegere, & palam confundere noluisti, leviter admodum accelerare jussisti quod parabat. In omnibus his non est aversus furor eius à te, sed egressus foras satagebat circa frequens maleficium. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? In deliciis paradisi glorioſus apparuisti: civium cœli socius, & Verbi divini conviva, quomodo reputatus es inter filios tenebrarum? Qui nutriebaris in croceis, cur amplexatus es stercora? Tunc clarificata est familia tua Christe, exeunte immundo de cœtu societatis angelicæ. Tunc demum divini eloquii uberrima inundatione felix ille conventus potatus est, ejecto quem huiusmodi limpidi liquoris infusione sciebas indignum.

Christi ludam lavantis mira humilitas, & mansuetudo.

Judæ perfidia & obstinatio.

Dato autem charitatis & patientiæ salutari mandato, & dispositio fratribus regno Patris tui, ad locum proditori tuo notum cum illis divertisti, sciens omnia quæ ventura erant super te. Ibi animæ tuæ tristitiam quam ex imminente passione tua sponte assumpsisti, sicut & cætera quæ passus es, in auribus fratrum non erubuisti profiteri, dicens tunc [b]: *Tristis est ani-*

Christus in horto orans, & tristis.

[b] Matt. 14.

est anima mea usque ad mortem. Positis quoque in terra genibus procidisti in faciem, orans in agonia, & dicens: *Mi pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Et angustias quidem cordis tui certissimè indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de carne tua sanctissima guttatim decurrebat in terram. Dominator Domine Jesu, unde tua hæc tam anxia supplicatio? Nonne voluntariè omnino Patri sacrificium obtulisti? Utique Domine. Arbitramur autem quod hoc ad consolationem infirmorum membrorum tuorum assumpsisti, ne forte desperet quis si caro infirma remurmurat: ubi ad passionem promptus est spiritus. Nimirum ut majoris erga te amoris & gratitudinis stimulos habeamus, naturalem carnis infirmitatem his indiciis in te expressisti, quibus doceremur quia verè languores nostros portasti, & non absque sensu doloris passionum sentes percurristi. Vox enim illa vox esse carnis videtur, non spiritus, ex eo quod subiunxisti: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Christi mœror & sudor sanguineus.

Ad nostram cedit consolationem.

Quòd promptus enim ad passionem fuerit spiritus, evidenter ostendisti, quando venientibus unà cum proditore tuo viris sanguinum, & quærentibus animam tuam cum laternis, & facibus, & armis per noctem, ultrò occurristi, & ne quid acciperent à duce flagitii, teipsum manifestasti. Nam accedentem ad osculum sanctissimi oris tui trucem bestiam aversatus non es, sed os in quo dolus inventus non est, ori quod abundavit malitia, dulciter applicuisti. Innocens Agne Dei, quid tibi & lupo illi? Quæ conventio tui ad Belial? Sed & hoc benignitatis tuæ Domine fuit, ut omnia illa exhiberes quæ pravi cordis pertinaciam emollire possent. Nam & veteris amicitiæ non immemor illum commonuisti, dicens: *Amice, ad quid venisti?* Atque horrore sceleris sui cor impii ferire voluisti, cum dixisti: *Juda, osculo filium hominis tradis?* Et ecce Philistæi super te Samson. Non illos à te absterruit, quòd in hora apprehensionis tuæ omnipotenti brachio tuo terræ eos allisisti, non quidem defensionis causa, sed ut cognosceret humana præsumptio nihil se posse adversus te, nisi quantum permitteretur à te.

Christus spontaneus ad Passionẽ & mortem ivit.

Non aversatur osculum Judæ.

Et quis audiat sine gemitu qualiter homicidas manus in illa hora in te iniecerunt, & innocentes manus tuas, JESU bone, vinculis adstringentes, te Agnum mansuetissimum nihil loquentem adinstar latronis contumeliosè traxerunt ad victimam? Et nec tunc misericordiam effundere super inimicos tuos, & distillare favum dulcedinis tuæ Christe cessasti, ac defensoris tui zelum à læsione trahentium te compescuisti. Maledictus furor eorum, quia pertinax, quem nec maiestas miraculi, nec pietas beneficii potuit confringere. Concilio malignantium adversum te Pontificum præsentatus es, & veritatem prout oportuit confessus, quasi de blasphe-

Christus capitur & ligatur.

Sistitur Concilio sacerdotum.

blasphemia adiudicatus es morti. Amantissime Domine, quanta illic indigna à propria gente pertulisti? Vultum tuum desiderabilem, in quem desiderant Angeli prospicere, qui omnes cœlos adimplevit lætitia, quem deprecabuntur omnes divites plebis, polluti labiis suo sputo coinquinaverunt, sacrilegis manibus suis ceciderunt, velo in derisum operuerunt, & te Dominum universæ creaturæ tanquam servum contemptibilem colaphizaverunt. Adhuc autem animam tuam incircuncisæ carni deglutiendam tradiderunt. *Conspuitur & colaphizatur.*

Vinctum siquidem ante faciem Pilati perduxerunt, postulantes crucis supplicio te interimi, qui peccatum non noveras, & virum homicidam dari sibi, Agnum lupo, aurum luto postponentes. O indignum & infœlix commercium! Et quidem nec ignorabat impius ille per invidiam hæc in te fieri, nec tamen abstinuit à te temerarias manus, sed replevit animam tuam amaritudine sine causa. Illusum recepit, in conspectu illusorum astare te jussit, nec pepercit amarissimis verberibus virgineam carnem tuam divellere, plagis plagas, livores livoribus crudeliter infligere. Electe puer Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? Prorsus nihil. Ego, ego homo perditus, totius perditionis tuæ causa extiti. Ego Domine, uvam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt: quia quæ non rapuisti, tunc exolvebas. In omnibus his non est satiata perfidorum Judæorum impietas. *Pilato præsentatur.* *Flagellatur.*

Novissimè autem incircuncisorum militum manibus devolutus es morte turpissima consumendus. Parum erat sacrilegis illis crucifigere te, nisi priùs & ipsi illusionibus replevissent animam tuam. Quid enim ait de illis Scriptura? *Et congregaverunt ad eum universam cohortem. Et exuentes eum vestimentis suis, induerunt tunicam purpuream, & chlamydem coccineam circundederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & arundinem in dextera eius; & genu flexo illudebant ei, dicentes: Ave rex Iudæorum. Et dabant ei alapas, & expuentes in eum, accipiebant arundinem, & percutiebant caput eius. Et postquam illuserunt ei, induerunt eum vestimentis suis, ut crucifigerent bajulantem sibi crucem. Et perducunt eum in Golgotha, & vinum myrrhatum dabant ei bibere cum felle mixtum, & cum gustasset, noluit bibere: Tunc crucifixerunt eum, & cum eo duos latrones, hinc & hinc, medium autem Iesum. Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Postea sciens Iesus, quia consummata erant omnia, ut Scriptura impleretur, dixit: Sitio. Et currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere: Cum ergo accepisset acetum, dixit: Consummatum est. Et clamans voce magna, dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato ca-* *Christus illusionibus repletur.* c Matt. 27. Luc. 23.

pite emisit spiritum. Tunc unus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua in redemptionem nostræ salutis.

Christus coronatus, sed & cruciatus.

Expergiscere nunc anima, excutere de pulvere, & contemplare Virum hunc memorabilem, quem in speculo Evangelici sermonis quasi præsentem intueris. Attende Anima mea, quis est iste qui ingreditur habens imaginem quasi regis, & nihilominus servi despectissimi confusione repletus & coronatus incedit: sed ipsa etiam eius corona cruciatus est illi, & mille puncturis speciosum caput eius divulnerat. Regali purpura induitur, sed potius in ea despicitur, quàm honoretur. Sceptrum in manu gestat, sed eo ipso caput eius reverendum feritur. Adorant coram ipso positis in terra genibus, & regem clamant: & continuò sputis amabiles eius genas sublinunt, maxillam palmis & honorabile collum exhonorant. Vide anima mea qualiter vir iste per omnia conturbatur & spernitur, sub crucis onere dorsum incurvare videtur, & tuam ipse portare ignominiam. Ad locum deductus supplicii, myrrha potatur & felle, in cruce sublevatur, & dicit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Qualis est hic, quod in omnibus pressuris suis nec semel aperuit os suum, ut aut querelæ, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum adversus maledictos canes illos proferret? Sed novissimè verbum benedictionis super inimicos suos quale à sæculo non est auditum, effudit. Quid hoc viro mansuetius? quid benignius anima mea vidisti?

Crucem suam bajulat.

Orat in Cruce pro malefactoribus.

Adhuc autem attentius intuere, quàm grandi admiratione, & tenerrima compassione dignus apparet. Vide nudum & verberibus laceratum, in medio latronum crucis ignominiosæ ferreis clavis affixum, aceto in cruce potatum, & post mortem lancea in latere vulneratum, & copiosos sanguinis rivos ex quinque vulneribus manuum, pedum, & lateris effundentem. Fletus deducite oculi mei, & liquesce anima mea igne compassionis super contritione amabilis viri huius, quem in tanta amaritudine tot vides affectum doloribus.

In Cruce pendet inter latrones.

Et jam quidem infirma eius, Anima mea, vidisti, & miserta es: nunc maiestatem eius attende, & miraberis. Quid enim ait Scriptura [d]? *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. Et obscuratus est sol, & velum templi scissum est à summo usque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormiebant surrexerunt.* Qualis est hic, quia & cœlum & terra compatiuntur ei, cuius & mors mortuos vivificat? Cognosce anima mea, cognosce, hic est Dominus Deus noster, JESUS Christus Salvator tuus, unigenitus Dei filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub sole sine macula inventus est. Et ecce *cum scelera-*

[d] Matt. 27.

Prodigia in morte Christi.

tis

ratis quomodo *reputatus est* [e], *& quasi leprosus, novissimus virorum æstimatus: & tanquam abortivum quod projicitur à vulva*, sic projectus est ab utero matris suæ, infœlicis Synagogæ. Iste formosus præ filiis hominum, quàm deformis factus est! Hic vulneratus propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & factus in holocaustum suavissimi odoris in conspectu tuo, Pater æternæ gloriæ, ut averteres indignationem tuam à nobis, ut considère nos sibi faceret in cœlestibus. [e] Esa. 53.

Aspiratio ad Deum Patrem ob passionem Filii.

Respice Domine sancte Pater de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, & intuere hanc sanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus Dominus JESUS pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super multitudine malitiæ nostræ. Ecce vox sanguinis fratris nostri JESU clamat ad te de cruce. Quid enim Domine: quid pendet in ea? Pendet, quia præterita tanquam præsentia coram te sunt. Cognosce Pater tunicam veri filii tui Joseph. Heu *fera pessima devoravit eum* [f], & conculcavit in furore suo vestimentum eius, omnem decorem eius reliquiis cruoris inquinavit. Ecce quinque scissuras lamentabiles in ea reliquit. Hoc est Domine vestimentum quod in manu Ægyptiæ meretricis innocens puer tuus dereliquit, meliorem æstimans jacturam pallii, quàm pudicitiæ, magisque eligens spoliatus carnis pallio in carcerem mortis descendere, quàm pro mundi gloria adulterinæ voci acquiescere. Illi inquam voci quia dictum est [g]: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Quod utique esset, si dormiret cum adultera. [f] Genes. 39. [g] Matt. 4.

Christus iam in Cœlo gloriosus regnat.

Et nunc Domine Pater, scimus quia ipse Filius tuus vivit, & dominatur in tota terra Ægypti, & in omni loco dominationis tuæ. Eductus enim ad imperium tuum de carcere mortis & infernorum, & attonsus in immortalitatis coronam; mutata est veste carnis, immortalitatis decore refloruit, cum gloria suscepisti eum. Subjugavit enim sibi Pharaonis imperium, & cum triumpho nobili, virtute propria cœlos penetravit. Et ecce gloria & honore coronatus, in dextra maiestatis tuæ adsistit vultui tuo pro nobis. Caro enim & frater noster est. Respice Domine in faciem Christi tui, qui tibi usq; ad mortem obediens factus est: nec recedant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuũ, ut memineris quantum ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis. Utinam Domine appendas in statera peccata, quibus iram meruimus, & calamitatem quam pro nobis passus est innocens Filius tuus: certè gravior apparebit & magis digna, ut propter ipsam effundas super nos misericordiam tuam, quàm fuit illa ut pro peccatis nostris contineas in ira misericordias tuas. Gratias tibi Pater referat omnis lingua pro superabundantia bonitatis

Advocatus noster apud Patrem.

tuæ; qui unico Filio cordis tui non pepercisti : sed pro nobis omnibus illum tradidisti in mortem, ut eum tanquam fidelem Advocatum haberemus coram te in cœlis.

Aspiratio & gratiarũ Actio ad Christũ Salvatorem.

Et tibi Domine JESU fortissime zelotes, quid gratiarum retribuam, ut dignè retribuam ego homo pulvis & vile figmentum? Quid enim pro mea salute facere debuisti, & non fecisti? Ab imo pedis usque ad summum verticis te totum in aquas passionum demersisti, ut me totum extraheres de illis, & intraverunt usque ad animam tuam. Nam & animam tuam in mortẽ perdidisti, ut meam perditam mihi redderes. Et ecce me duplici debito obligasti. Nam & pro eo quod dedisti tuã, debitor tibi sum : & pro mea quidẽ anima, bis à te mihi data, semel in creatione & semel in redemptione, quid magis justè tibi reddã, quàm ipsam, non habeo. Pro tua autem preciosa anima ita contribulata quid ab homine dignè rependi possit, non invenio. Nam etsi cœlum & terram & omnem ornatum eorum pro ea possem rependere, certè nec sic usq; ad mensuram debiti ullatenus attingere possem. Ut autem ipsum quod & debeo, & possibile mihi est retribuam : tui Domine muneris est.

Adoratio Crucifixi, & instrumentorum Passionis.

Diligendus es, mi Domine, toto corde, tota anima, tota virtute, & tua mihi sequenda vestigia, qui pro me mori dignatus es. Et quomodo fiet istud in me nisi per te? Adhæreat anima mea post te : quia tota virtus eius pendet ex te. Et nunc Domine redemptor meus, te ut verum Deum adoro, in te confido, te spero, & quibus possum desideriis ad te suspiro, adjuva imperfectum meum. Ad tuæ passionis glorioſa insignia, in quibus salutem meam operatus es totum inclino. Tuæ victoriosæ crucis regale vexillum in nomine tuo Christe ædoro. Tuum spineum diadema, tuos rubentes sanguine clavos, tuo sacro lateri immersam lanceam, tua vulnera, tuum sanguinem, tuam mortem, tuam sepulturam, tuam glorioſam & victoriosam resurrectionem & glorificationem Christe supplex adoro & glorifico. Odor enim vitæ spirat mihi in omnibus his. Horum vivifico odore spiritum meum Domine à peccati morte resuscita. Horum virtute ab astutiis Satanæ me custodi, ac me conforta, ut jugum mandatorum tuorum suave mihi fiat, & onus crucis quod post te bajulare me jubes, humeris animæ meæ sit leve. Quæ est enim fortitudo mea, ut juxta præceptum tuum mundi pressuras tam multiplices invicto animo sustineam? Nunquid pedes mei tanquam cervorum, ut velocem cursorem per spinas & confragosa passionum consequi valeam?

Passionis Christi quomodo debeamus esse

Sed audi vocem meam, & inclina super servum tuum suavem crucem illam, quæ lignum vitæ est iis qui apprehendunt eam; ut spero, curram alacriter, portabo infatigabiliter eam quæ ab inimicis est crucem

post

post te. Illam, inquam, divinissimam crucem humeris meis impone, cuius latitudo est charitas, cuius longitudo est æternitas, cuius sublimitas est omnipotentia, cuius profundum est inscrutabilis sapientia. Confige illi manus meas & pedes meos: & totum passioni tuæ conforma servum tuum Domine. Da obsecro mihi continere ab operibus carnis quæ odisti, & facere justitiam quam dilexisti, & in utroque tuam quærere gloriam, & sinistram quidem meam clavo temperantiæ, dexteram verò clavo justitiæ in illā sublimi cruce fixas arbitror. Da menti meæ jugiter meditari in lege tua, & omnem cogitatum meum jactare in te, & dextrum pedem eidem ligno vitæ clavo prudentiæ affige. Da ut sinistram spiritus mei sensualitatem non enervet labentis vitæ infelix fœlicitas, non conturbet præsentis vitæ infœlicitas, felix & sinister quoque meus fortitudinis clavo in cruce tenebitur.

Socii ut simus & consolationis.

Qualis Crux Christiani.

Ut autem aliqua similitudo spinarum capitis tui in me appareat, detur obsecro menti meæ & salutaris pœnitentiæ compunctio, & alienæ miseriæ compassio, & stimulus zeli æmulantis, quod rectum est coram te, & ad te convertar in ærumna mea, dum triplex configetur spina. Libet ut spongiam per arundinem ori meo porrigas, & aceti amaritudinem gustui meo abhibeas. Libet ut per Scripturas tuas rationi meæ conferas gustare, & videre quoniam florens hic mundus tanquam spongia inanis est, & omnis concupiscentia eius aceto amarior. Ita Pater in me fiat calix iste Babylonis amarus in omnem terram, non inani flore seducat, non falsa dulcedine inebriet, quemadmodum eos qui tenebras lucem, lucem tenebras, amarum dulce, & dulce amarum arbitrantur. Vinum myrrhatum cum felle mixtum suspectum mihi est: pro eo quòd tu ex eo bibere noluisti, quia nimiam acerbitatem invidiæ & nequitiæ crucifixorum tuorum indicabat. Tuæ vivificæ morti tuum servum Domine configura, faciens quidem in me ut moriar secundùm carnem, vivam autem secundum spiritum justitiæ.

Quæ corona spinea.

Quæ spongia.

Ut autem integram Crucifixi imaginem me portare glorier, illud quoque quod post mortem tuam insatiabilis malitia impiorum in te exercuit, hanc in me similitudinem exprime. Vulneret cor meum vivus & efficax sermo tuus, penetrabilior omni lancea acutissima, pertingens usque ad divisionem animæ meæ, & producens ex ea tanquam de dextero latere meo vice sanguinis & aquæ amorem tuum Domine, & fratrum tuorum. Postremò & munda sindone primæ stolæ spiritum meum involve, in quo requiescam egrediens & ingrediens in locum tabernaculi admirabilis, & abscondas me donec pertranseat furor tuus. Die autem tertio per diem laboris, per diem supplicii, mane prima sabbathi per-

Apertio Lateris post mortem quomodo imitanda.

Quid resurrectio.

petuò inter filios tuos me indignum resuscita, ut in carne mea videam claritatem tuam, & implear lætitia vultus tui. O Salvator meus, & Deus meus, veniat oro tempus ut quod nunc credo, oculis tandem revelatis aspiciam: quod spero nunc & à longè saluto, apprehendam. Quod pro viribus meis desidero, ulnis animæ meæ amplectar & deosculer, & in maris tui abyssum totus absorbear. O Salvator meus, & Deus meus.

Præclara Christi encomia ob eius in nos amorem.

Sed benedic anima mea Deum Salvatorem meum, & magnifica nomen eius. Sanctum est enim, & sanctissimum deliciis plenum. O quàm bonus, quàm suavis es Domine JESU, animæ quærenti te, JESU redemptor perditorum, salvator redemptorum, spes exulum, fortitudo laborantium, anxiati spiritus latitudo, animæ lachrymosæ & post te currentis in sudore solatium & suave refrigerium, corona triumphantium, unica merces & lætitia omnium supernorum civium, uberrimus fons omnium gratiarum, inclyta proles summi Dei, & Deus summus, benedicant te omnia quæ in cœlo sunt sursum, & quæ in terra deorsum. Magnus tu, & magnum nomen tuum. O immarcessibilis decor Dei excelsi, & purissima claritas lucis æternæ, vita omnem vitam vivificans, lumen illuminans, lux omne lumen illuminans & conservans in æterno splendore! Mille millena lumina fulgurantia ante thronum divinitatis tuæ à primo diluculo. O æternum substantiale & inaccessibile, clarum & dulce profluvium fontis absconditi ab oculis omnium mortalium, cuius unda sine ortu, cuius profundum sine fundo, cuius altum sine termino, cuius amplitudo incircumscrutabilis, cuius puritas imperturbabilis. Eructavit te corDei altissimi de sua impenetrabili abysso, vita vitam, lux lucem, æternus æternum, immensus immensum, & per omnia sibi coæqualem: & de plenitudine tua nos omnes accepimus.

Tu enimlargissime fons omnis boni, septemplicis gratiæ preciosum flumen de thesauris tuis emittis, cuius suavi dulcore huius nostri maris, id est, nostræ infirmitatis salsuginem mitigare dignaris. Flumen olei lætitiæ, flumen vini meracissimi, torrens ignei vigoris. Spiritus paracletus à te & Patre, par utique, in orbem terræ perfunditur, omnia replens, omnia continens: Spiritus à Te, Spiritus à Patre, unus ex ambobus, uniens ambos, utpote amborum individua connexio, unificum gluten, complexus indissolubilis, & pax omnem sensum exuperans. Hic est torrens voluptatis tuæ Domine, qua delicatam illam & glorioſam civitatem Hierusalem, quæ sursum est, jugiter potas, lætabunda ebrietate facis æstuare, ut tibi jubilent hymnum inecessabilem lucida illa & flammea organa in voce exultationis & sono epulantis, cuiusque desiderabilibus guttis resocillari sitibundæ fauces exulis populi tui jugiter à te expectant Domine. Si-

nite

nito Pater, ut catelli bibant de stillis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum* illum, Domine, quem æstuare fecisti. Inclytas primitias populi tui, insigne solemnitatis nostræ illo, quæsumus igneo stillicidio purga, innova, illumina, inflamma, exhilara & confirma; & uni cor credentium tibi, ut unum sint, unum sapiant, unum unanimiter requirant, ut apprehendant, & videant, & benedicant te DEUM deorum in Sion. Sit individuæ Trinitati gloria, gratiarum actio, honor, & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

De septem signaculis quæ solvit Agnus.

SERMO I.

Vicit Leo de tribu Iuda [a]. Vicit planè malitiam sapientia attingens à fine usque ad finem fortiter, & suaviter universa disponens: sed pro me fortiter, suaviter mihi. Vicit Judæorum blasphemias in patibulo, fortem armatum alligavit in atrio, & de ipso mortis imperio triumphavit. Ubi enim sunt opprobria tua Judæe? ubi sunt fabulæ vasa captivitatis? ubi est mors victoria tua? Confusus est calumniator, raptor spoliatus est. Novum genus potentiæ, hactenus victoriosa mors obstupescit. Quid tu Judæe? qui pridie ante crucem agitabas caput sacrilegum? quid sacrum hominis Christi caput exagitabas opprobriis? *Christus*, inquit [b], *rex Israel descendat de cruce.* O venenata lingua, verbum malitiæ, sermo nequam. Non est hoc Caipha quod paulò antè dicebas: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat* [c]. At illud, quia mendacium non erat, non loquebaris de proprio, non à temetipso dicebas. *Si rex Israel est, descendat de cruce* [d], hoc planè tuum est: magis autem eius qui mendax est ab initio. Quid enim consequentiæ videtur habere, ut descendat, si rex Israel est? & non magis ascendat? Sic non meministi serpens antique, quam confusus abscesseris olim cum dicere præsumpsisses: *Mitte te deorsum, & Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me*? Sic tibi Judæe excidit quod audisti, quia *Dominus regnavit à ligno* [f], ut regem abneges, quia manet in ligno? Sed forsitan nec audisti, quia non Judæis, sed nationibus hæc annuntiatio debebatur. *Dicite*, inquit, *in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno.*

[a] Apoc. 5. b

Insignes Christi victoriæ.

[b] Matt. 27. e

[c] Ioan. 11. b

[d] Matt. 27.

[e] Matt. 4. a

[f] Psal. 95. c

Meritò proinde titulum regni præses gentilis inscripsit ligno, nec potuit Judæus (ut voluit) corrumpere tituli inscriptionem, nedum impedire Dominicam passionem, & nostram redemptionem. *Descendat* (inqui-

CHRISTI in Cruce & o-

pere redemptionis perseverantia.

(inquiunt) *si rex Israel est.* Imò verò quia rex Israel est, titulum regni non deserat: virgam imperii non deponat, cuius nimirum imperium super humerum eius, sicut præcinit Esaias [g]. *Noli* (inquiunt Judæi ad Pilatum [h]) *noli scribere, rex Iudæorum; sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Et Pilatus: *Quod scripsi, scripsi.* Si Pilatus quod scripsit, scripsit: Christus non perficiet quod incepit? Ipse enim cœpit & salvabit nos. Sed dicunt [i]: *Alios salvos fecit: seipsum non potest salvum facere.* Imò verò si descenderit, neminem salvum faciet. Cum enim salvus esse non possit, nisi qui perseveraverit usque in finem, quantò minus poterit esse Salvator? Alios ergo salvos fecit: nam salvatione, cum sit Salus ipse, non indiget. Operatur salutem nostram, nec caudam deesse patitur sacrificio vespertino, hostiæ salutari. Novit, inique, quid cogites. Non dabit tibi occasionem surripiendæ nobis perseverantiæ, quæ sola coronatur. Non fecit obmutescere Prædicatorum linguas cõsolantium pusillanimes, & dicentium singulis: Tu locum tuum ne deseras: quod sine dubio sequeretur, si respondere possent, quia Christus suum deseruit. Proni enim sunt sensus hominis & cogitationes in malum. Sine causa (maligne) parasti sagittas tuas in pharetra: & Discipulorum suspiria cumulas opprobriis Judæorum. Illi quippe desperant, isti improperant: sed Christo neutra tela nocebunt. Aliud tempus elegit confortandis Discipulis, & aliud adversariis confutandis.

[g] Esa. 9. a
[h] Ioan. 19. d
[i] Matt. 27.

Perseverantia suadetur exemplo Christi

Interim *patientiam* magis exhibet, *humilitatem* commendat, *obedientiam* implet, perficit *charitatem.* His namque virtutum gemmis quatuor cornua Crucis ornantur: & est supereminentior Charitas, à dexteris Obedientia, Patientia à sinistris radix virtutum. Humilitas in profundo. His ditavit trophæum Crucis consummatio Dominicæ passionis, cum ad Judæorum blasphemias *humilis*, ad vulnera *patiens*: intus linguis, clavis exterius pungeretur. Nam & *charitas* in eo perfecta est, quòd pro amicis animam posuit, & *obedientia* consummata, cum inclinato capite tradidit spiritum, factus obediens usque ad mortem. His spoliare duobus, hac privare gloria Christi satagebant Ecclesiam, qui dicebant: *Si rex Israel est, descendat de cruce.* Nimirum ut non sit jam obedientiæ forma, non incentivum amoris, non patientiæ vel humilitatis exemplum, sed deleri habeant ex Evangelio verba illa suavissima & dulciora super mel & favum: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [k]. Et ad Patrem: *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam* [l]. Itemque ad discipulos: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde* [m]. Et, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum* [n]. Hoc est enim quod dolet venenati serpentis astutia, exaltatum in deserto

Crux Christi 4. gemmis mysticis exornata.

Quatuor virtutes in Cruce Christi resplendentes.

[k] Ioan. 15. b
[l] Ioan. 17. a
[m] Matt. 11. d
[n] Ioan. 12. e

in deserto serpentem æneum, cuius intuitu sanentur vulnera quæ inflixit [o]. Alioquin quonam alio instigante misisse credimus uxorem Pilati ad ipsum dicentem [p]: *Nihil tibi & justo illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum*? Timebat ergo jam tunc, sed nunc maximè virtute crucis enervari se sentiens inimicus. Sera ducitur pœnitentia: & quos instigavit ad crucifigendum, instigat ad suadendum, ut de cruce descendat, Denique, *si rex Israel est*, inquiunt, *descendat de cruce, & credimus ei*. Hæc planè serpentis astutia: hæc adinventio nequitiæ spiritualis. Audierat impius Salvatoris vocem dicentis [q]: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*, & noverat, quantum pro salute illius populi zelum gerere videretur: propterea malitiosè nimis linguas erudiens blasphemorum suggerebat ut dicerent: *Descendat, & credimus*: quasi jam nihil posset obstare quin descenderet, qui eorum credulitatem tantopere desideraret.

o Num. 21 b *Dæmon Christi de Cruce descensum optabat, qui prius suaserat crucifixionem.*

p Matt. 27. c

q Matt. 15. c

Sed quid machinatur, aut cui parat insidias versipellis? Nempe ei, in quo nihil proficiet inimicus, & filius iniquitatis nō apponet nocere ei. Non movetur vana pollicitatione, qui novit omnium corda: sicut nec exprobratione blasphema mitissimus omnium movebatur. Eò quippe tendebat malitiosa suasio, non ut ipsi crederent, sed nostra quoque si qua erat fides in eum omnimodis deperiret. Legentes enim [r], *Dei perfecta sunt opera*: quando fateremur Deum, qui salutis opus reliquisset imperfectum? Sed audiamus quid ad hæc Christus respondeat per Prophetam: quæris signa Judææ? *Expecta me in die Resurrectionis meæ* [s]. Si vis credere, majora jam tibi opera demonstravi: multiplicavi signa: sanitates perfeci hesi & pridie, hodie magis habeo consummari. An non maius erat quod vidisti è corporibus obsessis spiritus exire malignos, & de grabatis suis exilire paralyticos: quàm è manibus meis vel pedibus clavos resilire quos infixisti? Sed patiendi tempus est, non faciendi: & passionis horam sicut prævenire frustra conatus es, sic nec poteris impedire.

Diabolus Christi patientis perseverantiæ frustra insidiatur.

r Deut. 32. a

s Soph. 3. b

Sed si ad hæc generatio prava & adultera signum quærit, non ei dabitur nisi signum Jonæ Prophetæ [o]: non signū descensionis, sed resurrectionis. Quod si Judæus non quærit, amplectatur & gaudeat Christianus. Vicit enim Leo de tribu Juda. Suscitatus est paterna voce leonis catulus: clauso prodiit tumulo, qui de patibulo non descendit. An verò id maius sit, inimici nostri sint judices: qui tam curiosè munierant monumentum, signantes lapidem cum custodibus. Hunc enim lapidem magnum valdè, de quo mulieres illæ devotæ invicem querebantur, facta jam resurrectione Dominica; *revolvit Angelus, & resedit* (sicut scriptum est [t]) *super eum*. Constat proinde clauso exiisse tumulo redivivum corpus, quod clauso Virginis

o Matt. 12. & Luc. 11.

t Matt. 28. & Marc. 16. a

Virginis utero natum processit in vitam, & ad Discipulos clausis introivit januis in conclavi. Sed est locus unde clausis noluit procedere januis, carcer utique gehennalis. Confregit siquidem ferreos vectes, repagula universa contrivit, ut liberè suos educeret quos redemerat de manu inimici: & planis egrederentur portis agmina Sanctorum dealbatorum, qui laverunt stolas suas & candidas eas fecerunt in sanguine Agni. Candidas prorsus in sanguine Agni: quia exivit cum eo & in eo etiam aqua dealbans, & testimonium perhibet ipse qui vidit. Aut certè candidas in sanguine Agni novelli, sanguine lacteo, candido & rubicundo: sicut habes in Cantico Canticorum [a]; *Dilectus meus* (ait sponsa) *candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Inde est quod in stola candida & fulgureo vultu testis quoque resurrectionis apparuit.

a Cant. 5. c

Jam si confutandis Judæorum calumniis sufficere videtur hoc ipsum, quòd clauso egressus est monumento, cui insultantes dicebant: *Si rex Israel est, descendat de cruce*: (curiosius namque monumentum claudere & signare studuerant, quàm infigere clavos) si igitur vicit Leo de tribu Juda in hoc ipso processu, & maius demonstravit opus quàm peterent: ipsum jam resurrectionis miraculum cui poterit comparari? Legimus nonnullorum præcessisse resurrectiones, aut magis certè suscitationes, sed istius præambulas, quibus & duplici privilegio noscitur præeminere. Nam cæteri quidem resurrexerant mortui, iterum morituri: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur* [u]. Illi mortui denuo opus habent iterum resuscitari: Christus quòd mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo, vivit in æternitate. Meritò proinde resurgentium primitiæ Christus: qui ita resurrexit, ut cadere non adjiciat, qui solus attigit immortalitatem.

Varia mortuorum resurrectiones.

u Rom. 6. b

Est aliud in quo Resurrectionis huius innotescat gloria singularis. Quis enim in cæteris omnibus suscitavit aliquando semetipsum? Ineffabile istud est ut à morte se excitet ipse qui dormit; singulare est: non est qui faciat, non est usque ad unum. Helisæus Propheta mortuum suscitavit [y], sed alterum, non seipsum. Ecce enim quot annis jacet in monumento, quod à se non potest, sperans ab alio suscitari: ab eo utique triumphavit mortis imperium in seipso. Inde est quòd cæteros quidem dicimus suscitatos, Christum resurrexisse, qui solus virtute propria victor prodiit de sepulchro. Siquidem & in hoc vicit Leo de tribu Juda. Quantum poterit imò quid non posse videbitur vivens, & dicens Patri; Resurrexi, & adhuc sum tecum; qui tam potens extitit deputatus cum mortuis, sed inter mortuos liber?

Præcellentia Resurrectionis Christi.

y 4. Reg. 4. f

Nec verò resurrectionem distulit ultra tertiam diem, ut Propheta fidelis

fidelis inveniatur, qui dixit [z]: *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* Decet nimirum, ut quemadmodum caput præcessit, sequantur membra. In patibulo sexta feria redemit hominem ipsa die, qua fecerat hominem initio: sequenti die sabbatizavit in monumento, consummato opere quod susceperat. Tertia verò quæ prima dierum est, primitiæ dormientium apparuit mortis victor novus homo. Ita & nos quicunque sequimur caput nostrum: tota die hac qua plasmati & redempti sumus, non cessemus agere pœnitentiam, non cessemus tollere crucem nostram, perseverantes in ea sicut ipse perseveraverit, & donec dicat spiritus ut requiescamus à laboribus nostris. Neminem audiamus, fratres, non carnem & sanguinem, non spiritum quemlibet, descensum à cruce suadentem. Persistamus in cruce, moriamur in cruce: deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. Caput nostrum deposuere viri justi: nos ergo dignatione sua Angeli sancti deponant: ut consummata viriliter die crucis secunda, quæ post mortem est, quiescamus suaviter, dormiamus feliciter in sepulchris, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei: qui resuscitabit corpora nostra tertia demum die, configurata corpori claritatis suæ. Fœtent quatriduani, sicut de Lazaro scribitur [a]: *Iam fœtet Domine, quatriduanus est enim.*

[z] Osee. 6. b

Perseverandū in Cruce. Exemplo Christi ante mortem descendere aut deponi nolentes.

[a] Ioan. 11. c

Adinventio filiorum Adam quartam formavit diem, quam à Domino non accepit. Propterea corrupti sunt, & abominabiles facti sunt tanquam jumenta, quæ in stercore suo putruerunt. Divinæ siquidem ordinationis est triduum quod prædiximus, in *labore*, in *requie*, in *resurrectione*. Non placent hæc filiis hominum, sed suam volunt præferre diem, differentes pœnitentiam ut indulgeant voluptati. Non est hæc dies quam fecit Dominus: quatriduani facti sunt, & jam fœtent. Non novit hanc, quod de Maria natum est, Sanctum: tertia resurrexit die, ne videret corruptionem. *Vicit*, itaque, *Leo de tribu Iuda* [b]. Occisus est agnus, sed leo vicit, leo rugiet, quis non pavebit? Leo inquam, fortissimus bestiarum, qui ad nullius pavebit occursum, scilicet Leo de tribu Juda. Paveant qui abnegaverunt, qui dixerunt [c]: *Non habemus regem nisi Cæsarem.* Paveant qui dixerunt [d]: *Nolumus hunc regnare super nos.* Redit siquidem accepto regno, & malos malè perdet. Vultis nosse quia redit accepto regno? *Data est mihi*, inquit [e], *omnis potestas in cœlo & in terra.* Sed & Pater in Psalmo: *Postula à me*, ait [f], *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringes eos.* Fortis siquidem leo est, non crudelis; gravis tamen indignatio eius: & intolerabilis ira columbæ. Sed pro suis leo rugiet, non in suos. Paveant alieni: Tribus Juda magis exultet.

Triduum ordinationis divinæ.

Dies filiorum Adam.

[b] Amos. 3. b

[c] Ioan. 19. c

[d] Luc. 19. c

[e] Matt. 2. d

[f] Psal. 28. *

Gaudeant qui induti sunt confessione, quorum omnia ossa dicunt: Domine qui similis tibi? Leo de tribu Juda, radix David. Dicitur enim David visu desiderabilis, vel manu fortis: & idem ait [g]: *Ante te omne desiderium meum: & fortitudinem meam ad te custodiam. Radix*, inquit, *David.* Non David radix eius, sed ipse radix David: quia portat, & non portatur. Meritò David sanctè filium tuum vocas Dominum tuum: quia non tu radicem portas, sed radix te. Radix fortitudinis tuæ & desiderii, radix desiderabilis, radix fortis. *Vicit Leo de tribu Iuda, radix David, dignus aperire librum, & solvere septem signacula eius* [h]. Apocalypsis verba sunt hæc. Dicant qui non legerunt: recolant qui noverunt. *Vidi* (inquit Joannes) *in dextera sedentis super thronum, librum signatum sigillis septem, & non erat qui legeret vel aperiret. Ego* (ait) *flebam multum quòd nemo aperire librum dignus inveniretur. Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris. Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David. Et vidi, & ecce in medio throni Agnum stantem tanquam occisum: & veniens accepit librum de dextera sedentis in throno, & aperuit librum: factaque est lætitia magna, & gratiarum actio.* Leonem Joannes audierat, & Agnum vidit. Agnus occisus est: Agnus accepit librum: Agnus aperuit, & apparuit Leo. Denique *dignus est* (ajunt Seniores) *Agnus qui occisus est, accipere fortitudinem.* Non mansuetudinem amittere, sed accipere fortitudinem, ut & Agnus maneat, & Leo sit. Plus dico, ut mihi videtur, idem etiam Liber est, qui non poterat aperiri. Quis enim dignus inveniretur aperire hunc librum? Indignum se profitetur & ipse Baptista Joannes, quo inter natos mulierum major nemo surrexit. *Non sum* inquit [i], *dignus solvere corrigiam calceamenti eius.* Venerat enim ad nos calceata Majestas, Divinitas incarnata: venerat Dei sapientia, sed in libro clauso utique & signato. Quod ligabat corrigia calceamenti, hoc claudebant signacula libri.

[g] Psal. 37. b

[h] Apoc. 5. b

[i] Marc. 1. a

Sed quid dicimus super his septem? An forte triplex animæ virtus, ratio, memoria, & voluntas, & quadrifaria corporis compositio, ex elementis videlicet quatuor, in his septem est intelligenda, ut nihil de veritate humanitatis defuisse noverimus Salvatori? An magis humanitas eius, ipse est liber, & quærenda sunt signacula septem? Septem enim quædam arbitror inveniri, quibus maximè celabatur in carne præsentia majestatis, ut non posset aperiri liber, & sapientia quæ latebat agnosci. Sunt autem quæ occurrunt interim, *Matris desponsatio*, qua partus Virginis, & conceptionis puritas velabatur: ita ut hominis fabri filius, fabricator hominis putaretur. *Infirmitas* etiam *corporis*, qua nimirum plorans, vagiens, lactens, & dormiens, & cæteris subjacens necessitatibus carnis, latebat inter hæc virtus Divinitatis. Sic & *Circumcisionis signum* suscipiens peccati

Septem signacula, septem operimenta Christi maiestatem in carne celantia designant.

rome-

remedium, ægritudinis medicinam, qui morbum omnem tollere venerat & peccatum: & item in *Ægyptum fugiens* à facie Herodis reguli: nec Dei filius agnosci poterat, nec Rex cœli. Quid *trina* illa *tentatio* inimici in *deserto*, in *pinnaculo*, supra *montē*? *Si filius Dei*, inquit, *es: dic ut lapides isti panes fiant*. Et item: *Mitte te deorsum* [k]. Neutrū Christus fecit: ut signaretur liber: ut falleretur astutus. Deniq; eousq; seductus est, ut haberet jam pro cōstanti hominem esse purum, & in tantam vesaniam superbia cœca prorupe-rat, ut non diceret ultra: *Si filius Dei es*: sed, *omnia tibi dabo, si procedens adoraveris me.* Sextum est signaculum *crucis*, ubi pependit inter latro-nes, & cum iniquis deputatus est Dominus maiestatis. Clausit & *sepultu-ra* librum hunc: nec ullum signaculum omnino sic obstruxit, sic occul-tavit magnum pietatis sacramentum. Sepulto nimirum Domino sola re-stare desperatio videbatur: adeo ut Discipuli dicerent [l]: *Quia nos spera-hamus.* Quis non illo fleret in tempore clausum arctius librum, & non esse qui aperiret.

[k] Matt. 4. a

[l] Luc. 24. c

Sed ne fleveris ultra Joannes sancte: etiam tu noli flere Maria. Pro-cul sit luctus, tristitiæ nebula dissipetur: *Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde* [m]. Dignus est Agnus qui occisus est, Leo qui resurrexit; postremo Liber ipse dignus est aperire seipsum. Re-surgens nimirum à mortuis, resurgens autem virtute propria, & post tres dies sicut prædixerat, testimonium perhibentibus inimicis, & resurgens in tanta majestate & gloria, indicat manifestè quæcunque prædiximus signacula, vel operimenta voluntaria non necessaria, nec conditionis fuis-se sed dignationis. Qui tu nuper Judæe signabas lapidem monumenti? *Quia seductor ille dixerat adhuc vivens: Post tres dies resurgam* [n]. Verè seductor, sed pius, non malitiosus. Denique *seduxisti me Domine, & sedu-ctus sum*, ait Propheta [o] vester in persona vestra: *fortior me fuisti, & in-valuisti.* Seduxit vos, ô Judæi, in passione: nam in resurrectione inva-luit & prævaluit vincens Leo de tribu Juda. *Etenim si cognovissent, nun-quam Dominum gloriæ crucifixissent* [p]. Quid ergo facturus es? Et præ-dixit, & jam revixit. Diligenter explora signaculum sepulturæ, aper-tum est enim. Datur tibi signum Jonæ Prophetæ: quia & prædixit ipse [q]. Egreditur Jonas de ventre ceti, Christus de corde terræ tertia die proce-dit. Nisi quòd manifestè plus quàm Jonas hic: qui semetipsum viriliter & ab ipso utero mortis eduxit. Propterea viri Ninivitæ consurgent con-tra vos in judicio; propterea ipsi judices vestri erunt; quia Prophetæ obtemperaverunt; vos, nec Domino prophetarum.

[m] Psal. 32. a

[n] Matt. 27.

[o] Hier. 20. b

[p] 1. Cor 2. b

[q] Matt. 12. d & Luc. 11. d

Ubi est quod dicebatis [r]: *Descendat de cruce, & credimus ei*? Crucis signaculum dirumpere voluistis, promittentes ad fidem vos introituros.

[r] Matt. 27. c

Ecce apertum, non diruptum est: introite. Alioquin si non creditis resurgenti, utique nec credidissetis descendenti. Si vos scandalizabat crux Christi: *Verbum* enim *crucis Iudæis quidem scandalum est*, ait Apostolus [f]; excitet vos saltem novitas resurrectionis. Invenimus nos in cruce gloriam. Nobis qui salvamur, Dei virtus est: & omnium (ut ostendimus) plenitudo virtutum. Sit vobis pars vel in resurrectione. Sed forte & illa, imò multo magis illa vos scandalizat, & odor vitæ nobis in vitam, vobis est odor mortis in mortem. Quid ergo insistimus? Non sustinet audire symphoniam & chorum senior frater [t]: occisum nobis saginatum vitulum indignatur. Foris stat, omnino non acquiescit intrare. Ingrediamur nos Fratres, & *epulemur in azymis synceritatis & veritatis, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus* [u]. Amplectamur commendatas nobis in cruce virtutes, humilitatem, patientiam, obedientiam, & charitatem.

[f] 1. Cor. 1. d

[t] Luc. 15. e

[u] 1. Cor. 5.

Quid nobis hodiernæ solemnitas commendet ad mores.

In hac quoque tam præcipua solemnitate quid commendetur nobis, sedula cogitatione pensemus. Nempe resurrectio, transitus & transmigratio. Christus enim, fratres, non recidit hodie, sed resurrexit: non rediit, sed transiit; transmigravit, non remeavit. Denique & ipsum quod celebramus *Pascha*, transitus, non reditus interpretatur: & *Galilæa* ubi videndus nobis promittitur qui resurrexit, non remeationem sonat, sed transmigrationem. Credo jam aliquorum ingenia prævolant: & quorsum hæc velint tendere, suspicantur. Dicimus tamen breviter: præsertim ne devotionem vestram in tanta solemnitate sermonis videatur prolixitas onerare. Si post consummationem crucis, in nostram hanc mortalitatem & vitæ præsentis ærumnas Christus Dominus revixisset: ego eum, fratres, non transiisse dicerem, sed rediisse: non transmigrasse in sublimius aliquid, sed ad statum remeasse priorem. Nunc autem quia transiit in novitatem vitæ, nos quoque invitat ad transitum? vocat in Galilæam. Propterea siquidem quòd mortuus est peccato, mortuus est semel: quia quod jam vivit, vivit non carni, sed Deo.

Pascha, id est transitus, monet nos non redire ad vomitum seu pristinam vitia.

Quid nos dicimus qui sacram Domini Resurrectionem Paschæ privamus nomine, ut sit nobis in reditum magis quàm in transitum? Luximus his diebus, compunctioni & orationi, gravitati & abstinentiæ dediti; cæterorum negligentias temporum sacro hoc quadragenario redimere & diluere cupientes. Communicavimus passionibus Christi; complantati ei denuo sumus per baptismum quendam lachrymarum, pœnitentiæ, confessionis. Si ergo mortui sumus peccato, quomodo vivemus adhuc in illo? Si negligentias planximus, quid causæ est ut recidamus nunc in easdem? Inveniemur nunc iterum curiosi ut ante, verbosi ut ante, pigri & ne-

& negligentes ut ante : vani, suspicioſi, detractores, iracundi, cæteriſque impliciti vitiis quæ tam anxiè deploravimus his diebus. Lavi pedes meos ; quomodo iterum inquinabo eos [a] ? Exui me tunicam meam : quomodo induam eam ? Non est transmigratio hæc, Fratres ; non sic videbitur Christus, non hoc iter quo ostendat nobis Deus salutare suum. Denique qui retro respicit [x], indignus est regno Dei.

[a] Cant. 5. b

[x] Luc. 9. a

Sic amatores sæculi, inimici crucis Christi, cuius in vanum accepto nomine dicuntur Christiani : toto hoc tempore Quadragesimali ad instantes inhiant dies Resurrectionis, heu, ut liberius indulgeant voluptati ! Obnubilat, Fratres, solemnitatis lætitiam materia tristior : sed ipsius plangimus solemnitatis injuriam, quam dissimulare non possumus nec in ipsa, imò minus in ipsa. Proh dolor, peccandi tempus terminus recidendi facta est Resurrectio Salvatoris ! Ex hoc nempe comessationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur : & laxantur concupiscentiis fræna : quasi ad hoc surrexit Christus, & non magis propter justificationem nostram. Sic honoratis miseri Christum quem suscepistis ? Venturo parastis hospitium confitentes peccata cum gemitu : castigantes corpora, eleemosynas impendentes ; & ecce susceptum proditis inimicis, imò exire compellitis, priores nequitias admittendo. Neque enim cohabitatio esse potest lucis ad tenebras ; Christi, cum superbia, cum avaritia, cum ambitione, cum fraterno odio, cum luxuria, cum fornicatione. Quid enim minus præsenti debetur quàm venturo ? Quid minus reverentiæ Resurrectionis tempus exigit quàm Passionis ? Sed vos (ut manifestum est) neutram honoratis. Nam si compateremini, & conregnaretis : si commoreremini, & consurgeretis.

NOTA Abusum Festorum solemnium, apud plerosque Christianorum.

Christianos in festo carni fræna laxantes graviter arguit.

Nunc autem ex sola consuetudine temporis & simulatione quadam humiliatio illa processit, quam non sequitur exultatio spiritualis. *Propter hoc*, ut ait Apostolus [y], *multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Propter hoc crebra in diversis regionibus hominum mortalitas, specialiter his diebus. Quid enim ? Deprehensi estis inter angustias prævaricatores, non qui prævaricati estis, sed qui persistitis in peccato, addentes prævaricationem, aut penitus impœnitentes aut tepidè pœnitentes : nec pericula fugientes, vel post miseram experientiam incentiva peccati. Irretivit vos inimicus perplexis (ut ait scriptura [z]) neruis testiculorum. Si hac conscientia Christi sacramenta refugitis : nihil vobis commune cum Christo, non habetis vitam in vobis. Ipsum audite dicentem [a] : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Si indignè suscipitis, judicium vobis manducatis, sanctum Domini non dijudicantes. Redite ergo prævaricatores ad cor, & in toto corde

Falsa Pœnitentia.

[y] 1. Cor. 11. g

[z] Iob. 40. b

[a] Ioan. 6. f

corde quærite Dominum, & odite malum : pœnitentes non verbo tantùm & lingua, sed spiritu & veritate. Quia verò non satis cecidisse piget hominem (ut videtur) quia adhuc manere disponit in lubrico: aut erasse, qui ducem non quærit: sit veræ compunctionis indicium, opportunitatis fuga, subtractio occasionis. Alioquin timendum valde, ne dies ista (siquidem & ipsa posita est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel) reprobet vos vel tanquam manifestè alienos à Christo, Christo non communicantes, vel tanquam socios Judæ in quem intravit Satanas post buccellam.

NOTA. Falsæ Pœnitentiæ indicium est non fugere occasiones.

Sed quid ad nos, fratres, de his qui foris sunt judicare, nisi quod in eodem nos fuisse laqueo plangimus, ab eodem erutos gratulamur, sola misericordia operante, in quo miserabiliter eos detineri fraterna charitate dolemus ? Utinam autem vel nos jam sanctificati, & penitus alieni ab hac misera & sacrilega consuetudine inveniamur, nec quicquam in nobis pereat aut minuatur de exercitio spirituali sacræ resurrectionis adventu, sed transire magis & excrescere studeamus. Quicunque enim post lamenta pœnitentiæ non ad carnales redit consolationes, sed in fiduciam divinæ miserationis excedit, ingreditur novam quandam devotionem, & gaudium in Spiritu sancto: nec tam compungitur præteritorum recordatione peccatorum, quàm delectatur memoria & inflammatur æternorum desiderio præmiorum: is planè est qui cum Christo resurgit, qui Pascha celebrat, qui festinat in Galilæam. Vos ergo charissimi, *si consurrexistis cum Christo: quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera DEI sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* [b] : ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & vos in novitate vitæ ambuletis, ut à sæculari lætitia, & consolatione mundi per compunctionem, & tristitiam quæ secundùm Deum est, ad devotionem sanctam, & spiritualem vos transire gaudeatis exultationem : ipso præstante qui transivit ex hoc mundo ad Patrem, & nos quoque trahere post se, & in Galilæam vocare dignatur, ut semetipsum nobis ostendat, qui super omnia Deus benedictus in sæcula, AMEN.

Spiritualis resurrectionis nota.

b Coloss. 3. a

TEMPORE PASCHALI AD ABBATES,

De Lectione Evangelica :

Maria Magdalenæ, Maria Iacobi, & Salome, &c.

a Marci ult.

SERMO II.

ACcepimus ab Apostolo habitare Christum per fidem in cordibus nostris [b]. Unde videtur non incongruè intelligi posse tamdiu Christum in nobis vivere, quandiu vivit fides. At postquam fides nostra mortua

b Ephes. 3. c

tua est, quodammodo Christus mortuus est in nobis. Porro fidei vitam opera attestantur, sicut scriptum est [c]: *Opera quæ dedit mihi pater, ipsa testimonium perhibent de me.* Nec discrepare videtur ab hac sententia, qui *fidem sine operibus mortuam* asserit in semetipsa [d]. Sicut enim corporis huius vitam ex motu suo dignoscimus: ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis est anima per quam movetur & sentit: vita verò fidei charitas est: quia per illam operatur: sicut in Apostolo legis: *Fides quæ per dilectionem operatur.* Unde & refrigescente charitate fides moritur, sicut corpus anima recedente. Tu ergo si videris hominem in bonis operibus strenuum, & fervore conversationis hilarem: vivere in eo fidem non dubites, indubitata tenens vitæ illius argumenta. Sed sunt nonnulli qui cum spiritu cœperint, heu, carne postea consummantur. Scimus autem quia jam non permaneat in eis spiritus vitæ, quia scriptum est [f]: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Quod si non permanet spiritus, haud dubium quin excidat charitas, quæ nimirum *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* [g].

Porrò fidei vitam (ut jam diximus) in charitate constituit, qui fidem per dilectionem perhibuit operari [h]. Hinc ergo colligitur recedente spiritu fidem mori: quoniam spiritus est qui vivificat [i]. Denique si sapere secundum carnem mors est [k], non dubium quin illi quos vivere lætabamur, quandiu facta carnis spiritu mortificabant, secundùm carnem viventes plangendi sint tanquam mortui. Unde & in eodem Apostolo legis: *Si,* inquit [l], *secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Væ tibi quicunque es canis reversus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti. Non ad eos tantùm loquor qui corpore, sed etiam eos qui corde redeunt in Ægyptum, sæculi huius oblectamenta sectantes, ac proinde fidei vitam, quæ est charitas, non habentes. Si quis enim diligit mundum, non est charitas Patris in eo [m]. Quis magis mortuus eo qui fovet ignem in sinu, peccatum in conscientia, nec sentit, nec expavescit, nec excutit?

Ecce igitur Christus in sepulchro, fides mortua est in animo. Quid faciemus ei? Quid fecerunt sanctæ mulieres, quæ solæ ex omnibus suis ampliori tenebantur affectu? *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum.* Nunquid ut suscitarent? Et nos scimus, Fratres, quia suscitare nostrum non est, sed ungere nobis incumbit. Cur hoc? Nempe, ne fœteat qui huiusmodi est, ne sit cæteris odor mortis, ne pereffluat, & penitus dissolvatur. Emant proinde aromata sua tres mulieres, mens, lingua, manus. De his enim ut arbitror, Petrus mandatum accepit tertiò pascere gregem

[c] Ioan. 5. f

[*d] Iacob. 2 d *Fides sine operibus mortua est.*

[e] Galat. 5. a

Vitæ spiritualis indicia.

[f] Gen. 6. a

[g] Rom. 5 a

[h] Gal. 5. a

[i] Ioan. 6. g

[k] Rom. 8. a *Plangendi tanquam mortui qui secundum carnè vivunt.*

[*l] Rom. 8. c

[m] 1. Ioan. 2.

Christus in sepulchro quomodo ungendus mystice. *Fides mortua in animo.* *Tres mulieres: Mens. Lingua, Manus, præsertim, Superioris.*

n Ioan. 21. d

gregem Domini [n]. *Pasce*, inquit, *mente*, pasce ore, pasce opere: pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.

Aromata primæ mulieris, id est, Mentis: *compassionis affectus, Zelus rectitudinis, & spiritus discretionis.*

Quærat igitur mens aromata sua, ante omnia compassionis affectum, de hinc rectitudinis zelum, & inter hæc discretionis spiritum non omittat. Quoties peccantem videris fratrem, continuò procedere debet *compassionis affectus*, tanquam cognatus humanitati, quippe quem concipis ex te ipso, *Vos*, inquit Apostolus [o], *qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Et cum exiret Dominus baiulans sibi crucem, & plangerent super eum nondum quidem omnes tribus terræ, sed mulieres paucæ; cõversus ad eas, *Filiæ*, (inquit [p]) *Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Ordinem diligenter attende. *Super vos*, inquit, primò: deinde, *super filios vestros.* Temetipsum attende, ut alii noveris compati, ut arguas in spiritu lenitatis. Teipsum considera, ne & tu tenteris. Sed quia exemplum efficaciùs persuadet & altiùs inprimit animo, mitto vos ad sanctum illum Senem, qui cum audisset peccasse unum ex fratribus, amarissimè flebat inquiens: Ille hodie, & ego cras†. Qui sic flebat super se, putas quia non compassus sit fratri? Hic itaque compassionis affectus, multis quidem prodest, quia animus liberalis contristare, quem pro se viderit anxium, erubescit.

* Gal. 6. b

Compassionis affectus erga fratres peccantes.

p Luc. 23. d

† In Vitis Patrum.

Zelus justitiæ & rectitudinis in erratis proximi.

Sed quid agimus quod nonnulli dura cervice & attrita sunt fronte, ut quò magis eis compatimur, tantò magis nostra & compassione & patientia abutantur? Nonne sicut compatiebamur fratri, ita ipsi justitiæ compatiendum est, quam videmus tam impudenter abjici, tam imprudenter provocari? Scio quia si qua in nobis est charitas, contemptum hunc Dei ferre æquanimiter non possumus. Hic est *zelus justitiæ* quo adversus delinquentes accendimur, tanquam pietate ducti erga eam, quam contemni videmus, justitiam Dei. Veruntamen oportet ut priora sibi vendicet compassionis affectus. Alioquin in spiritu vehementi conterimus naves Tharsis, conterimus quassatum calamũ, extinguimus linum fumigans.

Compassionis affectus prævaleat Zelo rectitudinis.

Spiritus discretionis in castigandis peccantibus.

Sed cum uterque aderit, videlicet & compassionis affectus & zelus justitiæ, necesse est ut adsit *spiritus discretionis*, ne forte cum oportebat hunc exhiberi, ille procedat, & indiscretio ipsa confundat universa. Habet itaque mens nostra tertium spiritum discretionis, ut miscens aptè temporibus tempora, opportunè æmulari & nihilominus ignoscere sciat. Samaritanus sit, custodiens & observans quando oleum misericordiæ, quando vinum fervoris exhibeat. Et ne forte meum putetis inventum, Prophetam audite in psalmo hæc eadem & eodem ordine postulantem: *Bonitatem*, inquit [q], *& disciplinam & scientiam doce me.*

q Psal. 118.

Sed

Sed unde hæc nobis? Neque enim talia profert virtutum germina terra cordis nostri: sed magis spinas & tribulos germinat nobis. Emere ergo oportet. A quo autem emenda sunt? Ab eo utique qui ait [r]: *Venite, emite absque argento & absque ulla commutatione vinum & lac.* Non ignoratis, quid lactis dulcedo, quid vini designet austeritas. Quid est autem emere sine argento & sine commutatione? Non talis est emptio apud amatores huius sæculi, sed apud Auctorem sæculi alia esse non potest. Propheta enim dixit Domino [s]: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Quam igitur commutationem ei dabit homo pro gratia sua, qui nullius eget, & cuius sunt universa? Gratia gratis datur: etiam cum emitur, gratis emitur: quia quod datur pro ea, nobis melius retinetur.

A quo emenda spiritualia aromata mentis.

r Esa. 55. a

s Psal. 15. a*

Tria ergo aromata mentis nummo propriæ voluntatis emenda sunt, quam quidem dimittentes nihil amittimus, etiam & lucramur plurimum, commutantes illam in melius, ut communis fiat, quæ propria fuit. Porrò communis voluntas charitas est. Emimus ergo absque commutatione, recipientes quod non habuimus; & quod habuimus, melius retinentes. Quandò verò compatietur fratri, qui in propria voluntate nescit compati nisi sibi? aut quando amans seipsum diliget justitiam, & odio habebit iniquitatem? Simulare quidem potest ante oculos hominum, etiam & semetipsum seducere, ut cum privato amore vel odio ducitur, compassionis affectum, aut zelum putet esse justitiæ. Verùm facilè est nosse quàm sint aliena à propria voluntate, quæ propria sunt charitatis, cui illa recta fronte contrariam se constituit. Nam *charitas benigna est* [t], charitas super iniquitate non gaudet. Jam de spiritu discretionis scimus quia nihil sic illum extinguit, quomodo voluntas propria subvertens corda hominum, & rationis oculos claudens. Emenda proinde sunt tria mentis aromata, affectus compassionis, rectitudinis zelus, & spiritus discretionis, nummo (ut dictum est) propriæ voluntatis.

Propriæ voluntatis nummo emenda.

Qualis debeat esse affectus in correptione fratris.

Syncerè Charitatis, & propriæ voluntatis discrimen.

t 1. Cor. 13. b

Linguæ quoque aromata tria nihilominus sunt, *Modestia* in increpando, *copia* in exhortando, *efficacia* in persuadendo. Vis habere hæc aromata? Eme illa à Domino Deo tuo. Eme, inquam, sicut & priora, sine ulla commutatione: ut aliquid recipias, perdas nihil. Eme à Domino moderatam correptionem, quia omnino magnum quoddam bonum & datum optimum est, & quod habeant pauci. *Linguam enim* (ut ait beatus Jacobus) *nemo domare potest* [u]. Videas multos, syncera licet intentione & benigno accedant animo, leviter dicere, quod graviter audiatur. Volat irrevocabile verbum: & quod sanare debuerat, quia mordacius forte videtur, exasperat & exulcerat magis: quandò negligentiæ additur impudentia etiam, & impatientia cumulatur; ut qui sordidus erat,

Tria secundæ mulieris, id est, Linguæ *aromata.*

1. *Moderata correptio.*

u Iacob. 3. b

Immoderatæ correptionis damna.

sordescat adhuc, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, ac more phrenitici non solum repellens, sed & mordere tentans medici manum. Multis quoque non suppetit verborum copia, sed præ sermonis inopia linguam suam palato adhæresce re sentiunt, quod & ipsum interdum solet audientibus obesse non parum. Aliis verò ad manum est abundantia multa sermonis, sed quæ dicunt, minùs sapiunt, minùs acceptantur: & quia gratiam non habent, minùs efficacia sunt quæ loquuntur. Vides quam necesse sit emere ab eo à quo omne bonum est, à quo omnis scientia, modestiam in increpando, copiam in exhortando, efficaciam in persuadendo.

2. Copia sermonis.

3. efficacia sermonis.

Proinde eme ista nummo confessionis, ut priùs peccata tua confitearis, quàm ad expurganda accedas aliena. Magnum prorsus & mirabile sacramentum animæ suscitatio. Vide ne ad illud immundus accedas. Quòd si fortè non potes innocens, imò, quia non potes, lava inter innocentes manus tuas, antequam circundes monumentum Domini. Omnia siquidem in confessione lavantur. Et hæc ablutio in quandam innocentiam tibi deputabitur, ut inter innocentes assistas. Ad altaris officium nemo accedit in veste communi; sed quisquis accessurus est, albis induitur. Et tu ergò cum ad Domini monumentum properas, lavare, dealbare, induere vestimentis gloriæ, ut dicatur tibi [x]: *Confessionem & decorem induisti.* Quia ibi confessio, ubi in conspectu Domini pulchritudo est. Hæc pro eo dicta sunt, ut aromata linguæ, moderata increpatio, copiosa exhortatio, efficax persuasio nummo confessionis emantur.

Tria linguæ aromata nummo confessionis.

Qui mundaturus est alios, primum ipse mundandus.

[x] Psal. 103. a

Veruntamen legimus*, & quotidianis etiam experimentis didicimus; cuius vita despicitur, restat ut prædicatio contemnatur. Paret ergo & manus aromata sua, ne subsannet nos Sapiens [y] tanquam pigrum illum, cui labor sit manuum ad os porrigere; ne possit dicere is quem arguit [o]: *Tu qui alium doces, te ipsum non doces,* alligas enim onera gravia & importabilia, & imponis ea in humeros hominum, digito tuo nolens ea movere. Dico vobis, Sermo quidem vivus & efficax exemplum est operis, facilè persuadens, quod intendimus, dum factibile probat esse quod suademus. Pro hujusmodi habeat necesse est etiam manus aromata sua, *continentiam* in carne, *misericordiam* in fratre, *patientiam* in pietate. Unde Apostolus ait [z]: *Sobriè & justè & piè vivamus.* Hæc enim tria sunt conversationi nostræ maximè necessaria, quoniam primum debemus nobis, secundum proximo, tertium Deo. Nam qui fornicatur, in corpus suum peccat, magno illud privans honore, & pavendo addicens pudendoque dedecori, tollens membrum Christi, & faciens membrum meretricis. Ego autem non ab ea tantùm, quæ tam abominabilis est, sed ab omni

*Apud S. Gregor. in Pastor.

[y] Prov. 19. d

[o] Rom. 2. c

Exemplo efficacius docetur quam verbo.

Tria tertiæ mulieris, id est, Manus *Aromata.*

[z] Ad tit. 2. a

voluptate

voluptate carnis continendum dico. Ante omnia igitur perfectam hanc *continentiam* quære, quam debes tibi ipsi. Nemo enim tibi propinquior est. Dehinc adde *misericordiam* quam debes proximo, quia cum eo salvandus es. Deinde *patientiam* quam debes Deo, quia ab eo salvandus es. *Omnes enim qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur* [a], & *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorũ* [b]. Vide ergo ne per impatientiam pereas, sed universa pro eo sustine, qui prior maiora pro te sustinuit, & apud quem infructuosa patientia non erit, sicut ait Propheta [c]: *Patientia pauperum non peribit in finem.*

1. *Continentia.*
2. *Misericordia.*
3. *Patientia.*
a 2. Tim. 3. e
b Act. 14. d
c Psal. 9. d

Porrò hæc manus aromata nummo subiectionis emuntur. Hæc est quæ dirigit gressus nostros, & sanctæ conversationis gratiam promeretur. Nam si contraria lex inventa est in membris nostris per inobedientiam, quis nesciat per obedientiam continentiam dari? Ipsa quoque est quæ misericordiam ordinare novit, ipsa quæ patientiam & docet & donat. Cum his igitur aromatibus accede ad eum in quo fides mortua est. Verùm si consideremus quàm magnum sit ad nos, suscitare eum qui huiusmodi est, quàm difficile sit vel accedere ad cor eius, quod lapidea quædam obstinatio & impudentia clausit, puto quod dicere habeamus & nos: *Quis revolvet lapidem ab ostio monumenti?* Attamen dum sic trepidi veremur accedere cunctantes ad tam grande miraculum, fit nonnunquam ut solita pietate præparationem cordis nostri audiat auris divina, & ad vocem virtutis eius resurgat qui erat mortuus. Et ecce Angelus Domini, hilaritas quædam in vultu illius tanquam in ostio monumenti nobis apparet, & fulgor quidam index resurrectionis, ut apertè videatur facies eius immutata, accessum præbens nobis ad cor suum, imò & advocans, ipsumque obstinationis suæ revolvens lapidem, & sedens super eum? ita ut suscitata fide ipsa, etiam linteamina quibus obvoluta fuerat, ipse demonstret. Dumque omnia quæ in corde suo priùs actitabantur aperit, & confitetur quomodo seipsum sepelierat intus, ipsam tepiditatem & negligentiam suam prodens, *Venite* (inquit) *& videte locum ubi positus erat Dominus* [d].

Quam arduum sit, emendare peccantẽ.

Animus peccatoris ad recipiendam disciplinam præparatur divinitus.

d Matt. 28. a

TEMPORE PASCHALI.

De mersione Naaman septies in Iordane, deque mundatione septemplicis lepræ. Item, de septem apparitionibus Domini resurgentis.

SERMO III.

Sicut in corporum medicina priùs purgationes adhibentur, deinde refectiones, ut scilicet priùs exinaniatur corpus ab humoribus noxiis, de

hinc cibis sanioribus foveatur: sic medicus animarum Dominus Christus, cuius tota dispensatio quam exhibuit in carne, medicina salutis est, ante Passionem suam septem dedit purgationes, post Resurrectionem suam totidem cibos salubres pariter & suaves. Helisæus noster Naaman leprosum septies in Jordane mergi præcepit [a], qui interpretatur descensus. In descensu Domini nostri JESU Christi, id est, in humanitate conversationis eius quam exhibuit ante Passionem, mundamur & purgamur. In Resurrectione verò & vita, quam ostendit quadraginta diebus, reficimur, & delectabilibus pascimur alimentis. Septempliciter enim occupavit nos lepra superbiæ in proprietate possessionum, in gloria vestium, in voluptate corporum, in ore quoque dupliciter, similiter & in corde. *Prima est lepra*, domus, qua divites esse volumus in hoc sæculo, sed ab ista mundamur si immergimur in Jordane, id est, in Christi descensu. Invenimus enim quoniam ille cum esset dives, propter nos pauper factus est. Descendit ab inenarrabilibus cœli divitiis, & veniens in mundum nec istas qualescunque divitias habere voluit, sed in tanta paupertate venit, ut natus continuò poneretur in præsepio, quia ei non erat locus in diversorio. Denique quis nesciat quoniam filius hominis non habebat ubi caput suum reclinaret [b]? Qui bene mergitur hîc, quando quæret divitias huius mundi? Et verè magna abusio, & magna nimis, ut dives esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus maiestatis & Dominus Sabaoth voluit pauper fieri.

Porrò in *lepra vestis*, omnem sæculi huius pomposam intellige vanitatem. Nam ab illa nihilominus in Jordanis mersione mundaberis ubi invenies Christum Domini vilibus pannis involutum, factum opprobrium hominum, & abiectionem plebis. A *lepra* quoque corporis mundamur in ipso Jordane, si bene cogitantes Dominicam passionem, erubescimus sequi corporis voluptatem. At in ore (ut diximus) duplex est lepra. Cum enim adversi quicquam contigerit, *murmuramus*, & impatientiæ verbum tanquam lepræ sanies effluit: sed ab hac mundamur, si illum attendimus qui tanquam ovis ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum [c]; qui cùm malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur [d]. In prosperis quoque contra eum qui dixit [e]: *Non qui seipsum commendat, ille probatus est*, commendamus nosipsos, non in multa patientia, sed in arrogantia: & inquinat nos altera lepra, *verbum jactantiæ*. Ut ergo mundemur ab illa, mergamur in Jordane, & imitemur eum qui non quærebat gloriam suam. Unde & dæmonia quæ clamabant quia ipse esset Dei filius, præcipiebat obmutescere [f]; & illuminatos cæcos dicere prohibebat [g].

Christus animarum medicus.

[a] 4. Reg 5. a

Septem nob. dedit purgationes.

Septuplex lepra moraliter expenditur.

1. *Lepra*, Proprietas possessionũ. *Christi paupertas.*

[b] Luc. 9.

2. *Lepra*, gloria vestium.

3. *Lepra*, Voluptas corporis.

4. *Lepra*, murmuratio.

[c] Isa. 53.

[d] 1. Pet. 2. [e] 2. Cor. 10. d

5. *Lepra*, Jactantia.

[f] Luc. 4. f

[g] Matt. 9. d

In

In corde duplex est lepra, propria voluntas, & proprium consilium. Lepra utraque nimis pessima, eôque pernicioſior, quò magis interior. Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantùm, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis moribus * animorum. Huic contraria est recta fronte charitas, quæ Deus est. Hæc enim adversus Deum inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam. Quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem? Etiam nunc cum frigus aut famem, aut aliquid tale patimur, quid læditur nisi propria voluntas? Quod si voluntariè sustinemus, ipsa jam voluntas communis est, sed infirmitas quædam & velut pruritus voluntatis adhuc de proprio est, & in illo omnes pœnas sustinemus donec penitus consummatur. Nam voluntas illa propriè dicitur, cui assentimur, & cui se librum inclinat arbitrium. Hæc autem desideria & concupiscentiæ, quæ invitos tenent, non voluntas, sed corruptio voluntatis est. Porrò voluntas propria quo furore Dominum majestatis impugnet, audiant, & timeant servi propriæ voluntatis. Primò namque seipsam & subtrahit & subducit eius dominatui, cui tanquam auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta erit hac injuria? Addit adhuc & quod in se est, omnia quoque quæ Dei sunt, tollit, & diripit. Quem enim modum ponit humana cupiditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari conaretur universum, si non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter, nemini qui sit in propria voluntate, posset universus mundus sufficere. Sed utinam vel rebus istis esset contenta, ne in ipsum (horribile dictu) desæviret rectorem. Nunc autem & ipsum (quantum in ipsa est) Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergò eum non esse Deum, quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis planè & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sævissima. Hæc est immundissima lepra animi propter quam in Jordane mergi oporteat, & imitari eum qui non venit facere voluntatem suam; unde & in passione: *Non mea*, inquit [b], *voluntas, sed tua fiat.*

6. *Lepra*, propria voluntas.

* *al.* motib.

Propriæ voluntatis pericula & nocumenta.

Propria voluntas quam in Deum iniqua & crudelis.

Deum quodammodo perimit.

[b] Luc. 22. c

Lepra verò proprii consilii eò pernicioſior est, quò magis occulta: & quantò plus abundat, tantò sibi quisque sanior esse videtur. Hæc illorum

7. *Lepra*; proprium Consilium.

illorum est qui zelum DEI habent, sed non secundùm scientiam, sequentes errorem suum, & obstinati in eo, ita ut nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt unitatis divisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, & magni in oculis suis, ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere. Et quæ maior superbia, quàm ut unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat spiritum Dei? *Idololatriæ scelus est non acquiescere, & quasi peccatum ariolandi repugnare* [i]. Errant nunc qui se faciunt religiosiores aliis: qui non sunt sicut cæteri hominum; ecce arioli, & idololatræ facti sunt, si tamen vel ei qui dixit hoc, plus quam sibi judicant esse credendum. Neque huic dissonat veritatis sermo, quem dixit [e]: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Sed ubi poterit hæc lepra mundari nisi in Jordane? Ibi mergere, quicunque hujusmodi es, & attende quid fecerit magni consilii Angelus, quomodo consilium suum postposuerit consilio, vel magis voluntati mulieris unius (beatam Virginem loquor,) & fabri pauperis, ipse est Joseph. Inventus enim in medio doctorum audiens eos & interrogans, quodammodo increpatus à Matre est, *Fili quid fecisti nobis sic?* At ille, *Quid erat*, inquit, *quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? At illi non intellexerunt verbum* [l]. Et quid fecit Verbum? Non capiebatur in se, descendit, ita ut esset etiam subditus illis. Quis jam non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suum Sapientia ipsa deseruit? Sic mutavit consilium suum, ut quod jam tunc cœperat, ex tunc usque ad tricesimum ætatis suæ annum prorsus dimiserit. Nihil enim ab hoc duodecimo anno de eius doctrina, vel operibus invenis usque ad annos triginta.

Pretinacia propriis sensus & iudicii perstringitur.

i 1.Reg.15.c

e Matt. 18.c

l Luc.2.g*

Christus suum deseruit consilium, & homo in suo obstinatus erit?

Sed fortè quærendum ab ipso est quomodo voluntatem suam consiliumve reliquerit. O Domine, voluntas de qua dixisti ut non fieret, si bona non erat, quomodo tua erat? si bona erat, quare derelicta est? sic & consilium si non bonum, quomodo tuum? si bonum, quomodo relinquendum? Et bona erant, & eius erant, neque minus tamen relinquenda ob hoc videlicet ut fierent meliora. Neque enim oportebat propria præjudicare communibus. Erat ergo voluntas Christi, & bona erat, quæ dicebat: *Si fieri potest, transeat à me calix iste* [n]. Sed ea, de qua dicebat, *fiat voluntas tua*, melior erat: quia communis non solùm Patris, sed & Christi ipsius; (oblatus est enim, quia ipse voluit,) & nostra. Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum esset, ipsum solum maneret, mortuum verò multum fructum attulit. Atque hæc voluntas Patris erat, ut videlicet haberet quos adoptaret in filios. Christi erat, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Nostra erat, quia pro nobis faciebat

m Marc.14.d Luc.22.d

Quare Christus voluntatem suam noluerit impleri.

n Matt.26.c

ut

ut redimeremur. De consilio idem dicimus. Christi enim erat, & bonum erat consilium illud quod ait [o], *Quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Sed quia illi non intellexerunt, mutavit illud consilium, ut nos mundaret ab ea lepra quæ proprii consilii est. Exemplum enim dedit nobis, ut & nos ita faciamus. Nam ab initio noverat quid esset facturus, sed voluit formam nobis huius humilitatis exhibere, ut ad lavandam pessimam hanc lepram divinũ in seipso pararet Jordanem. Audiant igitur utrique pariter, qui propriæ voluntatis, & qui proprii consilii lepra sordent: audiant quid spiritus dicat ecclesiis, brevi uno versiculo lepram utramque condemnans. *Sapientia,* ait, *quæ desursum est, primùm quidem pudica est,* contra propriæ voluntatis impuritatem; *deinde pacifica,* contra consilii proprii obstinatam rebellionem.

o Luc. 2. g

p Iacob. 3. a

Cum ab his septem purgatus fuerit æger, tanquam post septem cellas quærat septem fercula quæ sunt septem Spiritus sancti dona. Porrò sicut in vita Domini ante Passionem septem purgationes invenimus, sic & in apparitionibus septem quæ post Resurrectionem factæ leguntur, septem illa dona Spiritus sancti possumus invenire. In prima *spiritum timoris* accipe, quando mulieribus sanctis venientibus descendit Angelus de cœlo, & terræ motus factus est, ita ut ipsas timore perterritas oportuerit ab Angelo consolari [q]. In *spiritu* pietatis apparuit Simoni [r], quia magna omnino & verè Domino JESU digna pietatis dignatio, quod ei quasi singulariter & ante cæteros dignatus est apparere, quem præ cæteris de negatione eius rea conscientia confundebat: ut ubi abundavit delictum, superabundaret & gratia. In *spiritu scientiæ* duobus pergentibus in Emaus scripturas exposuit, incipiens à Moyse & Prophetis [s]. In *spiritu fortitudinis* januis clausis intravit ostendens manus & latus [t], sicut solent in signum virtutis clypeorum foramina demonstrari. In *spiritu consilii* frustra in piscatione laborantes mittere in dexteram rete consuluit [u]. In *spiritu intellectus* aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas [x]. In *spiritu sapientiæ* die quadragesimo apparuit eis [y], quando videntibus illis elevatus est, & viderunt Filium hominis ascendentem ubi erat prius. Usque ad illam enim diem quasi per stultitiam prædicationis salvos faciebat credentes: postquam verò coram e ascendit ad Patrem, jam cœpit sapientia declarari.

Septem fercula Christi.

Ex septẽ Apparitionibus Christi, septẽ dona Spiritus S. eruit.

q Matt. 28.
r Luc. 24.

s Luc. 24.
t Ioan. 20.

u Ioan. 21. a
x Luc. 24. g
y Matt. 28.

IN OCTAVA PASCHÆ,

De Fide vincente, & tribus testimoniis in cœlo & in terra.

Sermo I.

Omne quod natum est ex DEO, vincit mundum, 1. Joan. 5.

POstquam Unigenitus Dei non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, hominis quoque dignatus est fieri filius, & habitu inventus ut homo, non immerito jam de cœlesti generatione exiguitas humana præsumit. Neque enim indignum est Deo, eorum fieri patrem, quorum se Christus fecerit fratrem. Hinc est quod beatus Joannes (qui sæpiùs nobis ac studiosiùs hanc commendat adoptionem filiorum Dei) in ipso quoque Evangelii sui principio, *Quotquot*, inquit [a], *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Huic ergo verbo simile est quod audivimus hodie de eius epistola recitari. *Omne*, inquit [b], *quod natum est ex DEO, vincit mundum.* Quotquot enim sunt Christi, cum Christo eos mundus odit, sed cum Christo superatur pariter & ab ipsis. *Nolite*, ait [c], *mirari si odit vos mundus: scitote quia priorem me vobis odio habuit.* Et item, *Confidite*, inquit [d], *quia ego vici mundum.* Sic nimirum manifesta fit sermonis illius veritas, quem ait Apostolus: *Quos præscivit*, inquit [e], (haud dubium quin Deus Pater) *& prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* Vide conformationem. Post ipsum adoptantur, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: post ipsum odit mundus eos: post ipsum & ab eis vincitur mundus.

De filiatione Christianorum adoptiva.

a Ioan. 1.a

*b 1.Io.15.a

c Ioan. 15. c

d Ioan. 16.g

e Rom. 8.f

Bene ergo quod natum est ex Deo, vincit mundum, ut sit testimonium cœlestis generationis victoria tentationis: & sicut is qui filius est per naturam, mundum cum suo principe triumphavit: sic & nos victores inveniamur quotquot sumus filii adoptionis. Victores sanè, sed in ipso, qui confortat nos, in quo & possumus omnia: quia hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra [d]. Fide siquidem in Dei filios adoptamur; fidem in nobis mundus in maligno positus odit atque persequitur, fide quoque & vincitur sicut scriptum est. *Sancti per fidem vicerunt regna* [e], *Iustus*: inquit [f], *ex fide vivit.* Quoties ergo tentationi resistis, quoties vincis malignum, noli propriis tribuere viribus, noli in te sed magis in Domino gloriari. Quando enim foris ille armatus tuæ cæderet infirmitati? Audi deniq; quid Dominici constitutus pastor ovilis admoneat: *Adversarius*, inquit, *vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide* [g]. Vides quemadmodum sibi veritatis testimonia concinant: Paulus, fide regna vicisse sanctos [h], Petrus principi mundi resistendum in fide [i], Joannes quoque, *Hæc est*, inquit [k], *victoria quæ vincit mundum, fides nostra.*

Victoria tentationis testimonium cœlestis generationis.

d 1. Ioan. 5.

Fide vincimus hostes.

e Hebr. 11.f

f Abac. 2. & Rom. 1.c

g 1.Petr.5.b

h Hebr. 11.f

i 1. Petr. 5.c

k 1.Ioan.5.a

Sequitur:

Sequitur: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius DEI?* Certum id quidem, Fratres, omnem qui non credit in Filium Dei, ex hoc ipso jam non modò victum esse, sed etiam judicatum. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Veruntamen potest fortè movere quòd tam multos videmus credentes Jesum filium Dei esse, adhuc tamen mundi nihilominus cupiditatibus irretitos. Quid ergo ait: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quia Iesus est filius Dei*, cum & ipse jam mundus id credat? An non ipsi quoque dæmones & credunt & contremiscunt [o]? Sed dico: Putasne filium Dei reputat Jesum, quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is etiam si fateatur se nosse Deum, factis tamen negat? Porrò *fides sine operibus mortua est* in semetipsa [l]. Nec sanè mirum videri potest si nequaquam vincit, quæ nec vivit quidem.

* Ibidem.

Cur tam multi credentes, & tamen non vincentes.

o Iacob. 2. d

l Iacob. 2. *Quænam vidua & victoriosa fides.*

Quæris quænam sit vidua & victoriosa fides? Illa sine dubio, per quam Christus habitat in cordibus nostris. Christus enim & virtus est & vita nostra. *Cum Christus apparuerit vita vestra* (ait Apostolus [m]) *tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Unde gloria nisi de victoria? aut quare cum ipso apparebimus, nisi quia in ipso & vincimus: Denique si his tantum data est potestas filios Dei fieri, qui suscipiunt Christum de his quoque solis intelligendum est quod dicitur [n]: *Omnis qui natus est ex DEO, vincit mundum.* Inde est quod hic quoque cum dixisset, Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quia Jesus est filius Dei? ut planiùs faceret eam commendari fidem, per quam (ut dictum est) Christus in cordibus nostris habitat, addidit continuò de ipsius adventu dicens [o]: *Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus.* Adhuc autem supereminentiorem viam ostendens, *Et spiritus est*, inquit, *qui testificatur quoniam Iesus est filius DEI.* Sanè quod interponit, signanter repetens, *Non in aqua solum, sed in aqua & sanguine*, ad Moysi differentiam arbitror accipiendum. Moyses quidem in aqua venit, à qua & nomen accepit ut Moyses vocaretur.

m Coloss. 3. a

n 1. Ioan. 5. a

o Ibid. " "

Recolant quibus nota est historia veteris testamenti [p] quemadmodum in Ægypto dum parvuli omnes Israelitici germinis necarentur, expositum in aquis Moysen seu tulerit filia Pharaonis. Et vide si non manifestè Christi & in hoc ipso videtur præcessisse figura. Simile nempe cum Pharaone etiam Herodes suspicione laborans, ad eadem conversus est crudelitatis argumenta, sed eodem modo est ipse delusus. Utrobique pro unius suspecta persona trucidatur numerositas puerorum: utrobique qui quærebatur, evadit. Et quomodo Moysen filia Pharaonis, ita

p Exod. 2. b

Moyses typus Christi. Pharaonis & Herodis comparatio.

Christum quoque Ægyptus (quæ non immeritò Pharaonis intelligitur filia) suscepit conservandum. Manifestè tamen plusquam Moyses hîc, utpote qui venerit non in aqua tantùm, sed in aqua & sanguine. Aquæ enim multæ, populi multi [q]. Venit ergo in aqua tantùm, qui congregavit quidem populum, sed populum non redemit. Nam & ipsa quoque de servitute Ægyptia liberatio, non Moysi, sed Agni sanguine facta est, liberandos nos præfigurans à vana nostra conversatione huius sæculi, sanguine Agni immaculati Christi JESU. Hic est verus legifer noster, apud quem copiosa est redemptio, mortuus est enim non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui dispersi erant, congregaret in unum. Memento sanè hunc esse Joannem, qui vidit, & testimonium perhibuit: (& scimus quia verum est testimonium eius,) exiisse de latere Domini dormientis in cruce sanguinem simul & aquam: quo videlicet dormienti novo Adæ nova de latere suo proferretur pariter & redimeretur Ecclesia.

[q] Apoc. 17. c

Christus venit in aqua & sanguine.

Testimonium aquæ & sanguinis.

Sic ergo hodie quoque ad nos per aquam & sanguinem venit, ut sit *aqua* & *sanguis* testimonium adventus eius, fideique victricis. Non solum autem, sed testimonium est maius his quod perhibet *spiritus veritatis*. Horum trium testimonium verum certumque est, & felix anima quæ meretur illud accipere. *Tres enim sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguis.* In aqua quidem baptismum intellige, in sanguine martyrium, in spiritu charitatem. Spiritus enim est qui vivificat, & fidei vita dilectio. Denique si quæris quid spiritui & charitati? respondeat Paulus [r]: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Necessario quoque Spiritus additur aquæ & sanguini, cùm (eodem Apostolo teste [s]) sine charitate quicquid habeas, nihil prosit.

Testimonium spiritus.

[r] Rom. 5. a

[s] 1. Cor. 13 a

Jam verò, quia Baptismum *aquâ*, Martyrium diximus *sanguine* designari; memento & unicum & quotidianum esse Baptismum, similiter & Martyrium. Est enim & martyrii genus, quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Est baptismus aliquis in compunctione cordis, & lachrymarum assiduitate. Sic quippe infirmis & pusillis corde necesse est, ut quem semel pro Christo ponere non sufficiunt, saltem mitiori quodam sed diuturniori martyrio sanguinem fundant. Sic & Baptismi sacramentum quoniam iterari non licet, his qui sæpius in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri. Unde & Propheta [t]: *Lavabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.* Vis ergo nosse quis est qui vincit mundum? Quæ in eo vincenda sunt, diligentius intuere. Siquidem & hoc ipsum beatus

Martyrium spirituale.

[t] Psal. 6. a

iste

iste Joannes indicat, dicens [u] : *Charissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Omne enim quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi.* Hæ sunt tres turmæ quas fecerunt Chaldæi : sed memini quoque sanctum Jacob fecisse tres turmas, cum timeret à facie Esau rediens de Mesopotamia [x]. Er vobis ergò adversus triplex genus tentationis triplici opus est munimento, ut *carnis* quidem concupiscentia ipsius mortificatione vincatur, quam, si meministis, in sanguinis testimonio diximus intelligendam : *oculorum* verò concupiscentiam superet studium compunctionis, & assiduitas lachrymarum. Porrò *ambitionis* vanitatem virtus charitatis excludat, quæ sola castificat animam, sola purgat intentionem. Certum quippe triumphati mundi testimonium est, si corpus castiges, & subjicias servituti, ne pernicioſa libertate serviat voluptati ; si fletui præbeas oculos magis quàm petulantiæ, vel curiositati ; si denique spirituali dilectione flagrans nulli animum dederis vanitati.

[u] 1. Ioan. 2. b

[x] Gen. 32. b

Adversus triplices tentationes triplex munimentum Mortificatio, Compunctio, Charitas.

Mundi triumphati testimonium.

Meritò sanè unus est, qui in terra pariter & in cœlo testimonium perhibet Spiritus : quia sive corporis afflictio cessabit, sive lachrymarum fons exsiccabitur, sed charitas nunquam excidit. Prælibatio quædam est in præsenti, consummatio & plenitudo in futuro manet. Veruntamen licet maneat post aquam & sanguinem spiritus, (aqua quippe & sanguis regnum DEI non possidebunt) interim tamen aut vix aut nullo modo invenire est spiritum sine illis, *quoniam hi tres*, inquit, *unum sunt* : ut quolibet ex his tribus deficiente, adesse cætera non præsumas. Simul verò cuncta * testimonia ista credibilia facta sunt nimis, nec poterit cui in terris suppetunt hæc, carere testimonio vel in cœlis. Confitetur Dei Filium coram hominibus non verbo neque lingua, sed opere & veritate : & Filius quoque confitebitur eum coram Angelis Dei. An verò ei deesse poterit in testimonio Pater, cui Filium videat attestantem ? Sine dubio confitebitur & ipse quod viderit in abscondito. Sed neque Spiritus quidem à Patre Filióque dissentiet, quippe qui Patris Filíque sit spiritus. Denique quonam modo careat testimonio eius in cœlo, qui habere illud meruit & in terra ? *Tres ergo sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Et ne quam forte dissonantiam suspiceris, *hi tres unum sunt.* Magnum profectò habituri sunt testimonium quos in cœlo Pater susceperit tanquam filios & hæredes, Filius adsciverit tanquam fratres & cohæredes, Spiritus Sanctus adhærentes Deo unum spiritum faciat esse cum eo. Est enim spiritus ipse indissolubile vinculum Trinitatis, per quem sicut Pater & Filius unum sunt, sic & nos unum sumus in ipsis, eo miserante, qui pro discipulis hoc ipsum orare dignatus est, JESU Christo Domino nostro.

* *al.* iuncta.

De testimonio Patris & Filii & Sp. S. in cœlo, ob devictum mundũ.

[y] 1. Ioan. 5.

IN OCTAVA PASCHÆ,

De tribus testimoniis.

SERMO II.

EX Epistola beati Joannis hodie nobis est lectio recitata [a]; in qua discimus testimonium dari triplex in cœlo, triplex in terra. Et quidem pro meo sapere, illud stabilitatis, hoc reparationis est signum: illud Angelos, istud homines: illud beatos à miseris, istud justos discernit ab impiis. Angelis siquidem, qui in prima illa prævaricatione superbiente Lucifero, in veritate steterunt, merito testimonium perhibet visio Trinitatis: hominibus, quos divina miseratio salvat Spiritus, Aqua, & Sanguis. Quidni perhibeat testimonium Pater à quibus honoratus est ut pater? Tibi verò, maligne, sic loquitur [b]: *Si ergo ego pater, ubi est honor meus?* Careas omnino neeesse est testimonio patris, cuius tibi gloriam usurpare conaris, non honorare eum cupiens, sed æquare. *Sedebo*, inquit [c], *in monte testamenti, & similis ero Altissimo.* Itane modò creatus, patri spirituum consedebis? Et certè necdum tibi dixit [d]: *Sede à dextris meis.* Si nescis ô impudens. Unigenitus ille est, cui æterna generatione Patris æqualitas collata est & confessus. Tu rapinam cogitans esse æqualis Deo, Filio gloriam invides, gloriam quasi Unigeniti à Patre, ut ne ab ipso quidem testimonium merearis habere. An verò poterit detestatio à Patre & Filio, utriusque Spiritus attestari? Abominatur superbum profecto & inquietum, qui super quietum & humilem requiescit, amator pacis, & unitatis consecrator, adversum te pro pace & unitate zelatur.

Quid mirum, fratres, si timemus, ne forte pusillam hanc vineam Domini depasci singularis ferus incipiat? Quantos enim cœlestis vineæ palmites prima illa singularitas conculcavit? Sed forte superbiam quidem in eo facilè advertistis, non autem singularitatem? Dico ergo, Ubi stabat universitas Angelorum, nunquid caruit singularitatis vitio, qui sedere velle præsumpsit? An forte quæritis unde mihi nota sit hæc statio Angelorum? Duos teneo idoneos testes, quorum uterque quod vidit hoc testatur. *Vidi Dominum sedentem* (ait Esaias [e]) *Seraphim autem stabant.* Et Daniel, *Millia*, inquit [f], *millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* An & tertium desideratis, ut in ore trium testium stet omne verbum? Apostolum profero, qui usque ad tertium raptus est cœlum, & rediens loquebatur [g]: *Nonne omnes administratorii sunt spiritus?* Siccine ubi stant omnes universi ministrant, tu pacis inimice sedebis? Planè contristas spiritum, qui habitare facit unius moris in domo. Offendis charitatem, quia scindis unitatem, rumpis vinculum pacis. Meritò proinde

Ange-

[a] 1. Ioan. 5 — *Testimonium in cœlo ad discernēdos Angelos beatos & reprobos.*

[b] Mal. 1. b

[c] Esa. 14. d

[d] Psal. 109. a — *Luciferi superbia.*

Singularitas reproborum Angelorum.

[e] Esai. 60. a

[f] Dan. 7. d

[g] Hebr. 1. b

Angelorum qui suum nec ordinem nec domicilium reliquere, charitati, unitati & paci spiritus attestatur, à quo sanè tua & invidia & singularitas & inquietudo reprobatur. Et hæc quidem de eo testimonio, quod datur in cœlis.

Testimonium in terra ad discernendos justos ab impiis.

Est & aliud quod datur in terra, ad discernendos utique qui in ea sunt exules, ab indigenis, hoc est, cœli cives à civibus Babylonis. Quando enim sine testimonio electos suos deserat Deus? Aut certè quænam eis esse poterat consolatio inter spem & metum sollicitudine anxia fluctuantibus, si nullum omnino electionis suæ habere testimonium mererentur? Novit Dominus qui sunt eius; & solus ipse scit quos elegerit à principio. Quis verò scit hominum, si est dignus amore, vel odio? Quod si, ut certum est, certitudo nobis omnino negatur, nunquid non tanto delectabiliora erunt, si qua fortè electionis huius signa possimus invenire? Quam enim requiem habere potest spiritus noster, dum prædestinationis suæ nullum adhuc testimonium tenet? Fidelis proinde sermo, & omni acceptione dignus, quo salutis testimonia commendantur. Hoc sanè verbo & electis consolatio ministratur, & subtrahitur reprobis excusatio. Cognitis siquidem signis vitæ, quisquis hæc negligit, manifestè convincitur in vano accipere animam suam, & pro nihilo habere terram desiderabilem comprobatur.

Prædestinatio sua cuique incerta.

Signa quædam Prædestinationis observatu utilia.

Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Scitis, Fratres, quia in primo homine peccavimus omnes, in ipso etiam cecidimus universi. Cecidimus sanè in carcerem luto pariter & lapidibus plenum. Exinde jacebamus captivi, iniquinati, conquassati, donec venit desideratus gentibus qui nos redimeret, ablueret, adiuvaret. Hic est enim qui *sanguinem* proprium dedit in redemptionem, *aquam* simul produxit de latere suo in ablutionem, emisit deinde de excelso *spiritum* suum qui adjuvaret infirmitatem nostram. Vis ergo nosse an hæc aliquid operentur in te, ne forte reus sis *sanguinis* Domini, quem evacuas quantum in te est: sed & *aqua* ipsa quæ debuerat mundare, in sordibus permanenti judicium damnationis accumulet: *spiritus* quoque cui resistis, non liberet maledictum à labiis suis? Cavendum enim ne sint tibi hæc infructuosa, quæ necessariò essent pariter & damnosa.

Triplex testimonium nostræ justificationis à sanguine Christi, Aqua Pœnitentiæ, & gratia Spiritus Sancti.

Quis autem est qui testimonium habet effusi non sine causa *Sanguinis* Christi, nisi qui continet à peccatis? Servus enim peccati est, qui peccatum facit: ut si deinceps continere potuerit, & jugum abjicere miseræ servitutis, certissimum sit testimonium redemptionis, quam operatur sine dubio sanguis CHRISTI. Verùm non sufficit peccatori continentia, si non etiam adsit pœnitentia. Habet ergo & ab

Aqua

Aqua testimonium, qui laborat in gemitu suo lavans per singulas noctes lectum suum. Sicut enim Sanguis ille redemit, ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore; sic Aqua illa abluit ab his peccatis quæ commisimus ante. Sed quid erit quod longo catenarum usu, & carceris habitatione crudeli confracti sumus, atque collisi defecimus in via vitæ? Invocemus *Spiritum* vivificatorem & adiutorem, confidentes quia dabit Pater, qui est in cœlis, spiritum bonum petentibus se. Sanè novum supervenisse spiritum certissimè conversatio nova testatur. Jam ut breviter repetam, à Sanguine, & Aqua, & Spiritu habere est testimonium, si contines à peccatis, si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ.

IN ROGATIONIBUS,

De tribus Panibus.

SERMO.

a Luc. 11. b

Quis vestrum habebit amicum [a], *&c.* Quid est quòd amicum unum perhibet adveniisse, nec tamen contentus est quærere panem unum? Putasne tam voracem æstimabat amicum, ut non posset uni sufficere panis unus? Nam uni quidem tres apponere panes, inconsequens omninò videtur. Puta ergò cum uxore & mancipio hominem adveniisse, ut suum cuique panem apponere velit amicus. Ego quidem amicum venientem ad me non alium intelligo quàm meipsum. Nemo quippe charior mihi, nemo germanior est. Ad me ergo de via venit amicus, cum transitoria deserens, ad cor redeo, sicut scriptum est [b]: *Redite prævaricatores ad cor.* Deinde tunc verè sibi quisque amicus est, cum de via redit, quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam. A die itaque conversionis meæ, de via ad me venit amicus. Venit de regione longinqua, ubi pascere porcos, & ipsorum siliquas insatiabiliter esurire solebat. Venit fame laborans, confectus inedia, attenuatus jeiunio. Venit necesse habens invenire amicum; sed heu me pauperem elegit hospitem, & vacuum ingreditur habitaculum. Quid faciam huic amico misero & miserabili? Omnino enim non habeo, quod ponam ante illum. Fateor, amicus est, sed ego mendicus. Quid venisti ad me amice in necessitate tanta? Ego sum mendicus, & non est in domo mea panis. Festina, inquit, discurre, suscita amicum tuum illum magnum, quo majorem dilectionem nemo habet, neque substantiam ampliorem. Quære, pete, pulsa, quia omnis qui quærit invenit, & qui petit accipit, & pulsanti aperietur [c], Clama & dic [o], *Amice commoda mihi tres panes.*

Expositio tropol. perquam elegans.

b Esa. 46. c

c Matt. 7. a

o Luc. 11. b*

Qui

Qui sunt isti panes, Fratres? Utinam mereamur accipere nos. Fortè enim & ipsos nemo scit, nisi qui accepit. Credo tamen petendos nobis esse tres panes, Veritatis, Charitatis, Fortitudinis. His tribus egere me fateor, veniente ad me amico de via, veniente autem (ut dixi) cum uxore & mancipio. Deficit quippe Ratio mea (ipse est enim vir) præ ignorantia veritatis, languet & Voluntas præ inedia affectionis; infirmatur Caro præ inopia fortitudinis. Nam & ratio minus intelligit quæ agenda sunt, & voluntas minus diligit intellecta, & ad hæc etiam corpus quod corrumpitur aggravat animam, ut non quæcunque volumus, illa faciamus. Aruit cor meum, etiam & corpus meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Neque enim paterer hunc defectum, si jugiter exercita esset ratio in inquisitione veritatis, voluntas in desiderio charitatis, caro in operatione virtutis. Commoda ergo mihi amice tres panes, ut intelligam, ut diligam, ut faciam voluntatem tuam. Sic enim vivitur, & in talibus vita spiritus mei, dicente Scriptura [d]: *Quoniã vita in voluntate eius.* *Tres panes: Veritatis, Charitatis, Fortitudinis.* [d] Psal. 27.

IN ASCENSIONE DOMINI,

De Evangelica lectione.

Sermo I.

Recumbentibus undecim Discipulis apparuit illis Iesus [a]. Apparuit verè benignitas & humanitas Salvatoris. Multam enim fiduciam præstat, quod libentiùs adsit orationi incumbentibus, quandò nec recumbentibus quidem dedignatur adesse. Apparuit, inquam, benignitas eius qui cognovit figmentum nostrum, nec dedignatur necessitates nostras, sed miseratur, si tamen curam carnis non in desiderio facimus, sed in necessitate. Quod considerans idem Apostolus [b], *Sive manducamus*, inquit, *sive aliquid aliud facimus, omnia in gloriam Domini faciamus.* Potest tamen quod recumbentibus apparuit, ad id quoque referri, quod alibi calumniantibus Judæis adversus discipulos non jejunantes, *Non possunt*, inquit, *filii sponsi lugere quamdiu cum eis est sponsus.* Sequitur. *Et exprobavit incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Audis Christum discipulos increpantem, imò (quod durius sonat) etiam exprobrantem, nec quandocunque, sed ea hora qua eis corporalem præsentiam subtracturus, videri poterat magis ab increpatione parcere debuisse. Noli ergo indignari de cætero si te quoque aliquando Christi vicarius increpaverit. Id enim exhibet quod ascensurus ab eis in cœlum, suis Christus legitur exhibuisse discipulis. Sed quid est, fratres, quæ dicit, *his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*? Aut qui fuere, quorum beati oculi glorioſum Resurrectionis Dominicæ

[a] Marc. 16. c

[b] 1. Cor. 10. g

[c] Matt. 9. b

Increpationes æquo animo ferendæ.

minicæ meruerunt videre miraculum ? Neque enim resurgentem illum quisquam legitur aut creditur vidisse mortalium. Restat ergo de Angelis accipiendum, quibus utique resurrectionis testimonium perhibentibus, Apostolorum pusillanimitas hæsitavit.

[d] Psal. 118.i

Jam verò ut faciat quod scriptum est [d], *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me*: visitationis gratiam, exprobrationis censuram, prædicationis quoque doctrina sequatur, & dicat: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Sed quid ad hæc dicemus, Fratres? Magna nimis videtur sæcularibus hominibus in hoc verbo data fiducia, vereórque ne dare eam incipiant in occasionem carnis, blandientes sibi plus quàm oporteat sine operibus de Baptismo & credulitate. Verumtamen consideremus quod sequitur: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur.* Nec minor fortasse videbitur ipsis quoque religiosis ex hoc verbo provenire desperatio, quàm ex verbo priore vanæ spei data sæcularibus occasio videretur. Quis enim ea quæ in præsenti loco scripta sunt signa videtur habere credulitatis, sine qua nemo poterit salvari, quoniam *qui non crediderit, condemnabitur*, &, *sine fide impossibile est placere DEO*? Quis, inquam, dæmonia ejicit, linguis novis loquitur, serpentes tollit? Quid ergo? Si nemo hæc habet, aut perpauci nostris videntur habere temporibus, aut nemo salvabitur; aut hi soli qui his muneribus gloriantur, quæ non tam merita sunt, quàm indicia meritorum, adeo ut multi dicentes [f], *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* audire habeant in judicio, *Nescio vos, discedite à me operarii iniquitatis.* Ubi est, quod ait Apostolus, cum de justo Judice loqueretur [g], *Qui reddet unicuique juxta opera sua*: si (quod absit) quærenda sunt in judicio signa potius, quàm merita?

An pro raritate signorum futura raritas salvandorum.

[e] Hebr. 11.b

[f] Matt. 7. c

[g] Rom. 2.a

Signa credulitatis pariter & salutis.

Sunt tamen & ipsa merita signa quædam certiora, utique & salubriora. Nec difficile arbitror nosse quemadmodum intelligi signa possint præsentia, ut sint indubitata signa credulitatis, ac per hoc & salutis. Primum enim opus fidei per dilectionem operantis, cordis compunctio est, in qua sine dubio *ejiciuntur dæmonia*, cum eradicantur è corde peccata. Exinde qui in Christum credunt, *linguis loquuntur novis*, cum jam recedunt vetera de ore eorum, nec de cætero vetusta protoparentum lingua loquuntur declinantium in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Ubi verò compunctione cordis, & oris confessione priora sunt deleta peccata, ne recidivam patiantur, & jam sint posteriora pejora prioribus, *serpentes tollant* necesse est, id est, ut venenatas suggestiones extinguant. Quid tamen agendum, si qua fortè radix pullulat, quæ tam velociter nequeat extirpari, seu stimulat animum concupiscentia carnis?

Mystica miraculorum operatio omnibus fidelibus conveniens pulchrè describitur.

Profectò

Profectò *si moritiferum quid biberint, non eis nocebit*: quoniam juxta Salvatoris exemplum [b], cum gustaverint, nolent bibere; id est, cum senserint, nolent consentire. Sic enim non eis nocebit, quia nulla damnatio est his qui sunt in Christo Jesu, concupiscentiæ sensus absque consensu. Quid tamen? Molesta certè & periculosa sic corruptæ & infirmæ affectionis lucta: sed *qui crediderint, super ægros manus imponent, & benè habebunt*, id est ægras affectiones bonis operibus operient, & hoc remedio curabuntur. [b] Matt. 27.

IN FESTO ASCENSIONIS.

Quomodo ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia.

Sermo II.

Festi Ascensionis præconia.

SOlemnitas ista, Fratres charissimi, gloriosa est, & ut ita dicam, gaudiosa, in qua & singularis Christo gloria, & nobis spiritualis lætitia exhibetur. Consummatio enim & adimpletio est reliquarum solemnitatum, & felix clausula totius itinerarii Filii Dei. Qui enim descendit, ipse est & qui ascendit [a] hodierna die super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Jam enim cum se Dominum universorum quæ sunt in terra, & in mari, & in inferno, probasset, non restabat, nisi ut aeris & cœlorum se esse Dominum argumentis similibus, vel certè potioribus approbaret. Terra enim cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis eius cum clamasset magna voce, *Lazare veni foras* [b], mortuum reddidit. Cognovit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus eius, ita ut Apostoli eum putarent phantasma esse [c]. Cognovit infernus cuius ipse portas æreas & vectes ferreos confregit [d], ubi & ligavit illum insatiabilem homicidam qui vocatur diabolus & Satanas. Profectò qui mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cæcos illuminavit, claudos firmavit, & omnes exsufflavit infirmitates, Dominus omnium fuit, & eadem manu quâ fecerat, quæ defecerant, reficiebat. Sic & qui in ore piscis cum ipso pisce stateram inveniri prædixit [f], patet proculdubio, quia maris, & omnium quæ in mari moventur, Dominus fuit. Qui verò traducit aerias potestates, & affixit eas cruci suæ, claret quia super infernales officinas potestatem accepit. Hic est enim qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo [g], qui stetit in loco campestri, ut doceret turbas, ante præsidem, ut alapas sustineret; toto tempore quo in terris visus est, & cum hominibus conversatus in laboribus multis, stans & operans salutem in medio terræ.

a Eph. 4. b *Christus Dominus omnium, & ab omnibus creaturis cognitus.*

b Ioan. 11. f

c Matt. 14. & Marc. 6. g

d Psal. 106.

e Apoc. 12. & 20.

f Matt. 17. d

g Act. 10. f

Ascensio Christi clausula laborum eius.

Ad claudendam igitur tunicam tuam inconsutilem Domine JESU, ad perficiendam fidei nostræ integritatem, restat, ut videntibus Discipu-

lis per medium aeris ſicut aeris Dominus aſcendas ſuper omnes cœlos. Ex tunc probabitur quia Dominus univerſorum tu es, quia omnia in omnibus adimpleſti, & jam tibi profectò debebitur, ut in nomine tuo omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia tu es in gloria & in dextera Patris [a]. In hac dextera ſunt delectationes uſque in finem: & ideo monet Apoſtolus, ut quæramus *quæ ſurſum ſunt, ubi Chriſtus eſt in dextera DEI ſedens* [b]: quia illic profectò theſaurus noſter eſt Jeſus Chriſtus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter [i].

[a] Philip. 2. b

[b] Col. 3. d

[i] Coloſſ. 2.

Dolor & timor Apoſt. in Aſcenſ. Chriſti.

Quid tamen putatis, fratres, quantus dolor & timor irruperit Apoſtolica pectora, cum eum viderunt à ſe tolli, & attolli in aera, non ſcalis adjutum, non ſublevatum funibus, etſi angelico comitatum obſequio: non tamen fultum auxilio, ſed gradientem in multitudine fortitudinis ſuæ: Impletum eſt quod eis dixerat [k]: *Quò ego vado, vos non poteſtis venire.* Quocunque enim terrarum iiſſet, eum indiviſibiliter ſequerentur: mare (ſicut Petrus fecit aliquandò [l]) cum eo etiam ſubmergendi intrarent: ſed hac ſequi non poterant: quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem* [m]. Dolor ergo nimius erat, quia videbant illum (propter quem omnia reliquerant) à ſuis ſenſibus & aſpectibus tolli, ut non poſſent ablato à ſe ſponſo, filii ſponſi non lugere: timor, quia orphani relinquebantur in medio Judæorum nondum confirmati virtute ex alto. Benedicens ergo eis ferebatur in cœlum, fortè concuſſis illius ſingularis miſericordiæ viſceribus, cum miſeros ſuos & pauperem ſuam ſcholam relinqueret; niſi quod veniebat parare eis locum, & quia expediebat ut præſentiam eis ſubtraheret corporalem. Quàm felix, quàm digna iſta proceſſio, ad quam ne ipſi quidem adhuc Apoſtoli digni fuerunt admitti, cum & animarum ſanctarum, & cœleſtium virtutum triumphali pompa deductus ad Patrem, ſedet à dextris Dei.

[k] Ioan. 7. c

[l] Matt. 14.

[m] Sap. 9. d

In aſcenſione adimpleta ſunt omnia,

Nunc verè adimplevit omnia, qui natus eſt inter homines, cum hominibus converſatus eſt, ab hominibus & pro hominibus paſſus & mortuus eſt, reſurrexit, aſcendit, ſedet ad dexteram Dei. Agnoſco tunicam deſuper contextam per totum, quam ſuperna illa manſio claudit, ubi adimpletus eſt & adimplevit omnia Dominus Jeſus Chriſtus.

Veruntamen quid mihi & ſolennitatibus iſtis? Quis me conſolabitur, Domine JESU, quia te non vidi in cruce ſuſpenſum, plagis lividum, pallidum morte, quia non ſum crucifixo compaſſus, obſecutus mortuo, ut ſaltem lachrymis meis loca illa vulnerum delinirem? Quomodo me dereliquiſti inſalutatum, cum formoſus in ſtola tua rex gloriæ in alta cœ-

lorum

lorum te recepisti? Prorsus renuisset consolari anima mea, nisi me Angeli in voce exultationis prævenissent, qui dixerunt [n]: *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum, hic IESVS, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, sic*, inquiunt, *veniet.* Ergone veniet quærere nos in illa tam singulari quam universali processione, cum præcedentibus omnibus Angelis & subsequentibus hominibus universis descendet judicare vivos & mortuos? Proculdubio veniet, sed quomodo ascendit, non quomodò ante descendit. Humilis enim prius venit animas salvare, sublimis autem veniet cadaver istud resuscitare, & configurare corpori claritatis suæ, ut infirmiori huic vasculo abundantiorem impendere videatur honorem. Tunc enim videbitur cum potestate magna & maiestate, qui prius in infirmitate carnis latuerat. Intuebor & ego eum, sed non modò: videbo eum, sed non propè: ita ut hæc secunda glorificatio priori glorificationi propter excellentem gloriam manifestè præluceat.

n Act. 1. b

Futurũ Christi Adventum cum primo, & cum eius in cœlum ascensione confert.

Discrimen primi & secundi Adventus.

Manipulus primitiarum nostrarum Christus oblatus est, ad dexteram Patris assumptus, & assistit nunc vultui Dei pro nobis. Sedet autem ad dexteram, habens in dextera misericordiam, in sinistra judicium: & misericordiam multam nimis, & judicium multum nimis: in dextera aquam, in sinistra ignem immobiliter tenens. Et quidem corroboravit misericordiam suam super timentes se secundùm altitudinem cœli à terra [o], ut maiores cumulos miserationum Domini sentiant, quàm sit spatii inter cœlum & terram: propositum namque Dei super illos manet immobile: & misericordia Domini ab æterno & usque in æternum super timentes eum. Ab æterno per prædestinationem, in æternum per glorificationem. Similiter & in reprobis terribilis est super filios hominum, & utrimq; stat fixa sententia æternitatis, & in his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt. Quis scit si omnium vestrum quos hic video, nomina scripta sunt in cœlis, & in libro prædestinationis annotata? Vocationis enim & justificationis vestræ aliquà signa mihi videor intueri in conversatione huius tantæ humilitatis. Quanto putas gaudio replerentur omnia ossa mea, si id scire contingeret? Sed nescit homo utrum si dignus amore, an odio [p].

Christi & misericordia & iustitia utraque immensa & æterna.

o Psal. 102.

p Eccl. 9.

Propterea, dilectissimi, perseverate in disciplina quam suscepistis, ut per humilitatem ad sublimitatem ascendatis, quia hæc est via, & non est alia præter ipsam. Qui aliter vadit, cadit potius, quàm ascendit, quia sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam. Christus enim cum per naturam divinitatis non haberet quò crescere vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est, per descensum quomodò crescere invenit

Humilitas est via ad sublimitatem.

Christus descendens.

veniens incarnari, pati, mori ne moreremur in æternum: propter quod Deus exaltavit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad Dexteram DEI. Vade, & tu fac similiter. Neque enim ascendere potes, nisi descenderis, quia ut æterna lege fixum est [q], *Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur.* O perversitas, ô abusio filiorum Adam, quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi, & leviter ascendunt, & difficilius descendunt, parati ad honores & celsitudines graduum ecclesiasticorum ipsis etiam angelicis humeris formidandos. Ad sequendum autem te Domine JESU vix inveniuntur, qui vel trahi patiantur, qui velint duci per viam mandatorum tuorum. Alii enim trahuntur, qui possunt dicere [r], *Trahe me post te.* Alii ducuntur, qui dicunt: *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Alii rapiuntur, sicut Apostolus raptus est ad tertium cœlum. Et primi quidem felices, qui in patientia sua possident animas suas: secundi feliciores, quia ex voluntate sua confitentur ei: tertii felicissimi, qui in profundissima Dei misericordia, quasi quodammodo sepulta jam arbitrii sui potestate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur, nescientes sive in corpore, sive extra corpus, hoc solum scientes, quòd rapti sint. Beatus qui ubique te ducem habet Domine JESU, non illum refugam spiritum, qui statim ascendere voluit, & tota divinitatis dextra percussus est. Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ sequamur te: per te, ad te: quia *tu es Via, Veritas, & Vita* [s], via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Verba enim æternæ vitæ habes, & nos cognoscimus & credimus quia tu es Christus filius DEI vivi [t], qui es super omnia DEUS benedictus in sæcula, AMEN.

& quasi decrescens ascendit & crevit.

*q Luc. 14. b & 18. c

Hominum perversitas in ambiendis honoribus.

*r Cant. 1. a

Ad Iesum alii itidem trahuntur, alii ducuntur, alii rapiuntur.

*s Ioan. 14. b

*t Ioan. 6. g

IN ASCENSIONE DOMINI:

De Intellectu & Affectu,

SERMO III.

HOdie cœlorum Dominus, cœlorum alta cœlesti potentia penetravit, & infirma carnis tanquam nubila quædam excutiens, induit stolam gloriæ. Elevatus est Sol in ortu suo, incaluit & invaluit. Dilatavit & multiplicavit radios super terram, nec est qui se abscondat à calore eius. Rediit ad regionem Sapientiæ Sapientia Dei, ubi omnes bonum & intelligunt & requirunt, intellectu perspiciacissimi, affectu paratissimi ad audiendam vocem sermonum eius. Nos autem in regione ista sumus, ubi plurimum est malitiæ, sapientiæ parum: quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem,*

tem [a]. Per *sensum* hìc ego arbitror intellectum designari: qui tunc verè deprimitur cùm multa cogitat, cùm non colligit se circa illam unam & unicam meditationem, quæ concipitur de civitate illa cuius participatio eius in idipsum. Huiusmodi intellectum oportet deprimi & distrahi per multa, multis & multiplicibus modis. *Animam* verò hic æstimo dici affectiones, quæ corrupto corpore diversis passionibus afficiuntur, quæ mitigari nunquam possunt (ne dicam sanari) donec voluntas unum quærat, & tendat ad unum.

*a Sap. 9. b

Duo in nobis purganda: intellectus, & affectus.

Duo ergo sunt quæ in nobis purganda sunt, intellectus & affectus: Intellectus ut noverit, affectus ut velit. Felices & verè felices illi duo viri Helias & Enoch, quibus omnes materiæ & occasiones ablatæ sunt, quæ eorum intellectum impediant vel affectum, quia soli Deo viventes nec noverunt nisi Deum, nec cupiunt nisi Deum. Denique & de Enoch legitur * quia *raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius* [b]. Intellectus noster turbatus erat, ne dicam cæcatus: affectus inquinatus erat, & multum inquinatus: sed Christus intellectum illuminat, Spiritus sanctus affectum purgat. Venit enim Filius Dei, & tot & tanta mirabilia in mundo operatus est, ut non immeritò intellectum nostrum ab omnibus mundanis rebus evocaverit; ut semper cogitemus, & nunquam cogitare sufficiamus, quia mirabilia fecit. Verè latissimos nobis ad spatiandum intelligentiæ campos dereliquit: & torrens cogitationum istarum profundissimus est, qui juxta Prophetam non possit transuadari. Quis enim sufficiat cogitare qualiter rerum Dominus prævenerit nos, venerit ad nos, subvenerit nobis, & singularis illa majestas voluerit mori ut viveremus, servire ut regnaremus, exulare ut repatriaremur, & usque ad servilissima opera inclinari, ut constitueret nos super omnia opera sua?

* *Eccli.* 44. *legitur,* Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum. *at verba hic citata, sed nulli appropriata leguntur.* Sapient. 4.

[b] Ezech. 47. a

Cur Deus in carne se visibilem præbuit.

Talem se obtulit Apostolis Apostolorum Dominus, ut jam non invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent, sed ipse facie ad faciem videretur, qui omnia fecit. Et quia discipuli carnales erant, & Deus spiritus est, nec bene convenit spiritui, & carni, umbra corporis sui temperavit se eis, ut obiectu vivificæ carnis viderent verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, cereum in laterna. Spiritus enim oris nostri Christus Dominus, cui diximus, *in umbra tua vivemus* inter gentes* [d]. In umbra, inquit, tua inter gentes, non inter Angelos, ubi purissimum lumen purissimis oculis intuebimur. Unde & virtus Altissimi obumbrabit Virgini, ne nimio splendore præstricta, divinitatis fulgur etiam illa singularis aquila tolerare non posset. Ad hoc autem carnem eis proposuit, ut omnem cogitatum eorum ab humanis rebus ad carnem suam (qua & mira-

* *al.* vivimus.

[d] Thren. 4. d

& mirabilia dicebat, & mirabilia faciebat) adunaret, & sic de carne transferret ad spiritum, quia spiritus est DEUS: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare [e]. Non tibi videtur eis intellectum illuminasse, cum aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas, ostendens quia hæc oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam [f]?

e Ioan. 4

f Luc. 24.

Sed illi sanctissimæ carni eius assuefacti, verbum de discessu eius audire non poterant, ut eos relinqueret, pro quo omnia reliquissent. Quare hoc? Quia intellectus illuminatus erat, sed nondum purgatus affectus. Unde & benignus magister blandè eos ac dulciter consolabatur, dicens [g]: *Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Quid est quòd Christo commorante in terris, Spiritus sanctus ad eos venire non potuit? An carnis illius consortium abhorrebat, quæ de ipso & per ipsum in Virgine & de Virgine matre concepta erat & nata? Absit; sed ut ostenderet nobis per quam ambularemus viam, formam apponeret cui imprimeremur. Et illi quidem illis plorantibus elevatus in cœlum Spiritum Sanctum misit, qui affectum eorum, id est, voluntatem mundavit, imò potius alteravit, ut jam magis Dominum velint ascendisse, quàm * priùs detinuisse voluerant. Impletum est quod eis prædixerat [h]. *Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra convertetur in gaudium.* Sic ergo eorum intelligentia per Christum illuminata est, & voluntas emundata per Spiritum; ut sicut bonum noverint, sic & velint, quod solùm perfecta religio vel religiosa perfectio est.

Cur Apostoli Christi discessum ægrè audirent.

g Ioan. 16. b

Cur Spiritus sanctus non venerit ad Apost. Christo etiamnũ præsente.

* *al.* qui.

h Ioan. 16. b

Recordor nunc Helisæi sancti, qui cum Helias dixisset, ut in discessu vel ascensu suo postularet quod vellet, respondit: *Oro ut fiat spiritus tuus duplex in me. At ille: Rem difficilem postulasti: attamen si videris quando tollor à te, erit quod petisti* [i]. Nonne tibi videtur Helias ascendentis Domini signare personam, Helisæus verò chorum apostolicum in Ascensione Christi anxiè suspirantem? Sicut enim Helisæus ab Helia nullo pacto avelli poterat, sic nec Apostoli à Christi præsentia poterant separari. Vix enim tandem eis persuasit, quia sine fide impossibile esset placere DEO. Quis est ergo spiritus iste duplex qui quæritur, nisi illuminatio, intellectus, & affectus purgatio? Res difficilis, quia rarus in terris est qui illum habere mereatur. *Attamen*, inquit, *si videris quando tollar à te, eris quod petisti.* Nihil est quod propter hoc habeant perdere vel debeant alumni tui Domine JESU, quia videntibus illis es elevatus in cœlum, & desiderantibus oculis te sequuti sunt gradientem in multitudine fortitudinis tuæ. Vel certè *spiritum duplicem* dicere possumus illud quod Salvator ad Discipu-

i 4. Reg. 2. b

Helias in cœlum subvectus Christi ascendentis typus.

Rari quorum intellectus illuminatus & affectus purgatus.

Spiritus duplicis expositio.

Discipulos ait [k]: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Nonne maiora Christo, per Christum tamen, fecit Petrus de quo legitur [l], quia *in plateis ponebantur infirmi in lectulis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis*? Nusquam enim Dominus umbra sua invenitur infirmitates sanasse.

[k] Ioan. 14. b

[l] Actor. 5. c

Non dubito ergo intellectum omnium vestrum qui hîc estis, illuminatum esse: sed non affectum æque esse purgatum, manifestis approbabo coniecturis. Omnes quod bonum est nostis, & viam per quam incedere, & quomodo in ea incedere debeatis, sed voluntas non una est. *Quidam* enim ad omnia viæ & vitæ huius exercitia non solum ambulant, sed & currunt, imò potius volant, ut eis & vigiliæ breves, & cibi dulces, & panni suaves, labores non solùm tolerabiles sed & appetibiles videantur. *Alii* autem non sic, sed corde arido & affectione recalcitrante, vix trahuntur ad hæc, vix gehennali timore compelluntur. *Quosdam* nec compellimus quidem, quibus frons mulieris meretricis facta est, & nolunt erubescere. Sunt iterum *multi* inter nos qui de uno pane comedunt nobiscum, dormiunt nobiscum, cantant nobiscum, laborant miseri & miserabiles, utpote socii tribulationis, sed consolationis non ita. Nunquid abbreviata est manus Domini, ut omnibus donare non possit, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione? Quid ergo incausa est? Illud omnino, quia non vident Christum cum tollitur ab eis, id est, non cogitant quomodo eos orphanos reliquerit, quòd peregrini & advenæ sint super terram; quòd tamdiu fæculenti corporis horrido carcere teneantur, & non sint cum Christo. Huiusmodi autem si diu ita permanserint sub onere, aut opprimuntur & succumbunt, aut quodammodo in inferno sunt, ut nunquá ad plenum respirent in lucem miserationum Domini, nec in libertatem spiritus, quæ sola facit jugũ suave, & onus leve.

Vitæ religiosæ studia quam dispari voluntatis affectu colantur.

Ad vitæ religiosæ munia cur plerique tam torpidi & tepidi.

Inde autem tam pernicioſa tepiditas emanat, quia affectus, id est, voluntas eorum nondum purgata est, nec bonum sic volunt sicut noverunt à propria concupiscentia abstracti graviter & illecti. Amant enim in carne sua terrenas consolatiunculas, sive in verbo, sive in signo, sive in facto, sive in aliquo alio, & hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Inde est, quod rarò affectiones suas dirigunt in Deum, & eorum compunctio non continua, sed horaria est. Impleri autem visitationibus Domini anima non potest, quæ distractionibus subiacet, & quantò magis illis evacuabitur, tantò ampliùs istis implebitur, si multum, multum; si parum, parum. Vel certè si magis probas, nunquam istæ illis misceri poterunt in æternum; quia ubi vasa vacua non invenit

Pernicioſa tepiditas unde.

Consolationes carnis & spiritus sese non compatiuntur.

*al.mittitur. invenit oleum, stare necesse est : nec mittunt * vinum novum nisi in utres novos, ut ambo conserventur. Neque enim spiritus & caro, ignis & tepiditas in uno domicilio commorantur, præsertim cum tepiditas ipsi Domino soleat vomitum provocare [o].

o Apoc.3.a

Sic enim Apostoli adhuc carni Dominicæ inhærentes, quæ sola sancta, quia Sancti sanctorum, erat, Spiritu sancto repleri nequiverint, donec tolleretur ab eis; tu carni tuæ, quæ sordidissima est, & diversarum spurcitiarum phantasiis repleta, astrictus & conglutinatus, illum meracissimum Spiritum te posse putas suscipere, nisi carneis istis consolationibus funditus renunciare tentaveris? Revera cum inceperis, tristitia implebit cor tuum : sed si perseveraveris, tristitia tua convertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus, & voluntas renovabitur, vel potius nova creabitur : ut omnia quæ primò difficilia, imo impossibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine & aviditate. *Emitte*, inquit [m], *spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Sicut per faciem exterior homo cognoscitur, sic per voluntatem demonstratur interior. Emisso ergo spiritu creatur & renovatur facies terræ, id est, terrena voluntas fit cœlestis, parata ad nutum citiùs obedire. Beati qui tales sunt: qui non solùm malum non sentiunt, sed in mira quadam cordis dilatatione commorantur. De illis enim quos supra commemoravimus, terribiliter ait Deus [n] : *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt*, id est carnales : & quicquid in eis spiritus fuerat, in carnem evanuit.

Renunciare deliciis carnis initio grave, postea suave.

m Ps.103.c*

n Gen.6.d

Quia igitur, charissimi hodierna dies est in qua sponsus aufertur à nobis, & non sine tumultu aliquo animorum nostrorum : ad hoc tamen ut mittat nobis Spiritum veritatis, ploremus & oremus, ut dignos nos inveniat, vel potius efficiat, & repleat domum istam, ubi sumus sedentes, quatenus non vexatio, sed unctio eius doceat nos de omnibus : sicque & intellectu clarificato, & affectu purificato veniat ad nos, & apud nos faciat mansionem. Et sicut serpens Moysi devoravit omnes serpentes magorum [o], sic iste cum venerit, absorbebit omnes carnales affectiones & delectationes nostras & consolationes, ita ut de labore requiem, de tribulatione lætitiam, de contumelia gloriam habeamus, sicut illi quos repleverat, ibant gaudentes à conspectu concilii; quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati [p] : Spiritus enim Jesu spiritus bonus, Spiritus sanctus, spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus principalis : quicquid in hoc sæculo nequam videtur difficile & angustum, leve facit, & latum : opprobrium gaudium judicat, despectionem exultationem esse persuadet. Scrutemur ergo, juxta Prophetam [q] vias nostras, & studia nostra,

o Exod.7

p Actor.5.

q Thren.3.c

nostra, levemus corda nostra, cum manibus ut in solemnitate Sancti Spiritus gaudeamus, & abundantius gaudeamus, qui nos inducat in omnem, sicut promisit Deus Filius veritatem.

IN FESTO ASCENSIONIS.

De duabus malis Ascensionibus, Dæmonis & primi hominis, & sex bonis, Christi & nostris.

SERMO IV.

SI Nativitatis & Resurrectionis Dominicæ digna devotione solennia celebramus, hodiernum quoque Ascensionis diem non minus devotè convenit celebrari. In nullo siquidem à festivitatibus illis ista degenerat, sed finis earum & adimpletio est. Meritò quidem solemnitatis & lætitiæ dies agitur, quando sol ille supercœlestis, sol justitiæ nostris se præsentavit obtutibus, nube carnis, & mortalitatis sacco fulgorem suum & lucem temperans inaccessibilem. Magna quoque lætitia & exultatio multa nimis, quando consciso sacco, lætitiâ circundatus est, factáque de medio sacci ipsius non quidem substantia, sed vetustate, sed corruptione, sed miseria, sed utilitate, nostræ dedicavit primordia resurrectionis. Verumtamen quid mihi & solemnitatibus istis, si conversatio mea usque adhuc detinetur in terris? Quis verò vel desiderare præsumeret ascensum cœli, nisi quia is qui descenderat, prior ascendit? Dico ergo vobis, non multò mihi tolerabilior videretur exilii huius habitatio, quam gehenna, nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen fiduciæ & expectationis, quando elevatus est in nubibus, & spem fecit credentibus. Denique *nisi ego abiero*, inquit [a], *Paracletus non veniet ad vos.* Quis Paracletus? Utique per quem diffunditur charitas, & jam spes non confundit, ille Paracletus, per quem in cœlis sit conversatio nostra, virtus ex alto, per quam sursum sint corda nostra. *Vado*, inquit [b], *parare vobis locum: & si abiero, iterum veniam, & assumam vos ad me ipsum. Ubi enim fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Vides ne quemadmodum cæterarum solemnitatum ea quam hodie celebramus, & consummationem habeat, & fructum declaret, & augeat gratiam.

Hodiernæ solemnitatis elogia.

[a] Ioan. 16. b

[b] Ioan. 14. a

Sicut enim cætera omnia eius qui nobis natus est, & nobis datus, ita ipsa quoque ipsius Ascensio propter nos facta est, & facit pro nobis. In nostra siquidem vita, multa, quantum in nobis est, videmur agere casu, multa necessitate, sed Christus Dei virtus & Dei sapientia neutri potuit subiacere. Quæ enim Dei virtutem necessitas cogeret, aut quid ageret Dei Sapientia casu? Omnia proinde quæcunque loquutus est, quæcunque operatus est, quæcunque passus est, ne dubites fuisse voluntaria, plena

Omnia Christi gesta, certo consilio & ma-

quo mysterio constant.

sacramentorum, plena salutis. Hæc scientes, si quid aliquando eorum quæ de Christo sunt, in nostram scientiam venire contingat, non sic audiendum est tanquam si inventitium quidpiam proferamus, sed tanquam id quod etiam priusquam causa sciretur, constaret nequaquam sine causa fuisse. Sicut enim qui scribit, certis rationibus collocat universa; ita quæ à Deo sunt, ordinata sunt, maximéque ea quæ præsens in carne est operata maiestas. Sed væ angustæ cognitioni*, væ paupertati scientiæ nostræ, qui tantùm ex parte cognoscimus, & parte modica. Vix scintillulæ quædam nobis elucent de tanta luminis copia, de lucerna posita super candelabrum. Sanè quantò minus singuli capimus, tantò fideliùs cæteris communicanda sunt quæ singulis revelantur. Et ego, fratres, quæ mihi ad vestram ædificationem de ascensione, imò de ascensionibus suis donare ipse dignatur, nec volo nec debeo subtrahere vobis, præsertim quod hæc sit spiritualium prærogativa donorum, ut communicata non minuantur. Aliquibus fortassis hæc nota sunt, quibus similiter revelata sunt; sed propter eos qui fortè non adverterunt sublimioribus intenti, aut aliis occupati, seu etiam propter eos qui minus capacis intelligentiæ sunt, mihi incumbit loqui quæ sentio.

*al. cogitationi.

Christus qui descendit, ipse est & qui ascendit [c]. Apostoli verba sunt hæc. Ego autem credo eum in hoc ipso quod descenderit, ascendisse. Sic enim oportebat Christum ascendere, ut nos ascendere doceremur. Cupidi quidem sumus ascensionis: exaltationem concupiscimus omnes. Nobiles enim creaturæ sumus, & magni cuiusdam animi, ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio. Sed væ nobis, si voluerimus eum sequi, qui ait [d]: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis.* Heu miser, in lateribus aquilonis? Frigidus est mons ille, non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam, altitudinem præsumis potentiæ. Quanti tamen usque hodie fœda sequuntur infeliciaque vestigia, imò verò quàm pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur? Hinc est, quòd benefici vocantur, qui potestatem habent, hinc quòd laudatur peccator in desideriis animæ suæ. Potentibus siquidem omnes adulantur, invident omnes. Quem sequimini miseri homines, quem sequimini? An non videtis Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem; Nonne iste est mons, in quem ascendit Angelus, & diabolus factus est? Vel illud advertite, quod post casum suum invidiâ cruciante malè sollicitus de supplantando homine, illius tamen montis ascensum nullatenus ausus est suadere ei, in quo nimirum pro inani ascensu tam immane præcipitium cognosceretur expertus.

[c] Eph. 4. b

Christus ascendens nos quoque docet ascendere.

[d] Esa. 14. d

Cave ergò ascendere cum Satana.

Ambitio potestatis & eminentiæ perniciosa ascensio.

Ambitiosi, sectatores Satanæ.

Sed non defuit versuto hosti quid ageret. Similem ei montem alterum

rum demonstravit, *Eritis*, inquiens [e], *sicut dii, scientes bonum & malum.* Pernicioſa etiam hæc aſcenſio, imò magis deſcenſio eſt de Hieruſalem in Hierico. Peſſimus mons inflans ſcientia, in quem tamen uſque hodie videas tanta concupiſcentia plurimos repere filiorum Adam, ac ſi non noverint quantum pater eorum in illius montis aſcenſu deſcenderit, imò quam graviter ceciderit, quantum tota deiecta ſit & conquaſſata poſteritas. Nondum ſanata ſunt vulnera quæ tibi in aſcenſu montis illius inflicta ſunt, licet adhuc in patre lateres: & nunc iterum in propria perſona conaris aſcendere: ut ſit error noviſſimus peior priore? Quænam miſeris tam dira libido? Filii hominum uſquequo gravi corde [f], ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? An ignoratis, *quoniam infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia: & ſtultos mundi elegit Deus ut confundat ſapientes* [g]? Non nos Dei comminantis terror revocat, perdituri Sapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobaturi? non patris exemplum, non denique ſenſus ipſe noſter, & duræ experientia neceſſitatis, cui ſumus addicti per inſipientem ſcientiæ appetitum.

Scientia inflans noxia aſcenſio eſt. Hinc Adamo & poſteris ruinæ cauſſa.

e Gen. 3. a

f Pſal. 4. a

g 1. Cor. 1. d

Ecce vobis, fratres, montem demonſtravimus alium, non in quem aſcendatis, ſed quem fugiatis. Ipſe eſt in quem aſcendebat qui voluit eſſe ſicut Deus, ſciens bonum & malum: ipſe quem uſque hodie filii eius accumulant & elevant, nihil invenientes tam vile, unde non velint montem elevare ſcientiæ. Videas alium literarum, alium mundialis curæ, iſtum placitationum diſplicentium Deo, illum ſervilis cuiuslibet artis tam vehementer affectare ſcientiam, ut laborem non reputet, tantummodo ut poſſit aliquibus doctior reputari. Sic ædificant Babel, ſic putant ad Dei ſe perventuros ſimilitudinem: ſic concupiſcunt quod non expedit, quod expedit omittentes. Quid vobis & montibus iſtis, in quorum aſcenſu tanta difficultas eſt, & tam grande periculum: aut cur eum deſeritis montem, cuius & facilis eſt aſcenſus & perutilis? Poteſtatis ambitio Angelum felicitate privavit Angelica; ſcientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria ſpoliavit. Conetur quis aſcendere in montem poteſtatis: quantas putas contradictiones habebit, quantos inveniet repulſores, obſtacula quanta, quàm difficilem viam? Quid ſi tandem eum adipiſci contigerit quod optabat? *Potentes*, ait ſcriptura [h], *potenter tormenta patientur*, ut præſentes ſollicitudines & anxietates quas poteſtas ipſa parit, omittam. Cupidus alter eſt inflantis ſcientiæ, quantum laborabit, quantum anxiabitur ſpiritus eius? Et tamen audiet, Nec ſi te ruperis apprehendes. In amaritudine morabitur oculus eius, quoties videre contigerit, cui ſe poſteriorem judicet, aut putet ab aliis reputari. Quid cum intumue-

Hominum Vanitas noxio & nimio ſciendi deſiderio flagrantium.

Poteſtatis ambitio perdidit Angelũ, appetitus ſcientiæ hominem.

h Sap. 6. a

Cupiditas poteſtatis & ſcientiæ quantis obnoxia periculis & malis

i 1. Cor. 1. c intumuerit multum ? *Perdam*, inquit Dominus [i], *sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.*

Jam ne multis immorer, vidistis (ut arbitror) quàm fugiendus nobis sit mons uterque, si præcipitium Angeli, si casum hominis expaveſcimus. Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos [o]. Quid tamen agimus ? Ascendere sic non expedit, & ascendendi tenemur concupiscentia. Quis docebit nos ascensum salubrem ? Quis nisi de quo legimus [k]. *Quoniam qui descendit, ipse est & qui ascendit* ? Ab ipso demonstranda nobis erat ascensionis via, ne ductoris, imò seductoris iniqui aut vestigium aut consilium sequeremur. Quia ergo non erat quò ascenderet, descendit Altissimus, & suo nobis descensu suavem ac salubrem dedicavit ascensum. Descendit de monte potentiæ, carnis infirmitate circundatus : descendit de morte scientiæ, quoniam placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quid enim tenello corpore & infantilibus membris videtur infirmius ? Quid indoctius apparet parvulo quia sola matris ubera noverit ? Quis impotentior eo, cuius omnia membra clavis affixa, cuius omnia dinumerantur ossa ? Quis insipientior eo, qui tradebat in mortem animam suam, & quæ non rapuit tunc exolvebat ? Vides quàm multum descenderit, quantum à potentia sua, quantum à sapientia sua exinanierit semetipsum. Sed non potuit altiùs montem bonitatis ascendere, nec suam commendare expressiùs charitatem. Nec mirum si descendendo Christus ascendit : quando priorum uterque cecidit ascendendo. Et mihi quidem videtur montis huius ascensorem quærere qui dicebat [l] : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius* ? Fortè etiam Isaias ascensionis desiderio cadentes intuens homines, ad hunc revocabat montem, exclamans [m] : *Venite ascendamus in montem Domini.* An non manifestè eos de priorum montium ascensione redarguens, montis huius prædicat ubertatem : qui ait [n], *Ut quid suspicamini montes coagulatos ? Mons coagulatus, mons pinguis.* Hic est igitur mons domus Domini præparatus in vertice montium, super quos lasciscentem sponsum inspexerat, quæ dicebat [o] : *Ecce venit iste saliens in montibus.* Docebat enim ignarum viæ : trahebat parvulum, infantulum deducebat : ideoque velut quibusdam passibus ibat, ut de virtute in virtutem videretur DEUS deorum in Sion. Justitia enim eius sicut montes Dei.

Sed jam (si placet) saltus etiam ipsos intueamur, quibus exultavit ut gigas ad currendam viam [p], & cuius egressio à summo cœli, per gradus quosdam usque ad summum eius occurrit [q]. Primum ergò constitue montem illum in quem ascendit cum Petro & Jacobo & Joanne, ubi

o 2. Reg. 1. d

Quis salutaris ascensus; docetur Exemplo Christi.

k Ephes. 4. b

Christus descendendo per humilitatem ascendit.

l Psal. 23. a

m Esai. 2. a

n Psal. 67. c

o Cant. 2. b

p Psal. 18. b

q Matt. 17. a

ubi & transfiguratus est ante eos. Refulsit facies eius ut sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Resurrectionis gloria ista est, quam in monte spei contemplamur. Ut quid enim ascendit ut transfiguraretur, nisi ut doceret nos cogitatione ascendere ad futuram illam gloriam quæ revelabitur in nobis? Felix cuius meditatio in conspectu Domini est semper, qui in corde suo delectationes dexteræ Domini usque in finem sedula cogitatione revolvit. Quid enim grave illi poterit videri, qui semper mente tractat, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cuius oculus semper videt bona Domini in terra viventium, semper videt æterna præmia: *Tibi dixit cor meum* (Propheta loquitur Domino [r]) *tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.* Quis mihi tribuat, ut omnes surgentes stetis in excelso, & videatis exultationem quæ ventura est vobis à Domino?

Prima Ascensio quâ cum Christo ascendendum; Cœlestis gloriæ contemplatio, in monte Thabor designata.

[r] Psal. 26. c

Non sit molestum vobis obsecro quod in monte hoc aliquando diutius immoramur. Poterimus enim cæteros festinantiùs pertransire. Veruntamen in isto quem non detineat sententia illa sancti Petri, quam in eo protulit, & de eo: *Domine* (inquiens [s]) *bonum est nos hîc esse*? Quid est, *bonum est*, imò quid aliud videtur bonum, quàm in bonis animam demorari quandoquidem adhuc corpus non potest? Puto quod eius qui ingrediebatur in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei [n], in voce exultationis & confessionis, sonus epulantis fuerit: *Bonum est nos hîc esse.* Quis enim ex vobis secum cogitans futuram illam vitam, sed lætitiam, sed jucunditatem, sed beatitudinem, sed gloriam filiorum Dei; quis, inquam, talis tranquilla secum conscientia volvens, non continuo de plenitudine intimæ suavitatis eructat: *Domine bonum est nos hîc esse*? Non sanè in hac ærumnosa peregrinatione ubi corpore detinetur, sed in suavi ac salubri illa cogitatione in qua corde versatur. *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam* [t]? Vos autem filii hominum, filii hominis qui descendit de Hierusalem in Hierico, filii hominum usquequo gravi corde? Ascendite ad cor altum, & exaltabitur Deus. Hic est enim mons in quo transfiguratur Christus. Ascendite, & scietis quoniam Dominus sanctum suum mirificavit.

[s] Matt. 17. a

[n] Psal. 41. a

[t] Psal. 54. b

Obsecro vos, fratres mei, non graventur corda vestra in curis sæcularibus: nam de crapula & ebrietate (gratiasDeo) non magnopere necesse habeo vos admonere. Exonerate obsecro corda vestra gravi mole terrenarum cogitationum, ut sciatis mirificatum à Domino sanctum suum. Levate corda vestra cum manibus quibusdam cogitationum, ut transfiguratum Dominum videatis. Formate in cordibus vestris non modò

Ad supernæ gloriæ, & Cœlestium mansionum contemplationem elegans exhortatio.

Patriar-

Patriarcharum & Prophetarum tabernacula, sed omnes domus illius cœlestis multiplices mansiones secundum eum, qui circuibat immolans in tabernaculo Domini hostiam vociferationis, cantans, & Psalmum illum dicens Domino [u]: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Circuite & vos charissimi, cum pietatis & devotionis hostia, visitantes animo sedes supernas, & multas, quæ in domo Patris sunt mansiones, humiliter prosternentes corda vestra ante thronum Dei & Agni, cum reverentia supplicantes singulis ordinibus Angelorum, Patriarcharum numerum, cuneos Prophetarum, & senatum Apostolicum salutantes; coronas martyrum suscipientes, purpureis rutilantes floribus; redolentes liliis choros Virginum admirantes, atque ad mellifluum novi cantici sonum quantum prævalet infirmitas cordis, erigentes auditum. *Hæc recordatus sum* (Propheta loquitur Domino [x]) *& effudi in me animam meam.* Quæ? *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Et item: *Memor fui,* inquit [y], *Dei, & delectatus sum.* Quem viderunt Apostoli, vidit & iste, nec dissimili, ut arbitror, visione: nisi quod spirituale totum habuit huius visio, corporeum nihil. Omnino non videbit eum sicut is, qui dicebat [z]: *Vidimus eum, & non erat illi species neque decor.* Transfiguratum proculdubio vidit & speciosum forma præ filiis hominum, qui delectatum se perhibet, sicut & Apostoli, *Bonum est,* inquiunt Domino [a], *nobis hîc esse.* Et ut nihil desit propositæ similitudini, illi quidem proni cecidisse leguntur, hic verò suum fatetur spiritum defeciisse. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Ascendentes igitur in hunc montem, & revelata facie gloriam Domini speculantes, haud dubium quin clamare habeatis & vos: Trahe nos post te. Quid enim prodest scire quò sit eundum, si quidem quà debeas ire non noveris?

[u] Psal. 83. a
[x] Psal. 41. a
[y] Psal. 76. a
[z] Esa. 53. a
[a] Matt. 17. a

Altera Ascensio, Meditatio doctrinæ & prædicationis Evangelicæ.

Alterum proinde montem ascendas necesse est, in quo prædicantem audias, & scalam erigentem octo distinctam scalaribus, cuius summitas cœlos tangit. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum,* Jam si primum ascenderis montem jugi meditatione supernæ gloriæ, istum nihilominus montem ascendere non gravaberis, ut in lege eius mediteris die ac nocte: sicut idem Propheta non solùm meditabitur in præmiis, sed & in mandatis Domini quæ dilexit [c]. Sic enim audies & tu, *& quo eam, scitis* [o], propter Ascensionem primam. *Et viam scitis,* propter secundam. Propterea in corde tuo pone viam veritatis inquirere, ne fortè sis de eorum numero, qui viam civitatis habitaculi non invenerunt. Magis autem sollicitus esto ascendere

[b] Matt. 5. a
[c] Psal. 118.
[o] Ioan. 14.

dere non modò cogitatione cæleſtis gloriæ, ſed & converſatione quæ cœleſtem gloriam mereatur.

Tertium nihilominus montem lego*, in quem aſcendit ſolus orare. Vide ergo quàm bene ſponſa in Canticis. *Ecce*, inquit [d], *venit iſte ſaliens in montibus.* In *primo* transfiguratus eſt, ut ſcires quò tenderes: in *ſecundo* verba vitæ loquutus eſt, ut ſcires quà pervenires: oravit in *tertio*, ut eundi & perveniendi bonam obtinere ſtudeas voluntatem. *Scienti enim bonum, & non facienti, peccatum eſt illi* [e]. Propterea ſciens quoniam in oratione datur bona voluntas, cum videris, quæ agenda ſunt, ut convaleſcas ad agenda, quæ videris, aſcende tu ad orationem, ora inſtanter, ora perſeveranter, ſicut ille pernoctabat in oratione, & dabit Pater bonus ſpiritum bonum petenti ſe. Et vide quàm utiliter orationis tempore etiam corporalis loci ſecretum quærimus, quando hoc ille non ſolùm docuit verbo, *Intra*, inquiens [f], *in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum*: ſed & commendavit exemplo, nec domeſticorum quemquam admittens, ſed ſolus aſcendens ad orationem.

Tertia Aſcenſi; Oratio.

* Matt. 14.

d Cant. 2. b

e Iacob. 4. d

Seceſſus orandi gratia.

f Matt. 6. a

Putas poterimus aliquid amplius de eius aſcenſionibus invenire? Poterimus utique. Volo enim ut nec jumenti ipſius ſis immemor, ſuper quod legitur aſcendiſſe. Volo ut nec ipſam Crucis Aſcenſionem omittas: Nam & illa exaltari oportebat filium hominis. Et *ego*, inquit [g], *ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Itaq; cum jam & cognitio ſuppetit, & velle adjacet, quid agis quod perficere bonum non invenis? ſed aſſinini quidam & beſtiales motus legem contrariam habent, & captivare te volunt. Quid, inquam, facies ſuper concupiſcentiis irrationalibus, quæ ſunt in membris tuis? Urget te etiam cum jejunare conſentis, gulæ illecebra: cum vigilare proponis, ſomnolentia premit. Quid faciemus huic Aſino? Aſininum enim iſtud eſt, commune cum aſinis: quia homo *comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* [h]. Aſcende Domine ſuper aſinum iſtum, conculca hos beſtiales motus, quia domari debent, ne dominari prævaleant. Niſi enim calcati fuerint, conculcabunt nos: niſi premantur, oppriment nos. Propterea ſequere anima mea, & in hac aſcenſione Chriſtum Dominum, ut ſub te ſit appetitus tuus, & tu domineris illius. Nam ut in cœlum aſcendas, prius neceſſe eſt levare te ſuper te, calcando carnalia deſideria quæ in te militant adverſum te.

Aliæ Chriſti Aſcenſiones myſticè ad inſtructionē noſtram expoſitæ.

g Ioan. 12. c

Quarta aſcenſio ſuper aſinum.

h Pſal. 48. c

Beſtialis concupiſcentiæ motus comprimendi.

Sequere etiam Aſcendentem crucem exaltatum à terra: ut non ſolùm ſuper te, ſed & ſuper omnem quoque mundum mentis faſtigio colloceris, univerſa quæ in terris ſunt deorſum aſpiciens & deſpiciens, ſicut ſcriptum eſt: *Cernent terram de longe* [i]. Nulla te mundi oblectamenta inclinent, nullæ adverſitates dejiciant. Abſit tibi gloriari niſi

5. *Aſcenſio ſuper crucem.*

i Eſa. 33. c

nisi in cruce Domini tui Jesu Christi, per quem tibi mundus crucifixus est: ut quæ mundus appetit, crucem reputes: & tu crucifixus mundo, illis quæ mundus crucem reputat, toto inhæreas amore.

6. Ascensio ad cœlum.

Jam verò quid ex hoc restat, nisi ut ad illum ascendas, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula? Dissolvi jam, & esse cum Christo, multo magis optimum. *Beatus vir cuius est auxilium abs te*, ait Prophe-
k Psal. 83. b ta ad Dominum [k]: *ascensiones in corde suo disposuit: ibit de virtute in virtutem usque ad videndum Deum Deorum in Sion.* Hæc est ultima ascensio,
l Eph. 4. b in qua implentur omnia, sicut ait Apostolus [l]: *Christus, qui descendit, ipse est & qui ascendit: ut adimpleret omnia.* Sed de illa ascensione quid dicam? Quò ascendemus, ut ubi Christus est, & nos simus? Quid ibi
m Esa. 64. b & 1. Cor. 4. erit? *Oculus*, Deus, *non vidit absque te quæ præparasti diligentibus te* [m]. Desideremus hanc Fratres mei, suspiremus ad eam jugiter, & eo magis affectus vigeat, quo deficit intellectus.

IN ASCENSIONE DOMINI:

De Intellectu & Affectu.

SERMO V.

HOdie sedenti in throno Antiquo dierum, confessurus pariter, oblatus est Filius hominis, & erit deinceps non modò germen Domini
a Esai. 4. in magnificentia & gloria, sed & fructus terræ sublimis [a]. Felix unio, & amplectendum ineffabilibus gaudiis sacramentum. Idem enim & germen Domini, & fructus terræ: idem & ipse Dei filius, & fructus ventris Mariæ est. Idem filius David, & Dominus, de quo hodie gaudium eius
b Ps. 109. d impletum est, unde olim præcinens aiebat [b]: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Quomodò enim non Dominus germen Domini? idem tamen & filius eius, utpote fructus terræ sublimis, fructus virgæ

Hodiernæ festivitatis elogia.

quæ de radice Jesse processit. Hodie igitur suum hunc & hominis Filium apud semetipsum Pater clarificat claritate quam habuit priusquam mundus fieret apud ipsum. Hodie veritatem, quæ de terra orta est, cœlum sibi redditum gloriatur. Hodie sponsus aufertur à filiis, & lugen-
c Matt. 9. dum eis est, sicut ipse prædixit [c]. Non enim poterant filii sponsi lugere donec sponsus cum eis erat: sed veniet dies ut auferatur ab eis, ut de
d Matt. 17. b cætero lugeant & jeiunent. Ubi illud jam Petre quod dixeras [d]: *Domine, bonum est nos hîc esse, faciamus hîc tria tabernacula?* Ecce enim ingressus est amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est non huius creationis

In mundo esse periculosum.

Quomodo ergò jam bonum est nos hîc esse? Imò verò molestum est, grave est, periculosum est. Nimirum ubi malitiæ plurimum, sapientiæ modicum,

modicum, si tamen vel modicum invenitur: ubi viscosa omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obsessa laqueis peccatorum: ubi periclitantur animæ, ubi spiritus affliguntur sub sole, ubi tantùm vanitas & afflictio spiritus est. Levemus igitur Fratres mei, levemus in cœlum corda cum manibus: & ascendentem Dominum sequi, velut quibusdam passibus devotionis & fidei contendamus. Erit enim cum sine mora, sine difficultate obviam illi in nubibus rapiemur: & id poterunt corpora spiritualia, quòd merito interim nequeunt spiritus animales. Nunc enim quantis conatibus corda levare necesse est: quæ quidem (ut miserabiliter satis in libro propriæ experientiæ legimus) & corruptio corporis aggravat, & terrena inhabitatio deprimit?

Cor sursum levare in hoc statu difficile.

At fortè tradendum est, quid sit levare cor, aut quemadmodum illud oporteat elevari: sed tradendum sanè tam ab Apostolo, quàm à nobis. *Si consurrexistis*, inquit [e], *cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Ac si manifestiùs dicat: Si consurrexistis, & coascendite: si convivitis, & conregnate. Sequamur Fratres, sequamur Agnum quocunq; ierit: sequamur patientem, sequamur & resurgentem, sequamur multò libentiùs ascendentem. Crucifigatur vetus homo noster simul cum illo: ut destruatur corpus peccati: ut ultra non serviamus peccato, mortificatis nimirum membris nostris, quæ sunt super terram. Sed & quomodo ipse resurrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus. In hoc enim mortuus est & resurrexit, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus.

[e] Colo 3. f. a*

Christus patiens, resurgens & ascendens sequendus.

Cæterùm quoniá vitæ novitas locum exigit tutiorem, & resurrectionis dignitas altiorem expetit gradum, sequamur etiam ascendentem, quærere videlicet & sapere quæ sursum sunt, ubi ille est; non quæ super terrá. Quæris quis ille sit locus? Apostolum audi [f]. *Quæ sursum est*, inquit, *Hierusalem libera est, quæ est mater nostra.* Vis scire quænâ ibi sint? Visio pacis est, *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuũ Sion: qui posuit fines tuos pacem* [g]. O pax quæ exuperas omnem sensum, ô pax etiam super pacem! ô mensura super mensuram, conferta & coagitata & superefluens! Compatere igitur Christo anima Christiana: conresurge, coascende: quod est, *declina à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam* [o]. Sic nimirum Paulus in actibus Apostolorũ de continentia & justitia & spe vitæ æternæ memoratur docuisse discipulos [h]. Sic veritas ipsa monet in Evangelio [i] præcingere lumbos, lucernas accendere, & deinceps hominibus expectantibus Dominum suum similes inveniri.

[f] Galat. 4. a

[g] Psal. 147. b

[o] Psal. 33.

[h] Act. 13. b

[i] Luc. 12. c

Cæterum gemina quædam (si bene advertistis) Ascensio nobis ab Apostolo commendatur, in eo quod & quærere, & sapere

Ascensio duplex commendatur.

monuit non infima, sed superna. Quam fortasse distinctionem nec ipse quoque Propheta præteriisse omnino videbitur [k], dicens: *Inquire pacem, & persequere eam*: ut hoc sit pacem sequendam quærere, persequi inquisitam, quod est sapienda quærere, quæsita sapere, quæ sursum sunt, non quæ super terram. Nimirum donec divisa sunt corda nostra, & multos interim sinus inveniuntur habere, nec sibi omnino cohærere videntur, vel particulatim ea & membratim quodammodo levare necesse est, ut in superna illa Hierusalem colligantur: cuius participatio eius in id ipsum: ubi non tantùm singuli, sed & omnes pariter incipiant habitare in unum: non modò scilicet non divisi in semetipsis, sed nec inter seipsos. Ecce enim ut tanquam principalia cordis ipsius membra distinguam: est *Intellectus* in nobis, est & *Affectus*: & hi quoque sæpius sibi invicem adversantes: ut alter summa petere, alter appetere infima videatur. Quantus verò is dolor, quàm gravis animæ cruciatus, dum sic distrahitur, sic dilaceratur, sic abrumpitur à seipsa, vel ex ea saltem, quam omnibus experiri in promptu est, corporis scissione conjiciat, si quis in suo spiritu animadvertere pernicioſa & periculosa insensibilitate non neglexerit. Distrahuntur hominum crura, & longioris obice ligni removentur ab invicem pedes: & dum adhuc cutis integra manet, quis tamen ille est cruciatus?

k Psal. 33. a

Cordis plena pax & unio supernæ Ierusalem reservatur.

Cordis membra Intellectus & Affectus.

Sic affligi plangimus miseros, qui corporaliter inter nos conversantes illuminati forte similiter, sed dissimiliter inveniuntur affecti. Intelligunt pariter bona quæ faciant, sed non pariter diligunt intellecta. Nam de ignorantia, fratres, quænam excusatio nobis quibus numquam doctrina cœlestis, numquam divina lectio, numquàm spiritualis eruditio deest? Quæcunque vera sunt, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ: si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc discitis & accipitis, hæc auditis pariter & videtis, in exemplis videlicet & verbis eorum qui inter vos sunt perfecti, quorum & hortatio & conversatio plenius erudit universos. Utinam autem hæc ut intellectum admonent, moveant & affectum; ne sit intus amarissima contradictio & divisio molestissima, dum hinc quidem sursum trahimur, sed retrahimur inde deorsum.

Religiosi quinam plangendi.

Nimirum advertere potes in omnibus ferè religiosis congregationibus, viros repletos consolatione, superabundantes gaudio, jucundos semper & hilares, ferventes spiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebrò suspicientes in cœlum, & puras manus in oratione levantes, solicitos observatores conscientiæ, & devotos sectatores bonorum operum, quibus amabilis disciplina, dulce jeiunium, vigiliæ breves, labor manuum

Nota signa & criteria quibus viros religiosos & falsos, ferventes & languidos discernas.

delecta-

delectabilis, & universa denique conversationis huius austeritas refrigerium videatur. Contrà sanè invenire est homines pusillanimes, & remissos, deficientes sub onere virga & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est, quorum brevis, & rara compunctio animalis cogitatio, tepida conversatio: quorum obedientia sine devotione, sermo sine circunspectione, oratio sine cordis intententione, lectio sine ædificatione, quos denique (ut vidimus) vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coercet. Non tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minimè sustentantur, socii planè tribulationis, sed non consolationis? Exurgamus obsecro, quicunque eiusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus, abjicientes pernicioſam tepiditatem, etsi non quia periculosa est, & Deo solet (ut interdum miserabiliter plangimus) etiam vomitum provocare: certè quia molestissima, plena miseriæ & doloris, & inferno planè proxima, umbra mortis jure censetur.

Tepidorum nota & indicia.

Eorum miseria.

Si quærimus quæ sursum sunt, etiam sapere & prælibare interim studeamus. Fortè enim poterit intellectui & affectui non inconvenienter aptari, quod *& quærere quæ sursum sunt, & sapere* admonemur, ut in principalibus (quemadmodum supra dictum est) membris suis corda nostra manibus quibusdam pii conatus & exercitii spiritualis levare studeamus ad Deum. Omnes (ni fallor) quæ sursum sunt quærimus intellectu fidei, & judicio rationis, sed non æquè forsitan sapimus omnes quæ sursum sunt, tanquam inescati his quæ sunt super terram, violento quodam præjudicio affectionis. Unde enim ea quam paulo ante ostendimus, animorum diversitas, tanta disparilitas studiorum, conversationum tanta dissimilitudo? Unde spiritualis gratiæ inopia tanta quibusdam, cum aliis copia tanta exuberet? Profectò nec avarus nec inops est gratiæ distributor, sed ubi vacua vasa desunt, stare oleum necesse est. Undique se ingerit amor mundi: cum consolationibus, imò desolationibus suis observat aditus, per fenestras irruit, mentem occupat, sed non eius qui dixit [l]: *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.* Præoccupatum nempe secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat: nec miseri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terram.

Multi quærunt, at rarò sapiunt quæ sursum sunt.

Nota unde sit aridítas spiritus & gratiæ inopia.

l Psal. 76. 2

Carnis delicia excludunt delicias spiritus.

Felices nimirum viri illi per quos Dominica Ascensio legitur præsignata, Enoch raptus [m], translatus Helias [n]. Felices planè, qui soli

m Eccli. 44. *n* 4. Reg. 2.

soli jam DEO vivunt, soli vacant intelligendo, diligendo, fruendo. Neque enim corpora quæ corrumpuntur, illas aggravant animas, ut terrena inhabitatio sensus eorum tanquam multa cogitantes deprimit, qui cum Deo ambulasse noscuntur. Factum est impedimentum omne de medio, occasio universa sublata, materies nulla relicta est quæ eorum affectum aggravet, vel deprimat intellectum. Nam & priorem ob hoc raptum Scriptura commemorat [o], ne fortè vincat malitia sapientiam, & intellectus eius vel anima ultra decipi valeat aut mutari [o].

o Sapient. 4. v. *sup. Serm.*

Nobis autem unde in his tenebris veritas, unde charitas in hoc sæculo nequam, in hoc mundo qui totus positus est in maligno? Putasne erit qui intellectum illuminet, qui inflammet affectum? Erit utique, si convertamur ad Christum, ut velamen de cordibus auferatur. Hic est enim de quo scriptum est [p]: *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Si quidem prioris ignorantiæ tempora despiciens Deus annunciavit hominibus ut omnes ubique agerent pœnitentiam, secundùm quod Paulus Athenienſibus tradit [q]. Memento etenim Dei Verbum & Sapientiam Incarnatam; cuius utique opus erat toto illo tempore, quo videri in terris, & inter homines conversari dignata est ineffabilis illa virtus, illa gloria, illa maiestas, illuminare oculos cordis, etiam suadere fidem hominibus prædicatione pariter & ostensione signorum. Denique *Spiritus Domini*, ait [r], *super me ad evangelizandum pauperibus misit me.* Et Apostolis loquebatur [s]: *Adhuc modicum lumen in vobis est, ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant.* Nec modò ante passionem, sed & post resurrectionem in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno DEI [t]: quando & sensum eis ut Scripturas intelligerent, legitur aperuisse [u], intellectum potiùs informabat, quàm purgabat affectum.

p Esa. 9. a
q Act. 17.
r Esa. 61.
s Ioan. 12. f
t Act. 1. a
u Luc. 24.

Amor Apostolorum erga Christum in carne.

Quando enim ad spiritualia affici possent animales? Imo verò ne ipsam quidem meram lucem poterant aliquatenus sustinere, sed exhibere illis oportuit Verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, mel in cera, cereum in laterna: Spiritus ante faciem illorum Christus Dominus, sed non utique sine umbra in qua viverent interim inter gentes. Unde & Virgini legitur obumbrasse [x], ne vehementiori reverberata splendore ad candidissimam lucem, purissimumque fulgorem Divinitatis, etiam illius aquilæ posset acies hebetari. Minimè tamen vel nubes ipsa levis esse potuit ociosa, sed ea quoque usus est in salutem, & Discipulorum animos, qui nec ad fidei intellectum sine aliqua mutatione affectus poterant promoveri, nec assurgere adhuc ad spiritualia prævalebant, in suæ carnis provocavit affectum: ut amore quodam humano operanti mira, mira

x Luc. 2.

loquenti

loquenti homini adhærerent amore utique carnali adhuc, sed tam valido, ut cæteris omnibus prævaleret. Nimirum hic erat ille Moysi serpens, qui serpentes magorum Ægypti omnes pariter devoravit [y]. Denique *Ecce nos*, inquiunt [z], *reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Beati siquidem oculi, quia videbant Dominum maiestatis in carne præsentem, auctorem universitatis inter homines conversantem, virtutibus corruscantem, infirmos curantem, mare calcantem, mortuos suscitantem, dæmoniis imperantem, & potestatem similem hominibus conferentem: mitem & humilem corde, benignum, affabilem, misericordiæ visceribus affluentem, Agnum Dei peccatum non habentem, & omnium peccata portantem. Beatæ aures quæ verba vitæ ab ipsius Incarnati Verbi ore percipere merebantur, quibus enarrabat Unigenitus qui est in sinu Patris, & nota faciebat quæcunque audisset à Patre; ut fluenta doctrinæ cœlestis ab ipsius veritatis purissimo fonte haurirent universis postmodùm gentibus propinanda, imo ructanda potarent.

y Exod. 7.
z Matt. 19. d

Quid mirum, Fratres, si implebat tristitia cor eorum cum ab eis sese pronunciaret iturum, & adderet [a]: *Quò ego vado, vos non potestis venire modo?* Quidni concuterentur viscera, turbaretur affectus, hæsitaret animus, hæreret vultus, paveret auditus, nec omninò æquanimiter discessionis eius sermo posset admitti, ut relinqueret eos, pro quo omnia reliquissent? Cæterum non ut maneret in carne, sed ut transferretur ad spiritum, totus ab eo in illam carnem Discipulorum fuerat collectus affectus, ut dicere esset aliquando [b]: *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non novimus.* Unde & benignissimus ille Magister blandis eos refovens consolationibus ait [c], *Rogabo Patrem meum, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, qui vobiscum maneat in æternum.* Et item [d]: *Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. Nisi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Grande mysterium, Fratres mei. Quid enim sibi vult: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet?* Itáne invisa Paracleto præsentia Christi, aut contubernium Dominicæ carnis Spiritus sanctus horrebat, quæ (sicut Angelo prænunciante cognovimus [e]) nec concipi quidem, nisi eo superveniente potuerit? Quid ergo, *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet?* Nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus.

a Ioan. 8. b
b 2. Cor. 5. d
c Ioan. 14. b
*d Ioan. 16. b
NOTA. *Cur non nisi post Christi discessum Sp. S. venerit.*
e Luc. 2.

Quid vobis videtur, Fratres? Si hæc ita sunt, imò quia ita sunt, audeat quis de cætero phantasticis quibusdam illecebris deditus, sectans lenocinia carnis suæ, carnis utique peccatricis, genitæ in peccatis, assuetæ peccatis, in qua denique bonum non est: illum pariter

Consolatio spiritus frustra speratur inter illecebras carnis.

riter expectare Paracletum? Audiat inquam qui huic sterquilinio semper inhæret, qui carnem fovet, in carne seminat, carnem sapit: illam nihilominus consolationem supernæ visitationis, torrentem voluptatis illum, illam sperare gratiam Spiritus vehementis, quam (ut Veritas ipsa testatur) ne cum ipsa quidem Verbi carne percipere ullatenus Apostoli potuerunt? Errat omnino si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa Spiritus misceri posse huiusmodi illecebris arbitratur. Falleris Thomas sancte, falleris si videre Dominum speras ab Apostolorum collegio separatus. Non amat veritas angulos, non ei diversoria placent. In medio stat, id est, disciplina & vita communi, communibus studiis delectatur. Usquequo miser diverticula captas, & consolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas, tanto rubore mendicas? Et quid facio, inquit? Ejice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ [e]; Nulla (ut dictum est) conventio veritati & vanitati, luci & tenebris, spiritui & carni, igni & tepiditati.

Concordiæ & communis vitæ prærogativa.

e Gen. 21. a

Sed dum ille moratur, inquies, sine aliqua consolatione esse non possum. Imò verò si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit [f]. Apostoli decem dies in hac expectatione sederunt, perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & MARIA matre JESU [g]. Et tu igitur orare disce, disce quærere, petere, pulsare, donec invenias, donec accipias, donec aperiatur tibi. Novit Dominus figmentum tuum: fidelis est, non te patietur tentari supra quam possis. Confide in ipso: quod si fideliter expectaveris, nec diem decimum expectabis. Præveniet certè in benedictionibus dulcedinis desolatam animam & orantem, ut feliciter & non ad insipientiam tibi consolari renuens, in ipsius memoria delecteris inebriatus ab ubertate domus eius, & voluptatis torrente potatus. Sic nimirum & Helisæus quondam orasse legitur [h], cum dulcissimum illud solatium Heliæ præsentiam sibi plangeret subtrahendam. Sed considera diligentiùs quid oraverit, quidve responsum sit postulanti. *Oro*, inquit, *Domine ut fiat spiritus tuus duplex in me.* Nimirum duplicari ei spiritum oportebat, ut magistri abeuntis absentiam gratia duplicata suppleret. Unde & Helias ad eum, *Si videris*, inquit, *me quando tollar à te, fiet quod petisti.* Duplicavit enim spiritum visio abeuntis, cum evidenter raptus in cœlum, universa pariter eius desideria secum tulit: ut inciperet ipse quoque jam sapere quæ sursum sunt, non quæ super terram. Duplicavit spiritum visio abeuntis: ut intellectui spirituali spiritualis jungeretur affectus, cum ipsa utique cui potissimum inhærebat carne raptus in cœlum.

*f Abac. 2.

g Actor. 1.

Oratio perseverans necessaria ad gratiam spiritus.

*h 4. Reg.

Duplex Eliæ spiritus.

Quod

Quod evidentius in Apostolis invenitur impletum. Ubi enim videntibus illis suus ille JESUS tam manifestè elevatus est, & ferebatur in cœlum, ut nemo eorum opus haberet interrogare, quò vadis, ipsa jam (ut ita dixerim) occulta fide edocti sunt supplices in cœlũ levare oculos, puras tendere manus, promissa sibi dona charismatum postulantes, donec fieret repente de cœlo sonus advenientis Spiritus vehementis, advenientis utique Ignis, quem Dominus JESUS mittebat in terram, volens vehementer accendi. Constat quidem eos & priùs Spiritum accepisse, cum videlicet insufflavit eis, & dixit [k]: *Accipite Spiritum sanctum*, sed spiritum planè fidei & intelligentiæ, non fervoris, quo magis illuminaretur ratio, quàm inflammaretur affectio, dum duplicati utique spiritus opus fuit. Quos enim Verbum Patris disciplinam & scientiam ante docuerat, & intellectu adimpleverat corda eorum, adveniens utique postmodum Ignis divinus, & inveniens jam receptacula munda, infudit uberiùs dona charismatum, & in spiritualem omnino mutavit amorem, ut accensa in eis charitas fortis ut mors, jam non modò fores, sed ne ipsa quidem ora propter metum Judæorum claudere dignaretur. Cuius nos gratiæ pro nostræ exiguitatis modo præparantes, exinanire per omnia nosmetipsos, & à delectationibus miseris, & caducis consolationibus evacuare studeamus, dilectissimi, corda nostra, maximéque instante nunc die festo & ferventiùs & fiducialiùs unanimiter perseveremus in oratione, ut sua nos visitatione, sua consolatione & confirmatione dignetur Spiritus ille benignus, spiritus dulcis, spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans: qui cum Patre & Filio idipsum, sed non is ipse est: ut tres unum & unum tres esse verissimè prorsus & fidelissimè catholica Ecclesia fateatur, à Patre adoptata, à Filio desponsata à Spiritu Sancto confirmata, quibus ut una substantia, sic eadem nihilominus gloria in sæcula sæculorum, AMEN.

Typus fuit spiritus Apostolis dati.

[k] Ioan. 20. f

Apostoli diversimode acceperunt Sp. S. primum insufflante Christo; deinde postquam ascendit.

Præparatio ad Spiritum S.

IN FESTO PENTECOSTES, SERMO I.

CElebramus, dilectissimi, hodie Spiritus sancti solemnitatem, tota cum jucunditate celebrandam, dignam omni devotione. Dulcissimum enim quiddam in Deo Spiritus sanctus est, benignitas Dei, & idem ipse Deus. Proinde si celebramus Sanctorum solennia, quantò magis eius à quo habuerunt ut sancti essent quotquot fuere Sancti? Si veneramur sanctificatos, quanto magis ipsum Sanctificatorem convenit honorari? Hodie itaque festivitas est Spiritus Sancti, quia visibiliter apparuit invisibilis, sicut & Filius, cum sit nihilominus invisibilis in seipso, dignatus est exhibere

Festi huius dignitas.

exhibere se in carne visibilem. Hodie Spiritus sanctus revelat nobis aliquid de seipso, sicut ante de Patre & Filio aliquid noveramus. Nam perfecta Trinitatis cognitio, vita æterna est. Nunc autem ex parte cognoscimus, reliqua credimus quæ minimè sufficimus comprehendere. Et de Patre quidem novi Creationem, clamantibus creaturis: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos* [a]. *Invisibilia* enim *DEI à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* [b]. At verò æternitatem & immutabilitatem ipsius comprehendere multum est à me: lucem habitat inaccessibilem. De Filio autem magnum aliquid novi (eius gratiâ) scilicet Incarnationem. Nam generationem eius quis enarrabit [c]? Quis comprehendat æqualem Genitum Genitori? Jam & de Spiritu Sancto si non processionem qua ex Patre Filioque procedit, (illa enim mirabilis facta est scientia ex me, confortata est, & non potero ad eam) novit tamen aliquid, videlicet Inspirationem. Duo enim sunt, unde procedat, & quo. Processio à Patre & Filio, posuit tenebras latibulum suum: sed processio ad homines, hodie cœpit innotescere, & est jam fidelibus manifesta.

a Psal. 99. a
b Rom. 1. c
De Patre nota creatio: de Filio incarnatio: de Spiritu S. inspiratio: cætera incomprehensibilia.
c Esa. 53.
Duplex processio Spiritus S. unde, & quò: illa à Patre & Filio, hæc ad homines.

Et prius equidem (quoniam sic oportebat) signis visibilibus invisibilis Spiritus suum declarabat adventum: nunc eius signa quò spiritualiora sunt, eò magis congrua, eo magis videntur Spiritu sancto digna. Venit tunc super Discipulos in linguis igneis, ut verba ignea loquerentur, & legem igneam linguæ igneæ prædicarent. Nemo conqueratur, quod minimè nobis illa manifestatio spiritus fiat. *Vnicuique* enim *datur manifestatio spiritus ad utilitatem* [d]. Denique si dicere opus est, nobis illa manifestatio potius quam Apostolis facta est. Ad quid enim illis necessariæ linguæ gentium nisi ad conversationem gentium? Fuit eis alia quædam manifestatio magis ad eos pertinens & hæc usque hodie fit in nobis. Manifestum enim fuit indutos esse virtute ex alto, qui de tanta pusillanimitate spiritus ad tantam devenere constantiam. Non est jam fugere, non est abscondi propter metum Judæorum, constantiùs modo prædicant, quàm delitescerent ante timidius. Denique mutationem illam dexteræ Excelsi manifestè declarat Principis Apostolorum prius quidem inter ancillæ verba formido, postmodum inter Principum verba fortitudo. *Ibant* (ait scriptura [e]) *gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, quem sanè prius cum duceretur ad concilium, solum reliquerant fugientes. Quis dubitet advenisse Spiritum vehementem, qui mentes eorum invisibili illustraret potentia? In hunc modum etiam modò quæ Spiritus operetur in nobis, testimonium perhibent in nobis de eo [f].

d 1. Cor. 12. a
Duplex manifestatio spiritus facta Discipulis: exterior per signa visib. interior per gratiam.

Mutatio & fortitudo Apostolorũ post acceptũ Sp. S.
*e Act. 5. g

f 1. Petr. 3. b

Quia

Quia igitur mandatum accepimus [g], ut declinantes à malo, faciamus quod bonum est, vide quemadmodum Spiritus in utroque adjuvat infirmitatem nostram. Nam divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Propterea ad declinandum à malo, tria operatur in nobis, compunctionem, supplicationem, remissionem. Initium enim revertendi ad Deum, Pœnitentia est, quam sine dubio Spiritus operatur, non noster, sed Dei: idque & certa ratio docet, & confirmat authoritas. Quis enim cum ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne venisse calorem, quem habere non poterat sine illo? Sic ergo qui prius in iniquitate erat frigidus, si postmodum fervore quodam pœnitentiæ accendatur, alium sibi Spiritum, qui suum arguit, & dijudicat, non dubitet advenisse. Habes hoc & in Evangelio, ubi cum loqueretur de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum: *Ille*, inquit, [g] *arguet mundum de peccato.*

Spiritus S. operatur tria in nobis ad declinandum à malo.

Potentiam seu compunctionem cordis.

g Psal. 36. e

g Ioan. 16. a

Sed quid prodest pœnitere de culpa, & non supplicare pro venia? Necesse ut etiam hoc spiritus operetur, dulcedine quadam spei replens animum, per quam fiducialiter postules nihil hæsitans. Vitne ostendam tibi etiam hoc opus esse Spiritus sancti? utique dum abest ille, tale aliquid in tuo spiritu non invenies. Denique ipse est *in quo clamamus. Abba* [g] *pater.* Ipse *qui postulat* pro Sanctis, *gemitibus inenarrabilibus.* Et hæc quidem in corde nostro. Quid autem in corde Patris? Sicut in nobis interpellat pro nobis, ita in Patre delicta donat cum ipso Patre. Advocatus noster ad Patrem in cordibus nostris, Dominus noster in corde Patris. Itaque quod postulamus, idem ipse donat, qui donat ut postulemus: & sicut nos erigit pia quidem fiducia, ita Deum inclinat ad nos magis pia misericordia sua. Itaque ut omnino scias quia remissionem peccatorum Spiritus Sanctus operatur, audi quod aliquando audierunt Apostoli [i]: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et de malo quidem declinando sic.

Item supplicationem pro venia.

g Rom. 8. c

Et ipsam peccatorum remissionem.

i Ioan. 20. f

Porrò ad faciendum bonum quid in nobis Spiritus bonus operatur? Profectò monet, & movet, & docet. Monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem. In his enim tribus tota consistit anima. Memoriæ suggerit bona in cogitationibus sanctis, atq; ita ignaviam nostram torporemq; repellit. Propterea quotiens huiusmodi suggestione boni senseris in corde tuo, da honorem Deo, & age reverentiam Spiritui S. cuius vox sonat in auribus tuis. Ipse namq; est qui loquitur justitiâ. Et in Evangelio habes, quia ille *suggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis*[k]. Er adverte quid præmiserit: *Ille docebit vos omnia.* Dixeram enim quia docet rationem: Multi siquidem monentur, ut benefaciant, sed minimè sciunt quid agendum sit, nisi adsit

Ad bonũ faciendum tria itidem in nobis operatur Sp. S. Monet memoriam.

k Ioan. 14. d

docet rationē, l Iacob. 4. d

denuò gratia Spiritus sancti, ut quam inspirat cogitationem doceat in opus proferre, ne vacua in nobis sit gratia Dei. Sed quid [l]? *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi* gratia. Propterea non solùm moneri & doceri, verùm etiam moveri & affici ad bonum necesse est ab eo utique Spiritu, qui adjuvat infirmitatem nostram, & per quem in cordibus nostris diffunditur charitas, quæ est bona voluntas.

movet voluntatem.

Itaque cum sic adveniens Spiritus totam possederit animam suggerendo, instituendo, afficiendo, loquens semper in cogitationibus nostris, ut audiamus & nos quid loquatur in nobis Dominus Deus, rationem illuminans, voluntatem inflammans: non tibi videtur quia totam domum impleverint dispertitæ linguæ tanquam ignis? Nam in his tribus superiùs dictum est animam consistere totam. Sint autem dispertitæ linguæ propter multiplices cogitationes, sed earum multiplicitas, & uno lumine veritatis, & uno charitatis fervore sit tanquam ignis. Aut certè domus impletio fini potius reservetur, quando mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinus nostros. Sed quando hæc erunt? Profectò cum completi fuerint dies Pentecostes. Felices vos, qui jam intrastis quinquagesimam requiei, & Jubilæum annum. Fratres nostros loquor, quibus jam dixit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Etenim hoc quoque inter eius opera reperimus. Duo namque tempora celebramus, Fratres, Quadragesimæ unum alterum Quinquagesimæ: illud ante Passionem, istud post Resurrectionem: illud in compunctione cordis & lamentis pœnitentiæ, istud in devotione spiritus, & alleluja solenni. Prius quidem tempus ipsa est vita præsens: posterius verò quietem Sanctorum significat, quæ est post mortem. Dum autem venit illius Quinquagesimæ finis, in judicio scilicet & resurrectione, completis diebus Pentecostes, aderit plenitudo Spiritus, & totam replebit domum. Plena siquidem erit omnis terra majestate eius, quando non solùm anima, sed & ipsum corpus spirituale resurget, si tamen juxta Apostoli monitum, dum adhuc est animale, fuerit seminatum.

Quomodo veniat ad nos Sp. S. in specie ignis.

Impletio domus mystica.

Quinquagesima. *i. e. festum Pentecost quia 50. post Pascha die celebratur, vel spatium dierum inter Pascha & Pentecost,*

IN FESTO PENTECOSTES.

Sermo II.

HOdie, dilectissimi, cœli distillaverunt à facie DEI Sinai, à facie DEI Israel [a], & pluvia voluntaria segregata est hæreditati Christi. Spiritus enim sanctus procedens à Patre, largiori munere suæ maiestatis in Apostolos supervenit, & tribuit eis charismatum dona. Post magnificentiam enim Resurgentis, post gloriam Ascendentis, post Residentis sublimitatem, non restabat nisi ut expectationi justorum lætitia adveniret, &

[a] Psal. 67.

cœli

cœli muneribus cœlestes homines implerentur. Vide autem si non & sententiarum pondere & verborum ordine hæc omnia Esaias longè ante prædixit [b]. *Erit* (inquit) *in die illa germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui salvati fuerint de Israel.* Germen Domini, Jesus Christus solus de mundissimo conceptus semine: quia etsi in similitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati. Et si filius carnis Adæ, non tamen filius prævaricationis Adæ: qui non fuit natura filius iræ, sicut reliqui omnes qui in iniquitatibus sunt concepti. Istud ergo germen quod de virga Jesse virore virgineo pullulavit, in magnificentia fuit, cum resurrexisset à mortuis, quia tunc Domine DEUS meus magnificatus es vehementer, confessionem & decorem induens, amictus lumine sicut vestimento [c]. Quanta autem Ascendentis gloria, cum medius Angelorum & animarum sanctarum ad Patrem deduceris, & triumphatrice palma cœlis invectus, susceptum hominem in ipsa divinitatis claudis identitate? Quis cogitet, nedum loquatur, quàm sit fructus terræ sublimis in confessu ad dexteram Patris, quod utique cœlestium oculos reverberat naturam, quod angelicus intuitus contremit, non attingit? Veniat ergo exultatio Domine Jesu his qui salvati sunt de Israel, Apostolis tuis quos elegisti ante mundi constitutionem. Veniat spiritus tuus bonus qui sordes abluat, & infundat virtutes, in spiritu judicii, & spiritu ardoris Dei.

[b] Esa. 4. a

Locus Isai. de Christo explicatur.

[c] Psal. 103. a

Ea igitur, Fratres, cogitemus super nos & in nos opera Trinitatis ab initio mundi usque ad finem, & videamus quam sollicita fuerit illa maiestas, cui administratio pariter & gubernatio sæculorum incumbit, ne nos perderet in æternum. Et potenter quidem omnia fecerat, & sapienter omnia gubernabat, & utrarumque rerum tam potentiæ quam sapientiæ signa manifestissima tenebantur in creatione & conservatione machinæ mundialis. Et bonitas quidem in Deo erat, & bonitas multa nimis, sed latebat in corde Patris cumulanda quandoque super genus filiorum Adam tempore opportuno. Dicebat tamen Dominus [d]: *Ego cogito cogitationes pacis*, ut mitteret nobis illum qui est pax nostra, qui fecit utraque unum: ut jam daret pacem super pacem, pacem his qui longè, & pacem his qui propè. Verbum igitur Dei in sublimi constitutum, ut ad nos descenderet, propria benignitas invitavit, misericordia traxit, veritas qua se promiserat venturum compulit, puritas uteri virginalis salva Virginis susceipit integritate, potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armavit, charitas verbis & miraculis manifestavit.

Contemplatio operum divinorum pro reparatione generis humani.

[d] Hier. 29. c

Potentia & sapientia Dei semper & ubique conspicua, at bonitas præcipuè in opere Redemptionis.

Prorsus amplissima mihi nunc materia & malorum meorum suppetit, & bonorum Domini mei, ut cum cogitaverim vias meas, convertam

tam pedes meos in testimonia tua. Illa enim bona ineffabilia sunt, quia (ut brevi verbo cuncta concludam) nihil melius invenire potuit unde nos redimeret sapientia Dei, in omni sapientia sua. Sed & mala circundederant nos, quorum non erat numerus: quia *peccavi* (justus loquitur) *super numerum arenæ maris* [e]: &, *propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim* [f]. Missus est coluber tortuosus à diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posteritatis originem. Missus est interim Gabriel Angelus à Deo, ut Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem & mentem ipsius eructaret, ut eadem via intraret & antidotum, qua venenum intraverat. Verè vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti à Patre: quia totum paternum est, quod de corde Patris Christus attulit nobis, ut nihil in Filio Dei nisi dulce, nisi paternum, humani generis trepidatio suspicetur. A planta pedis usque ad verticem non erat in nobis sanitas: eraveramus ab utero: in utero damnati, antequam nati; quia de peccato & in peccato concepti.

e 2. Par. 36. a
f Psal. 28. c

Serpens per Evam infudit venenum generi humano: at Angelus antidotum per Mariam.

Christus ergo ibi primum medicinam apposuit, ubi primus vulneri patebat locus: & substantialiter utero Virginis illapsus, de Spiritu sancto conceptus est: ut conceptionem nostram mundaret, quam spiritus malus si non fecerat, tamen infecerat: ut non esset etiam in utero vita ipsius otiosa, dum novem mensibus purgat vulnus antiquum, scrutans, ut dicitur, usque ad imum putredinem virulentam, ut sanitas sempiterna succederet. Et nunc jam operabatur salutem nostram in medio terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, ut resarciantur: & qui in inferno, ut eripiantur: qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur: qui sequuntur, ut glorificentur. Eò beatam te dicunt omnes generationes Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli. *Omnes*, inquam, *generationes* [g]. Sunt enim generationes cœli & terræ. *Pater spirituum*, ait Apostolus [h], *ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur.* Ex hoc ergò beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quicquid creaverat recreavit.

Christus salutem nostram operatus in medio terræ: nempè, in virginis utero.

g Luc. 1
h Eph. 3. b

Placa-

Placebitne tibi Domine JESU, ut dones mihi vitam tuam, sicut dedisti conceptionem? quia non solùm conceptio mea immunda, sed mors perversa, vita periculosa, & post mortem restat mors gravior, mors secunda. Non solùm, ait, conceptionem meam, sed & vitam meam, & hoc per singulos ætatum gradus infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, juventutis tibi donabo, adjiciens mortem, resurrectionem, ascensionem, & missionem Spiritus sancti. Hoc autem ideo, ut *conceptio* mea emundet tuam, *vita* mea instruat tuam, *mors* mea destruat tuam, *resurrectio* mea præcedat tuam, *ascensio* mea præparet tuam, porrò Spiritus adiuvet infirmitatem tuam. Sic enim planè videbis & viam per quam ambules, & cautelam qua ambules, & ad quam ambules mansionem. In vita mea cognosces vitam tuam, ut sicut ego paupertatis & obedientiæ, humilitatis & patientiæ, charitatis & misericordiæ indeclinabiles semitas tenui, sic & tu eisdem vestigiis incedas, non declinans ad dexteram neq; ad sinistram. In morte autem mea dabo tibi justitiam meam, dirumpens jugum captivitatis tuæ, & expugnans hostes qui sunt in via vel juxta viam, ut non apponant ampliùs nocere tibi. His autem completis revertar in domum meam unde exivi, & ovibus illis quæ in montibus remanserant, & quas propter te reliqueram, ut non te ducerem, sed reportarem, reddam faciem meam.

Christi conceptio, vita, mors, resurrectio, ascensio, & missio Sp. omnia hæc nobis donata.

Et ne de absentia mea vel murmures vel contristeris, mittam tibi Spiritum Paracletum, qui tibi donet pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen. *Pignus salutis*, ut ipse Spiritus reddat testimonium spiritui tuo, quòd filius Dei sis: qui certissima signa prædestinationis tuæ cordi tuo imprimat & ostendat: qui donet lætitiam in corde tuo, & de rore cœli si non continuè, tamen sæpissime mentem tuam impinguet. *Robur vitæ*, ut quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam eius non solum possibile, sed & facile fiat: ita ut in laboribus, in vigiliis, in fame & siti, & in omnibus observantiis (quæ nisi farinula ista dulcorentur, prorsus mors in olla appareat) delectabiliter incedat sicut in omnibus divitiis. *Scientiæ lumen*, ut cum omnia benefeceris, te servum inutilem putes: & quicquid boni in te inveneris, illi tribuas à quo omne bonum est, sine quo non parum aliquid, sed nihil omninò potes incipere, ne perficere dicam. Sic ergò Spiritus iste in tribus istis te docebit omnia quæ ad tuam pertinent salutem, quia in ipsis est plena & absoluta perfectio.

Tria donat missus à Christo Spiritus: Pignus salutis: Robur vitæ: Lumen scientiæ.

Hoc est quod per Prophetam idē Spiritus dicit [h]: *Seminate vobis ad justitiam*, ubi pignus salutis ostenditur: metite spem vitæ, ubi vitale robur accipitur; illuminate vobis lumen scientiæ, quod verbis propriis subinfertur. Unde & Spiritus iste super Apostolos in igne apparuit propter lumen pariter

[h] Osee. 10. c

Cur Spiritus S. in igne.

pariter & ardore. Quos enim repleverit, & spiritu fervere, & in veritate cognoscere facit, quia sola misericordia est quæ eos & prævenit, & perducit. Multum sibi de hac misericordia undiq; contraxerat * puer Domini, cùm diceret [i] : *Misericordia eius præveniet me*, & [k], *Misericordia tua ante oculos meos est*. & [l], *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*. & [m], *Qui me coronat in misericordia & miserationibus*. &, *Deus meus misericordia mea*. Quàm dulciter Domine Jesu cum hominibus conversatus es, quàm abundanter multa & magna bona hominibus largitus es, quàm fortiter tam indigna, quàm aspera pro hominibus passus es, ita ut liceat sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo: duro ad verba, duriore ad verbera, durissimo ad crucis horrenda: quia in omnibus his sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Vides igitur quàm verum dixerit ille qui dixit [n], *Dominus sollicitus est mei*. Pater ut servum redimat, Filio non parcit: Filius seipsum libentissimè tradit: Spiritum sanctum uterque mittit: & ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

* *al.* contradixerat.
i Psal. 58. b
k Psal. 25. a
l Psal. 22. b
m Psal. 102. a
n Psal. 29. d

Induratos & ad Dei beneficia stupidos compellat.

O duri & indurati & obdurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit! Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, sed pretioso sanguine suo, quem effudit abundè: quia largiter undæ sanguinis de corpore Jesu per quinque partes emanaverunt. Quid ultra debuit facere, & non fecit? Illuminavit cæcos, reduxit erroneos, reconciliavit reos, justificavit impios, triginta & tribus annis super terram visus, cum hominibus conversatus, pro hominibus mortuus, qui de Cherubim & Seraphim & omnibus angelicis virtutibus dixit, & facta sunt, cui subest cum voluerit omnia posse. Quid ergo à te quærit qui tanta sollicitudine te quæsivit, nisi te sollicitum ambulare cum Deo tuo? Hanc sollicitudinem non facit nisi Spiritus sanctus, qui scrutatur profunda pectorum nostrorum, discretor cogitationum & intentionum cordis, qui nec minimam paleam intra cordis quod possidet habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circunspectionis exurit spiritus dulcis & suavis, qui nostram voluntatem flectat, imò erigat & dirigat magis ad suam, ut eam & veraciter intelligere, & ferventer diligere, & efficaciter implere possimus.

Quid requirat à nobis, qui tantoperè nos quæsivit.

IN FESTO PENTECOSTES
Sermo III.

QUàm libenter vobis communicem si quid mihi superna dignatione sensero inspiratum, novit Spiritus ipse, cuius hodie solemnitatem,

& so-

& solemnitatem præcipuam celebramus, utinam devotione præcipua. Ipse est enim, dilectissimi, qui vos sedere facit non solum in civitate, sed & in domo una, ut sedeat super sedentes, ut requiescat super humiles & trementes ad sermones suos. Ipse est qui Virgini obumbravit, Apostolos roboravit, ut & virgineo corpori temperaret Deitatis accessum, & Apostolos indueret virtute ex alto, ferventissima scilicet charitate. Hanc nimirum Apostolicus ille chorus loricam sese induit sicut gigas *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis* [a]. Quia enim in domum fortis, ligare eum, & vasa eius diripere mittebantur, opus erat fortitudine ampliori. Alioquin quàm multum erat ad ipsos, ut de morte triumpharent, & ne ipsæ quidem portæ inferi prævalerent adversus eos, si non vigeret in eis, quæ in eis vinceret dilectio fortis ut mors, dura sicut infernus æmulatio? Hunc sibi zelum imbiberant, cum vino ebrii putarentur [b]. Et verè ebrii vino, sed non eo, quo ab incredulis ebrii credebantur. Planè, inquam, ebrii, sed vino novo, quod veteres quidem utres nec mererentur accipere, nec continere valerent. Hoc enim vinum vera illa Vitis fuderat de excelso, vinum lætificans cor, non statum mentis evertens: vinum germinans virgines, non apostatare faciens etiam sapientes. Novum vinum, sed habitantibus super terram. Nam in cœlis quidem olim copiosissimè redundabat, non in utribus, nec in testeis vasis, sed in cella vinaria, in spiritualibus apothecis. Fluebat per vicos & plateas omnes illius civitatis vinum, in quo lætitia cordis, non carnis luxuria est; Nam terrigenæ & filii hominum vinum eiusmodi non habebant.

Spiritus Sancti opera.

a Psal. 149. b

b Act. 2. b

Vinum mysticum & spiritualis ebrietas quæ?

Sic igitur cœlum quidem vino proprio fruebatur, quod terra interim nesciebat: sed ne ipsa quidem terra penitus inops carne Christi gloriabatur, cuius præsentiam nihilominus cœlum sitiebat. Quidni fidelissimum fieret gratissimumque commercium inter cœlum & terram, inter Angelos & Apostolos, ut exhiberetur illis caro Christi, istis vinum cœli, esset que in terra spiritus, caro in cœlis, ac deinceps omnia omnibus communia in æternum? *Nisi*, inquit, *ego abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Hoc est dicere: Si non dederitis quod amatis, non habebitis quod desideratis. Expedit ergo vobis ut ego vadam: vos quoque de terra ad cælum, de carne ad spiritum translaturus, Filius enim spiritus, Pater spiritus, Spirirus sanctus spiritus est. Denique spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Sed & Pater quia spiritus est, tales quærit adoratores qui adorent eum in spiritu & veritate. Spiritus tamen sanctus quasi specialiter spiritus dicitur, quod ab utroque procedat, firmissimum & indissolubile vinculum Trinitatis: tanquam propriè sanctus, quod sit donum

Commercium cœli & terræ in Pentecoste.

c Ioan. 16. a

Omnes tres personæ in Deitate Spiritus, tertia tamen specialiter.

num Patris & Filii, omnem sanctificans creaturam: quamvis Pater quoque & spiritus, & sanctus: itémque & Filius, & spiritus & sanctus sit. *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, ait Apostolus [d].

[d] Rom. 11. d

Tria in opere mundi cogitãda, quid, quomodò & quorsum sit.

Tria in magno huius mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus. Et in *esse* quidem rerum inæstimabilis potentia commendatur, quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. Sanè in *modo* ipsa sapientia singularis elucet: quòd hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sint locata. Si verò *ad quid* factus sit mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratissimos quoque multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè utilia sunt creata. Veruntamen & fuisse novimus ab initio, & adhuc multos esse videmus in filiis hominum, qui in bonis inferioribus sensibilis mundi huius, tota sensualitate depressi, totos se dederunt his quæ facta sunt, quonam modo, vel ad quid facta sint negligentes. Quid istos nisi carnales dicamus? Paucissimos esse jam arbitror: legimus tamen nonnullos quandoque fuisse, quibus summum studium fuit, atque unica sollicitudo, modum & ordinem investigare factorum, adeò ut plerique non modò utilitatem rerum perquirere dissimulaverint, sed & ipsas magnanimiter spreverint, cibo parvissimo viliissimoque contenti. Ipsi quidem sese philosophos vocant, sed à nobis curiosi & vani rectiùs appellantur.

Carnales mũdi bona complexi, non cogitant, cur, aut ad quid facta sint.

Philosophorũ circa modum & ordinem rerum occupatio vana.

Verè sapientis est in rebus cõditis spectare finem.

Utrisque igitur successerunt Viri prudentiores utrisque, qui nimirum & quæ facta sunt, & quomodo facta sunt transilientes, intenderunt aciem mentis, ut ad quid facta sunt, viderent. Nec latuit eos quoniam omnia propter semetipsum fecit Deus [o], omnia propter suos. Aliter tamen propter se, aliter propter suos, in eo quippe quod dicitur, *omnia propter se*, præveniens commendatur origo; in eo autem quod dicitur, *omnia propter suos*, magis exprimitur fructus sequens. Omnia fecit propter semetipsum, gratuita videlicet bonitate: omnia propter electos suos, pro eorum scilicet utilitate, ut illa quidem efficiens causa sit, hæc finis. Hi sunt spirituales viri sic utentes hoc mundo tanquam non utentes, sed in simplicitate cordis sui quærentes Deum, ne illud quidem magnopere vestigantes, quonam modo mundialis hæc machina volueretur: primi voluptate, secundi vanitate, tertii veritate impleti.

[o] Prov. 16. a

Discrimen carnalũ Philosophorum & spiritualium.

Gaudeo vos esse de hac schola, de scholavidelicet spiritus, ubi bonitatem & disciplinam & scientiam discatis, & dicatiscum sancto [f]: *Super omnes docentes me intellexi.* Quare inquam? Nunquid quia purpura & byssо me indui, & quia lautioribus epulis abundavi? Nunquid quia Platonis

[f] Psal. 118. a

tonis argutias, Aristotelis versutias intellexi, aut ut intelligerem laboravi? Absit inquam, sed *quia testimonia tua exquisivi.* Felix qui in hoc sancti Spiritus thalamo commoratur, ut possit intelligere triplicem illum Spiritum: de quo idem ipse puer Domini super seniores intelligens clamabat, & decantabat [g]: *Ne projicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Spiritum sanctum ipsum intellige proprio nomine designatum. Rogat ergo ne projiciatur à facie eius tanquam aliquid immundum; quia spiritus iste odit sordes, nec habitare poterit in corpore subdito peccatis. Cui enim proprium est peccata repellere, ipsi & proprium est peccata odisse*: nec in uno domicilio pariter morabuntur tanta munditia, & immunditia tanta. Recepto ergo sancto Spiritu per sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, audet quis ante faciem eius apparere tanquam lotus & mundus: utpote qui contineat se ab omni malo, & qui actiones, etsi non cogitationes frænaverit.

Triplicem spiritu ex Ps. 50. tribus personis sigillatim accommodat.

*g Psal. 50. c

Spiritus sanctus.

* *al.* odire.

Sed quia perversæ & immundæ cogitationes separant à Deo [h]: orandum est ut cor mundum creetur in nobis: quod utique fiet, si spiritus rectus fuerit in nostris visceribus innovatus. *Spiritum rectum* quod ait, Filio potest non inconvenienter aptari, qui nos veterem hominem exuens, novum induit, qui nos renovavit in spiritu mentis nostræ tanquam in visceribus nostris, ut cogitemus quæ recta sunt, ut ambulemus in novitate spiritus, & non literæ vetustate, Formam enim rectitudinis de cœlis attulit, reliquit in terris: immiscens sanè & mittens dulcedinem rectitudinis in omnibus operibus suis, sicut de eodem ipse prædixerat [i]: *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Castigato ergo corpore per sanctitudinem operum, mundato corde vel potiùs innovato per rectitudinem cogitationum, redditur lætitia salutaris, ut jam in lumine vultus Dei ambules, & in nomine eius exultes tota die.

h Sap. 1.

Spiritus rectus.

i Psal. 24. b

Quid igitur restat, nisi ut *spiritu principali* confirmeris? Patrem intellige spiritum principalem: non quòd maior, sed quòd solus à nullo, ab eo sit Filius, Spiritus sanctus ab utroque. In quo autem confirmatio hæc, nisi in charitate? Aut quod donum aliud tam dignum Patre? Quod munus aliud tam paternum? *Quis nos* (ait Apostolus [k]) *separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* Certi sitis, quia neque mors, neq; vita, neq; cætera alia, quæ Apostolus tam multipliciter quàm audacter enumerat, poterunt nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu. Nunquid non

Spiritus principalis.

k Rom. 8. g

hoc confirmationem ab omni huius sententiæ parte demonstrat? Scis vas tuum possidere in sanctificatione & honore, & non in passione desiderii? *Spiritum sanctum* accepisti tibi. Vis ut quæcunque tibi vis ab hominibus fieri, tu quoque facias illis, & quod tibi fieri non vis, alii ne feceris? *Spiritum rectum* ad opus proximi suscepisti. Hæc est enim rectitudo quam lex utraque commendat, & quæ naturæ indita est, & quæ tradita per Scripturam. Jam si in utroque bono, in his quæ ad utrumque pertinent, firmiter perseveras: *principalem spiritum*, quem solum DEUS approbat, recepisti: Alioquin quæ modò sunt, modò non sunt, is qui verè est, non acceptat, nec in caducis istis, sibi potest æternitas complacere. Itaque si desideras, ut in te Deus eligat partem sibi: esto solicitus sicut tibi Spiritum sanctum, sicut proximo spiritum rectum, sic ei quoque tanquam vero Principi, & Patri spirituum spiritum principalem exhibere.

Testimonium spiritus in nobis habitantis unde sumendum.

Verè multiplex spiritus, qui tam multipliciter filiis hominum inspiratur, ut non sit qui se abscondat à calore eius. Siquidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem. *Ad usum* quidem vitæ, bonis & malis, dignis pariter & indignis communia bona abundantissimè tribuens, ita ut videatur hic discretionis limitem non tenere. Ingratus, qui in his quoque beneficium spiritus non agnoscit. *Ad miraculum*, in signis & prodigiis, in variis virtutibus quas per quorumlibet manus operetur: ipsa est antiqua miracula suscitans, ut ex præsentibus fidem astruat præteritorum. Sed quia nonnullis hanc quoque gratiam sine propria utilitate largitur: tertia* infunditur *ad salutem*: cum in toto corde nostro revertimur ad Dominum Deum nostrum. Porrò *ad auxilium* datur, cum in omni colluctatione adjuvat infirmitatem nostram. Nam cum testimonium perhiberet spiritui nostro quòd filii Dei sumus, ea inspiratio est *ad consolationem*. Datur etiam *ad fervorem*, cum in cordibus perfectorum vehementiùs spirans validum ignem charitatis accendit, ut non solùm in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem. Omnibus nobis, ni fallor, datus est spiritus ad salutem, ad fervorem non ita. Pauci enim sunt qui hoc spiritu repleantur: pauci qui studeant æmulari. Contenti sumus angustiis nostris, nec respirare in libertatem illam, non saltem ad eam spirare conamur. Oremus, fratres, ut complaceant in nobis dies Pentecostes, dies remissionis, dies exultationis, dies verissimi Jubilæi: & inveniat nos semper Spirirus saectus omnes propter præsentiam corporalem, pariter propter cordium unitatem, in eodem loco per promis-

Spiritus quomodò multiplex.

Spiritus S. datur hominibus multipliciter.

* *al.* tertio.

Pauci quibus datur Spirit. S. ad fervorem.

sam

sam stabilitatem; ad laudem & gloriam sponsi Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ,
De Lucerna ardente & lucente,
Sermo.

Ipse erat Lucerna ardens & lucens, Joan. 5. f

SIt procul ab his conventibus, Fratres, increpatio illa Prophetæ Judaica reprobantis conventicula, & dicentis [a]: *Iniqui sunt cœtus vestri.* Hi nimirum cœtus non iniqui, sed planè sancti, sed religiosi, sed pleni gratia, digni benedictione. Convenitis siquidem ad audiendum DEUM: convenitis ad laudandum, ad orandum, ad adorandum. Sacer est conventus uterque, placens Deo, Angelis familiaris. State ergo in reverentia, fratres, state in sollicitudine & devotione mentis: maximéque in loco orationis, & in hac schola Christi, & auditorio spirituali. Nolite considerare, dilectissimi, quæ videntur & temporalia sunt, sed magis quæ non videntur æterna. Secundùm fidem, non secundùm faciem judicate. Terribiliter siquidem metuendus est locus uterque: nec maior adesse credendus est numerus hominum, quàm Angelorum. Patet utrobique sine dubio porta cœli, scala illa erecta est, ascendunt & descendunt Angeli super filium hominis. Gigas namque est iste filius hominis, cœlum ei sedes est, terra scabellum pedum eius. Et elevata est magnificentia eius super cœlos: manet tamen nobiscum usque ad sæculi consummationem. Ascendunt & descendunt itaque ad Deum Angeli sancti; quia caput & corpus unus est Christus.

a Esa. 1. d

Quanta cum reverentia sacris conventibus tum ad orationem, tum ad prædicationem interesse oporteat.

Nec tamen ubi caput, sed ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ, licet non possit caput à corpore separari. Denique & ipse ait [b]: *Ubi duo vel tres congregati fuerunt in nomine meo, in medio eorum sum*: Sed forte quis dicat: Ubi est modò Christus? Ostende nobis Christum, & sufficit nobis. Quid curiosos circunducitis oculos? Num ad videndum & non magis ad audiendum convenitis? *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, ait Propheta [c]. Aurem meam aperuit ut audiam quid loquatur: non oculum, ut videam vultum eius, illuminavit. Aut certè suam mihi aperuit aurem, non faciem revelavit. Post parietem stat, audit & auditur: sed necdum apparet. Audit orantes, erudit audientes. An experimentum eius quæritis qui in me loquitur Christus [d]? Ego, inquit, qui loquor justitiam. Quidni loquatur ore, quod ipse blasmavit? Quidni suo utatur, ut libet, artifex instrumento? Non tantum aures eorum, sed & labia mea aperi Domine: ego

b Matt. 18. e

c Esai. 50. h

d 2. Cor. 12. a

enim labia mea non prohibeo Domine, tu sciſti. Bene enim omnia facis, & ſurdos facis audire, & mutos loqui.

Audite ergo, fratres, quid de Joanne loquatur, cuius ſolemnis hodie
e Ioan. 5. f Nativitas celebratur. *Ipſe*, inquit *erat lucerna ardens & lucens*. Magnum teſtimonium, Fratres mei. Magnus enim eſt cui perhibetur, ſed maior eſt
Ardere ſimul & lucere perfectum eſt. Eccle. 27. b ipſe qui perhibet. *Ille*, inquit, *erat lucerna ardens, & lucens*. Eſt enim tantùm lucere vanum, tantùm ardere parum: ardere & lucere perfectum. Audi quid dicat Scriptura [f]. *Sapiens permanet ut ſol, ſtultus autem ut luna mutatur*. Quia enim ſplendet luna ſine fervore; modò plena, modò exigua, modò nulla videtur. Mutuatum ſiquidem lumen nunquam in eodem permanet ſtatu, ſed creſcit, deficit, extenuatur, adnihilatur, & penitus non
Qui ex hominum iudiciis pendent, inſtabiles. comparet. Sic ſic qui conſcientias ſuas in alienis labiis poſuerunt, modò magni, modo parvi ſunt, modò nulli, ſecundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit vel laudare. At verò ſolis ſplendor igneus eſt, & cum fervet acriùs, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic Sapientis ardor internus, foris lucet? & ſi non ei datur utrumque, curat ſemper ardere magis, ut Pater ſuus qui videt in abſcondito, reddat ei. Væ nobis, fratres, ſi
Sapiens potius curet ardere quam lucere. luxerimus tantùm. Nam lucemus quidem & magnificamur ab hominibus: ſed mihi pro minimo eſt, ut ab humano judicer die. Qui enim judicat me, Dominus eſt, qui fervorem ab omnibus exigit, ſplendorem verò
g Luc. 12. f non ita: *Ignem*, inquit [g], *veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur*? Hoc nempe commune mandatum: hoc eſt quod exigitur ab univerſis, nec ulla, ſi deeſſe contigerit, admittetur excuſatio.

*h Matt. 5. b Cæterum ſingulariter Apoſtolis & apoſtolicis viris dicitur [h]: *Luceat lux veſtra coram hominibus*, nimirum tanquam accenſis, & vehementer accenſis, & quibus non timeatur à flatu quolibet, aut impulſione ventorum. Dictum eſt & Joanni, ſed illi in aure audiunt: Joannes in ſpiritu tan-
S. Ioannis prærogativa. Ioannes verè ardens. quam Angelus eruditur. Nimirum tantò propinquior Deo, quantò vox verbo vicina: cui nulla voce alia media quod foris ſonet oportebat intimari. Neque enim Joannem prædicatio, ſed inſpiratio docuit, quem replevit ſpiritus in utero matris ſuæ. Verè ardens & vehementer accenſus, quem ſic præoccupavit flamma cœleſtis, ut jam Chriſti ſentiret adventum, qui necdum ſentire poterat vel ſeipſum. Nimirum novus ille ignis, qui recens elapſus è cœlo, per os Gabrielis in aurem intraverat Virginis, & per matris aurem introivit ad parvulum: ut ab ea hora vas electionis ſuæ Spiritus ſanctus impleret, & lucernam Chriſto Domino pararet. Fuit ergo jam tunc ardens lucerna, ſed interim adhuc ſub modio, donec ſuper candelabrum poneretur, & luceret omnibus qui erant in domo Domini. Illo

enim

enim in tempore solum adhuc potuit illuminare modium suum : soli interim lucere matri, magnum ei pietatis Sacramentum revelans ipso motu novæ exultationis. *Vnde mihi hoc* (inquit) *ut veniat Mater Domini mei ad me* [i] ? Quis enim tibi indicavit matrem Domini, mulier sancta ? Unde me nosti ? *Vt facta est* (inquit) *vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* [i] Luc. 1. d Ibid.

Illuminavit ergo jam tunc modium suum sub quo latebat : sed quem non latebat ardens lucerna sub modio, totum paulo post mundum novis illustratura fulgoribus. *Ille erat* (inquit) *lucerna ardens & lucens* [k]. Non ait, lucens & ardens : quia Joannis ex fervore splendor, non fervor prodiit ex splendore. Sunt enim qui non eò lucent, quia fervent : sed magis fervent ut luceant : At isti planè non fervent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. Vultis nosse quemadmodum arsit Joannes & luxit ? Ego utrumque in eo triplicem posse arbitror inveniri & *ardorem* scilicet & *splendorem*. Ardens enim erat *in seipso* vehementi austeritate conversationis : *Erga Christum* intimo quodam & pleno fervore devotionis : *Erga peccantes* proximos constantia liberæ increpationis. Luxit nihilominus (ut paucis dixerim) *exemplo, digito, verbo* : & seipsum ostendens ad imitationem, & luminare maius quod latebat, ad peccatorum remissionem, & ipsas quoque tenebras nostras illuminans, sicut scriptum est [l]. *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus illumina tenebras meas*, utique ad correptionem. [k] Ioan. 5. f

Ardor & splendor in Ioanne triplex.

[l] Psal. 17. d

Considera igitur hominem angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in utero, & novum in novo homine pœnitentiæ imitare fervorem. *Victum & vestitum*, ait Apostolus [m], *habentes, his contentissimus.* Apostolica perfectio ista est, sed Joannes etiam hæc contempsit. Denique audi Dominum in Evangelio [n]. *Venit* (inquit) *Ioannes non manducans, nec bibens*, planè nec vestiens. Sicut enim non est locusta cibus, nisi alicuorum fortè irrationabilium animalium, sic nec pilus cameli humanum est indumentum. Quid tu pilos tuos camele deposuisti ? Utinam gibbum magis deposuisses. Quid vos irrationabiles feræ & reptilia deserti cibos exquiritis delicatos ? Joannes sanctus homo missus à Deo, imò Angelus Dei, sicut ait Pater [o] : *Ecce mitto Angelum meum ante te.* Hic ergo Joannes quo nullus maior in natis mulierum, innocentissimum illud corpus sic castigat, sic extenuat, sic affligit : vos indui festinatis byssо & purpura, & splendidè epulari ? Heu hic est præsentis totus honor diei, hæc Baptistæ reverentia tota : hæc Nativitatis eius prophetata quondam lætitia est. Cuius enim memoriam agitis ô nimis deli-

[m] Tim. 6. b

[n] Matt. 11. c

[o] Luc. 7. d

Abusus celebrandi Natalem S. Ioan.

delicati cultores? Cuius celebratis natalem? Nonne illius qui in eremo fuit hirsutus veste, confectus inedia? Quid existis in desertum videre filii Babylonis, arundinem vento agitatam? Quid igitur? Hominem mollibus vestitum? Nutritum mollibus? In his nempe tota versatur hæc vestra celebritas: in popularis favoris aura sectanda, in gloria vestium, & voluptate ciborum. Sed quid hæc ad Joannem? Neque enim Joannes fecit sic, aut talibus unquam potuit delectari.

p Luc. 1. b

Multi (inquit Angelus [p]) *in nativitate eius gaudebunt.* Verum id quidem; multi in Nativitate eius gaudent: & paganis ipsis (ut audivimus) læta est & solemnis. Illi celebrant quod ignorant, sed non ita debuerant Christiani. Nunc verò & ipsi in hac beati Joannis Baptistæ Nativitate gaudent: sed utinam de Nativitate, non de vanitate. Quid est enim nisi vanitas vanitatum quicquid sub sole est? aut quid amplius habet homo de universo labore suo quo laborat [q]? Fratres, sub sole est, quicquid oculis cernitur, quicquid huic corporeæ luci subjacere videtur. Quid verò illud nisi vapor ad modicum parens [r]? Quid illud nisi fœnum, & flos fœni: *Omnis caro fœnum* (ait Dominus [s]) *& omnis gloria eius quasi flos fœni. Fœnum aruit, & flos decidit, verbum autem Domini manet in æternum.* In hoc verbo laboremus, fratres; in quo & vivere & gaudere possimus in æternum. Operemur non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Quis ille? *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* [t]. Seminemus in hoc verbo, charissimi, seminemus in spiritu: quoniam qui in carne seminant, solam habent metere corruptionem. Gaudeamus intus & non sub sole, sed juxta Apostolum [u] *tanquam tristes* propter humilitatem & gravitatem: *semper autem gaudentes* propter internam consolationem. Gaudeamus, dilectissimi, in natali beati Joannis, & gaudeamus de ipsa Nativitate.

q Eccl. 1. *Omne sub sole vanitas.*

Iacob. 1. b & 4. c

s Isa. 40. b

t Matt. 4. b Luc. 4. & Deut. 8.

u 2. Cor. 6. c

Ioannes lucerna ardens & lucens.

Quomodo nobis gaudendum in eius tum fervore tum luminè.

Copiosa quidem nobis in eius recordatione causa multiplex est materia gaudiorum. Ille erat lucerna ardens & lucens: Judæi voluerunt exultare in luce eius: ipse verò potiùs gaudebat in fervore devotionis, gaudebat ad vocem sponsi tanquam amicus sponsi. Nobis in utroque gaudendum est, in altero quidem ei, nobis in altero congaudendum. Ardebat enim sibi, nobis autem lucebat. Gaudeamus in fervore eius ad imitationem, gaudeamus in lumine, non tamen ibi manentes, sed ut in lumine eius videamus lumen. Lumen utique verum, quod non est ipse, sed cui testimonium perhibet ipse. *Venit Ioannes* (ait Dominus) *nec manducans nec bibens* [x]. Incentivum fervoris id mihi est & materia humilitatis. Quis enim in nobis est, Fratres, qui Joannis pœnitentiam intuens, suam non dico magnificare, sed alicuius saltem momenti reputare præ-

x Matt. 11. c

sumat?

sumat? Quis audeat murmurare in laboribus suis, & dicere, Satis est quod patior, nedum nimis? Quæ enim homicidia, quæ sacrilegia, aut flagitia sic puniebat Joannes in seipso? Accendamur ad pœnitentiam, Fratres, interrogemus conscientias nostras, & animemur ad ultionem exigendam de nobis, ut horrendum possimus evadere judicium Dei viventis. Quicquid verò minus est fervoris, humilitas suppleat puræ confessionis. Fidelis est Deus, si confiteamur iniquitates nostras, si miserias nostras exponamus, si nō excusemus infirmitates nostras, dimittit nobis peccata nostra.

Ioannis pœnitentia nos ad eandem excitat & accēdit.

Ex hoc sanè & erga proximorum delicta fervorem intuere Joannis. Hic nempe dignus est & rationi consentaneus ordo, ut incipiendum tibi memineris à teipso. *Ab occultis* (inquit [x]) *meis munda me: & ab alienis parce servo tuo. Genimina viperarum* (ait Joannes [y]) *quis ostendit vobis fugere à ventura ira*? De quanto mentis fervore procedere putas scintillas istas, imò carbones desolatorios? Sic neque Pharisæis parcens, *Nolite* (inquit [z]) *dicere quia patrem habemus Abraham: potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Sed minùs hoc videatur; si vel ipsum veretur potentis vultum, & non tota libertate spiritus arguit peccantem regem, crudelem atque superbum: sacra quadam vehementia ad hoc ipsum prodiens de deserto, si vel blanditiis eius, vel ipso mortis terrore movetur. *Metuebat* (inquit [a]) *Herodes Ioannem; & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* At ille nihil ob hoc parcens: *Non licet*, ait, *tibi habere eam.* Ligatus quoque, & in carcerem trusus, nihilominus stetit in veritate, & occubuit pro veritate feliciter. Ferveat etiam in nobis zelus iste, charissimi. Ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo, Fratres, vitia palpet, peccata dissimulet. Nemo dicat, Nunquid custos fratris mei sum ego? Nemo, quod in se est, æquanimiter ferat cum viderit Ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire, silere, cum arguere possis: & scimus quia similis pœna facientes maneat & consentientes.

[x] Psal. 18. & [y] Luc. 36.

[z] Ibid.

S. Ioannis Zelus & parrisia in corripiendis impiis.

[a] Marc. 6. e

Ad correptionem fraternam exhortatio.

Jam verò super humili & omninò ferventissima devotione Joannis erga Dominum quid loquemur? Inde enim exultavit in utero [b]: inde expavit in Jordane baptizaturus eum [c]: inde non modò Christum, qui putabatur, sed vel ipsam corrigiam calceamenti eius solvere dignum se esse negabat [d]; inde gaudebat amicus sponsi ad vocem sponsi: inde gratiam se accepisse pro gratia fatebatur [f]: illum autem non ad mensuram habere spiritum, sed plenitudinem de qua omnes acciperent, clamitabat: *Nonne Deo subiecta eris anima mea*? Alioquin non ero lucerna ardens, nisi toto corde, tota mente, & ex omnibus viribus meis diligam Dominum Deum meum. Sola enim est charitas quæ accendit ad salutem: sola quam

[b] Luc. 1. e
[c] Matt. 3. d
[d] Matt. 1. Luc. 3. Io. 1.
[e] Ioan. 3. d
[f] Ibidem.

infundit & inflammat ſpiritus, quam extinguere prohibemur [o]. Habes quemadmodum Joannes arſerit: & in hoc ipſo quemadmodum luxerit, indicatum eſt ſi advertiſti. Neque enim ardorem eius noſſe poteras, niſi luxiſſet.

o 1. Theſſ. 5. c

Luxit ergo, ut ſupra memini, exemplo, digito, verbo; *opere* ſeipſum, Chriſtum *indice*, noſmetipſos nobis *ſermone* declarans, *Tu puer propheta Altiſſimi vocaberis* (ait Pater &) *præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius. Ad dandam* (inquit) non ſalutem (neque enim ille lux,) *ſed ſcientiam ſalutis*, ut teſtimonium perhiberet de lumine, *Scientiam* (inquit) *ſalutis, in remiſſionem peccatorum.* Num ſalutis ſcientiam ſapiens parvipendere poteſt? Ponamus tamen nec dum veniſſe Joannem, nec dum ſignificaſſe de Chriſto. Ubi ſalutem quæremus? Peccavi peccatum grande, quod ſanguine vitulorum vel hircorum deleri non poteſt: quia non holocauſtis delectatur Altiſſimus: Memoria mea infecta eſt fæce huius amurcæ, non eſt novacula, quæ membranam hanc radere poſſit: quia tota totam imbibit fæcem. Si peccati mei oblitus fuero, ſtultus ſum & ingratus. Si in memoria mea permanet, arguet me in æternum. Quid igitur faciam? Ibo ad Joannem, & audiam vocem lætitiæ, miſericordiæ vocem, ſermonem gratiæ, verbum remiſſionis & pacis. *Ecce* (inquit) *Agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi* [h]. Et alibi [i], *qui habet ſponſam* (inquit) *ſponſus eſt.* Oſtendit igitur quia venit Deus, quia ſponſus, quia Agnus. Quia *Deus*, certum eſt quod peccata remittere poſſit: ſed utrum velit, adhuc in quæſtione eſt. Vult profectò, quia *ſponſus* eſt, quia amabilis eſt. Et Joannes amicus ſponſi eſt, quia ſponſus niſi amicos habere non novit. Et licet velit glorioſam ſponſam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiuſmodi, non tamen quærit talem. Ubi enim illam inveniret? Sed talem potiùs ipſe facit: talem ſibi exhibet ipſe. Audi denique quid dicat per Prophetam. Vulgo dicitur [k]: *Nunquid mulier ſi dormierit cum altero viro, revertetur ad virum ſuum priorem? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: revertere tamen ad me, & ego ſuſcipiam te.* ecce quod poſcit, ecce quod velit.

2 Luc. 1. g

h Ioan. 1. d

i Ioan. 3. d

Chriſtum veniſſe ut Deũ, ut ſponſum, ut Agnum Joannes prænunciat.

k Hier. 3. a

Sed tu fortaſſis timeas eam quam facere venit delictorum purgationem, ne uſtione & ſciſſione oſſa, & medullam oſſium collidat, ne dolorem inferat morte graviorem. Audi, *Agnus eſt*, in manſuetudine venit cum lana & lacte, ſolo verbo juſtificans impium. Quid enim (juxta Comicum) *faciius dictu? Tantum* (inquit) *dic verbo, & ſanabitur puer meus* [l]. Ad quid ergo deincepshæſitemus, fratres: & non omni fiducia ad thronum gloriæ aſcendamus? Agamus Joanni gratias, & eo mediante

l Matt. 8. a

diante transeamus ad Christum, quia, ut ait ipse [m], *illum oportet crescere, me autem minui.* Quomodo minui? Splendore utique, non fervore. Retraxit radios, collegit se *, ne fieret sicut is qui totum profert spiritum suum. *Illum* (inquit) *oportet crescere*, qui exhauriri non potest: de cuius plenitudine omnes accipiant: me autem minui, cui datus est spiritus ad mensuram, & danda magis opera ut ardere semper valeam, quàm lucere. Præcessi Solem tanquam sydus matutinum, abscondi necesse est orto jam Sole. Non est mihi nisi modicum olei quo ungar, volo illud in vase tutius, quàm in lampade possidere.

[m] Ioan. 3. 7

*al. recollegit se.

IN VIGILIA SS. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM, SERMO.

Vigiliæ Festorum quomodo celebrandæ.

IN Sanctorum Vigiliis necesse est vigilare hominem spiritualem, qui solemnitates eorum celebrare desiderat in spiritu & veritate. Aliæ enim carnalium, aliæ spiritualium vigiliæ. Illi & nitidiores cultus, & epulas præparant lautiores, & fortassis in ipsis vigiliis operantur opera tenebrarum, lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Vos non ita didicistis Christum, quia Christum secuti estis, qui omnia reliquistis, qui vigilanti oculo vigiliarum nomen debetis attendere. Ad hoc enim vigiliæ proponuntur, ut evigilemus si in aliquo peccato vel negligentia dormiamus, & præoccupemus faciem sanctorum in confessione. Non sic filii huius sæculi, non sic, qui potentes sunt ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem; qui obdormierunt in flagitiis & facinoribus suis. Illud vos non lateat, quia qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt: & qui dormiunt, nocte dormiunt: & frustra sonat eis nomen Vigiliarum sanctarum, cum ipsi magis dormire studeant quàm vigilare. Vos non estis filii noctis, neque tenebrarum, sed lucis & diei, ut non vos præoccupent natalitii Sanctorum dies, & inveniant imparatos.

Tria in Festivitatib. SS. præcipuè consideranda.

Primo Auxilium SS. Sancti in terris pro nobis orant, quantò magis in cœlis

Tria sunt igitur quæ in festivitatibus Sanctorum vigilanter considerare debemus, Auxilium Sancti, Exemplum eius, Confusionem nostram. *Auxilium* eius, quia qui potens in terra, potentior est in cœlis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum hic viveret, misertus est peccatoribus, & oravit pro eis: nunc tantò ampliùs quanto veriùs agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beata illa patria charitatem eius non immutavit, sed augmentavit. Neque enim quia impassibilis omninò, ideò & incompassibilis factus est: sed nunc potiùs induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ exstitit. Est & alia causa quæ magis urget Sanctos ut soliciti sint de nobis, quia juxta vocem Apostoli,

Deus providet pro nobis, ne sine nobis consummentur, sicut ait sanctus David [a]. *Me expectant justi donec retribuas mihi.* Debemus etiam attendere *Exemplum* eius; quia quandiu in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, non declinavit ad dexteram, neque ad sinistram: sed viam regiam tenuit donec veniret ad illum qui dicit [b]: *Ego sum via, veritas & vita.* Intuemini humilitatem operum eius, auctoritatem verborum eius, & tunc videbitis quomodò tam verbo quàm exemplo luxerit inter homines: qualia nobis vestigia dereliquerit, ut ambulemus per ea, & non erremus in eis. Verè juxta Prophetam [c], *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.*

Secundo Exemplum SS.

a Psal. 141. b

b Ioan. 14. b

c Isa. 66. b

Sed & diligentiori intuitu *Confusionem* nostram inspiciamus: quia homo ille similis nobis fuit, passibilis, ex eodem luto formatus ex quo & nos. Quid ergo est, quod non solùm difficile sed & impossibile credimus, ut faciamus opera quæ fecit, ut sequamur vestigia eius? Confundamur, Fratres, & contremiscamus ad vocem istam, si fortè hæc confusio adducat nobis gloriam, si fortè generet gratiam nobis timor iste. Homines isti fuerunt qui præcesserunt nos, qui tam mirabiliter processerunt per vias vitæ, ut vix eos homines fuisse credamus. Sic ergo in Sanctorum festivitatibus & gaudere & confundi debemus: gaudere, quia Patronos præmisimus; confundi, quia eos imitari non possumus. Ita semper gaudium nostrum in hac valle lachrymarum, lachrymarum pane condiri debet, ut semper non solùm extrema, sed & prima gaudii luctus occupet: quia etsi magna est gaudiorum materia, sed maxima est dolorum. *Memor fui Dei*, clamat justus [d], *& delectatus sum*; sed & statim subjungit: *Defecit spiritus meus, turbatus sum, & non sum loquutus.*

Tertiò Confusio nostra ex collatione SS. Sanctis pares naturâ, sed gratia & virtute multùm dissimiles.

d Psal. 76. a

Quod si hæc in vigiliis uniuscuiusque Sancti cogitare debemus, quid faciemus in solemnitate Sanctorum & summorum Apostolorum, Petrum & Paulum loquor? Sufficeret unius festivitas ad infundendam exultationem universæ terræ, sed amborum juncta est ad cumulum gaudiorum, ut quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sint separati. Quid illis potentius dum fuerunt in terris? Quorum alteri traduntur claves regni cœlorum, alteri magisterium gentium [f]: alter Ananiam & Sapphiram occidit in verbis oris sui [g], alter donat quicquid donat in persona Christi [h]: & cum infirmatur, nunc fortior est & potens [i]? Quam potentiores sunt in cœlis, qui tam potentes fuerunt in terris? Et qui nobis reliquerunt majora exempla, quàm illi qui in fame & siti, in frigore & nuditate, & in omnibus illis quæ Paulus enumerat, jugiter sunt afflicti, & demum felici martyrio regna cœlestia conscenderunt? Verè nobis rubor confusionis sunt, quos vix audeamus respicere, ne dicam imitari. Oremus

Elogium SS. Apost. Petri & Pauli.

e Matt. 16. c
f Act. 9. c.
g Act. 5. a
h 2. Cor. 2. c
i 2. Cor. 2. c
k 2. Co. 11. & Hebr 11. g

mus ergo eos, ut ipsi propitium nobis reddant amicum suum Judicem nostrum, qui est DEUS benedictus in sæcula, Amen.

IN FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI.

SERMO I.

GLoriosa nobis solemnitas illuxit, quam præclari martyres Martyrum duces, Apostolorum principes morte clarissima consecrarunt. Isti sunt *Petrus & Paulus*, duo magna luminaria, quos Deus in corpore Ecclesiæ suæ constituit quasi geminum lumen oculorum. Hi mihi traditi sunt in Magistros & in mediatores: quibus securè me committere possim: quia & notas mihi fecerunt vias vitæ, & mediantibus illis ad illum mediatorem ascendere potero, qui venit pacificare per sanguinem suum & quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Ille enim in utraque natura purissimus est, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Quomodo ad illum accedere audebo, qui sum supra modum peccans peccator, qui peccavi numerum arenæ maris, cum ille purior, ego impurior esse non possim? Verendum ne incidam in manus Dei viventis, si illi appropinquare vel inhærere præsumpsero, quem à me tanta differentia dividit, quantum distat inter bonum & malum. Propterea dedit mihi Deus homines istos, qui & homines essent, & peccatores, & maximi peccatores, qui in seipsis & de seipsis dicerent, quàm latè aliis misereri deberent. Magnorum enim criminum rei magnis criminibus facilè donabunt veniam, & in qua mensura mensum est eis, remetientur nobis. Peccavit peccatum grande Petrus Apostolus; & fortassis quo grandius nullum est: & tam velocissimè, quam facillimè veniam consecutus est, & sic, ut nihil de singularitate sui primatus amitteret. Sed & Paulus qui in ipsa viscera nascentis Ecclesiæ tam singulariter quàm incomparabiliter grassatus est, per ipsius filii Dei vocem ad fidem adducitur, & pro tantis malis, tantis bonis repletus est, ut Vas electionis fieret, ad portandum nomen eius coram gentibus, & regibus, & filiis Israel [a]. Vas dignum, & cœlestibus ferculis repletum; de quo & sanus escam, & infirmus accipiat medicinam.

Sancti nobis à DEO dati in magistros & mediatores.

Petrus & Paulus olim peccatores nunc Eccles. prædicatores & pastores.

[a] Act. 9.

Tales decebat humano generi Pastores & Doctores constitui, qui & dulces essent & potentes, & nihilominus sapientes. Dulces, ut me blandè & misericorditer susciperent. Potentes, ut fortiter protegerent. Sapientes, ut ad viam, & per viam dueerent, quæ ducit ad civitatem. Quid Petro dulcius, qui tam dulciter ad se omnes convocat peccatores, sicut & Actus Apostolici, & Epistolarum eius series attestatur? Quid illo potentius, cui & terra obedivit, cum mortuos reddidit [b]; & mare sub

[b] Act. 9.

pedibus eius se calcabile præbuit [c] : qui Simonem Magum spiritu oris sui in aere attigit [d] : qui claves regni cœlorum tam singulariter accepit, ut præcedat sententia Petri sententiam cœli ? Denique *quodcunque ligaveris* (inquit [e]) *super terram, erit ligatum & in cœlis* : *& quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Quid autem illo sapientius, cui non caro & sanguis revelavit [o] ? Libentissimè Paulum sequor, qui præ nimia dulcedine luget eos qui peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam [g] : qui fortior est omni Principatu & Potestate [h] : sapientiam & medullam sacrorum sensuum non à primo vel secundo, sed à tertio cœlo largiter asportavit [i].

c Matt. 14.c
d Act. 8.c
e Matt. 16.c
o Ibidem.
g 2. Cor. 12.g
h Rom. 8.g
i 2. Cor. 12.b

Apostoli quid nos doceant.

Hi sunt Magistri nostri, qui à Magistro omnium vias vitæ pleniùs didicerunt, & docent nos usque in hodiernum diem. Quid ergo docuerunt, vel docent nos Apostoli sancti ? Non piscatoriam artem, non scenofactoriam, vel quicquid huiusmodi est : non Platonem legere, non Aristotelis versutias inversare, non semper discere, & nunquam ad veritatis scientiam pervenire. Docuerunt me vivere. Putas parva res est scire vivere ? Magnum aliquid, imò maximum est. Non vivit qui superbiâ inflatur, qui luxuriâ sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus : quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere, & appropinquare usque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, & mala pati, & bona facere, & sic perseverare usque ad mortem. Dicitur vulgo, quia qui bene se pascit, bene vivit : sed mentita est iniquitas sibi : quia non bene vivit, nisi qui bonum facit.

Scientia benè vivendi potissima.

In quo consistat bona vita.

Arbitror autem quod tu qui in congregatione es, bene vivis, si vivis ordinabiliter, sociabiliter, & humiliter. Ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter DEO. *Ordinabiliter*, ut in omni conversatione tua solicitus sis observare vias tuas, & in conspectu Domini, & in conspectu proximi : cavens, & tibi à peccato, & illi à scandalo. *Sociabiliter*, ut studeas amari & amare ; blandum te & affabilem exhibere : supportare non solùm patienter, sed & libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum quàm corporum. *Humiliter*, ut cùm hæc omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exsufflare, qui ex huiusmodi nasci solet : & quantumcunque illum senseris, negare omnino consensum.

In congregatione vivendum ordinabiliter, sociabiliter, & humiliter.

Sic & in patiendo malum quoniam triplex est, triplicem providentiam adhibere te oportet. Est enim quod à te pateris, quod à proximo, quod à Deo. *Primum* est austeritas pœnitentiæ : *secundum*, vexatio alienæ malitiæ : *tertium*, flagellum correctionis divinæ. In eo quod à te pateris, debes voluntariè sacrificare : quod à proximo, patienter ferre : quod à DEO, sine murmure, & cum gratiarum actione sustinere. Non

In patiendo malum triplici providentia opus.

sic

sic multi filiorum Adam, qui erraverunt in solitudine in inaquoso [k]. Erraverunt planè, & errant à via veritatis, qui in solitudinem superbiæ recedentes, socialem vitam habere non volunt: quorum singularitas associari non potest. Sed & in inaquoso: quia nullo imbre lachrymarum compuncti in terra iterili & arenti perpetua siccitate morantur. Propterea viam civitatis habitaculi non invenerunt: quia inveterati in terra aliena coinquinati sunt cum mortuis, deputati cum his qui in inferno sunt.

[k] Ps. 106. a

Non erat ita solitarius ille, de quo sanctus Hieremias ait, *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se super se.* Illi erraverunt, sed iste sedebit semper. Illi enim errant corde: iste autem sedet, sed sedebit solitarius, cum habuerit honorem singularitatis, illius videlicet judiciariæ potestatis insigne, quod sancti in terra possidebunt, cum lætitia sempiterna erit eis. Quare? *Quia levavit se super se*, id est, cum adolescens esset, & ætatis lubricæ sentiret ardores, senem induit, relinquens quod erat, assumens quod non erat. *Levavit* (inquit) *se super se*: quia non respicit ad se, sed ad illum qui est super se. Sedebit enim & tacebit, etiam modò à strepitu diabolicarum suggestionum, à strepitu carnalium desideriorum, à strepitu mundi. Felix anima quæ linguas istas non exaudit, audiat licet: illa multum felicior (si tamen aliqua est) cui penitus non loquuntur. Hæc est sapientia quam Apostolus loquitur inter perfectos, abscondita in mysterio, quam nemo Principum seculi huius cognovit [m]. Sic me Apostoli & vivere & conscendere docuerunt. Gratias tibi ago Domine JESU, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis istis qui te secuti sunt, & reliquerunt omnia propter nomen tuum.

[l] Thren. 3. c

Boni solitarii conditiones.

[m] 1. Cor. 2. b

IN FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI. SERMO II.

SAncti isti quorum solennis hodie passio celebratur, multam nobis de se loquendi causam, multam quoque materiam præbuere. Verùm ego unum timeo, ne totiens audita verba salutis vilescere nobis incipiant tanquam verba. Vilis siquidem & volatilis res Verbum hominis, nullius molis, nullius ponderis, nullius pretii, nullius soliditatis. Aerem verberat unde & Verbum dicitur: & sicut folium quod vento rapitur, effluit, & non est qui consideret. Nemo vestrum, fratres, sic accipiat: imo nemo sic despiciat verbum Dei. Dico enim vobis: bonum illi fuisset, si non audisset homo ille. Fructus vitæ sunt verba Dei, non folia: & si folia, sed aurea sunt; proinde non parvipendatur, non pertranseant, non

Verbum Dei quanti faciendum,

præter

prætervolent. Ipsa quoque colligite fragmenta ne pereant. Terra enim quæ sæpius supervenientem susceperit imbrem, & non fecerit fructum, terra reproba est, proxima maledicto [a]. Sic & ea quæ in Evangelio sterilis ficulnea legitur [b], si posteaquam foderit circa eam vineæ cultor, atque miserit stercora, nihilominus sterilis inventa fuerit: nonne jam securis ad radicem illius arboris est ponenda?

a Heb. 6.b
b Luc. 13.b Matt. 21.b

Sæculares infructuosos patientius fert Deus quam religiosos.

Et ego dico vobis, si minus boni in secularibus invenerit, maiorem in eis Dominus habiturus est patientiam, quàm in nobis, quibus cœlestium consolationum pluviam voluntariam segregavit: quibus non sarculus disciplinæ, non paupertatis & vilitatis stercora defuerunt. An non stercora sunt abominationes Ægyptiorum, quas immolamus Deo nostro? Stercora plane vilia ad aspectum, sed ad fructum utilia. Non refugiat hanc fœditatem, qui fœcunditatem desiderat. Si quidem ex deformi stercorum acervo qui portatur in agrum, formosus surget acervus manipulorum qui reportabitur ex agro. Propterea non vilescat vobis vilitas preciosa: sed pretiosius cunctis thesauris Ægypti Christi improperium æstimate. Veruntamen terrenum habentibus sterquilinium, ipsa quoque cœlestis non deest pluvia: quæ est orationum devotio, jucunda ruminatio psalmodiæ, dulcis meditatio, consolatio Scripturarum. Denique & hæc ipsa pluvia est, quam accipitis per os meum, si quando de flumine, cuius impetus lætificat Dei civitatem, & torrente voluptatis illius aliqua super vos, dum de eis loquimur, stillicidia stillare contigerit.

Spiritualis agriculturæ elegans descriptio.

Prælati sunt quasi custodes & cultores vineæ.

Sed necesse habeo interdum circunfodere, quandoquidem posuerunt me custodem & cultorem in vineis. Heu qui meam non colui, nec custodivi! Necesse habeo tamen, dum hunc occupo locum, & circumfodere nonnunquam, & apponere stercora. Molestum id quidem, sed dissimulare non audeo: sciens multò amplius securim nocituram, quàm sarculum: ignem, quàm fimum. Itaque & arguere & increpare interdum necesse est: nec ignoro fimum esse verbum increpatorium, verbum improperii, & quod si non excuset necessitas, ipsum quoque minus deceat proferentem. Sed quid agimus, quod hoc fimo etsi aliquos impinguari, sed alios planè & lapidari & indurari videmus? Hinc namque scriptum est [c]: *De stercore boum lapidabitur piger.* An non impinguatur, qui increpatus benignè accipit, mansuetè respondet, libenter emendare conatur? Hæc planè salubris & fœcunda impinguatio est, ut corripiat me justus in misericordia, & increpet: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Ex ea siquidem pinguedine quam generat oleum peccatoris, abundantiùs pullulant spinæ & tribuli, & omnis radix amaritudinis germinat copiosiùs. Itaque qui justorum increpationem misericor-

c Eccli. 22.a

Increpatio benignè suscipienda.

diam

diam nominat; satis indicat, quemadmodum suscipienda sit, quam benigno animo, quam devota mente: quantáque ei gratia sit habenda. Sic enim accipientibus nobis erit impinguatio salubris, non fertilis vitiorum, quemadmodum oleum peccatoris: sed fructus illius, quem secundùm Apostolum habemus, in sanctificationem [d]. Quid autem faciamus tibi ô piger, qui ad hanc misericordiam irritaris magis & exasperaris? Nonne bonum simum sparsi in agro tuo? Unde ergo lapides habet? Sed tu inimice homo (quoniam *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* [e]) tu, inquam, inimice homo hoc fecisti: qui desidiam tuam non excutere, sed excusare pergens, simum tibi pervertis in lapides, & unde impinguari debueras, lapidaris. Hæc idcirco dicta sunt, fratres, ut noveritis quàm benignè audiendum sit, quàm devotè suscipiendum, quàm sollicitè conservandum quicquid ad animarum salutem pertinet, & non sicut verbum hominum, sed sicut, quod verè est, Verbum Dei, sive illud consolatorium, sive commonitorium, sive etiam increpatorium audiatur. Excessi, fateor, ipsius propemodum festivitatis oblitus, sed (ut arbitror) non ad insipientiam vobis, si firmiter inhæserint animo quæ audistis.

[d] Rom. 6. c

[e] Psal. 10. b *Correctionis impatientes perstringit.*

Et nunc jam de solemnitate ipsa vel breviter aliquid loqui tentemus. Apostolorum Christi festus agitur dies, quibus sanè plurimùm à nobis honorem deberi scio. Sed utrum possit aliquis exhibere, hæsito satis. *Nimis* enim *honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum* [f]. Quid enim? si in terra adhuc positi omnia poterant, non quidem in se, sed in Christo: quid non poterunt hodie viventes in æterna felicitate cum ipso? Mortales adhuc & morituri imperium vitæ & mortis videbantur habere: solo nimirùm verbo mortificantes vivos, & mortuos suscitantes? quantò magis nunc cum honorati sunt nimis: nimis confortatus est principatus eorum? Sed quid est, Fratres? Cum Apostolorum beata hodie memoria celebretur: nunquid nativitatis seu conversionis eorum, aut certè vitæ vel miraculorum solennis agitur commemoratio. Non est, Fratres, nativitatis humanæ solennitas, sicut paulò ante beati Joannis diem natalitium celebrastis. Ille enim nascens honoratur, quia nascitur sanctificatus. Denique in Joanne solo celebrior est passione Nativitas: quia etsi passus pro Christo est, cum pro justitia & veritate occubuit: evidentiùs tamen natus pro eo est, nimirum homo missus à Deo, qui in hoc natus est, & ad hoc venit in mundum, ut perhiberet testimonium veritati [g]. Sed neque conversionem Apostolorum, aut eorum miracula hodie recensemus, sicut cæteris diebus aliis, alterius quidem Conversio alterius de carcere Liberatio facta per Angelum festivis

[f] Psal. 138. c *In festis SS. non nativitas eorũ sed mors celebratur.*

Nativitas S. Ioannis cur celebrior morte.

[g] Ioan. 1.

Ecclesiæ gaudiis ad memoriam revocatur. Mortem specialiùs veneramur: qua nihil inter homines humano judicio plus horretur.

Mortem SS. cur celebret Ecclesia.

Considerate, Fratres, Ecclesiæ sanctæ judicium secundùm fidem, non secundùm faciem judicantis. Mortem siquidem Apostolorum in eorum recolit Solemnitate præcipua. Hodie nimirum Petrus crucifixus est, hodie decollatus est Paulus. Hæc hodiernæ causa festivitatis: hæc præsentium materia gaudiorum. In his igitur festum agens diem & lætum, sine dubio spiritum Sponsi habet Ecclesia, spiritum Domini: in cuius conspectu (sicut habes in psalmo) *pretiosa est mors sanctorum* [b]. Quantos enim, dum paterentur Apostoli, credimus affuisse, qui nequaquam pretiosis mortibus illorum inviderent? Visi sunt enim oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus eorum. Et sic quidem visi sunt oculis insipientium: *mihi* (ait Propheta [i]) *nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.* Fratres, amici Dei mori videntur oculis insipientium, sed in oculis sapientium judicantur potiùs obdormire. Denique & Lazarus dormiebat, quia amicus erat [k]; & cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini [l].

b Psal. 115. a *Mors SS. pretiosa.*

i Psal. 138. c

k Ioan. 11. b

l Psal. 126. a

Studeamus, Fratres, vivere vita justorum: sed morte eorum mori multò magis desideremus. Sapientia enim justorum novissima præfert, ibi nos judicans, ubi nos invenerit. Omnino necesse est vitæ præsentis finem futuræ cohærere principio, nec ibi tolerabilis dissimilitudo est. Sicut enim si quis duo sibi (ut ita dixerim) cinctoria consuere aut colligare voluerit, minùs de reliquis partibus curans, ipsa quæ sibi copulanda sunt capita, uniformiter parat, ne dissideant à seipsis: ita dico vobis quantumlibet extiterit conversatio spiritualis, si carnalis fuerit consummatio nostra, vitæ illi spirituali penitus non cohæret, nec caro & sanguis regnum Dei poterunt possidere. *Fili* (ait Sapiens [m]) *memorare novissima tua, & non peccabis.* Nimirum quod hæc maximè recordatio faciat timoratum; timor expellat peccatum, negligentiam non admittat.

Vita iustorum desideranda, sed mors vel maximè.

m Eccle. 7. d

Hinc & Moyses de quibusdam: *Vtinam* (ait [n]) *saperent & intelligerent, ac novissima providerent.* In quibus utique verbis tria nobis video commendari, sapientiam, intelligentiam, providentiam. Arbitror sanè tribus eas assignari posse temporibus, ut æternitatis quædam imago reformari videatur in nobis, præsentia moderantibus per sapientiam, præterita per intelligentiam dijudicantibus, novissima providentibus ad cautelam. Hæc nempe spiritualis est exercitii summa: hæc forma studii spiritualis, ut sapienter disponamus præsentia nostra, recogitemus in amaritudine animæ nostræ præterita; futura quoque sollicitè provideamus. *Sobriè, justè & piè vivamus in hoc sæculo* (ait Apostolus [o], ut videlicet, in præ-

n Deut. 32.

Spiritualis Exercitii summa.

o Ad Tit. 2. d

præsenti sobrietas observetur; ut justa satisfactione præterita, quæ nobis sine fructu salutis præterière tempora redimantur, ut pietatis clypeum imminentibus de futuro periculis opponamus. Sola est enim quæ ad omnia valet pietas, cultus scilicet Dei humilis & devotus: nec aliter nobis est providere novissima, nisi ut universa quæ nobis imminere videntur pericula, sedula nobiscum cogitatione versantes, discamus de nostra omnino industria, magis autem de nostris diffidere meritis, & soli divinæ nos protectioni committere pio quodam mentis affectu piæ intentionis in ipsum, cuius datum optimum, & donum perfectum est, consummatio felix, & mors pretiosa. *Quomodo providenda novissima.*

Habes in Evangelio [p] tria hæc ipsa tibi sermone Domini commendata. *Beati* (inquit) *pauperes, beati mites, beati qui lugent.* Beati qui futura sapiunt, præ desiderio cœlestium interno quodam sapore mentis præsentia respuentes. Beati qui novissima provident, in mansuetudine suscipientes insitum verbum, quod eorum salvare animas potest, & pietate cordis ad futuram tendunt hæreditatem. Beati qui pristinum intelligentes errorem, crebris lavant lachrymis lectum suum. Vides quid optat vir sanctus, quid obtinere cupit eis, pro quibus orat. *Vtinam* (inquit [q]) *saperent & intelligerent, ac novissima providerent!* Ac si manifestiùs dicat: Utinam esset in eis spiritus sapientiæ, & intelligentiæ atque consilii! Utinam hæc in nobis inveniantur, fratres, ut suaviter omnia nostra per sapientiam disponamus, ut intellectu præterita peccata damnemus, ut provideamus futura consilio! Utinam sapiamus ad præsentis vitæ moderationem: utinam intelligamus ad præteritæ correptionem: utinam devota in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus (ipso miserante) consummationem! Hic enim est funiculus triplex quo trahimur ad salutem, ordinata conversatio, rectum judicium, fides devota.

[p] Matt. 5. a

[q] Deut. 32. d

IN FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI.

Sermo III.

Hi sunt viri misericordiæ, &c. Eccl. 44.

MEritò, Fratres, Apostolis sanctis attribuit mater Ecclesia, quod in Sapientiæ libris legitur [a]: *Hi sunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt: cum semine eorum permanent bona.* Sunt enim hi planè viri misericordiæ, sive quia misericordiam consequuti, sive quia misericordia pleni, seu quia misericorditer à Deo nobis donati sunt. Et vide, quam misericordiam consequuti sunt. Paulum interroga de seipso, vel magis sponte confitentem ausculta. *Qui fui blasphemus & persequutor & iniquus; sed misericordiam consequutus sum* [b]. Quis enim non audi- *SS. Apostoli cur viri misericordiæ.*

[a] Eccli. 44. b

[b] 1. Tim. 1. c

Mira in Paulum DEI misericordia.

vit quanta mala fecerit sanctis in Hierusalem? nec solum in Hierusalem, sed & per totam Judæam insaniæ ferebatur habenis, ut Christi membra laniaret in terris [c]. Denique hac furia vectus ibat, sed præventus à gratia est. Ibat spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, & discipulus Domini factus est: cui ostenderetur quanta eum oporteret pro nomine ipsius pati. Ibat dirum toto corpore virus exhalans, & subito *in electionis vas* mutatus est, ut jam cor illius eructaret verbum bonum, verbum pium, & diceret [d]: *Domine, quid me vis facere?* Hæc utique hæc mutatio dextræ excelsi. Meritò proinde loquebatur [e]: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus: quoniam Dominus Iesus venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Hoc ergo apud beatum Paulum fiduciæ & consolationis accipite, fratres, ut ad Dominum jam conversos non nimis cruciet præteritorum conscientia delictorum; sed tantum humiliet vos sicut & ipsum. *Ego sum*, inquit [f], *minimus Apostolorum: qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persequutus sum Ecclesiam Dei.* Ita & nos humiliemur sub potenti manu Dei: & fiduciam habeamus, quia & nos misericordiam consequuti sumus, abluti sumus, sanctificati sumus. Et hoc quidem omnibus nobis: quoniam omnes peccavimus, & egemus hac gloria.

c Act. 9.

d Ibidem.

e 1. Tim. 1. c

f 1. Cor. 15. b

Ingens Dei in Petrum misericordia.

Verùm apud beatum Petrum aliud habeo quod apponam, eò charius, quò rarius, & quò singularius, eò sublimius. Nam peccavit Paulus, sed ignorans fecit in incredulitate sua. Petrus cum cecidit, apertos habebat oculos. Porrò ubi abundavit delictum, ibi superabundavit & gratia. Eorum siquidem qui peccant antequam Deum noverint, antequam miserationes eius experti sint, antequam portaverint jugum suave & onus leve, priusquam devotionis gratiam, & consolationes acceperint Spiritus sancti: eorum, inquam, copiosa redemptio est, & tales omnes nos sumus. At eorum qui post conversionem suam peccatis & vitiis implicantur ingrati acceptæ gratiæ: & post missam manum ad aratrum retro respiciunt, tepidi & carnales facti, aut post agnitam viam veritatis retroeunt apostatæ manifesti: eorum utique perpaucos invenias, qui post hæc redeant in gradum pristinum: sed magis in sordibus positi sordescant adhuc. Super quos propheta deplorat [g]: *Quomodo obscuratum est aurum*, inquit, *mutatus est color optimus; & qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.*

Semel conversos, iterumque perversos, raro verè resipiscere.

g Thren. 4. a

Nec tamen si quis huiusmodi est, desperamus de eo, tantum ut resurgere velit citò. Quanto enim diutius permanebit, tanto evadet difficilius. Beatus verò qui tenebit, & allidet parvulos Babylonis ad petram. Etenim si creverint, vix poterunt superari. Filioli hæc dico ut non peccetis, sed & siquis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem,

qui

qui potest quod nos minimè possumus : tantum qui cecidit, non adjiciat in malum, ut profundius cadat, sed magis ut resurgat, confidens quòd nec ei negabitur venia, si tamen ex corde confiteatur peccata sua. Si enim is, de quo loquimur, Petrus post tam gravem lapsum ad tantam rediit eminentiam sanctitatis; quis de cætero desperet, si tantum egredi voluerit à peccatis? Attende quod scriptum est [h] : *Egressus foras, flevit amarè.* In egressu confessionem oris, in amaro fletu compunctionem cordis intellige. Et attende quod tunc primùm recordatus est verbi quod dixerat JESUS : tunc primum cordi fuit verbum quo prædicta fuerat eius infirmitas, cum evanuit præsumpta temeritas. Væ tibi qui post lapsum fortiorem te nobis exhibes. Ut quid tam rigidus es in tuam ipsius perniciem? Inclinare potius, ut melius erigaris, & ne prohibeas frangi quod distortum est, ut possit melius solidari. Quid indignaris increpanti gallo? tibi potius indignare. *Pluviam voluntariam* (ait Psalmista) *segregabis Deus hæreditatis tuæ, & infirmata est.* Bona infirmitas, quæ segregatur hæreditati, quæ medicum non repellit. Induratos enim tanquam vas figuli in virga ferrea conteret: *& hæreditas infirmata est*, ait, *tu vero perfeciſti eam.*

Exemplū Petri pœnitentiā animat peccatores.

h Matt. 26. g

Contumaces & refractarii post lapsum abominabiles.

i Psal. 67. b

Audistis certo quam misericordiam consequuti sint Apostoli nostri: ut jam nemo ex vobis super peccatis præteritis ultra quàm necesse sit confundatur, in cubili conscientiæ suæ compunctus. Quid enim? Forte peccasti in seculo, nunquid amplius Paulo? Quod si & ipsa in religione, nunquid plus Petro? Attamen illi in toto corde pœnitentiam agentes, non modò salutem sed & sanctitatem consequuti sunt: etiam & salutis ministerium, & magisterium adepti sunt sanctitatis. Et tu ergo fac similiter, quoniam propter te Scriptura loquitur viros illos esse misericordiæ: Utiq; propter multam misericordiā quam consequi meruerunt.

Verba mellifluа & cōsolationis plenissima.

Potes tamen in hoc verbo etiam illud non inconvenienter accipere, *viros misericordiæ* fuisse Apostolos, id est, plenos misericordia seu viros misericordiæ datos Ecclesiæ universæ. Scimus enim quòd viri isti nec sibi vixere, nec sibi mortui sunt sed ei qui pro ipsis mortuus est: magis autem nobis omnibus propter illum. Quantum enim proderit nobis eorum justitia, quando ipsa quoque sicut ostensum est, tantum profuere peccata? Pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, etiam & mors ipsa. Etenim in conversione continentiam, in prædicatione sapientiam, in passione sua patientiam nobis beati Apostoli contulerunt. Quartum usque hodie conferre non cessant misericordia pleni, quod est sanctarum fructus orationum. Quamvis & in ipsa eorum vita adhuc invenias quod adnumeres, fiduciam scilicet, quam nobis miraculorum

Apostoli Cur viri misericordiæ vocentur.

SS. Vita doctrina & morte ipsa, denique & orationibus in nos benefici.

exhibitione præbuerunt. Et quis enumeret quàm multa nobis per eos beneficia provenerunt? Bene ergo de eis Scriptura loquitur. Quoniam *hi sunt viri misericordiæ.* Et addidit: *Quorum justitiæ oblivionem non acceperunt.* Vis ut nec tuâ accipiat oblivionem? A triplici cave periculo: & florebit inæternum ante Dominum. Legis enim: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* [k]. Legis: *Si averterit se justus à justitia sua, &c. omnium justitiarum eius non recordabor* [l]. Legis quibusdam dicendum in judicio [m]; *Non novi vos*; illis sine dubio qui receperunt mercedem suam.

k Apoc. 3. c
l Ezech. 18. e
m Matt. 17. d

Quæ justitia coram Deo in oblivionem. Apostol. Justitia permanens.

Ergo omnis justitia tepida, omnis transitoria, omnis vendita erit in oblivionem coram Deo. Sed non ita Apostolorum justitiæ: quod ex eo satis apparet, quod sequitur: *Cum semine eorum permanent bona.* Manent enim usque hodie in nobis Apostolorum vestigia: & eorum religio, quia ex Deo est, non potest dissolvi. Vestes Israelitici populi quadraginta annis in deserto perseveraverunt integræ: multò magis Apostolorum vestes super jumentum Salvatoris impositæ. *Cum semine* (inquit) *eorum.* Quod est semen, quia sequutus adiungit, *Hæreditas sancta nepotes eorum* [n]? Iidem profecto & semen sunt, & nepotes; Meministis credo (scientibus enim legem loquor) meministis inquam legalis mandati, ut suscitet frater superstes semen fratri defuncto sine semine. Quis sine semine? *Singulariter,* ait [o], *ego sum donec transeam.* Ideoque resurgens: *Vade* (inquit) *dic fratribus meis* [p]. Ac si dicat: Fratres sunt, faciant quod fratres. Ergo per Evangelium ipsi nos genuerunt: non tamen sibi, sed Christo, quia per Evangelium Christi. Hinc est quod molestè tulit Paulus quosdam eorum dici, à quibus geniti fuerant per Evangelium: indignans adversus eos qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego sum Cephæ, ego Apollo* [q]: Christi magis omnes & fieri volens & dici. Itaque semen Apostolorum sumus per prædicationem: sed per adoptionem & hæreditatem semen Christi, & Apostolorum nepotes.

n Gen. 38. b
Deut. 25. b
o Psal. 140. c
p Ioan. 10. d
q 1. Cor. 1. & 3.

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

De pugna & victoria Davidis adversus Goliath. 1. Reg. 17.

SERMO.

AUdivimus ex libro Regum [a] Goliam virum proceræ staturæ, præsumentem super multa fortitudine & magnitudine corporis sui, vociferantem adversus phalangas Israel, & provocantem eas ad singulare certamen. Audivimus etiam à DEO suscitatum spiritum pueri junioris, ut indignè ferret virum spurium & incircuncisum, castris Israel, & DEI summi

a 1. Reg. 17. a *

summi exprobrantem agminibus. Spectavimus procedentem adolescentulum in funda & lapide adversus monstrosæ magnitudinis hominem loricatum, & clypeo protectum ac galea, cæterisque terribilem militaribus armis: si qua in nobis erant viscera pietatis, non potuimus non timere sic ineunti conflictum, non congaudere vincenti. Laudavimus magnanimitatem parvuli, quod comederet animam eius zelus domus Dei, & opprobria exprobrantium ei à se non duceret aliena, sed tanquam ad propriam moveretur iniuriam, & doleret super contritione Joseph. Mirati sumus tantam in adolescente fiduciam, quanta non inveniretur in universo Israele. Collatam denique cœlitus victoriam, & divina manifestè patratam virtute, tam læti suscepimus, quam solliciti certamen spectavimus, armati fide parvuli, & gloriantis propria in virtute gigantis.

Davidis pusilli & Goliath gigantis pugna mirabilis.

Jam si spiritualem, secundùm Apostoli [b] testimonium, legem esse non ignoramus, & scriptam esse propter nos, non solùm exterioris superficiei oblectandos aspectu, sed interiorum quoque sensuum gustu tanquam medulla tritici satiandos: considerandum nobis est, quisnam videatur iste Golias, qui populo Dei jam repromissionis terram ingresso, jamque multis ex hostibus triumphanti, solus exprobrare præsumit, elatus & inflatus spiritu carnis suæ: Credo enim non incongruè in superbo homine superbiæ vitium designari. Ipsum namque est peccatum maximum, quod Dei populo magis insultat, & insurgit specialiter adversus eos, qui certa jam videantur vicisse peccata. Hinc est quod provocat ad singulare certamen, tanquam cæteris jam subactis. Nam & Philistæi illo in tempore timebant omnino adversus Israel inire conflictum, nisi quod de Golia enormis magnitudinis viro eorum fiducia tota pendebat. Unde enim eiusmodi animam superbia tentet, quam sibi subiugavit invidia, seu tepiditas ea quæ solet Deo vomitum provocare [o]; aut pigritia quæ facit ut boum stercoribus lapidetur [p]? Unde, inquam, ei superbia, unde extollentia oculorum, cui adeo cætera vitia dominantur, ut dijudicari se ab universis tanquam malè sibi conscius arbitretur? Quis denique nisi manu fortis, qui cætera jam sibi potenti virtute vitia subjugavit, adversus nequissimum superbiæ vitium dimicaturus accedat? Procedat, inquit, David manu fortis, quoniam non est vincere tantum hostem, nisi in manu forti. Armetur ipse contra Goliam, qui & ursum vicerit & leonem.

b Rom. 7.b

Pugnæ Davidem inter & Goliath mystica seu tropologica expositio.

Goliath typus superbiæ.

o Apoc. 3.a

p Eccli. 22.a

Cum superbiæ vitio quomodo dimicandū.

Videat sanè utrum Saulis ei arma possint prodesse, utrum sæculari sapientia & philosophicis traditionibus, seu etiam divinarum superficie Scripturarum, quam nimium occidentem literam vocat Apostolus [c]; videat, inquam, utrùm his armis debellare superbiam, utrùm hac via humilitatem

c 2.Cor. 3.b

militatem apprehendere possit, ut onerari sese magis quàm roborari sentiens, huiusmodi arma atque impedimenta projiciat, jactans omnino cogitatum suum in Domino, & de propria penitus desperans industria, sola fide armatus non reputet Goliæ proceritatem, ne fortè magnitudinis eius mole prematur, sed potius psallat spiritu, psallat & mente: *Dominus*, inquiens [d], *defensor vitæ meæ*, &c. Nam & Petrus dum nec ventorum violentiam, nec maris profundum, corporisque pondus consideraret [e], in verbo Domini jactans semetipsum, nec perire potuit nec timere: At ubi vidit ventum validum venientem, timuit: ipsóque timore protinus mergi cœpit. Simile aliquid etiam nunc Athletæ nostro Saul suadere tentat: *Non potes* (inquiens [o]) *resistere Philistæo isti, nec pugnare adversus eum, quoniam puer es, hic autem vir bellator ab adolescentia sua.* Veruntamen non acquiescit ille tale aliquid meditari; sed præsumens de virtute eius, cuius auxilio priora certamina jam vicisset, accedit intrepidus. Colligit igitur (abjectis armis Saulis) quinque lapides de torrente, quos nimirum (cum levia quæque tolleret) levigare torrens potuit, sed non etiam tollere secum, torrens quippe quem pertranseat anima nostra, sæculum præsens est, scriptura teste [g]: Quoniam generatio advenit & generatio præterit, tanquam tumens unda undam impellens. Quia ergo omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos agri [h], huiusmodi levia facilè secum trahit torrens inundans: Verbum autem Domini nullis fructibus cedens, manet in æternum.

d Psal. 26. a
*e Matt. 14. c
Petrus timore vacillans mergi cepit.
02. Reg. 17. d
David adversus Goliath, non sua sed Dei virtute confisus procedit.
g Eccl. 1. a
h Isai. 40. b

Arbitror proinde non incongruè quinque lapidibus istis, quinque partitum verbum intelligi, *Comminationis, Promissionis, Dilectionis, Imitationis, & Orationis.* Horum quippe verborum latè patens copia in divinarum reperitur serie scripturarum. Et forte ipsa sunt quinque verba, quorum meminit Paulus, malens quinque verba loqui in sensu, quàm decem millia in lingua. *Præterit enim figura huius mundi* [k]: & juxta aliud testimonium [l]. *Et mundus transit, & concupiscentia eius.* Hæc autem verba transeunte mundo non modò manent, verùm etiam levigantur magis, dum pertranseuntibus pluribus multiplex est scientia. Jam verò collectos istos lapides contra superbiæ spiritum dimicaturus David in vase memoriæ suæ reponat, considerans quanta nobis comminetur DEUS, quanta promittat, quantam nobis exhibeat charitatem, & quàm multa nobis sanctitatis exempla proponat, quemadmodum denique orationum nobis ubique commendet instantiam. Hos, inquam, lapides secum tollat, quisquis superbiæ vitium debellare festinat: ut quoties venenatum audet erigere caput, quibuslibet ex his lapidibus manu cogitationis ei occurrat, percussus in fronte Golias dejiciatur, opertus confusione. In quo sanè

Quinque lapides à David è torrenti sumpti quid significent.
i 1. Cor. 14.
k 1. Cor. 7. f
l 1. Ioan 2. c

Quinque adversus Superbiæ vitium lapides seu jacula usurpanda.

sanè conflictu funda quoq; necessaria est longanimitatis formam habens, quam huic maximè certamini nulla ratione deesse necesse est.

Quoties ergò vanitatis cogitatio mentem pulsat, si intimo cordis affectu divinas expavescere cœperis *comminationes*, seu *promissiones* eius desiderare, non sustinet Golias utriuslibet lapidis jactum, sed reprimitur illicò tumor omnis. Quod si venerit in mentem *dilectio* illa tam ineffabilis, quam tibi DEUS maiestatis exhibuit, an non illico inardescens ad charitatem prorsus abominari incipis & abjicere vanitatem? Sic & *exempla Sanctorum* si diligenti tibi consideratione proponas, erit sine dubio ad reprimendam elationem cogitatio ista perutilis. Jam verò si fortè insurgente subitò elatione nihil ex his quæ diximus, apprehendere quiverit manus tua, toto fervore ad eam convertere, quæ sola restat, *orationem*: & continuò quem elevatum videras & exaltatum sicut cedros Libani? subversus impius, jam non erit.

Quomodò Goliath suo ipsius gladio perimendus.

Sed quæras fortasse quemadmodum suo ipsius gladio Goliæ possis abscindere caput, id enim tanto tibi jucundius, quanto molestius hosti. Dico breviter, quoniam expertis loquor, & qui facile capiant & advertant sine mora, quod in semetipsis crebrò sentiunt actitari. Quoties te provocante vanitate ad recordationem comminationis divinæ, seu promissionis, aut cæterorum quæ supra diximus, confundi cœperis & erubescere, devictus est quidem Golias, sed forsitan adhuc vivit. Accede itaque propiùs, ne fortè resurgat, & stans super eum mucrone proprio caput eius abscinde, de ea ipsa quæ te appetit vanitate perimens vanitatem. Elata siquidem cogitatione pulsatus, si ex ea ipsa materiam & occasionem sumas humilitatis, quo nimirum humiliùs deinceps & abjectius tanquam de superbo homine sentias de teipso; Goliam utique Goliæ gladio peremisti.

DOMIN. VI. POST PENTECOSTEN.

De Evangelica lectione, ubi turba triduo sustinens Dominum septem panibus reficitur.

SERMO I.

Misereor super turbam, quia jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent [a].

[a] Matt. 15. d Mar. 1. 8.

EVangelium, Fratres, ob hoc scriptum est, ut legatur, nec ob aliud legitur, quàm ut rationabilem consolationem vel desolationem exinde capiamus. Est enim secularibus consolatio vana de terrenarum affluentia rerum, vana nihilominus de earum penuria desolatio. Ait Evangelium speculum veritatis nemini blanditur, nullum seducit, talem in

eo se quisque reperiet qualis fuerit, ut nec ibi timore trepidet ubi non est
b Iacob. 1. d timor : nec lætetur cum male fecerit. Sed quid dicit scriptura [b] ? *Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparatur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.* Nos autem, Fratres, non sic, obsecro, non sic, sed consideremus nosmetipsos in ipsa quam audivimus sacri Evangelii lectione, ut proficiamus ex ea, & corrigamus secundùm eam, si qua in nobis deprec Psal. 118. a hendimus corrigenda. Propter hoc enim optat Propheta [c] dirigi vias d Ibidem. suas, ad custodiendas justificationes Domini : *Tunc* (inquiens [d]) *non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Et ego quidem non confundor, sed glorior pro vobis, Fratres mei, quoniam Salvatorem in deserto sequuti, securi existis ad eum extra castra : sed vereor ne quis forte in triduana expectatione pusillanimis inveniatur, & in Ægyptum seculi huius nequam vel corde, vel etiam & corpore revertatur : Meritò proinde clamat divina Scriptura, & dicit: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum* : Sed quandiu necesse est sustinere ? Prorsus donec misereatur tui. Quæris quando ? *Misereor*, inquit, *super turbam, quia iam triduo sustinent me.*

e Psal. 26. d

Viam enim trium dierum eas necesse est in deserto si gratum DEO tuo offerre volueris sacrificium : & triduo sustineas Salvatorem, si miraculi panibus desideras satiari. *Prima est* dies *timoris*, dies, inquam, declarans & illuminans tenebras tuas, interiores scilicet, & horrendum gehennæ supplicium demonstrans, in quo sunt tenebræ exteriores : huiusmodi siquidem cogitatio, sicut ipsi nostis, nostræ solet exercere primordia conversionis. *Secunda* est *pietatis* dies, qua respiramus in luce miserationum Dei. *Tertia* dies est *rationis*, in qua veritas innotescit, ut tanquam ea debito quodam naturæ sine aliqua contradictione creatori subjecta sit creatura, servus serviat redemptori. Exhinc jubemur jam discumbere, ut charitas ordinetur in nobis, Exhinc aperit Dominus manum suam, & implet omne animal benedictione. Verùm quoniam Apostolis dicitur, *Facite homines discumbere* : quorum nos (licet ad confusionem nostram) habetis vicarios qualescunque, discumbere vos admonemus, fratres charissimi, ut refecti pane benedictionis subsistere possitis in via, ne forte misera necessitate compulsi descendatis & vos in Ægyptum, & incipiant vobis illudere, qui necdum vobiscum in deserto sequuti sunt Salvatorem. Miseri sanè & ipsi qui non exire cum exeuntibus, sed planè miserabiliores omnibus hominibus, qui profecti quidem cum aliis, sed non cum aliis sunt refecti.

Triduum mysticum quo sustinendus salvator.

Discubitus spiritualis.

Porrò si fuere qui discumbentibus aliis post dumeta seu diversiora quævis

quævis abscondita latuere, homines eiusmodi jejunos vacuosque remansisse quis nesciat? Sic & eos nihilominus, qui levitate & curiositate ducti, circunquaque vagantes minimè resederunt, aut qui resederunt quidem, sed non in ordine nec in numero cæterorum. Hortamur proinde charitatem vestram, & pastorali solicitudine admonemus, ne quis ex vobis inveniatur angulos amare, sectari latebras, quærere diverticula: quoniam *qui malè agit, odit lucem, & nō venit ad lucem, ut non arguantur opera eius* [f]. Sed nec inveniantur in nobis, qui circumferantur omni vento doctrinæ, instabiles & inquieti, nihil in se soliditatis, nihil gravitatis habentes, tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ. Nam de his quid dicam, quorum manus contra omnes, & manus omnium contra ipsos? Hi sunt qui separant semetipsos, animales, spiritum non habentes, quoniam *nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema IESV* [g]. Nequissima planè & pernicioſissima pestis: quoniam universos unius obstinatio turbat, & fit omnibus discordiæ fomes, materia scandalorum. Denique Prophetam audi, qui de vinea Domini loquens, *Singularis*, inquit [h], *ferus depastus est eam.* Pro huiusmodi rogo & obsecro vos, fratres mei, fugite simulationem omnem, & angulos propriæ voluntatis: fugite inquietudinem & spiritum levitatis, fugite obstinationem, & nequissimum vitium singularitatis, nisi fortè (quod absit) fraudare vultis animas vestras, panis edulio benedicti.

Anguli & latebræ vitanda.

[f] Ioan. 3. c

[g] 1. Cor. 12. a

[h] Psal. 79. b

Singularitas nequissimum vitium.

Jam verò ne longiùs protraham vos, septem panes quibus reficiamini, isti sunt. *Primus* panis verbum DEI, in quo vita hominis est, sicut & ipse testatur [i]. *Secundus* panis obedientia est, quoniam *meus cibus est*, inquit [k], *ut faciam voluntatem eius qui misit me.* Tertius *panis* meditatio sancta, de qua scriptum est [l]! Cogitatio sancta conservabit te. Et quæ alio in loco [m] nominari videtur panis vitæ & intellectus. *Quartus* panis orantium lachrymæ. *Quintus* verò pœnitentiæ labor est. Nec mireris quod laborem aut lachrymas panem dixerim, nisi fortè excidit tibi quod in Propheta legisti [n]: *Cibabis nos pane lachrymarum*, & item in alio Psalmo: *Labores*, inquit [o], *manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* Sextus *panis* est jucunda unanimitas socialis, panis, inquam, ex diversis granis confectus, fermentatus utique sapientia DEI. Porrò *Septimus* panis est Eucharistia, quoniam *panis*, inquit [p], *quem ego do, caro mea est pro mundi vita.*

[i] Luc. 4. a

[k] Ioan. 4. c

Septem panes mystici.

[l] Ptov. 12.

[m] Eccl. 11. a

[n] Psal. 79. a

[o] Psal. 126. a

[p] Ioan. 6. a

IN EADEM DOMINICA,
De Septem Misericordiis.
SERMO II.

[a] Psal. 88. a

Misericordias Domini in æternum cantabo [a]. Ut quid enim mihi insipiens, nescio, quæ cogitatio, de pœnitentiæ huius onere murmurat, ut aggravet illud super cervicem meam? Aliud onus sentio, suavius quidem, sed utique multo maius. Sic enim onerat me miserationibus suis Deus, sic concludit, sic obruit beneficiis suis, ut onus aliud sentire non possim. Quid enim retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi; Tanta tribuit & tanta retribuit, & tu mihi de alio onere loqueris? Deficit spiritus meus, prorsus deficit in tanta beneficiorum consideratione. Et licet dignas non sufficiam gratias agere, sed ingratitudinem prorsus odit anima mea. Peremptoria siquidem res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Dico ego vobis, quoniam pro meo sapere nihil ita displicet DEO, præsertim in filiis gratiæ, in hominibus conversionis, quemadmodum ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ, & ubi fuerit illa, jam gratia accessum non invenit, locum non habet. Hinc mihi, fratres, tristitia magna, & dolor continuus est cordi meo, quod nonnullos tam pronos ad levitatem, & risum, & ad scurrilia verba tam faciles video: ut pertimescam valde ne fortè plusquam expediat, divinæ misericordiæ sint immemores, & ingrati tam multis beneficiis suis, aliquando deserantur à gratia, quam non ut gratiam venerantur.

Vitio ingratitudinis nihil homini damnosius, aut Deo detestabilius.

Nam de eo quid dicam, qui in murmure & impatientia obstinato perdurat animo; aut quem pœnitet adhæsisse Deo & contra morem & contra rationem bonum factum pœnitentia comitatur, qui sine dubio miserationibus Dei non modò non habet gratiam, sed contumeliam reddit? Omnino enim quantum in se est, parum honorat eum, à quo vocatus est, quisquis ei servit in tristitia & rancore; si tamen servire ei quis potest in ea tristitia, quæ secundùm carnem est, & mortem operatur. Putas ergò quia maior illi detur gratia, & non magis etiam quod videtur habere auferatur ab eo? Nonne enim jure perditum reputatur, quod ingrato donatum est? Aut dedisse non pœnitet, quod periisse videtur? Oportet proinde gratum esse hominem & devotum, qui percepta gratiæ munera non modò manere sibi desideret, sed & multiplicari. Nemo sanè est qui non facilè si quærit inveniat, unde plurimum si obnoxius Deo, quoniam non est qui se abscondat à calore eius. Sed nos maximè, quos segregavit sibi, & assumpsit ad serviendum sibi soli, si juxta Apostolum [c], *non accepimus spiritum huius mundi, sed Spiritum qui ex Deo est: ut sciamus*

Ingratitudo perdit accepta beneficia & viam obstruit accipiendis.

[c] Rom. 8. b

Gratitudinis debito erga

quæ

quæ à DEO donata sunt nobis : omninò plurima inueniemus, unde continuas ei gratias agere debeamus. Quis enim in nobis est qui non confiteri possit, quoniam misericordia tua magna est super me?

Deum omnes tenentur : sed Religiosi à Deo de sæculo vocati peculiariter.

Itaque de tanta multitudine miserationum Domini vobis breviter aliquas proponere velim, ut quis sapiens est, occasione accepta sapientior fiat. Septem ergo in me video misericordias Domini, quas & vos ipsi credo facilè invenietis in vobis. *Prima* est quòd à multis peccatis adhuc in seculo positum custodivit : prima inquam, non inter omnes quas mihi impendit, sed prima inter has septem. Quis enim non videat quod sicut in multis cecidi, sic & in alia poteram cecidisse peccata, nisi omnipotentis pietas conservasset : Fateor & fatebor, nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus cecidisset in omne peccatum anima mea. Et hæc quanta dignatio pietatis, quòd ingratum & parvipendentem sic gratia conservabat, quòd in multis contrarium & contemnentem nihilominus ab aliis benignissimè protegebat? At *secunda* miseratio tua super me Domine, quonam poterit explicari sermone, quàm benigna, quàm liberalis, quàmque gratuita fuerit : Ego peccabam, & tu dissimulabas. Non continebam à sceleribus, & tu à verberibus abstinebas. Prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, & tu Domine pietatem tuam. Sed quid prodesset expectatio, nisi sequeretur pœnitudo? Cumulus esset damnationis, dicente Domino [c] : *Hæc fecisti, & tacui.* *Tertia* proinde miseratio fuit, quòd visitavit cor meum & immutavit, ut amara fierent quæ malè dulcia priùs erant : qui lætabar cum malefacerem : & exultabam in rebus pessimis, inciperem demum recogitare ei annos meos in amaritudine animæ meæ. Et nunc Domine commovisti terram cordis mei, & conturbasti eam : sana contritiones eius, quia commota est. Multi enim pœnitentia ducti sunt, sed infructuosa, quoniam pœnitentia eorum reprobata est, sicut & prior culpa. Itaque & hæc miseratio *quarta* fuit, quod pœnitentem misericorditer suscepisti, ut in eorum numero invenirer, de quibus Psalmista, *Beati*, inquit [d], *quorum remissæ sunt iniquitates.* Sequitur misericordia *quinta*, per quam mihi continendi deinceps & emendatiùs vivendi præstitisti virtutem, nec recidivum paterer, & esset novissimus error peior priore. Omnino enim manifestè tuæ est, Domine Deus, & non humanæ virtutis, susceptum semel peccati jugum à cervicibus excutere : quoniam omnis qui facit peccatum, servus est peccati [e] : nec est liberari nisi in manu forti. Jam verò postquam in his quinque miserationibus à malo liberaveris, ut fiat quod scriptum est [i], *Declina à malo & fac bonum* : in duabus aliis bona largiris. Hæc duæ sunt, gratia promerendi, qua videlicet munus bonæ conversationis in-

Septem Dei misericordiæ in religiosis præcipuè notandæ.

Prima Misericordia : Præservatio à variis peccatis.

Secunda, Dei longanimis exspectatio.

c Psal. 49. d 3. *Visitatio & immutatio cordis.*

4. *Susceptio pœnitentis.*

d Psal. 31. d 5. *Gratia continendi, & cavendi relapsum.*

e Ioan. 8. d

i Psal. 36. e 6. *Gratia promerendi.*

dulges: & spes obtinendi, qua donas homini indigno & peccatori de tua toties experta bonitate usque ad cœlestia speranda præsumere.

¶. Spes obtinendi.

IN EADEM DOMINICA,
De Fragmentis septem Misericordiarum,
SERMO III. †

† Est prosecutio Sermonis superioris.

SCitis quid fecerim, septem vobis hodie misericordias proponendo: Septem utique panes distribui. Nam si factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, quanto magis divinæ miserationes? Multo enim dulciùs istæ sapiunt, reficiunt multo meliùs, ampliúsque confirmant cor hominis. Verùm multa nobis, ni fallor, ex his panibus hodie cecidere fragmenta. Nam & ego ipse sentiebam inter frangendum multas è manibus evadere micas, atque inter digitos properantis elabi. Utrùm ipsi collegeritis aliqua, vos videritis. Ego (si nondum fastiditis) nostra, quæ mihi collegeram, sine invidia communicabo, ne fortè incurram maledictionem abscondentis frumenta in populis [a]. *Primus* itaque panis, si benè memini, *conservatio gratiæ* fuit, quæ me licet indignum, à multis peccatis adhuc in seculo positum custodivit. Huius ergo tria teneo fragmenta, habentia prorsus magnum delectamentum saporis, & alimoniam vitæ. Tribus siquidem modis à peccato me memini conservatum, occasionis subtractione; resistendi data virtute, affectionis sanitate. Multa enim in peccata facilè cecidissem, si data esset occasio, sed Dei miseratione non me talis opportunitas apprehendit. In multa quoque paulominus cecidissem graviter impulsus violentia tentationis, sed virtutem dedit Dominus rex virtutum, ut sub me esset appetitus meus, & ei quam sentiebam, concupiscentiæ minimè consentirem. Sed & à quibusdam tam longè me fecit miseratio tua Domine, ut penitus abominarer ea, & ne ulla quidem eorum me tentatio molestaret.

[a] Prov. 11. d

1. Panis tria fragmenta.

Tribus modis à peccatis conservamur.

Secundus quoque panis fuit *expectatio*, qua tardabat ultionem, indulgentiam cogitabat. Et huius ergo panis tria fragmenta accipite, cogitantes *longanimitatem* quam exhibuit, *electionem* prædestinationis suæ quam impleri voluit, & *charitatem* nimiam qua nos dilexit. Propter hoc enim expectans expectavit me Dominus, & non intendit mihi, sed oculos suos avertit à peccatis meis, quasi nolens advertere quantum delinquerem. Propter hoc, inquam, dissimulabat, ut commendaret patientiam suam, ut impleret electionem suam, ut confirmaret charitatem suam.

2. Panis tria fragmenta. Cur DEVS tardet ultionem.

De *tertio* quoque pane, eius scilicet misericordiæ quæ convertit nos ad pœnitentiam, tria non tam fragmenta quàm frusta vobis appono. Tunc enim, ut benè memini, *concussit* cor meum, excitans illud ut adverteret

3. Panis tria frusta.

teret suorum vulnera peccatorum, & vulnerum sentiret dolorem. Etiam *& terruit* deducens ad portas inferi, & præparata iniquis supplicia monstrans. Et ut nihil jam noxiæ remaneret delectationis, meliorem mihi consolationem inspirans, *spem* indulgentiæ *dedit*. In his tribus ego conversus sum, credo quod & vos ipsi.

Quomode Deus convertere soleat nos ad pœnitentiam.

Jam verò *quarti* panis (ipsa est *indulgentia*) obsecro vos diligenter colligite fragmenta ne pereant. Sunt enim salubria valde, & dulciora super mel & favum. Sic enim ex toto indulsit, & tam liberaliter omnem donavit injuriam, ut jam non damnet *ulciscendo* : nec confundat *improperando*: nec minus diligat *imputando*. Sunt enim aliqui sic donantes injuriam, ut non ulciscantur, sæpiùs tamen improperent. Sunt & alii qui sileant licet, manet tamen alta mente reposta, & rancorem tenent in animo : quarum utique neutra plena indulgentia est. Longe ab his omnibus benignissima est divinitatis natura, liberaliter agit, ignoscit plenariè, ita ut propter fiduciam peccatorum, sed pœnitentium ubi abundavit delictum, soleat & gratia superabundare. Testis est Paulus gentium Doctor qui plus omnibus cum divina gratia laboravit. Testis est Matthæus de telonio electus in Apostolum, cui etiam Novi testamenti primum Scriptorem esse donatum est. Testis & Petrus, cui post trinam negationem, totius Ecclesiæ pastoralis cura commissa est. Testis denique etiam famosissima illa peccatrix, cui in ipso conversionis initio tanta multitudo dilectionis concessa est, tanta postmodum indulta gratia familiaritatis. Quis accusavit Mariam, & pro se eam oportuit respondere ? Si Pharisæus murmurat, si Martha conqueritur, si scandalizantur Apostoli, Maria tacet : Christus excusat, etiam & laudat tacentem. Denique illud quantæ prærogativæ, quantæ excellentiæ fuit, quòd resurgentem à mortuis prima videre, tangere prima meruit ?

4. *Panis iste fragmenta. Deus plenè indulget, at homines longe secus.*

Exempla eorũ qui plenã peccatorum veniam accepti maiorem Dei gratiam & amicitiam meruerunt.

Sed jam transeamus ad alia. Bonum est quidem nos hîc esse, ubi datur fiducia peccatoribus, sed oportet etiam cætera non tacere. Itaq; & in continenria ipsa, quæ est *panis quintus*, tria nihilominus invenio, unde meritò clamare possim : Quia fecit mihi magna qui potens est [b]. Fortè parvum aliquid reputatis continentiam vestram, sed ego non ita. Scio enim quos habeat oppugnatores, & quantæ illam necesse sit esse virtutis, ut possit resistere talibus, Primus siquidem continentiæ nostræ hostis *caro* est, adversus spiritum concupiscens. Quàm domesticus hostis, quàm pernicioſa lucta, quàm intestinum bellum ? Hostem hunc crudelissimum ne fugere possumus (ô anima mea) ne fugare : circumferre illum necesse est, quoniam alligatus est nobis : nam quod periculosius est & miserabilius, hostem nostrum ipsi cogimur sustentare, perimere eum non licet.

5. *Panis, Continentiæ tria fragmenta.*

b Luc. 1. c

Continentiæ hostibus prævalere quanta virtutis opus sit.

Primus continentiæ hostis Caro nostra.

Vide

Vide ergo quàm ſollicitè te cuſtodire neceſſe ſit ab ea, quæ dormit in ſinu tuo. Veruntamen non eſt hic ſolus adverſarius mihi, alium adhuc habeo qui circumcinxit & obſedit me undique: & ſi ignoratis, hoſtis ille eſt *præſens ſæculum* nequam. Concluſit inimicus vias meas, & per quinque portas, quinque videlicet corporis ſenſus, jaculis ſuis vulnerat me, & mors intrat per feneſtras meas.

Secundus hoſtis mundus.

Sufficere nimis poterant iſti duo. Sed (heu me) ecce video ventum validum venientem ab aquilone, à quo panditur omne malum. Et nunc quid ſupereſt aliud? Domine ſalva nos: perimus. *Ecce enim* malleus univerſæ terræ. Ecce *ſerpens callidior* cunctis animantibus. Ecce inimicus ille quem nec videre poſſum, quantò minus cavere? Neque enim eſt *colluctatio* ſervare volentibus continentiam (continentiam autem dico non à ſola luxuria, ſed à cæteris quoque ſicut neceſſe eſt vitiis & peccatis) non *adverſus carnem & ſanguinem tantùm, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Et quis eſt qui jacula eorum ignea poſſit extinguere? *Paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde* [d]. Sed & *narraverunt ut abſconderent laqueos, & dixerunt: Quis videbit nos?* Nunc quidem apertè & violenter, nunc occultè & fraudulenter, ſemper autem malitiosè & crudeliter impugnant & perſequuntur nos. Et ad hæc toleranda ne dicam ſuperanda quis idoneus? Credo jam vobis aliquatenus innoteſcit continentiæ difficultas, ut juxta Apoſtolum [e] ſciatis quæ à Deo donata ſunt vobis, Omnino enim in Domino faciamus hanc virtutem, & ipſe ad nihilum deducit tribulantes nos. Ipſe eſt qui non modò carnem noſtram cum concupiſcentiis ſuis, ſed & præſens ſæculum nequam cum tentationibus ſuis & vanitatibus, etiam & ipſum cum tentationibus ſuis conterit Satanam ſub pedibus noſtris. Nunquid non meritò dixeram inveniendum in continentia, unde clamarem quia fecit mihi magna qui potens eſt?

Tertius hoſtis Diabolus.

c Epheſ. 6. b

d Pſal. 10. a

Continentiæ ſervandæ difficultas.

e 1. Cor. 2. c

Dei virtute hoſtes noſtros vincimus.

Jam verò *ſexti* panis fragmenta accipite. Eſt autem panis iſte gratia promerendi, bona ſcilicet æternæ vitæ, quam gratiam in tribus maximè conſtare arbitror, in odio præteritorum malorum, & contemptu præſentium bonorum, & deſiderio futurorum. *Septimus* quoque panis eſt ſpes obtinendi, cuius nihilominùs teneo fragmenta tria, & eorum ſapor dulcis admodum gutturi meo. Tria, inquam, ſunt quæ ſic roborant & confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla conſideratio propriæ utilitatis, nulla æſtimatio cœleſtis beatitudinis, ab altitudine ſpei dejicere poſſit in ea firmiter radicatum. Deſideratis ea, an reſervanda ſunt propter eum qui dixit [f]: *Mel inveniſti? comede quod ſufficit tibi.*

Sexti Panis fragmenta.

Septimi Panis fragmenta.

f Prov. 25. c

Sic

Sic completur hodie quod de seipsa sapientia prophetavit : & nunc idipsum video, quoniam *qui edunt me, adhuc esurient &* . Proindè non vos protraham ultra, sed nec vestram fraudabo esuriem, quoniam quidem sic paratos video, ac si necdum sumpseritis quicquam. Tria considero in quibus tota spes mea consistit, charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmuret jam quantum voluerit insipiens cogitatio mea dicens : Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria, quibusve meritis hanc obtinere speras ? Et ego fiducialiter respondebo : Scio cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptavit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione : licet enim ei facere quod voluerit. Hic est funiculus triplex qui difficilè rumpitur, quem nobis à patria nostra in hunc carcerem usque dimissum firmiter, obsecro, teneamus : ut ipse nos sublevet, ipse nos trahat & pertrahat usque ad conspectum gloriæ magni Dei : qui est benedictus in sæcula, AMEN.

g Eccli. 24.c

Tria spei fulcra fortissima.

Duos sequentes sermones, qui & totum Officium Liturgicum pro die festo S. VICTORIS, *scripsit* S. BERNARDUS, *petente* Guidone Abbate Arremarensi *in Diœcesi Trecensi : in cuius Monasterio eiusdem Sancti corpus adservatur. Cætera ad dictum Officium Ecclesiasticum spectantia, in fine hic reperies. Neque enim hic sermonum seriem interrumpere visum est.*

IN NATALI S. VICTORIS CONFESS. *

* *Martyrol. Roman. refert ad 26. Febr. ubi* Baron. *In notis horum* Bern. *Sermonũ meminit.*

SERMO I.

VIctoris vita* & gloria spiritualis, non tam ad gloriam quam ad virtutem provocat omnes qui recto sunt corde. Non recti planè sed perversi est animi antè quærere gloriam quàm exercere virtutem, & velle coronari qui legitime non certaverit. *Vanum est vobis,* inquit, *ante lucem surgere.* Ita est. Frustra ad celsitudinem nititur gloriæ, qui prius non claruit virtute. Frustra fatuæ virgines sponso obviam surgunt, quarum lampades extinguuntur : & ideo fatuæ quia vacuis gloriantur lampadibus, virtutis oleum non habentes. Absit mihi gloriari nisi in gloria illorum, quibus Propheta congratulans ait : *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in justitia tua exaltabuntur.* Et infert : *Quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Pulchrè non eorum, sed virtutis eorum gloria commendatur, Quæ enim sine virtute est gloria, profectò indebita venit, præproperè affectatur, periculosè captatur. Virtus, gradus ad gloriam : virtus mater gloriæ est. Fallax gloria & vana est pulchritudo, quam illa non parturivit, Sola est, cui gloria jure debetur, & securè impenditur.

* *al.* virtus.

a Psal. 126.a

*b Ps. 88.c

Gloria sine virtute inanis & indebita. Sola virtus gradus ad gloriam.

Sancto Victori nec virtus nec gloria deest, sed quemadmodum ambæ res & quo ordine in homine processerunt, id operæ precium intueri. Pugnavit fortiter, viriliter superavit, & sic demum gloria & honore coronatur. Quomodo nempè inglorius remansisset bellator fortis, humilis victor? quanquam nec in die virtutis suæ sine gloria fuit, signis & prodigiis admirandus. Habemus, dilectissimi, in vita Victoris, & quod dignè miremur, & quod salubriter imitemur. Miror vina dedisse in eremo, non vitem, sed fontem. Miror & stupeo infantem adhuc in utero pavori fuisse pavendis dæmoniis, quippe ab ipsis præcognitum, & jam tunc ex nomine designatum. Nec vacuum nomen, ubi hostium fuga & extorta confessio victoriam concessit infantulo. Quis item non miretur furem à dæmone deprehensum, & rursum à dæmone mox hominem liberatum? Quis non etiam omni admiratione stupendum ducat, carne circundatum hominem, cœlis patentibus, carnis oculos superno infigere lumini, & videre visiones Dei, Angelico insuper mulceri cantico, doceri oraculo? Hæc atque similia in sancto homine veneramur, non æmulamur: Merito quidem, quando & sine salutis periculo possunt non fieri, & sine salutis periculo nequeunt usurpari. Tutius sanè æmulanda solidiora quam sublimiora, & quæ magis virtutem redoleant, gloriam minus.

In sanctis quædam miranda, quædam imitanda.

S. Victoris nonnulla mirabilia.

Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus similari etsi volumus, non valemus. Æmulemur in viro sobrium victum, devotum affectum, æmulemur mansuetudinem spiritus, castimoniam corporis, oris custodiam, animi puritatem, ponere frænum iræ & modum linguæ, dormire parcius, orare frequentius, commonere nosmetipsos psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, diebus jungere noctes, & divinis laudibus occupare. Æmulemur charismata meliora. Discamus ab ipso quod mitis & humilis corde fuit. Æmulemur, inquam, quod exstitit liberalis in pauperes, jucundus ad hospites, patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Hoc enim melius. In his forma est cui imprimamur, in miraculis gloria à qua reprimamur. Illa lætificent, ista ædificent: moveant illa, ista promoveant. Epulemur, dilectissimi, ad mensam divitis vocati, mensam abundantem panibus, deliciis cumulatam. An non dives, qui exemplis nos reficit, protegit meritis, lætificat signis? Dives planè, in cuius hodie convivio solenni Angeli & homines pariter congregantur. Hi ut reficiantur, illi ut delicientur. Isti ut proficiant, illi ut gaudeant. Cuius vita repleta bonis, quid, nisi mensa referta cibis? Nec tamen omnibus omnia apponuntur, sed ut tollat quisq; quod sibi expedire & convenire videbit.

Sancti potius in moribus quam in mirabilibus æmulandi.

Et ego quidem consilio salubriori diligenter consídero quæ mihi apponuntur. Cautum est mihi eligere mea, & aliena non tangere. Non exten-

SS. Vita referta bonis est

dam

dam manum ad gloriam miraculorũ : ne si attentavero quod desuper non accepi, perdam meritò & quod videor accepisse. Non levo cum illo oculos ad rimanda secreta cœlestia, ne oppressus à gloria, confusus resiliam, sero confugiens ad consilium Sapientis, qui ait [c] . *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Infertur mensis vinum novum aquarum rubentium: non tango, quia non mihi appositum scio, qui similiter elementa mutare, naturas innovare non valeo. Cerno item in mensa Victoris Angelos illum audisse canentes. Nunquid videbo & ego mihi super nos exhiberi cantores : aut certè citharœdos illos de Apocalypsi [d] coram me citharizare in citharis suis ? Imperat ille dæmonibus adhuc in corpore vivens, vinctum in corpore solvit corpora jam solutus. Cibi sunt sed non mei, equidem jucundi & sapidi : sed non tangit illos anima mea, quoniam non est inopi mihi unde sufficiam talia redhibere. At si diligenter considero, ecce præ oculis in mensa Sancti, censura judicii, disciplinæ vigor, sanctitatis speculum, vitæ forma, virtutis insigne. Hæc à me & absq; præsumptione sumuntur, & salubriter insumuntur : & si dissimulo, districtè reposcuntur.

quasi mensa plena fercalis, unde quisque sumit quod sibi convenit.

c Eccli. 3. c

d Apoc. 14. a

Audi adhuc quænam mihi jure apposita putem. Si panem doloris & vinum compunctionis de divitis mensa obtuleris, tollo securus qui sum pauper & inops. Erunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, & poculum meum cum fletu miscebo [e] . Pars mea hæc, qui dolenda commisi. Nec me tamen pigebit, ut æstimo, cibi huius, quoniam qui apposuit scientiam, addit & dolorem. Sed & si temperantiæ, si justitiæ, si prudentiæ vel fortitudinis exempla appareant, ea incunctanter sumo, sciens quia talia oportet me præparare. Hæc mihi apponi, hæc à me repetitum iri non dubito. Nunquid signa & prodigia exigenda à nobis sunt, ut ea diviti vicissim præparemus ? Fratres, vasa sunt in honorẽ illi qui nos invitavit, non cibi pauperum. Tu ergo qui invitatus es, diligenter considera quid tibi ille, quid sibimet apposuerit ; non enim quicquid in mensa apponitur, tibi apponitur. Quid si in poculo aureo fuerit propinatum? Non poculum tibi sed potus apponitur. Sume potum & pone aurum. Ergo exempla bonorum operum & rectitudinem morum paterfamilias communicat ita domesticis, ut prærogativam sibi retineat in miraculis. In his tamen atq; illis, ille glorificandus est, cuius munus sanctè vivere, cuius virtus signa facere est, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

e Psal. 41. a

Virtutes à nobis, non prodigia exigenda.

DE S. VICTORE.

SERMO II.

GAudete in Domino, dilectissimi, qui inter continua suæ pietatis beneficia, indulsit hominem mundo, cuius multi salvarentur exemplo.

Iterum dico gaudete, quod factus de medio appropiavit Deo, ut multò plures eius intercessione salventur. Habet ex hominibus cui hominum peccata donet misericors & miserator Dominus. Habet tempus & locum intercedendi pius & misericors advocatus. Equidem locum quietum & tempus feriatum. In terris visus est, ut esset exemplo, in cœlum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat, & supplicantis affectum & supplicationis fructum. Quid enim quærat sibi qui nullius eget? Dominus conservat eum & vivificat eum, & beatum facit eum in gloria, nihil illi deerit in loco pascuæ collocato. Hæc dies glorioſæ migrationis eius, dies lætitiæ cordis eius, exultemus & lætemur in ea. Introivit in potentias Domini, gaudeamus quia nunc potentior est ad salvandũ.

Sancti in terris viventes nos informant ad vitam: in cœlis gaudentes invitant ad gloriam.

Hodie Victor posito corpore, quo solo præpediri ab introitu gloriæ videbatur, tantò alacrior quantò expeditior penetravit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum. Hodie de noviſſimo & humili loco quem sibi ex consilio Salvatoris elegerat, ipso summo patrefamilias evocante, verus amicus ascendit superius, & est illi gloria coram simul discumbentibus. Hodie despecto mundo, & mundi principe triumphato, supra mundum verè Victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ. Ascendit autem cum immensa supellectili meritorum, clarus triumphis, miraculis glorioſus. Pausat miles emeritus, & post labores sudoréſque peractæ militiæ locatur feliciter, coronatur sublimiter. Anima eius in bonis demorabitur. Quæris ubi? Cum Abraam, Isaac, & Jacob in regno cœlorum. Ita cum talibus & tali in loco sibi sedet. Sedet excelsa & fulgida, sedet lætabunda & laudans. Sedet delicata & ornata monilibus suis, stipata malis, fulsita floribus. Sedet, inquam, sibi vacua curis, deliciis affluens, abundans ocii & quietis ad vacandum sapientiæ. Quæ sedit & flevit super flumina Babylonis sedet modo ad fontem vitæ, & conversatio illi secus torrentem voluptatis, cuius impetus lætificat civitatem Dei. Invenit sibi fontem hortorum, puteum aquarum viventium, & cum Samaritana potatur aqua sapientiæ salùtaris, ut non sitiat in æternum. Datur illi de fructu manuum suarum, & laudant eam in portis opera eius, & gloriatur testimonio conscientiæ. Conscientiæ dico suæ, non alterius. Sedet media Angelorum, digna planè eorum consortio, quorum desiderio flagrat, puritate nitet, castimonia decoratur. Sedet inter Apostolos vir Apostolicæ gratiæ: nec est quod se abscondat à cuneo Prophetarum, qui quem illi prædixerunt, glorificavit & portavit in corpore suo. Neq; se putat victoriosis Martyrum choris Victor noster arcendum, qui duro & diuturno martyrio viventem sui corporis hostiam immolavit. Sedet

Animæ in cœlis beatæ elogia.

Sedet veteranus miles debita jam suavitate & securitate quietus. Securus quidem sibi, sed nostri sollicitus. Non enim cum putredine carnis simul se exuit viscеribus pietatis: nec sibi sic induit stolam gloriæ, ut nostræ pariter miseriæ suæque ipsius misericordiæ oblivionem indueret. Non est terra oblivionis, quam anima Victoris inhabitat, non terra laboris, ut occupetur in ea; non denique terra, sed cœlum est. Nunquid cœlestis habitatio animas quas admittit indurat, aut memoria privat, aut spoliat pietate? Fratres latitudo cœli dilatat corda, non arctat; exhilarat mentes, non alienat; affectiones non contrahit, sed extendit. In lumine Dei serenatur memoria, non obscuratur. In lumine Dei discitur quod nescitur, non quod scitur dediscitur. Superni spiritus illi qui ab initio cœlos inhabitant, nunquid quia incolunt cœlos, despiciunt terras, & non magis eas visitant & frequentant? Nunquid quòd semper vident faciem Patris, ministerium evacuant pietatis? Omnes nihilominus administratorii spiritus sunt, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis [a]. Quid ergo? Discurrunt Angeli & succurrunt hominibus; & qui ex nobis sunt, nesciunt nos: nec norunt jam compati, in quibus passi sunt & ipsi? Qui dolores nesciunt, sentiunt tamen nostros: & qui venerunt de magna tribulatione, non recognoscunt jam in quo fuerunt? Scio qui dixit [b]: *Me expectant justi donec retribuas mihi.* Justus est Victor etiam expectans nostram proculdubio retributionem. Non est ille Pincerna Pharaonis, qui inventam gratiam retinuit sibi, prophetæ sui pariter & captivi minimè recordatus [c]. Minister Christi est, Christum sequitur. Non est ille oblitus suæ promissionis, nec socio passionis regni consortium denegavit. Non est discipulus contra magistrum; non potest Victor quicquam facere, nisi quod viderit magistrum facientem. Opera quæ ille fecit, & iste fecit similiter.

Sancti in cœlis securi quidem de se: at pro nobis solliciti.

a Heb. 1. d *Sancti norunt nobis compati, & ipsi olim similia passi.*

b Psal. 141. b

c Gen. 40.

Jam cœlos ingressus, quos & antè apertos beatis oculis suspiciebat, verè nunc revelata facie speculatur gloriam Dei, absorptus quidem, sed non oblitus clamorem pauperum. Beata visio qua in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Parvulus ad pugnam, magnus ad victoriam, matris viscera necdum exiens, & jam ejiciens dæmonia, cum incremento virtutum ac meritorum. Victor vivens inter peccatores translatus est. O virum præcipuæ sanctitatis, qui antè sanctus quàm natus, antè opere quàm nomine Victor. Adhuc utero clausus jam de hoste triumphavit. O venerandam etiam ipsis Angelis sanctitatem, quam pari studio, etsi dispari voluntate, & mali fugitant & frequentant boni. Nec facile dixerim quid virum astruat sanctiorem, horum favor, aut pavor illorum. Corpore denique terras, mente

Victor Angelis familiaris, Dæmonibus terribilis.

cœlos inhabitans, aliquando familiarius aliqui nunciantes, aliquando ineffabili cantus suavitate plausibiles supernorum voces spirituum audiebat. Verè anima tua, Victor, una ex gemmis, quæ tibi in cruce apparuerunt. Vere infixa cruci: cum divinæ inserta gloriæ, eandem sibi claritatis imaginem induit, quam invenit. Vincenti expandit gremium suum, qui pugnanti dederat spiritum suum. O victrix anima, quæ sicut passer transvolans, mundi laqueos evasisti; respice ad incautas animas intricatas illis, periclitantes in illis, ut tuo patrocinio eruamur.

O miles emerite qui Christianæ militiæ duris laboribus, Angelicæ felicitatis requiem commutasti; respice ad imbelles & imbeciles commilitones tuos, qui inter hostiles gladios & spirituales nequitias tuis laudibus occupamur. O victor inclyte, qui & de terra & de cœlo glorioſſimè triumphasti, illius gloriam nobiliter superbus despiciens, & huius regna piè violentus diripiens, respice de cœlo ad victos terræ, ut hæc sit tuorum consummatio triumphorum, si & nobis demum vicisse te sentiamus. Nam si ex re nomen tibi, perfecta veritas nominis ex nostra liberatione censebitur: & certè deest interpretationi quandiu nos, qui tui sumus, minimè liberamur. Quàm pium, quàm dulce, quàm suave, ô Victor, in hoc loco afflictionis & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum & memoriale tuum favus distillans in labiis captivorum, mel & lac sub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eia ergò fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis; exurge in adiutorium nobis, ut & nos de nostra ereptione gaudeamus, & tu de plena victoria glorieris. Omnipotens pater, peccavimus tibi, facti filii alieni, sed appropiavimus in Victore, qui dum vicit cupiditatem suam, vincat & iram tuam, nos quoque in gratiam potenter restituat. O victor JESU te in nostro Victore laudamus, quia te in illo vicisse cognoscimus. Da ei piissime JESU sic de sua in te victoria gloriari, ut non subeat oblivio nostri. Fili Dei immitte ei nostri semper in conspectu tuo memorem esse, nostram in tuo tremendo judicio susci pere & agere causam, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas DEUS per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

† *Idem sermo reperitur apud Petrum Damiani stylus verò potius Bernardum redolet. Diversas tamen lectiones inde descripsimus.*

IN FESTO B. MARIÆ MAGDALENÆ, SERMO.†

HOdie misericordia & veritas obviaverunt sibi, & multitudo miserationum Domini in peccatricem fœminam refusa est. Filius enim Virginis, peccatricis & menstruatæ manibus attrectatur, Deumque

que atque DEI filium mulier infrunita * contingit. Tangit pedes mundi atque mundantis immunda: & vestigiis Creatoris mulier criminosa procumbit. Transit in affectum cordis prævaricatrix, & redit ad cor: & magnitudinem scelerum lachrymarum multitudo condemnat. Dissimulat pietas tangentis officium, & obsequiorum instantiam remuneratorius ille maiestatis oculus fœlici dedignatione non inspicit. Osculatur Maria pedes Christi frequentibus osculis, & oculis inundantibus vestigia Redemptoris infundit, tergit crinibus, odoriferis illinit & irrogat unguentis. Videt & invidet singularitatis amator, & utrumque redarguit Pharisæi jactantia, illum ignorantiæ, præsumptionis istam. Sed deliberans providentia suspendit judicium, dum affectat obsequium, & invectivam retinet præparatam, donec Mariæ sacrificium in holocaustum pertranseat. Gaudent Angeli super peccatrice pœnitentiam agente, & odoris fragrantia cœlestis ille conventus aspergitur, salvantémque & salvandam tota misericordiæ dulcedo pertingit*. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia, & numerositatem criminum præponderans pietas intercludit. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, in peccatricis confessione, quam justa reprehensio in Pharisæi superbia & abusione? Enumeratur obsequentis obsequium, & per obliquum tangitur indignantis iniquitas, tota literali cohærentia Simonis invidiam impugnante. Et quia ubi spiritus Domini, ibi libertas; dimittuntur illi peccata multa quæ multum diligit: immittuntur illi, qui multum negligit. Non erat satiatus ab uberibus sponsæ, nec induerat compassionis affectum, legem relegens quæ misericordiam nescit, novit justitiam. Lex dura duris & lapideis promulgata, parata percutere, nesciens misereri. Lex excludens pœnitentiæ locum, veniam negans, emendationis ignara. Lex vinum durum & acidum de botris amarissimis eliquatum, consecratum feritati, derivatum Israeli, Salvatori propinatum. Virum de quo dentes bibentium obstupescunt: non de genimine vitis illius quod Salvator bibit novum in regno Patris sui.

Verè meliora sunt ubera sponsæ vino isto [c]. Quænam, ais, sunt ista? Procedat in medium Paulus Apostolus, & ubera felici lacte manantia nobis assignet. *Gaudere*, inquit [d], *cum gaudentibus, flere cum flentibus.* O quam brevi sermociunculo * totius religionis depinxit insigne! quam eleganti clausula proposuit pietatem, æquitatem statuit, submovit invidiam? His uberibus mater Ecclesia lactat proficientes, nutrit perfectos, *Gaudere*, inquit, *cum gaudentibus.* Facessat hinc secularis plausus insania, & lætitia mundialis abscedat, quia non est gaudere impiis, dicit Dominus [e], Nunquid illorum os gaudio repleri æstimas, qui lætantur

Christi pietas & misericordia in Conversione Mariæ Magdalenæ.

* *al.* infirmata.

* *al. protingit*, for. etiã *perungit.*

a Rom. 5. d

b 1. Cor. 3. d *Legis veteris austeritas.*

c Can. 1. a *Matris nostræ, id est, Ecclesiæ ubera felici lacte manantia.*

d Rom. 12. c

* *al.* sermunculo.

e Isa. 48. a

f Prov. 2.c

Verum gaudium non cõpetit impiis.

tur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis ? Sed nec illi qui laudibus adulatoriis rapiuntur, divinæ jubilationis agnovere lætitiam. Nunquid qui veſtiuntur purpura & byſſo, & epulantur quotidie ſplendidè gaudium & lætitiam obtinebunt ? Abſit, ut in terra ſuaviter viventium gaudiorum inveniatur materia ; cum tantis alternationibus tota mundi facies immutetur, ut elevans allidatur, & reſpiret illiſus. Sed eſt gaudium continua ſibi jucunditate firmiſſimum, quod perfectus animus de ſecura ſibi conſcientia pollicetur. Mens enim ab huius mundi aſpergine purè preſſéque deterſa, & in divinæ contemplationis acumen totum deſiderii ſui figens affectum, gaudens gaudet in Domino, & exultat anima ſua in Deo ſalutari ſuo. Talis anima minas aſpernatur, neſcit timorem, ſpem falſam eludit, & omnium ſcandalorum immunis, in pace in idipſum dormiens requieſcit. *Pax multa diligentibus legem tuam,* (ait juſtus) *& non eſt illis ſcandalum* g. Noverat enim quia lictores non perſequuntur martyres, ſed coronant. Cum huiuſmodi gaudentibus gaudet Apoſtolus, & ut abundantius gaudeant, tota ſecuritate permittit. Hoc gaudium certum & plenum eſt : tantóque certius idem, quanto vicinius circa identitatem imprimitur. Hæc eſt mammilla congratulationis, de qua lac exultationis effunditur, quo nutriuntur perfecti, ut cum avulſi fuerint à lacte iſto, epulentur ab introitu gloriæ DEI.

Sed piis & ſolum Deũ deſiderantibus,

g Pſal. 118.a

Mammilla congratulationis.

Secunda eſt *flere cum flentibus.* Nunquid Apoſtolus præcipit flere rerum amiſſionem, intermiſſionem voluptatum, filiorum mortes, morborum inſtantiam, gravitatem inopiæ, potentiam fortiorum ? Abſit. Plorandi enim ſunt, qui taliter plorant. Religioſa enim triſtitia, aut alienum luget peccatũ, aut proprium. Beati quorum luctus in hac intentione verſatur, quia conſolatoriam poſſunt in hac expectare dulcedinem. O quam leni & dulciſſimo ſpiritu imbutus eſt ſpiritus illius, qui novit in ſpiritu lenitatis peccantem inſtruere, ſuſpendere vindictam, & affectuoſis viſceribus* inviſcerare ſibi peccatorem, donec vitæ reddatur. De hac compaſſionis mammilla lac conſolationis effunditur, & hoc lacte paſcit Apoſtolus illos qui ſolido cibo veſci non poſſunt. Amator innocentiæ, pacis amicus, patientiæ cibus, patientibns compatiens, & congaudens gaudentibus, perfectionis metam curſu conſummato contingit. Hæc ſunt ubera lacteis irrorata liquoribus, meliora vino, lacte dulciora, miſericordiam ſonantia, redolentia pietatem. *Fragantia,* inquit b, *unguentis optimis.* Digna prorſus ubera, de quibus eliquatur unguentorum infinitas, odorata diffluxione civitatem Dei viventis circunquaque reſpergens, Hæc ſunt unguenta quæ regina Saba attulit in Hieruſalem ; de quibus dicit Scriptura

Quinſit culpabilis fletus ſeu luctus, quis laudabilis? Religioſa triſtitia.

Mammilla compaſſionis.

**al.* Officiis.

b Cant. 1.a

ptura [i] : *Non sum allata ultra aromata tam multa*†, *quàm ea quæ dedit regina Saba Salomoni.* [i] 3. Reg. 10.b †*al.*, Optima.

Quàm excellenter appositum *optima* Spiritus ille subtilis, qui totam sibi libri huius rapit positionem †? Est enim unguentum bonum quod Maria pedibus Salvatoris infudit, est & melius, quod eadem (si tamen eadem) super caput recumbentis effudit: est & optimum quod & ipsa præparavit toti corpori Christi. *Primum* unguentum contritionis est de recordatione peccatorum, de spiritu contrito & contribulato descendens. Hoc infunduntur pedes illius qui ambulat super pennas ventorum, hic adorat Maria in loco ubi steterunt pedes eius. Steterunt, inquam, quia validissima amoris manu pedem utrumque retinuit, donec utrumq; perungeret, & audiret criminum remissionem, & dimissionem in pace. *Remittuntur* inquit [k], *tibi peccata*; & *vade in pace*. Magnam prorsus miseriam magna misericordia diluit & abstergit, & hoc quidem festinanter, quia sine ullo intervallo coniunguntur & lachrymæ peccatricis, & misericordia† Salvatoris. Remittuntur peccata, & in pace dimittitur: ut & de præterito sit solicita, & secura de futuro. †*al.* Possessionem. *Triplex Magdal. unguentum.* *Primum contritionis, de recordatione peccatorum, ad pedes Christi pertinens.* [k] Luc. 7.g †*al.* Indulgentia.

Pedes isti sunt *misericordia & judicium*: quorum alterum sine altero osculari vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda. Quis enim Dei misericordiam indesinēter attendens, non statim tepidioris vitæ quietem exoptet? Cum enim recogitat universitatis Dominum formam servi pro servis susciperе, triginta & tribus annis operari salutem nostram in medio terræ huius, capi, ligari, lanceari, crucifigi, & hoc totum pati pro filiis hominum: statim deceptoria spe sibi blanditur, & illudit, gaudet observari in misericordia & miserationibus, judicium nescit, ignorat justitiam, & punienda æstimat non puniri. Fallitur qui sic osculatur misericordiæ pedem, ut pedem judicii non attendat: qui totum de misericordiæ pede † præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens, quod credit. *Pedes Christi mystice Misericordia & Iudicium.* *Misericordiæ pes non solus amplectendus.* †*al.* misericordis pietate.

Rursus cum adducit os, & judici pedem crebrioribus osculis intertangit, subcutitur carnis animæque substantia, & utriusque hominis statum vehementior aura percellit. Horrendum enim est incidere in manus Dei viventis [l], offendere Creatorem, nescire Dominum, recalcitrare dominantis imperio, qui habet potestatem corpus & animam ponere† in gehennam. Terribilis certè (sicut ait Apostolus [m],) quædam expectatio judicii, quandò ignis in conspectu eius exardescet, & virtutes cœlorum movebuntur, & vacillantibus conscientiis latitudinem mundi validissimus ignis aduret. Nihil prorsus terribilius quam videre latronis officinam plenam sanguine, cumulatam opprobriis, tormentis undan- [l] Heb. 10.f †*al.* mittere. [m] Ibidem. *Sed neque iudicii solus.*

tem. Quis hæc diutius cogitans non statim contremiscat, & in desperationis rotetur abyssum? Non est igitur huic pedi morosius incumbendum, ne pietatis intuitum ferocia judicantis excludat†. Utrumque igitur inungat pedem animæ pœnitentis affectus, & tunc misericordiam amplectens, nunc judicium deosculans, contribulati spiritus offerat holocaustum. Vide Mariam judicii pedem fortiter attendentem, dum nobilis & lasciva mulier convivantium faciem non attendit, sed extenso corpore provolvitur pedibus maiestatis doloris plena, timoris impatiens, compunctionis jaculo vulnerata. Sed & misericordiæ pedem labiis impressioribus osculatur, in cuius spe firmiter inhæret vestigiis Redemptori*, donec audiat. *Remittuntur tibi peccata tua.*

† *al.* occludat.

Vterque pes, misericordiæ & iudicii, simul in unguendus.

* *al.* accumbentis.

Sanè precioſum unguentum, quo non ſolum terrena domus, ſed etiam cœleſtis aſpergitur. Viliſſimæ autem ſunt ſpecies de quibus conficitur, & magna earum copia intra noſtros hortulos poterit inveniri. Peccata igitur noſtra plantata in conſcientiis noſtris, quorum numeroſitas præ multitudine numerari non poteſt, ſpecies eius ſunt. Ipſa igitur in mortariolo pœnitentiæ, macerationis piſtillo contuſa, & reſperſa diſcretionis oleo, doloris igne ſuppoſito, & in aheno diſciplinæ cocta unguentum exhibens precioſum & acceptum pedibus Salvatoris. Compendioſè autem iſtud confecimus, ſapienti rerum occaſionem penitus relinquentes. Et licet materia videatur indignior: interim tamen bonum eſt unguentum iſtud, quod domum replet, penetrat cœlos, Angelos lætificat, & beatæ civitati lætitiam refundit & gaudium. Hoc eſt ſacrificium juſtitiæ; quia *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus* [n].

Vnguenti myſtici ſpecies, & compoſitio.

n Pſal. 50. d

Secundum *unguentum* eſt *devotionis* de recordatione beneficiorum Dei. Prorſus digniſſima huius unguenti compoſitio: & in iſtius comparatione prioris eſt conſperſio vilipendenda. Eius enim ſpecies de cœleſti paradiſo allatæ ſunt, & in terra filiorum hominum nequeunt inveniri. Virtutes enim divinitus collatæ, & in mortariolo pectoris piſtillo diligentiſſimæ meditationis contritæ, & exultationis oleo ſuperfuſæ, ſuffuſo igne juſtitiæ & in humilitatis aheno decoctæ, faciunt unguentum & odore & virtute mirabile; quod ſolum ſuper caput Domini recumbentis poſſit effundi, & exhiberi reverentiæ maieſtatis. Sed & hoc recolligimus breviter: illis qui multa de paucis excipere * noverunt, verborum multitudinem reſervantes.

Secundũ unguentum devotionis, de recordatione beneficiorum Dei ad ungendũ Chriſti caput. Modus compoſitionis eiuſdẽ.

* *al.* exſculpere.

Notanda tamen utriuſque differentia, & ſecundi ſublimitas attendenda, quoniam illud eſt *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, & iſtud *ſacrificium laudis* quod honorificat Deum. Pedes igitur unguimus Salvatoris, cum de peccatis compungimur. Unguimus caput, cùm de collatis

Vtriuſq; unguenti differentia.

tis virtutibus, virtutum largitori gratias cumulamus. Interstitii tamen morositas inter pedes esse debet & caput : quia profectò difficillimus & præsumptuosus saltus est à vestigiis ad verticem Domini transvolare. Neque enim eadem quæ unxit pedes & caput : cum illa meretrix nihil horum feciſſe legatur, secundum illud : *Verte impios, & non erunt* [o]. Unxit ergo Maria sanctum Domini verticem, profectò jam electa *, jam familiaris effecta, longéque à peccatricis illius obvoluta vestigiis*, quam infelix ille septenarius confundebat.

[o] Prov. 12.a
* *al.* dilecta.
* *al.* evoluta cõtagiis.

Porrò si duo præmissa unguenta tantæ dignitatis sunt, ut alterum pedibus, alterum complaceat capiti dominantis : illud tertium quod optimum est & superexcellens, ubinam invenire poterimus ? Sed absit ut sponsa veritatis à veritate dissentiat, & tale aliquid habere se jactitet, quod habere non possit. Est ergò tertium *unguentum pietatis* : quod est super omnia aromata morbis omnibus & periculis salutare, quodque nulli unquam pesti invenitur inefficax. De ipso namque sic legitur : *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata : ut venientes ungerent Iesum* [p]. Vidésne in prima fronte capituli propositum, quod non una vel duæ, sed tres vix sufficiunt ad emendum tantæ compositionis unguentum ? Intelligis quia non pedes, aut caput, sed totum Crucifixi corpus sibi vendicat ista confectio ? Confectio sine dubio preciosa, quæ toti sufficiat corpori Creatoris. Et attende quia unguentum pedibus infusum, adeo dignantissima lenitate susceptit, ut Pharisæum murmurantem parabolica prolixitate convinceret, & retorto sugillaret exemplo [q]. Sed & de refuso super caput eius unguento Discipulos indignantes coarguit, bonum mulieris opus esse protestans : & tumidam eorum animositatem verbis compescuit moderatis [r]. Hoc verò tam salubre, tamque mirificum, in mortuo suo corpore noluit expendi, quod vivo utique reservabat. Duo enim corpora habet Christus, unum quod suscepit ex Virgine, alterum Ecclesiæ, quod charius habet benignitas redimentis. Denique illud pro isto morti exposuit & tormentis, addictus cruci, junctus* sceleratis, morte turpissima condemnatus. Poterimúsne tam salubrem conficere confectionem ? Universæ miseri* miseriæ, tam animarum quam corporum, oculo pietatis inspectæ, species eius sunt. Istæ igitur in mortariolo largitatis, dulcedinis pistillo confractæ, & delinitæ charitatis oleo, succenso compassionis igne, & in aheno perseverantiæ despumatæ, unguentum faciunt ipsis etiam Angelis admirandum.

Tertium unguentum pietatis pretiosius cæteris, & totum Christi corpus respiciens.

[p] Marc. 16.a

[q] Luc. 7.

[r] Matt. 26.a Marc. 14.a

Duo Christi corpora, verũ & mysticum.

* *al.* vinctu cum.
* *al.* miserorum.

Confectio huius tertii unguenti pretiosi.

Sunt viri divitiarũ in domo domini virtutũ, investigemus an apud eos huiusmodi habeãtur unguenta. Primus occurrit mihi *Paulus* (sicut ubiq; solet) totus præsenti delibutus unguento. *Quis infirmatur*, inquit [s], *& ego non infir-*

[s] 2. Cor. 11.g*

Sanctorum erga proximos

pius affectus, & compassio. S. Pauli.

Iebi.

**add.* secundum

**add.* secundum.

t Iob. 29. c*

u 1. Reg. 15. g*

Samuelis.

**al.* pias.

Davidis.

x 2. Reg. 13. f*

Iosephi.

y Gen. 45.

**al.* succensores.

z Exo. 32. c*

Moysis erga peccantem & murmurantem populum amor & mansuetudo.

**al.* eliciuntur.

a Ioan. 20. d

Vis amoris in Magdalena.

infirmor? Felix anima facta sibi tanquá vas perditum, ut omnium miserias in sua continentia colligaret, totum se toti corpori Christi donaverat, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret. Sed & *ille simplex & rectus* & timens Deum, vide quomodo non* hominem, imò verò* hominem, & quod verius est, supra hominem ambulabat. *Oculus*, inquit [t], *fui caco, & pes claudo, pater eram pauperum*, &c. Qui sic eum hoc unguento perunxerat, ut de misericordiæ thalamo largius irroratus exiret. *Samuelem* recolo [u], qui non semel, sed omnibus diebus vitæ suæ lugebat super Saul, cum sciret illum longius ab oculis divinitatis elongatum: Non cessabat tamen compassio quæ condolentis animum irrepserat, fundens lachrymas etsi non profuturas, puras* tamen. *David* parricidam filium continua deploratione plorabat, plorans in eo non carnis necessitudinem, sed fidei destructionem [x]. Cerne quomodo *Ioseph* totus hoc melle illitus erat [y]. Veniunt fratres non jam ante fratrem, sed ante dominum assistentes, conscii proditionis, homicidii rei, fratricidii successores*. Videt eos Joseph, & omnium injuriarum immemor, dulcissimis fletibus inundatur, & pietatis adeps qui intus latitat, foras per oculos emanat. Fugit odium, nescit iram, tempus iracundiæ non reservat: reddens bonum pro malo, pro crudelitate dulcedinem. Pene quin oblitus sim Moysen adeo sacri liquoris huius rore perfusum [z], ut totus ex eo superfundatur & profluat. Peccat Israel, & Moyses peccantem reconciliare nititur Creatori, sed dissimulat Dominus exaudire rogantem. Promittit plurima Mosi Creator omnium; & feriendi licentiam quærit à Moyse, qui Moysen fecit. *Dimitte me* (inquit) *ut irascatur furor meus contra eos, & faciam te in gentem magnam.* Respondit Moyses, *Si dimittis, dimitte. Alioquin dele me de libro quem scripsisti.* Obstupescenda profecto dulcedo. Et principatum respuit gentis alienæ, & de libro viventium deleri desiderat, nisi peccantibus dimittatur offensa.

Hæc sunt unguenta propitiationis & misericordiæ, quæ à sponsæ uberibus eliquantur*, infirmitates omnes fugantia, profligantia passiones. Felix Maria unxit pedes JESU: felicior eadem unxit caput auctoris: felicissima quæ rorem unguentarium toti corpori Christi præparavit. Considera quam vehementissimo dilectionis affectu beata hæc mulier diligebat Christum regem. *Domine*, inquit [a], *si sustulisti eum, dicito mihi: & ego eum tollam.* Quem eum Maria? Cum de nullo feceris mentionem: ad quem relationem facias? Putasne quòd in omnibus cordibus versetur ita memoria dilecti tui, sicut & in consistorio cordis tui: *Et ego* inquit, *eum tollam.* Mira res. Hominem perfectæ ætatis: virum cuius corpori vix centum libræ sufficiunt unguentorum; tenerrima mulier portabis & tolles?

Ardens

Ardens & affecta locutio, quæ de puritatis amore refusa, promittit quod implere non potest. Nihil enim amanti difficile esse videtur. Quis desperare debeat, tanta peccatrice non solum veniam, sed & gloriam consequente? Ipsa hodie intercedat pro peccatis nostris, & placatum nobis reddat judicem nostrum amicum* suum, qui est super omnia benedictus Deus in sæcula, AMEN.

Amanti nihil difficile.

* *al.* sponsum.

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ.

SERMO I.

VIrgo hodie glorioſa cœlos aſcendens, ſupernorum gaudia civium copioſis ſine dubio cumulavit augmentis. Hæc eſt enim cuius ſalutationis vox & ipſos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viſcera claudunt. [a]. Quod ſi parvuli necdum nati anima liquefacta eſt, ut Maria locuta eſt: quid putamus quænam illa fuerit cœleſtium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præſentia meruerunt? Nobis verò chariſſimi, quæ in eius aſſumptione ſolennitatis occaſio, quæ cauſa lætitiæ, quæ materia gaudiorum? Mariæ præſentia totus illuſtratur orbis, adeò ut & ipſa jam cœleſtis patria clarius rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore. Merito proinde reſonat in excelſis gratiarum actio & vox laudis, ſed plangendum nobis quam plaudendum magis eſſe videtur. Quantum enim de eius præſentia cœlum exultat, nunquid non conſequens eſt ut tantum lugeat hic noſter inferior mundus eius abſentiam? Ceſſet tamen querela noſtra, quia nec nobis hic eſt manens civitas; ſed eam inquirimus ad quam hodie Maria benedicta pervenit. In quam ſi conſcripti cives ſumus dignum profecto eſt etiam in exilio, etiam ſuper flumina Babylonis eius nos recordari, eius communicare gaudiis, eius participare lætitiam, maximéque eam quæ tam copioſo impetu lætificat hodie civitatem Dei: ut ſentiamus & ipſi ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Præceſſit nos Regina noſtra, præceſſit, & tam gloriosè ſuſcepta eſt, ut fiducialiter ſequantur Dominam ſervuli clamantes, Trahe nos poſt te; in odore unguentorum tuorum curremus. Advocatam præmiſit peregrinatio noſtra: quæ tanquam Judicis mater, & mater miſericordiæ, ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negocia pertractabit.

[a] Luc. 1. e

Exultatio cœlitum in aſſumpt. Mariæ.

B. Virgo in cœlum præceſſit, & nos ad ſequendum animat.

Precioſum hodie munus terra noſtra direxit in cœlum, ut dando & accipiendo fœlici amicitiarum fœdere copulemur humana divinis, terrena cœleſtibus, ima ſummis. Illò enim aſcendit fructus terræ ſublimis, unde data optima, & dona perfecta deſcendunt. Aſcendens ergo in altum Virgo beata dabit ipſa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas. Regina cœlorum eſt, miſeri-

sericors est. Denique mater est unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius seu pietatis magnitudinem commendare: nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem: aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit.

Et hæc quidem propter nos dixerim, Fratres, sciens difficile esse, ut in tanta inopia charitas illa perfecta non quærens quæ sua sunt, valeat inveniri. Ut tamen interim sileam beneficia quæ pro illius glorificatione consequimur; si eam diligimus, gaudebimus utique quia vadit ad Filium. Plane, inquam, congratulabimur ei, nisi forte (quod absit) inventrici gratiæ omnimodis inveniamur ingrati. Quem enim in castellum mundi huius intrantem prius ipsa susceperat; ab eo suscipitur hodie sanctam ingrediens civitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta putas exultatione, cum quanta gloria? Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria susceperit, nec in cœlis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimavit. Fœlix nimirum utraque susceptio: ineffabilis utraque, quia utraque inexcogitabilis est. Ut quid enim ea hodie in Ecclesiis Christi Evangelica lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepisse intelligitur Salvatorem? Credo ut hæc quam celebramus, ex illa susceptione aliquatenus æstimetur, imò ut juxta illius inæstimabilem gloriam inæstimabilis cognoscatur & ista. Quis enim etiam si linguis hominum Angelorúmque loquatur, explicare queat quemadmodum superveniente Spiritu, obumbrante virtute Altissimi, caro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt omnia & Dominus maiestatis, quem non capit universitas creaturæ, intra virginea sese clauserit viscera factus homo?

Gloria assumptionis Virg. Deiparæ.

Ratio lectionis Evangelicæ.

Sed & illud quis cogitare sufficiat, quàm glorioſa hodie mundi Regina processerit, & quanto devotionis affectu tota in eius occursum cœlestium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta, quam placido vultu, quàm serena facie, quàm divinis amplexibus suscepta à Filio, & super omnem exaltata creaturam, cum eo honore quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria quæ tantum decuit filium? Felicia prorsus oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Verum nunquid non feliciora censebimus quæ ab ore sedentis in dextera Patris hodie in beata salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens & dicens: *Osculetur me osculo oris sui*? Christi generationem, & Mariæ assumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis. Quòd si oculus non vidit, nec auris audivit,

Regina mundi quanta gloria & pompa hodie processerit.

Christi generatio & Mariæ assumptio inenarrabilis.

audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se: quod præparavit gignenti se, & (quod omnibus est certum) diligenti præ omnibus, quis loquatur? Felix planè Maria, & multipliciter felix, sive cum excipit Salvatorem, sive cum à Salvatore suscipitur. Utrobique mira dignitas Virginis Matris: Utrobique amplectenda dignatio maiestatis. *Intravit*, inquit [b], *IESVS in quoddam castellum, & mulier quædam excepit illum in domum suam.* Sed laudibus magis vacandum est, quod festivis præconiis hæc dies debeatur. Quia verò copiosam nobis materiam lectionis huius verba ministrant; cras quoque convenientibus nobis in unum, communicandum erit sine invidia quod fuerit desuper datum, ut in memoria tantæ Virginis non modo affectus devotionis excitetur, sed & mores ædificentur ad profectum conversationis, in laudem & gloriam Filii eius Domini nostri, qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula. [b] Luc. 10. g

---

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ,
De Evangelica Lectione,
SERMO II.

Intravit IESVS in quoddam castellum [a]. [a] Luc. 10.

OPportunè satis hoc mihi in loco Prophetica exclamatio assumenda videtur [b]. *O Israel quam magna est domus Domini, & ingens locus possessionis eius?* An non ingens, cuius comparatione castellum dicitur terræ huius spatiosissima latitudo? An non ingens patria & regio inæstimabilis, quando ab eà Salvator adveniens, cum ingrederetur orbem terræ, introiret castellum? Nisi fortè castellum quis aliud intelligendum putet, quam atrium fortis armati, principis mundi huius, cuius vasa diripere fortior supervenit. Festinemus in illam ingredi beatitudinis amplitudinem, Fratres, ubi nemo alium coangustat: ubi possimus cum omnibus sanctis comprehendere quænam sit longitudo, & latitudo, sublimitas & profundum. Neque id desperemus, quandoquidem ipse cœlestis habitator patriæ, etiam & Creator, nostri huius caitelluli angustias non refugit. [b] Baruch. 3. c

Sed quid introiisse eum dicimus in castellum? Etiam in angustissimum virginalis uteri diversorium introivit. Denique & *mulier quædam excepit illum in domum suam.* Felix mulier, quæ non jam exploratores Hierico, sed potius fortissimum illum expoliatorem stulti illius, qui verè ut luna mutatur, non legatos Jesu filii Nave, sed ipsum magis suscipere meruit verum Jesum Filium Dei. Felix, inquam, mulier; cuius domus Salvatore suscepto inventa est munda quidem; sed planè non vacua. Quis enim

enim vacuam dixerit, quam salutat Angelus *gratia plenam* ? Neque hoc solum : sed adhuc quoque in eam superventurum asserit Spiritum sanctum. Ad quid putas, nisi ut etiam superimpleat eam ? Ad quid nisi ut adveniente jam Spiritu plena, sibi eodem superveniente , nobis quoque superplena & supereffluens fiat ? Utinam fluant in nos aromata illa, charismata scilicet gratiarum : ut de plenitudine tanta omnes accipiamus. Ipsa nempe mediatrix nostra, ipsa est per quam suscepimus misericordiam tuam Deus, ipsa est per quam & nos Dominum Jesum in domos nostras excipimus. Et nobis enim singulis castra sunt singula, & singulæ domus : & sapientia pulsat ad ostia singulorum. Si quis ei aperuerit , introibit, cœnabitque cum eo. Est vulgare proverbium, quod multorum in ore, magis autem in corde versatur : Bonum, inquiunt , servat castellum , qui custodierit corpus suum. Sapiens tamen non sic, sed magis inquit [c] . *Omni custodia serva cor tuum , quia ex ipso vita procedit.*

Maria plena gratia , ut in nos redundat.

Castelli mystica expositio.

c Prov. 4.

Esto tamen, cedendum sit multitudini : bonum castrum custodiet, qui custodierit corpus suum. Illud sanè quærendum , quænam huic sit adhibenda custodia castro. Rectène custodisse tibi videtur anima illa corporis sui castrum, cuius membra velut coniuratione facta inimico eius dominium tradidere ? Sunt enim qui cum morte fœdus inierunt, pactum pepigerunt cum inferno [d] . *Incrassatus est*, inquit, [e] *dilectus , & recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus.* Hæc planè custodia, quæ laudatur à peccatoribus in desideriis carnis suæ. Quid vobis videtur, fratres ? Num & in hac parte cedendum est multitudini ? Absit. Paulum magis interrogemus : utpote ducem strenuum militiæ spiritualis. Die nobis Apostole, quæ sit tui custodia castri ? *Ego*, ait [f] *, sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aerem verberans. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicavero , ipse reprobus efficiar.* Et alio in loco : *Non regnet*, inquit [g] *, peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis eius.* Utilis profecto custodia, & felix anima quæ sic custodierit corpus suum , ut nunquam sibi vendicet illud inimicus. Fuit enim aliquandò cum hoc meum castrum tyrannidi suæ impius ille subiecerat, sibi potestativè membris imperans uniuersis. Quantum eo nocuerit tempore, præsens adhuc indicat desolatio & egestas. Heu nec continentiæ murum in eo, nec patientiæ antemurale reliquit. Exterminavit vineas, messuit segetes, arbores extirpavit, quippe etiam oculus iste meus deprædabatur animam meam. Denique nisi quia dominus adjuvit me : paulominus habitasset in inferno anima mea. Dico autem infernum inferiorem, ubi nulla confessio, unde nemini datur exire.

d Esa. 28. d

e Deut. 32. b

f 1. Cor. 9. d

g Roma. 6. b

Qualis corpori adhibenda custodia.

Clades castro nostro per tyrannidem dæmonis illata.

Cæterum

Cæterum etiam tunc nec carcer illi deerat nec infernus. Ab ipso nempe conjurationis & perditionis pessimæ deprehensa principio : non alibi quam in domo propria carcerali est mancipata custodiæ : nec aliis quam suæ illius familiæ data tortoribus. Erat enim illi conscientia carcer, erant tortores ratio & memoria : atque hi quidem crudeles, austeri & immisericordes : sed longè minus rugientibus illis præparatis ad escam : quibus erat jamiamque tradenda. Sed benedictus DEUS qui non dedit me in captionem dentibus eorum. Benedictus, inquam, Dominus qui visitavit & fecit redemptionem. Cum enim inferiori eam carceri tradere malignus & tortoribus acceleraret, sed & castrum ipsum ignibus cremare perpetuis, ut digna periuris fieret retributio membris : fortior supervenit. Intravit in castellum Jesus : qui fortem alligans, eius vasa diripuit : ut quæ prius erant in contumeliam, faceret in honorem. Contrivit portas æreas, & confregit ferreos vectes : vinctum de domo carceris & umbra mortis educens. Porrò egressus eius in confessione. Ipsa est enim scopa qua mundatus carcer & ornatus, deinceps regularium institutionum juncis quibusdam pulchrè virentibus de carcere redit in domum. Habet ergo mulier jam domum suam, habet ubi suscipiat eum cui super tantis beneficiis extat obnoxia. Alioquin væ ei si eũ excipere renuit, si non detinet, si non cogit manere secum, quoniã advesperascit. Rediens enim qui prius ejectus est, mundatam quidem & ornatam domum invenit, sed vacantem.

Peccatoris carcerem, tortores & infernũ depingit.

Inferno obnoxii, Redemptoris beneficio evasimus.

Relinquitur siquidem mulieri domus sua deserta, quam Salvatoris hospitio dignam exhibere neglexit. Quomodo? inquis : Poteritne domus mundata confessione priorum delictorum, & observatione regularium institutionum ornata, indigna adhuc judicari habitaculo gratiæ, Salvatoris ingressu? Poterit sine dubio, si superficie tenus emundata, & juncis (ut dictum est) strata virentibus, interius plena sit luto. Quis enim suscipiendum Dominum arbitretur in dealbatis mortuorum sepulchris, quæ videntur à foris speciosa, intrinsecus autem spurcitia & sanies universa replevit? Esto siquidem ut aliquando tanquam ipsa superficie delectatus incipiat primum apponere pedem ei qui huiusmodi est, primam aliquam visitationis suæ gratiam indulgendo : nunquid non resiliet illico cum indignatione? Nunquid non effugiet clamitans; Infixus sum in limo profundi : & non est substantia? Virtutis enim species & non veritas, quasi qualitas est, non substantia. Neque verò ingressum eius exterioris potest conversationis tenuis superficies sustinere : quoniam omnia penetrat, & in intimis cordibus eius habitatio est. Quòd si nequaquam Spiritus disciplinæ subditum manifestè peccatis corpus inhabitat [b], fictum utique non modo declinat, sed & effugit, atque

Hypocrisis & fictæ pœnitentiæ redargutio.

Psal. 68. 2

[b] Sap. 1. 4

Peccata non superficie te-

nus radenda sed intrinsecus eradicanda.

atque elongatur ab eo. An verò aliud est quam fictio execranda, si peccata superficie tenus radas, non intrinsecus eradices? Certus esto quoniam pullulabit uberius: & emundatam, sed vacantem domum cum nequioribus septem, qui ejectus fuerat hostis malignus intrabit. Reversus enim ad vomitum canis, odibilis erit multò plus quam antè: & fiet Filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in easdem denuo sordes inciderit, ut sus lota in volutabro luti.

NOTA. Exterioris hominis cura & interioris neglectus quam multos fallat & arguet coram Deo.

Vis videre mundat[a] ornatam, & vacantem domum? Hominem intuere qui confessu[s] deseruit manifesta peccata præcedentia ad judicium, & nunc solas movet manus ad opera mandatorum, corde penitus arido, ductus consuetudine quadam, planè quasi vitula Ephraim docta diligere triturам. Exteriorum quæ ad modicum valent, ne unum jota præterit, sed camelum glutit dum culicem liquat. In corde enim servus est propriæ voluntatis, cultor avaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator, aut hæc omnia aut singula quæque intus vitia fovens: & mentitur iniquitas sibi: sed Deus non irridetur. Videas enim interdum sic palliatum hominem, ut seducat etiam semetipsum, penitus non attendens vermem qui interiora depascitur. Manet enim superficies, & salva sibi omnia arbitratur. *Comederunt* (ait Propheta) *alieni robur eius: & ignoravit.* Dicit, quia dives sum, & nullius egeo, cum sit pauper & miser & miserabilis[k]. Nam & inventa occasione ebullire saniem quæ latebat in ulcere, & excisam non extirpatam arborem in sylvam pullulare videas densiorem. Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus necesse est ad radices arborum, non ad ramos. Non sola inveniatur in nobis exercitatio corporalis ad modicum valens: sed inveniatur utilis ad omnia pietas, & exercitium spirituale.

i Osee. 7. c

k Apoc. 3. d

Ad Marthā spectat ornare domum, ad Mariam implere, ad Lazarum mundare.

„ *Mulier*, inquit, *Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic* „ *erat soror nomine Maria.* Sorores sunt, & debent esse contubernales. Occupatur hæc circa frequens ministerium, illa dominicis est intenta sermonibus. Ad Martham spectat ornatus, sed impletio ad Mariam. Vacat enim Domino, ut non sit domus vacans. Sed mundationem cui possumus attribuere? Erit enim, si & hoc invenerimus, domus in qua Salvator suscipitur, & munda, & ornata, & non vacans, Demus eum Lazaro, si & vobis ita videtur. Et ei siquidem fraternitatis jure cum sororibus est domus ita communis. Dico autem Lazarum quem quatriduanum jamiamque fœtentem à mortuis excitat vox virtutis: ut videatur satis congruè formam gerere pœnitentis. Intret ego domum Salvator, & frequenter visitet eam, quam pœnitens Lazarus mundat, ornat Martha, & Maria replet internæ dedita contemplationi.

Lazarus gerit formam pœnitentis.

Sed

Sed forte curiosus quisquam requirat cur in præsenti Evangelica lectione nulla prorsus lazari mentio fiat. Arbitror sanè ne id quidem, à proposita similitudine dissidere. Virginalem enim domum intelligi volens Spiritus, siluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum utique comitatur. Absit enim ut proprii quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Quòd si originalem à parentibus maculam traxit, sed minus à Hieremia sanctificatam in utero, aut non magis à Joanne Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas Christiana. Hæc enim festis laudibus nascens honoratur. Postremò cum omnimodò constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam: quippe cum & nunc in baptismate sola hanc maculam lavet gratia, & sola eam raserit olim petra circuncisionis: ut omninò pium est credere, proprium Maria delictum non habuit, nihilominus ab innocentissimo corde etiam pœnitentia longè fuit. Sit ergo Lazarus apud eos quorum necesse est ab operibus mortuis conscientias emundari: secedat inter vulneratos dormientes in sepulchris, ut in thalamo virginali inveniantur Martha & Maria tantum. Ipsa est enim quæ Elizabeth gravidæ & grandævæ quasi mensibus tribus humili deservivit officio [l], ipsa verba omnia quæ de Filio dicebantur, conservabat conferens in corde suo [m].

Privilegium sanctificationis non minus, imò magis tribuendum B. Virgini, quam Ieremiæ, aut Joanni.

Propriũ Mariæ delictum non habuit.

l Luc. 1. f

m Luc. 2. c

Neminem ergò moveat quòd suscipiens mulier Dominum, non Maria, sed Martha vocatur: quando in hæc una & summa Maria, & Marthæ negocium, & Mariæ non ociosum ocium invenitur. Omnis quidem gloria filiæ regis ab intus, nihilominus in fimbriis aureis circumamicta est varietate. Non est de numero fatuarum virginum prudens Virgo. Lampadem habet, sed in vase oleum portat. An fortè excidit vobis Evangelica illa parabola [n], quæ fatuas virgines prohibitas narrat ab introitu nuptiarum? Erat equidem domus earum munda, virgines enim erant. Erat ornata, quia simul omnes, id est fatuæ cum prudentibus lampades ornaverunt: sed erat vacans, quia in vasis suis oleum non acceperunt. Hinc est quòd nec ab eis suscipi in domos suas, nec admittere eas dignatur sponsus cœlestis ad Nuptias. Non sic mulier illa fortis, quæ serpentis caput contrivit. Habes enim post multa in laudibus eius, quia *non extinguetur in nocte lucerna ipsius* [o]. In sugillationem hoc dicitur fatuarum, quæ veniente media nocte sponso, conqueruntur fero & dicunt [p]: *Quia lampades nostræ extinguuntur.* Processit igitur glorioſa Virgo, cuius lampas ardentissima ipsis quoque Angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent [q]: *Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* Clarius enim cæteris rutilabat, quam replevit oleo

In Maria Deipara & Marthæ negotiũ, & Mariæ otium invenitur.

n Matt. 25.

o Prov. 31. b

p Matt. 25. a

q Cant. 6. c

gratiæ præ participibus suis CHRISTUS JESUS filius eius Dominus noster.

IN ASSUMPTIONE VIRG. DEIPARÆ.
SERMO III.

Intravit JESUS *in quoddam castellum, & mulier quædam Marthæ nomine excepit illum in domum suam* [a].

[a] Luc. 10. g

QUid est, Fratres, quòd è duabus sororibus altera tantum Dominum legitur excepisse, & ea ipsa quæ videtur inferior? Optimam enim partem elegit Maria, teste ipso quem Martha suscepit: sed prior natu Martha videtur, & salutis initium sibi magis actio, quam contemplatio noscitur vendicare. Laudat Christus Mariam, sed à Martha suscipitur. Amat Rachelem Jacob, sed Lia supponitur ignoranti. Si de fraude queritur, audit non esse consuetudinis ut juniores prius tradantur ad nuptias [b]. Quòd si luteam hanc cogites domum, facile erit nosse quemadmodum in ea Dominum Martha magis excipiat quàm Maria. Quod enim ait Apostolus [c]: *Glorificate & portate Deum in corpore vestro*: Marthæ dicitur, non Mariæ. Hæc nimirum corporis utitur instrumento, cum illi potius sit impedimento. Denique *corpus*, inquit [d], *quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*, Nunquid & operantem? Martha igitur in domum suam excepit Salvatorem in terris, Maria potius cogitat quemadmodum suscipiatur ab eo in domo non manu facta, æterna in cœlis. Fortè tamen & ipsa Dominum suscepisse videtur, sed in spiritu. Dominus enim spiritus est.

[b] Gen. 29.

[c] 1. Cor. 6. d

[d] Sap. 9. d

Huic, inquit, (haud dubium quin Marthæ) *soror erat nomine Maria; quæ etiam sedens secus pedes IESV, audiebat verbum illius.* Vides quòd utraque suscepit verbum, hæc in carne, illa in voce. *Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Quæ stetit & ait, Domine, non est tibi curæ quòd soror mea reliquit me solam ministrare?* Putas in domo in qua Christus suscipitur, vox murmurationis audietur? Felix domus, & beata semper congregatio est, ubi de Maria Martha conqueritur. Nam Mariæ Martham æmulari prorsus indignum, prorsus illicitum est. Alioquin ubi legitur Mariam causantem, quia soror mea reliquit me solam vacare? Absit, absit, ut qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret fratrum officialium vitam. Martha semper insufficiens sibi & minus idonea videatur, aliisque magis id operis quod administrat, optet imponi. *Respondit autem ei Iesus; Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.* Vide prærogativam Mariæ, quem in omni causa habeat advocatum. Indignatur siquidem Pharisæus, conqueritur soror, etiam Discipuli murmurant; ubique

Felix domus & congregatio, ubi de Maria Martha conqueritur.

Maria Christum habet advocatum.

ubique Maria tacet, & pro ea loquitur Christus. *Optimam*, inquit *partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea* in æternum. Hoc unum illud necessarium est, hæc una quam Propheta tam sedulò requirebat: *Vnam*, inquit [e], *petii à Domino, hanc requiram.*

e Psal. 26.b

Quid tamen sibi vult, Fratres, quòd *optimam partem* Maria dicitur elegisse? Ubi jam erit, quod adversus eam proferre solemus, si quando fortè administrantis Marthæ turbationem, inæqualitatem dijudicare voluerit: *Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier* [f]? Ubi erit & illud: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus* [g]? Et illud: *Qui maior est vestrum, erit minister vester* [h]? Postremò, quæ consolatio est laboranti, quasi in eius sugillationem, partem sororis attollere? Unum ergo arbitror è duobus, ut aut de electione Maria laudetur, quòd pars ipsa, quantum in nobis est, sit omnibus eligenda: aut certè, ut neutrum dicatur defuisse, nec in partem quamlibet præcipitasse sententiam, sed ad obedientiam præceptoris in utrumlibet sit parata. Quis enim sicut David fidelis ingrediens, egrediens, & pergens ad imperium regis? Denique *paratum*, inquit [k], *cor meum, paratum cor meum*, non semel tantùm, sed & secundo, & vacare tibi, & proximis ministrare. Hæc planè pars optima, quæ non auferetur. Hæc mens optima, quæ non mutabitur quocunque vocaveris eam. *Bonum*, inquit [l], *acquirit gradum, qui benè ministraverit*: forte meliorem qui benè vacaverit Deo; optimum autem qui perfectus est in utroque. Unum adhuc dico, si tamen id de Martha licet suspicari. Nónne enim quasi ociosam reputasse videtur, quam sibi dari petiit adjutricem? Sed carnalis est, & omninò non percipit quæ sunt spiritus DEI, si quis fortè vacantem animam suam de vacatione redarguit. Audiat igitur optimam esse hanc partem, quæ maneat in æternum. Nunquid non rudis quodammodò videtur anima quæ divinæ contemplationis penitus expers, illam intravit regionem, ubi hoc unum omnium opus, unum studium, eadem vita.

Optima pars quæ.

f Eccli. 24.c
g Ioan. 12.d
h Matt. 20.d

Vitæ mixtæ, quæ contemplativæ iungit Activam commendatio.

i 1. Reg. 22.c
k Psal. 56.b

l 1. Tim. 3.c

Sed considerabimus, Fratres, quemadmodum in hac domo nostra tria hæc distribuerit ordinatio charitatis, Marthæ administrationem, Mariæ contemplationem, Lazaro pœnitentiam. Habet hæc simul quæcunque perfecta est anima: magis tamen videntur ad singulos singula pertinere, ut alii vacent sanctæ contemplationi, alii dediti sint fraternæ administrationi, alii in amaritudine animæ suæ recogitent annos suos tanquam vulnerati dormientes in sepulchris. Sic planè, sic opus est, ut Maria piè & sublimiter sentiat de Deo suo, Martha benignè & misericorditer de proximo, Lazarus miserè & humiliter de seipso. Gradum suum quisque consideret [m]. *Si inventi fuerint in civitate hac Noe, Daniel, Iob,*

Religiosæ domus habent Martham, Mariam, & Lazarum, id est, alii vacant administrationi, alii contemplationi, alii compunctioni.

m Ezec. 14.d

Iob, ipsi justitia sua liberabuntur, ait Dominus, sed filium aut filiam non liberabunt. Nemini nos blandimur, utinam nec vestrum quispiam se seducat. Quibus enim nulla credita est dispensatio, administratio nulla commissa: his omnino sedendum erit aut secus pedes Jesu cum Maria, aut certè cum Lazaro intra septa sepulchri. Quidni erga multa turbetur Martha, quæ solicita est pro multis? Tibi ergo, cui necessitas hæc non incumbit, è duobus unum est necessarium aut non turbari penitus, sed delectari magis in Domino: aut si id necdum potes, turbari non erga plu-
n Psal. 41. b rima, sed (ut de se Propheta loquitur [n],) ad teipsum.

Iterum dico, ne quis de ignorantia habeat excusationem. Oportet te, Frater, ad quem de fabricanda seu regenda inter undas dilivii arca nihil spectat, aut virum esse desideriorum, ut Daniel erat: aut cum beato Job virum dolorum, & scientem infirmitatem. Alioquin vereor ne tepidum te & nauseam provocantem evomat ex ore suo, qui te invenire cupit aut sui consideratione calidum & charitatis igne flagrantem; aut tua ipsius cognitione frigidum, & aqua compunctionis ignita diaboli jacula restinguentem. Sed & ipsam quoque Martham admonitam esse necesse est, id maximè quæri inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Erit autem fidelis, si neque quæ sua sunt quærat, sed quæ Jesu Christi, ut sit intentio pura: nec suam faciat, sed Domini voluntatem, ut sit actio ordinata. Sunt enim quorum non simplex est oculus, & recipiunt mercedem suam. Snnt qui feruntur propriis motibus animorum, & contaminata sunt universa quæ offerunt, quippe cum voluntates eorum inveniantur in eis. Veni nunc mecum ad nuptiale carmen, & consideremus quemadmodum sponsus sibi sponsam vocat, nec ullum omiserit ex his tri-
* o Cant. 2. c bus, nec addiderit ultrà: *Surge*, inquit [o], *propera amica mea, formosa mea, columba mea, & veni.* An non *amica* est quæ dominicis lucris intenta, fideliter ipsam quoque pro eo ponit animam suam? Quotiens enim pro uno ex minimis eius spirituale studium interponit, totiens pro eo spiritualiter ponit animam suam. An non *formosa* quæ revelata facie gloriam Domini speculando, in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu? An non *columba*, quæ plangit & gemit in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ, tanquam sepulta sub lapide?

Mulier, ait, *Martha nomine excepit eum in domum suam.* Certum est hulus tenere locum fratres officiales, quos fraternæ charitatis intuitus variis administrationibus deputavit. Utinam autem & ego ipse inter dispensatores fidelis merear inveniri. Quibus enim convenientius videtur aptandum quod Dominus ait, *Martha, Martha, solicita es*, quàm Prælatis,

NOTA. Religiosis ab officio & cura vacantibus quid incumbat.

Vtilis cautela pro Martha: seu actioni & ministerio mancipatis.

Prælati Marthæ officio funguntur.

tis, si tamen in solicitudine præsunt? Aut quis turbatur erga plurima, nisi cui & Mariæ vacantis & Lazari pœnitentis, sed & ipsorum quibus onera sua partitur, universa incumbit sollicitudo? Vide Martham sollicitam, vide Martham erga plurima turbatam, Apostolum loquor, qui Prælatos sollicitudinis admonens, gerit ipse sollicitudinem omnium Ecclesiarum: *Quis infirmatur*, inquit [p], *& ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Suscipiat igitur Martha Dominum in domum suam, cui nimirum credita est dispensatio domus. Mediatrix est, ut sibi pariter & subiectis salutem obtineat, suscipiat gratiam: sicut scriptum est [q]: *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam.* Suscipiant & cæteri coadiutores eius singuli pro qualitate ministerii sui, excipiant Christum, serviant Christo, ministrent ei in membris suis: ille in infirmis fratribus, ille in pauperibus, ille in hospitibus & peregrinis.

[p] 2. Cor. 11. g

[q] Psal. 71. a

Quibus ita sollicitis circa frequens ministerium, videat Maria quemadmodum vacet, & videat quoniam suavis est Dominus. Videat, inquam, quàm devota mente, quàm tranquillo sedeat animo secus pedes JESU, providens eum semper in conspectu suo, & verba ex ore eius excipiens, cuius & aspectus delectabilis, & eloquium dulce. Diffusa est enim gratia in labiis eius, & est speciosus forma præ filiis hominum, imo etiam super omnem gloriam Angelorum. Gaude & gratias age Maria, quæ partem optimam elegisti. Beati enim oculi qui vident quæ tu vides, & aures quæ merentur audire quod audis. Beata planè quæ venas susurri divini percipis in silentio, in quo utique bonum est homini Dominum expectare. Simplex esto, non tantùm sine dolo & simulatione, sed & absque multiplicitate occupationum, ut tecum sit sermocinatio eius, cuius & vox dulcis, & facies decora. Unum cave, ne abundare incipias in sensu tuo, & velis plus sapere quàm oportet sapere: ne fortè dum lucem sectaris, impingas in tenebras, illudente tibi dæmonio meridiano: de quo non est huius temporis disputare. Nam Lazarus quò devenit? Ubi posuistis eum? Sorores alloquor, quæ sepelierunt fratrem prædicatione & ministerio, & exemplo & oratione. Ubi ergo posuistis eum? Absconditus est fossa humo, sub lapide jacet, non facile invenitur. Propterea non erit incongruum quatriduano quartum reservare sermonem ut juxta Salvatoris exemplum audientes [r]: Ecce quem amas, infirmatur, & nos maneamus hic die isto.

Vtilis, & præclara cautio pro Magdalena, seu his qui vitæ contemplativæ vacant.

[r] Ioan. 11. a

IN FESTO

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ.
SERMO IV.

TEmpus loquendi est omni carni, cum assumitur incarnati Verbi Mater in cœlum; nec cessare debet à laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in Virgine. Sed de eius gloria nec silere devotio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut inerudita potest locutio parturire. Hinc est quòd & ipsi cœlestis curiæ principes in consideratione tantæ novitatis clamant non sine admiratione [a]: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Ac si manifestius dicant: Quanta est hæc, & unde ei ascendenti utique de deserto affluentia tanta deliciarum? Nec enim pares inveniuntur deliciæ vel in nobis quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ voluptatis gloria potamur. Quæ est ista quæ de sub sole (ubi nihil est nisi labor & dolor, & afflictio spiritus) ascendit deliciis spiritualibus affluens? Quidni delicias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis insigne, distillantem charitatis favum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ singularis? Ascendens igitur de deserto Regina munci, etiam Angelis sanctis, ut canit Ecclesia, *speciosa facta est & suavis in deliciis suis.* Desinant tamen deserti huius mirari delicias, quia Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum [b]. Quid mirantur de terra deserta Mariam ascendere deliciis affluentem? Mirentur potius pauperem Christum de cœlestis regni plenitudine descendentem. Longe enim ampliori miraculo dignum videtur Dei Filium paulominus ab angelis minorari quàm Dei matrem super Angelos exaltari. Illius siquidem exinanitio, facta est repletio nostra: illius miseriæ, mundi deliciæ sunt. Denique cum dives esset, propter nos pauper factus est [c], ut nos eius inopia ditaremur. Sed & crucis ignominia, credentium facta est gloria.

a Cant. 8. a

Angeli admirabundi in ascensu Virg.

b Psal. 84. b

Magis tamen admirandus Christi de Cœlo descensus.

c 2. Cor. 8.

Adhuc autem & ad monumentum properat vita nostra, ut quatriduanum reducat à monumento: & eum de quo vobis hodie (si meminit charitas vestra) sermo debetur: Lazarum quærit, ut quæratur, & inveniatur à Lazaro. In hoc enim est charitas, non quasi nos dilexerimus DEUM, sed quia ipse prior dilexit nos. Age igitur Domine, quære quem amas, ut & amantem facias & quærentem. Quære ubi posuerunt eum, jacet enim clausus, ligatus, oneratus. Jacet in ergastulo conscientiæ, tenetur vinculis disciplinæ, & tanquam lapide superposito premitur & opprimitur onere pœnitentiæ, maximè quòd desit interim fortis ut mors dilectio, & charitas omnia sustinens, & in his omnibus jam fœtet Domine: quatri-

Lazari sepulti consideratio tropologica.

quatriduanus est enim. Credo jam multorum ingenia prævolant, ut intelligant quem velim dicere Lazarum. Eum sine dubio, qui nuper peccato mortuus fodit sibi parietem [d], ut videat obominationes multas & malas pravi & inscrutabilis cordis sui, & juxta Prophetam alium [e] ingressus est in petram absconditus fossa humo à facie furoris Domini.

d Ezech. 8.
e Ierem. 25. g

Sed quid est, *Domine jam fœtet, quatriduanus est enim*? Fortè enim fœtorem istum & quatuor dies istos non continuo quivis intelligat. Ego *primam* arbitror timoris diem, qua nimirum irradiante cordibus nostris peccato morimur, & quodammodò sepelimur in conscientiis nostris. *Secunda* (ni fallor) agitur in labore certaminis, solet nempe inter primordia conversionis acrius insurgere tentatio pravæ consuetudinis, & vix extingui possunt jacula ignita diaboli. *Tertia* nihilominus doloris, etiam videtur, dum recogitat quis annos suos in amaritudine animæ suæ, & nec tam laborat declinando futura, quàm præterita plangendo deplorat. Miraris quod hos dixerim dies? Sed sepulturæ debentur dies nebulæ & caliginis, dies luctus & amaritudinis. Sequitur *dies pudoris* non dissimilis tribus, quando jam horribili confusione operitur anima miseranda, dum nimis considerat quæ & quanta deliquerit, & in oculis cordis tetras versat imagines peccatorum. Animus huiusmodi nihil dissimulat, sed dijudicat, sed aggravat, sed exaggerat universa: non sibi parcit durus judex in semetipsum. Utilis quidem exacerbatio: & digna miseratione crudelitas: facilè sibi divinam concilians gratiam: dum pro eo mens æmulatur etiam contra seipsam. Veruntamen Lazare veni foras; ne in tanto fœtore diutius immoreris. Caro putida putredini proxima est: & qui confunditur vehementius & tabescit, prope est ut desperet. Propterea Lazare veni foras. Abyssus abyssum invocat: abyssus luminis & misericordiæ, abyssum miseriæ & tenebrarum. Maior illius bonitas quam iniquitas tua: & ubi peccatum abundat, superabundare gratiam facit. *Lazare*, inquit, *veni foras*. Ac si manifestius dicat, quousque conscientiæ tuæ caligo te detinet? quandiu in cubiculo tuo gravi corde compungeris? Veni foras, procede, respira in lucem miserationum mearum, hoc enim est quod in Propheta legisti [f]: *Infrænabo os tuum laude mea, ne pereas*. Evidentius quoque Propheta alius de seipso [g]; *Ad me ipsum*, inquit, *anima mea turbata est, propterea ero memor tui*.

Lazari quatriduani & resuscitati peccatorem pœnitentis comparatio.
Respicientis seu resuscitandi peccatoris 4. dies mystici.
Dei infinita bonitas ad erigendos peccatores.
f Isa. 48. b
g Psal. 41. b

Jam verò quid sibi vult quod ait: *Tollite lapidem*, & post pauca: *solvite eum*? Nunquid post visitationem gratiæ consolantis cessabit agere pœnitentiam, quoniam appropinquavit regnum cœlorum: aut abjiciet disciplinam: ne forte irascatur dominus, & pereat de via justa? Absit hoc. Tollatur lapis, sed pœnitentia maneat, non jam premens & onerans, sed vividam

Peccatoris iam resuscitati status.

vividam & robustam mentem roborans atque confirmans! nimirum cujus cibus sit (quem antea nesciebat) Domini facere voluntatem. Sic & disciplina non jam constringit liberum, secundum illud [b]: *Justis non est lex posita*: sed voluntarium regit & dirigit in viam pacis. Super hac Lazari suscitatione manifestius psallit Propheta [i]: *Non derelinques animam meam in inferno*, quia, ut dixisse memini secundo huius festivitatis die, infernus quidam, & carcer animæ, rea conscientia est. *Nec dabis sanctum tuum* (non suum ipsius, sed tuum utique, quem ipse sanctificas) *videre corruptionem* [k]. Corruptioni siquidem proximus erat quatriduanus qui cœperat jam fœtere. Propè erat, ut penitus dissolveretur, & veniens in profundum malorum contemneret impius, sed præventus voce virtutis & ab ea vivificatus gratias agit dicens [l]: *Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Ad ipsius siquidem contemplationem evocasti & eduxisti ab inferno animam meam: dum anxiaretur super me spiritus meus: intuens conscientiæ propriæ faciem nimis abominandam. *Clamavit*, inquit, *voce magna, Lazare veni foras.* Magna utique voce, non tam sono clamoso, quàm pietate & virtute magnifica.

b Tim. 1. b

i Psal. 15. c

k Ibidem.

Redit ad solemnia assumptæ Virg.

Sed quo devenimus? Nunquid non supra cœlos virginem prosequebamur euntem? Et ecce cum Lazaro descendimus in abyssum. A splendore virtutis, ad fœtorem quatriduani proclivis decurrit oratio. Cur hoc nisi quia pondere proprio ferebamur: & trahebat nos materia, tanto uberior utique, quanto familiarior? Fateor imperitiam meam: pusillanimitatem propriam non abscondo. Non est equidem quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis quam de gloria Virginis Mariæ habere sermonem. Ut enim sileam interim ineffabile privilegium meritorum, & prærogativam penitus singularem, tanto eam devotionis affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt (ut dignum est) universi, ut licet de ea loqui gestiant omnes: tamen quicquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus acceptetur. Quidni minus sapiat, quicquid de incomprehensibili gloria comprehendere potuerit mens humana? Ecce enim, si in ea laudavero *virginitatem*, mihi multæ virgines post eam videntur offerri. Si *humilitatem* prædicavero, invenientur forte vel pauci qui (docente Filio eius [m]) *mites* facti sunt, & *humiles corde.* Si magnificare voluero *misericordiæ* eius multitudinem, sunt aliqui misericordiæ viri, etiam & mulieres. Unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris habens cum virginitatis honore. Optimam partem elegit sibi Maria. Optimam planè: quia bona fœcunditas conjugalis, melior autem castitas virginalis; prorsus autem optima est fœcunditas virginea, seu fœcunda

Quam arduè loqui de laudibus Virg.

m Matt. 11. *Quid unicè mirandum & summè laudandum in Virgine, nempè quod Mater simul & Virgo.*

virgini-

virginitas. Mariæ privilegium est, non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea. Singulare est: sed continuo etiam indicibile invenitur, ut nemo assequi possit, sic nec eloqui quidem. Quid si & illud adjicias, cuius mater? Quæ jam poterit lingua, etiam si angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem? Matrem autem non cuiuscunque, sed Dei? Duplex novitas, duplex prærogativa, duplex miraculum, sed digne prorsus aptissimeque conveniens. Neque enim Filius alius Virginem: nec DEUM decuit partus alter.

Sed imprimis quia Mater DEI.

Veruntamen non hoc tantum, si diligenter attendas, sed cæteras quoque virtutes singulares prorsus invenies in Maria, quæ videbantur esse communes. Quæ enim vel angelica *puritas* virginitati illi audeat comparari quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri, & habitaculum Filii Dei? Si rerum precia de raritate pensamus, quæ prima in terris angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est; *Quomodo*, inquit [n], *fiet istud quoniam virum non cognosco?* Immobile propositum virginitatis, quod nec Angelo Filium promittente aliquatenus titubavit. *Quomodo*, inquit, *fiet istud?* Neque enim eo modo quo fieri solet in cæteris. Virum penitus non cognosco nec filii desiderio, nec spe prolis.

Virtutū quoque privilegio eminet Maria. Puritas eius rara.

n Luc. 1. c

Humilitas singularis.

Quanta verò & quàm preciosa *humilitatis* virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conscientia prorsus absque delicto, immo cum tantæ gratiæ plenitudine? Unde tibi humilitas & tanta humilitas ô beata? Digna planè quam respiceret Dominus, cuius decorem concupisceret rex, cuius odore suavissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu. Vide enim quàm manifestè sibi concinant Virginis nostræ canticum, & nuptiale carmen: nimirum cuius uterus, sponsi thalamus fuit. Audi Mariam in Evangelio: *Respexit*, inquit [o], *humilitatem ancillæ suæ.* Audi eandem in epithalamio: *Cùm esset rex*, inquit [p], *in accubitu suo: nardus mea dedit odorem suum.* Nardus quippe herba humilis est, & pectus purgat; ut manifestum sit humilitatem nardi nomine designari, cuius odor & decor invenerit gratiam apud Deum.

**o* Ibidem.
p Cant. 1. d

Misericordiæ Virg. admirabilis.

Sileat *misericordiam* tuam Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus Virginitatem; Humilitatem miramur; sed Misericordia miseris sapit dulcius; misericordiam amplectimur charius; recordamur sæpius; crebrius invocamus. Hæc est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est [q]; *Ne timeas Maria: invenisti gratiam*, utique quam quærebas. Quis ergo misericordiæ tuæ ô be-

q Luc. 1. a
Misericordiæ Virginis pul-

Sibra commendatio.

nedicta, longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? Nam longitudo eius usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo eius replet orbem terrarum: ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius civitatis supernæ invenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris & in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum: infernus evacuatus est: instauratæ ruinæ cœlestis Hierusalem: expectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima & piissima charitas & affectu compatiendi, & subveniendi abundat effectu, æquè locuples in utroque.

Invocatio B. V.

Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra. Ad hunc misericordiæ cumulum tota solicitudine miseria nostra recurrat. Ecce jam quibus potuimus votis ascendentem te ad Filium deduximus, & prosecuti sumus saltem à longè, Virgo benedicta. Sit pietatis tuæ ipsam quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo; reis veniam, medelam ægris, pusillis corde ruborem, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die solennitatis & lætitiæ dulcissimum MARIÆ nomen cum laude invocantibus servulis, per te Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur Jesus Christus Filius tuus Dominus noster: qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula, AMEN.

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ. VIRG.

SERMO V.

Intravit Iesus in quoddam castellum [a].

a Luc. 10. g

QUod Dominus ac Salvator noster semel & in uno loco visibiliter tunc temporis dignatus est operari; hoc etiam nunc ubique terrarum in cordibus electorum operatur quotidie invisibiliter. Ecce enim Evangelio loquente audivimus, quòd *in quoddam castellum intravit Iesus, & mulier quædam Martha nomine excepit illum*: & reliqua. Quod est autem hoc castellum, nisi cor humanum, quod priusquam Dominus ad illud veniat, cupiditatis fossa vallatur, muróque obstinationis clauditur, atque in interiori latitudine sua Babylonica turre erigitur? Tria certè in omni oppido sunt maximè necessaria: *victualia* quibus sustententur, *munitio* qua protegantur, *arma* quibus hostibus resistant. Sic ergò & huius castelli incolæ victum habent *voluptatem* corporis, & sæculi *vanitatem*, quibus pascuntur. Habent & qua teguntur proprii cordis duritiam; ut verbi Dei sagittis potentibus vix aut nunquam penetrari valeant. Accincti sunt *armis*, carnalis scilicet Sapientiæ argumentis, quibus contra

Tria in oppidis necessaria ad incolarum defensionem.

tra hostes repugnant. Unde scriptum est [b]: *Filii huius seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* b Luc. 16. b

At verò Christo visitante & intrante castellum hoc evertitur, & pro eo novum aliud pulchrum ac spirituale construitur: impletúrque quod dicitur: *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt; & ecce facta sunt omnia nova.* Sublata quippe cupiditate expanditur ingens sinus desiderii; ut ad eius adventum multò magis anhelet mens ad cœlestia, quàm prius terrenis incubuerat. Jam ponitur murus *continentiæ*, antemurale *patientiæ.* Surgit autem hoc opus à fundamento *Fidei*, & crescit per *dilectionem proximi* usque ad *charitatem Dei*, quæ est in superiori tabulatu, & in propugnaculis eiusdem muri: quia nimirum tunc perfecta est virtus continentiæ, quando in unitate fidei cum proximis communiter viventes, non supplicii metu, vel humanæ laudis appetitu, sed solo divini amoris obtentu à peccatis nos continemus. Vel certè ideo charitas Dei (qua scil. nos diligit) super murum esse videtur, ut pro continenti suo pugnare significetur, & quia continentia crebris validísque tentatoris ictibus resistere non possit, nisi eius gratia protegatur. Idcirco enim antemurale patientiæ ponitur, ne ad impugnandam continentiam facilis diabolo pateat accessus. Qui ergo protegente patientia continenter vivunt: ipsi bene cum Apostolo protestantur & dicunt [d]: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia: an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Vides quàm solidus sit continentium murus, quos *neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua potest separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu.* c 2. Cor. 5. d

Eversio castelli veteris & erectio novi per Christum.

Murus Continentiæ.

Antemurale Patientiæ.

d Rom. 8. g

Sed jam pulsemus ad eius portas scilicet justitiæ; ut aperiantur nobis, ingressíque per eas videamus intus magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius. Ibi enim operante ipso construitur tanquam in monte Sion Evangelica illa turris, per quam humiliatio corde ascendunt in cœlum Sancti de convalle plorationis. Ascendunt, inquam, non virtute sua, sed auxilio & gratia Dei: sicut ait Spiritus sanctus per Prophetam David: *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.* Quæris, ubi? In convalle plorationis, h.e. in humilitate vitæ præsentis. Et eandem ipsam gratiam replicat dicens: *Etenim benedictionem dabit legislator.* Quo autem pertingat ascensus, vel ad quem fructum perducat ascendentes ipsa gratia, protinus subiungit: *Ibunt*, inquit [f], *de virtute in virtutem; videbitur DEVS deorum in Sion.* Hæc est merces & hic est finis & fructus nostri laboris, visio scilicet Dei. Quis non hunc e Psal. 83. b*

f Ibidem.

tantum fructum rebus omnibus visibilibus & invisibilibus incomparabiliter præferat? Quis est, cuius vel gelidum pectus hoc desiderium non accendat? Hæc est enim illa gratia quam nobis commendat beatus Joannes Evangelista dicens [g]: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus: & gratiam pro gratia.*

g Ioan. 1. b

Triplicē gratiam divinitus accipimus.

Ex quibus scilicet verbis innuitur quod triplicem gratiam divinitus accepimus: *unam* qua convertimur: *aliam* qua in tentationibus adiuvamur: *tertiam* qua probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam vocamur: secunda provehit, qua justificamur: tertia consummat, qua glorificamur. Et prima quidem beneplacitum est: secunda meritum: tertia præmium. De prima dictum est, *Et de plenitudine eius omnes accepimus*, de duabus reliquis dictum est: *& gratiam pro gratia*: id est munera gloriæ æternæ pro merito temporalis militiæ. Sit ergo *prima* gratia in muro continentiæ ad quam vocamur: sit *secunda* in ascensu turris quam ascendimus: sit *tertia* in eius culmine quo pervenimus. Hic itaque id est in hoc culmine cum ad illud perveniunt qui bene proficiunt, fiunt jam locus & sedes Domino, de qualibus scriptum est [h]: *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini: quia illic sederunt sedes in judicio.* Et quidem dum adhuc erant in muro continentiæ & in acie stabant, impugnari poterant, & primo tanquam adjutor notus erat in Judæa Deus: cum vero jam in ista statione consistunt ubi Dominum speculantur, in Israel magnum nomen eius, & factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Ibi confregit potentias, arcum, scutum, & gladium, & bellum: quia ibi nullus motus carnis resistit, sed omnimodis subjecta est spiritui. Hunc locum ardenter desiderabat Propheta cum diceret [i]: *Si dedero somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis donec inveniam locum Domino.* Huic etiam volare cupiens, *Quis*, inquit [k], *dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam.*

h Psal. 121. a

i Ps. 131. a*

Jam vero si quæratur de castelli huius habitatoribus, qui cibus ad sustentandum, quod munimen ad protegendum, quæve arma suppetant ad repugnandum, possumus satis rationabiliter respondere, quod quemadmodum carnalibus carnis opera fuerunt victus: ita his multo melior cibus sit fructus spiritus. Cibus etiam eorum est ut faciant voluntatem Patris omnipotentis. Cibus eorum est verbum Dei, quo pascuntur omnes Sancti, tam homines quàm Angeli. Unde scriptum est [l]: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Munimentum eorum est (sicut dictum est) murus *continentiæ*, & antemurale *patientiæ.* Habent contra hostes *arma* quæ describit Apostolus [m], *loricam justitiæ,*

Quis cibus intolarum castelli spiritualis, seu hominum piorum.

l Deut. 8. a & Matt. 4. a

m Eph. 6. c

stitiæ, scutum fidei, galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum DEI. Nec quemquam moveat: quod idem verbum dixerim esse & cibum & gladium: quasi impossibile vel absurdum sit. In rebus quidem materialibus aliud hoc, aliud est illud: & alibi queritur hoc, alibi illud. In rebus vero spiritualibus non aliud hoc est, quàm illud: nec alibi quæritur hoc, alibi illud, sed omnia sunt nobis in Deo, & est Deus omnia in nobis. Ecce enim in natura rerum quid tam diversum quàm panis & lapis? & tamen si ad intellectum mysticum referas, utrumque idem significat. Nam idem Christus est dictus & panis & lapis: panis scilicet vivus [n]: & lapis quem reprobaverunt ædificantes [o]. Utrumque quidem est per significationem, licet neutrum sit per proprietatem.

n Ioan. 6.
o Act. 4. b

Sed jam revertamur ad propositum. Intrante JESU in hoc castellum, duæ sorores Martha & Maria, id est Operatio & intellectus, excipiunt illum. Excipiunt dixerim: an excipiuntur? Sed sive hoc, sive illud dicatur, utrunque prodest illis, non JESU. Et JESUS quidem cum ad illas venit, duo confert eis congruentia singulis; *Virtutem & Sapientiam.* Virtutem operationi: sapientiam intellectui. Unde etiam ab Apostolo prædicatur Dei virtus & Dei Sapientia [p]. Sed quid est, quod intrantem eum Martha excipit, discurrit, ministrat: Maria verò secus pedes sedens ingressi, in eius verbum cor suspendit, nisi quòd prius est Actio, postea verò Contemplatio? Quisquis enim ad intelligentiam pervenire desiderat, profecto necesse est ut prius per omnia bona sese diligenter exerceat, sicut scriptum est [q]: *Fili concupiscens sapientiam, conserva iustitiam: & Deus præbebit illam tibi.* Et alibi [r]: *A mandatis tuis intellexi.* Et *fide purgans corda eorum* [s]. Qua fide? Fide per dilectionem operante. Habet Martha (dum agit) formam bene operantis, Maria verò speciem exprimit contemplantis, dum sedet, dum tacet, dum interpellata non respondet: sed tantum in Dei verbum toto mentis studio intendit, ac solam quam diligit gratiam divinæ cognitionis cætera respuens medullitus haurit: foràsque velut insensibilis redditur, dum intus ad contemplanda Domini sui gaudia fœliciſſime rapitur. Sine dubio talis est illa, quæ in canticis loquitur [t]: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Prosequitur mysticam expositionem textus.

p 2. Cor. 1. d
q Eccl. 1. d
r Psal. 118. n
s Act. 10. c
t Cant. 5. a

Duobus autem modis Martha excipit Dominum, & duplex ei convivium parat, quia duobus modis excluserat eum. Duo quippe sunt in operatione, quæ nobis Deum auferunt, flagitia scilicet & facinora. Flagitia dicimus scilicet quæ in nobis, facinora quæ in proximos peccando committimus. Item sunt duo quæ Deum reddunt, continentia & benevolentia: ut scil. ex contrariis contraria curentur. Hinc enim scriptum est [u]: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati*

DEVM duo nobis auferunt; duo reddunt.

u Rom. 6. d

tati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete ea servire iustitiæ in sanctificationem. Dum ergo parandis talibus epulis occupatur Martha multum satagens pro parte sua, vult etiam Mariam, id est intellectum & omnia interiora sua actioni insistere, operique suo perficiendo operam dare. Itaque conqueritur de sorore quod ab ea non adiuvetur, non tamen ad ipsam, sed potius ad Dominum querelam dirigens. *Domine non est tibi curæ quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adiuvet.* Ubi sanè advertenda est delatio quædam, & honoris obsequium erga Dominum: quòd scilicet ipso præsente non sit ausa Martha evocare Mariam, quinimmò & apud ipsum querelam deposuerit, ipsúmque Dominum vocaverit, in cuius potestate sit imperare sorori quicquid necesse fuerit. Non ergo miremur si quempiam laborantem & bene operantem adversum fratrem vacantem murmurare videamus, quia hoc in Evangelio legimus Martham fecisse adversus Mariam. Quòd autem Maria quandoque murmuraverit adversus Martham, eo quod eius actionibus implicari vellet, nusquam omninò reperitur. Neque enim utrumque simul agere competenter sufficeret, & curis scilicet exterioribus deservire, & internis Sapientiæ desideriis vacare. De ipsa quippe Sapientia scriptum est [x]: *Et qui minoratur actu, percipiet illam.* Propterea Maria sedet, immotáque manet, nec vult interrumpere silentii quietem, ne jucundam amittat contemplationis dulcedinem: præsertim cum intus ipsum audiat Dominum dicentem [y]: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.*

Querimonia Marthæ adversus Mariam.

x Eccli. 38. c

y Psal. 45. b

Hic sanè considerandum est tria esse quæ impediunt contemplationem. Equidem animæ nostræ oculus, intelligentia est. Sicut enim oculo corporis lux corporea & cætera quæque corporalia videntur: ita Deus, qui est lumen incircunscriptum, & eius invisibilia utcunque intellectu percipiuntur. Differunt autem in hoc exterior & interior oculus, quòd exteriori quidem corporea lux extrinsecus, ut videat, admovetur; interiori verò Creatoris lumen intrinsecus, ut discernat, infunditur. Utrunque vero oculum tria sunt quæ ad videndum impediunt. Primum ergo de exteriori atque visibili differat ratio nostra, ut de rebus visibilibus ordine disputandi facilius adsurgat ad intelligibilia. Potest sanè fieri ut ille sanus sit & pateat; sed quoniam lux exterior ei desit, nil videat. Econtrario fit aliquandò, ut præsens quidem ei lux sit; sed fortè sanguine seu quolibet humore concreto turbatus, cernere minimè possit. Iterum solet plerumque contingere, ut neutrum desit ei, nec lux, nec salus, sed tamen aliqua pulveris injectione lædatur, quo fit ut eius acies retundatur. Sunt ergo tria quæ hunc oculum impediunt, tenebræ, humor concretus, pulvis injectus.

Tria quæ contemplationem impediunt.

Tria videndi impedimenta.

Visionis exterioris obstacula; tenebræ, humor, pulvis.

Hæc

Hæc ipsa sunt etiam quibus interior oculus impeditur, sed alia nomina sortiuntur. Nam quod hic tenebræ, ibi peccata dicuntur. Ipsa verò peccata confluunt in memoriam quasi in quandam sentinam: & hic est ille humor concretus. Quod autem hic pulvis dicitur, hoc tibi cura terrenorum actuum nuncupatur. Hæc igitur tria sunt quæ oculum intelligentiæ confundunt, atque à contemplatione veri luminis excludunt: tenebræ scil. peccatorum: recordatio eorundem peccatorum: cura terrenorum actuum. Primo illo morbo turbatum se plangebat Propheta eum diceret [a]: *Dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* Cum enim luce justitiæ destituimur, nil aliud quam peccatorum nostrorum tenebras invenimus. Item secundo se gravari sentiebat cum dicebat [b]: *Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina*: peccatorum scil. recordatio. Tertio occupari se conqueritur cum dicit [c]: *Quia cinerem tanquam panem manducabam.* Cinerem scil. actionis pro pane contemplationis. Quicunque ergo mentis oculum divinæ contemplationi vult intendere, profectò necesse est, ut eum prius ab hoc triplici impedimento studeat purgare. Quod si quis facere contendat, noverit contra triplicem morbum triplex quoque forè remedium. Nam primus quidem per *confessionem*, secundus per *orationem*, tertius curatur per *quietem*. Hoc tertio, id est cura actionis poterat ab intentione sua præpediri Maria. Ideoque ministrante Martha sedet ipsa, manétque quieta.

Totidè interioris; peccata, eorum memoria, & terrenorum cura.

[a] Psal. 37. b

[b] Psal. 31. a

[c] Psal. 101. b

Ad hoc triplici imped. purgandus oculus contemplationi vacaturus.

Illa igitur conquerente, & ista tacente, audiamus quid Dominus pro Maria responderit. *Martha, Martha*, inquit, *solicita es, & turbaris erga plurima.* Erga plurima quidem turbaris, dum & tibi continentiam, & proximis paras necessitatis impensam. Nam ut continentiam habeas, solicita es vigilare, jeiunare, corpus tuum castigare. Ut cæteris præstes, instas operi, ut habeas unde tribuas necessitatem patienti. Porrò erga hæc plurima turbaris, sed unum est necessarium. Nisi enim opus tuum in unitate feceris, Deo, qui unus est, acceptum (teste ipso) profecto non erit. Scriptum quippe est [d]. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Hinc est quod in illa piscina *movebatur aqua, & sanabatur unus* [e]. Hinc est quod decem leprosis mundatis, *unus regressus est cum magna voce magnificans Deum* [f]. Cui etiam Dominus cæteris reprobatis, testimonium laudis adscribit dicens. *Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Paulus quoque ait: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit brauium* [g]. His itaque & aliis quamplurimis scripturarum eloquiis perspicuè docemur

[d] Psal. 13. a

[e] Ioan. 5. a

[f] Luc. 17. d

[g] 1. Cor. 9. d

mur quàm unitas probabilis sit, maximè autem ex præsenti loco, ubi Dominus ait: *Porrò unum est necessarium.*

Vnitas quædam laudabilis, quædam damnabilis.

Sed sciendum quòd alia est unitas Sanctorum, quam ex Scripturis jam commendavimus. Alia est facinorosorum, quæ nihilominus ex eisdem Scripturis ostenditur & improbatur. De hac enim scriptum est [h]: *Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum eius.* De hac iterum Evangelista [i]: *Abeuntes Pharisæi concilium inierunt ut caperent Iesum in sermone.* Et iterũ [k]: *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium.* Ut quid hoc? Sicut Joannes testatur, *ut interficerent Iesum.* Quàm verò pertinax sit ista reproborum unitas, docet ipse Dominus qui de corpore Diaboli ad beatum Job loquitur dicens [l]: *Corpus illius quasi scuta fusilia & compactum squammis se prementibus. Vna uni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.*

h Psal. 2. a
i Matt. 22. b
k Ioan. 11. f
l Iob. 41. a

Vnitas perversa quorundam religiosorum perstringitur.

Talis unitas, immò verò perversitas solet esse aliquorum fratrum tepidè ac remissè conversantium: quibus si quid honestatis, aut insigne cuiusquam bonæ consuetudinis persuadere velis, promptiores sunt maiori dispendio, ac difficultate graviori resistere; quàm facili compendio assequi velle, quod rectum esse constiterit. Perversa & execranda talis unitas.

Vnitas bona duplex.

Hac ergo à cordibus & sermonibus nostris excluſa, illam quæ bona est, & tantum bonorum est, persequamur. Et ipsa quidem gemina est. *Alia* est enim quæ justificat, *alia* quæ glorificat. Illa meritum, ista præmium est. Denique de illa scriptum [m]: *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* De hac autem [n]: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Et quoniam in futuro magis speranda est (res est enim futuri temporis magis quam præsentis) eam interim omittamus, & à Deo speremus potius quam tractemus. Illam verò quæ justificat, quæ etiam nunc potissimum necessaria est, in usum nostri operis assumamus. Ipsa est enim decus suavitatis, quam dulcedine sacra insonat Psalmista [o]: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in unum.* Cuius unitatis cum descripsisset sermo Propheticus pulchritudinem, eius etiam non tacuit utilitatem: *quoniam illic*, inquiens, *mandavit Dominus benedictionem & vitam*, hîc scil. benedictionem, & in futuro sæculo vitam æternam. Ipsa est, inquam, unitas quam summa diligentia observandam tradidit Apostolus, dicens: *Soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* [p].

m Act. 4. f
n 1. Cor. 6. d
o Ps. 132. a
p Eph. 4. a

Vnitas bona servatur duobus modis ergà seipsum, &

Servatur autem hoc unitatis bonum duobus modis ab his qui curam gerunt servandi. Debet quisque perfectus unitatem habere *ad seipsum*: debet & *ad proximum.* Ad seipsum per integritatem, ad proximum per conformitatem. Omnis quippe creatura, & maximè rationalis, debet

suum

suum principium imitari. Si ergo Deus noster unus est, dicente Moyse [q]: *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est*, sed & ille cum sit unus & idem, atque in seipso perfectus, nec ullo indigens, inest ei tamen benignitas erga nos, & amor ex benevolentia in nos veniens: debemus & nos quisque sibi unus esse per integritatem virtutis, & unum cum proximis per vinculum dilectionis. Hanc imitationem loquens de charitate commendat nobis Apostolus Joannes dicens [r]: *Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Sed hanc unitatem, quam quemque sibi ipsi diximus habere debere, tria sunt quæ solent impedire: *nimietas, pusillanimitas, levitas.* Et nimii quidem sunt qui putant se posse quod non possunt: & quod non acceperunt, præsumunt. Quorum speciem tenebat Petrus in Passione Domini, cum diceret [s]: *Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* Pusillanimes contrarii sunt nimiis. Et horum quoque tenuit imaginem Petrus, cum diceret [t]: *Exi à me, quia homo peccator sum Domine.* Leves sunt & inconstantes, qui circunferuntur omni vento doctrinæ: quibus quod paulò antè placuit, nunc displicet: & quod nunc eligunt, post paulum reprobant.

erga proximum.

q Deut. 6. a

r 1. Ioan. 4. d

Tria quæ unitatem ad seipsum impediunt.

s Luc. 22. c

t Ibid. 5. b

Sed quid prodest hæc vitia enumerasse, nisi etiam doceamus quibus remediis ea possit quisque in semetipso curare? Persequamur unitatis inimicos, nec convertamur donec deficiant. Igitur contra *nimietatem* opponenda est consideratio propriæ fragilitatis. Ipsa enim est quæ odiosam præsumptionem potissimum dejicit. Contra *pusillanimitatem* habenda est divinæ fiducia potestatis, ut quod tuis viribus non posse putas, ex illius adiutorio possis, & cum Apostolo dicas [u]: *Omnia possum in eo qui me confortat Domino Iesu Christo.* Contra *levitatem* adhibenda est consultatio senioris, scil. ne doctrinis variis & peregrinis abducaris: sed facias quod lex divina præcipit: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.

Vitia unitati inimica quomodo curanda.

u Phil. 4. e

Diximus de illa unitate quam habet quisque ad seipsum, dicamus & de illa quam habet ad proximum. Sed illa duobus modis habetur, dum & nos per dilectionem tendimus in alterum: & alterius quoque vicissim in nobis recipimus affectum. Et hæc etiam duobus modis impeditur, obstinatione & suspicione. Obstinatio non permittit nos ad alterius cor ingredi, nec suspicio patitur credere nos ab aliis amari. Ita fit, ut dum nec nos alium obstinati diligimus, nec nos ab aliis diligi suspicioſi putamus: unitas quæ cum proximis habenda est, impediatur. Verùm huic duplici morbo duplex charitas medetur, illa scil. quæ non sua quærit; & iterum illa, quæ omnia credit. Habeat obstinatus charitatem non quærentem quæ sua sunt, & alios diligat. Habeat suspicioſus charitatem omnia credentem, & ab aliis se diligi sine dubio credat.

Unitas ad proximum duobus modis habetur & totidem impeditur.

Remedium à charitate.

DE VIRGINE DEIPARA,
SERMO I.

Ex verbis Apocalypsis:

Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim [a].

[a] Apoc. 12. a

VEhementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus & mulier una nocuere, sed gratias DEO: per unum nihilominus virum, & mulierem unam omnia restaurantur; nec sine magno fœnore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita & donum, sed excedit damni æstimationem beneficii magnitudo. Sic nimirum prudentissimus & clementissimus artifex, quod quassatum fuerat, non confregit, sed utilius omnino refecit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, & Evam transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus; siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis planè & potens mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, sed divinam in eo reverentur homines maiestatem. Absorpta videtur in Deitatem humanitas, non quòd mutata sit substantia, sed affectio Deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & judicium: quia etsi didicit ex his quæ passus est compassionem, ut misericors fieret, habet tamen & judiciariam potestatem. Denique DEUS noster ignis consumens est [b]. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei?

Cur ad nostri reparationem concurrat sexus uterque id est Iesus & Maria.

[b] Deut. 4. d & Heb. 12. g

Jam itaque ne ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur ociosa: invenietur equidem locus eius in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria. Crudelis nimirum Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum & viris & mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis: illa suggessit prævaricationem, hæc injecit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offerens lac & lanam. Revolve diligentius Evangelicæ historiæ seriem universam, & si quid fortè increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Quod si (ut verè sunt) plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis & misericordiæ, quæ ad eam pertinent inveneris, age

Ad mediatorem mediatrix Maria.

Antithesis Evæ & Mariæ.

Maria quam suavis & benefica omnibus.

gratias

gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit ut de plenitudine eius accipiant universi: captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam: denique tota Trinitas gloriam, filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore eius.

Maria mulier amicta Sole.

Putásne ipsa est *Sole amicta mulier*? Esto siquidem ut de præsenti Ecclesia intelligendum Propheticæ visionis series ipsa demonstret, sed id planè non inconvenienter Mariæ videtur attribuendum. Nimirum ea est quæ velut alterum Solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita: sed omnibus sese exornabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates ampliſſimo quodam miseratur affectu. Nam & defectus omnis sub ea, & quicquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit & supergreditur creaturis, ut merito *sub pedibus eius Luna esse* dicatur. Alioquin nihil magnum dixisse videbitur, ut sit Luna ista sub pedibus eius; quam super omnes Angelorum choros, super Cherubim quoque & Seraphim exaltatam nefas est dubitare. Solet autem *Luna* non modo defectum corruptionis, sed & stultitiam mentis, nonnunquam verò & Ecclesiam huius temporis designare. Illam quidem propter mutabilitatem, hanc sanè propter susceptum aliunde splendorem. Utraque verò (ut ita dixerim) Luna sub Mariæ pedibus congruè satis ponitur, alio tamen atque alio modo. Siquidem *stultus ut Luna mutatur*: *sapiens autem permanet ut Sol* [c]. In Sole nimirum & fervor & splendor stabilis; in Luna solus splendor, atque is omninò mutabilis & incertus, qui nunquam in eodem statu permaneat. Jure ergo Maria *Sole* perhibetur *amicta*, quæ profundissimam divinæ Sapientiæ ultra quam credi valeat, penetravit abyssum: ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur [d], illo igne Seraphim accenduntur. Longè verò aliter Maria meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis undique & circunfundi, & tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sanè, sed & calidissimus huius mulieris amictus: cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea non dico tenebrosum, sed obscurum saltem vel minus lucidum, sed nè tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari.

Soli comparatur.

Luna sub pedibus eius quomodo.

Per Lunam quid significetur.

In Maria fervor & splendor stabilis.

c Eccli. 27. d

d Isa. 6. e

Abest ab ea omnis obscuritas.

Insipientia verò omnis longè sub pedibus eius est, ut penitus absit hæc ab insipientium mulierum numero, & collegio Virginum fatuarum. Immò verò & unicus ille stultus, & totius stultitiæ princeps qui verè mutatus ut Luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus & contritus miseram patitur servitutem. Nimirum ipsa est quondam à Deo promissa mulier Serpentis antiqui caput virtutis pede contritura [e]: cuius planè calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa: sola enim contrivit universam hæreticam pravitatem. *Alius* non de substantia carnis suæ Christum edidisse dogmatizabat; *Alius* parvulum non peperisse, sed reperisse sibilabat; *Alius* (vel post partum) viro cognitam blasphemabat; *Alius* Dei Matrem audire non sustinens, magnum illud nomen *Theotocos*, impiissimè suggillabat: sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes. Denique & continuo per Herodem draco insidiatus est parienti, ut nascentem excipiens filium devoraret, quòd inimicitiæ essent inter semen mulieris & draconis.

Et omnis fatuitas.

Maria omnes suos hostes calcat sub pedibus.

e Genes. 3. c

Varii Hæretici. corum de Virgine Deipara errores.

Jam si Ecclesia Lunæ magis intelligenda videtur vocabulo, quòd videlicet non ex se splendeat, sed ab eo qui dicit [f]: *Sine me nihil potestis facere*: habes mediatricem quam tibi paulò antè commendavimus, evidenter expressam. *Mulier*, inquit [g], *amicta Sole, & Luna sub pedibus eius.* Amplectamur Mariæ vestigia, Fratres mei, & devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolamur. Teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis. Potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem & aream, mulier inter Solem & Lunam, Maria inter Christum & Ecclesiam constituta. Sed fortè miraris non tam vellus opetum rore, quàm amictam Sole mulierem. Magna siquidem familiaritas, sed mira omnino vicinitas solis & mulieris. Quomodò enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura subsistit? Merito quidem admiraris Moyses sancte, & curiosius desideras intueri. Veruntamen solve calceamenta de pedibus tuis, & involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis. *Vadam*, inquit, *& videbo visionem hanc magnam* [h]. Magna planè visio rubus ardens sine combustione: magnum signum mulier illæsa manens amicta Sole. Non est rubi natura, opertum undique flammis, manere nihilominus incombustum: non mulieris potentia, ut sustineat solis amictum. Non est virtutis humanæ, sed nec Angelicæ quidem, sublimior quædam necessaria est. *Spiritus sanctus*, inquit [i], *superveniet in te.* Et tanquam respondeat illa quoniam spiritus est Deus, & Deus noster ignis consumens est. *Virtus*, ait, non mea, non tua, *sed altissimi obumbrabit tibi.* Nihil itaq; mirum, si sub tali obumbraculo talis etiam à muliere sustineatur amictus.

Maria inter Christum & Ecclesiam media constituta.

f Ioan. 15. a

g Apoc. 12. a

Rubus incombustus typus Mariæ.

h Exod. 3. a

i Luc. 1. d

Mulier,

Mulier, inquit, *amicta Sole*: planè amicta lumine tanquam veſtimento. Non percipit fortè carnalis, nimirum ſpirituale eſt, ſtultitia illi videtur. Non ſic videbatur Apoſtolo, qui dicebat [k]: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Quàm familiaris ea facta es Domina, quàm proxima, imò quàm intima fieri meruiſti, quantam inveniſti gratiam apud Deum? In te manet, & tu in eo: & veſtis eum, & veſtiris ab eo. Veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtit ille te gloria ſuæ maieſtatis. Veſtis Solem nube, & Sole ipſa veſtiris. Novum enim fecit Dominus ſuper terram, ut mulier circundaret virum [l], nec alium quàm Chriſtum, de quo dicitur [m]: *Ecce Vir, Oriens nomen eius.* Novum quoque fecit in cœlo, ut mulier Sole appareret amicta. Deniq; & coronavit eũ, & viciſſim ab eo meruit coronari. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater ſua [n]. Verum hoc alias. Interim ſanè ingredimini magis, & videte reginam in diademate quo coronavit eam Filius ſuus.

In capite, inquit, *eius corona ſtellarum duodecim* [o]. Dignum planè ſtellis coronari caput, quòd & ipſis longè clarius micans, ornet eas potius quàm ornetur ab eis. Quidni coronent ſidera quam Sol veſtit? Sicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Nimirum læva ſponſi ſub capite eius, & jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æſtimet gemmas? Quis ſtellas nominet quibus Mariæ regium diadema compactum eſt? Supra hominem eſt coronæ huius rationem exponere, indicare compoſitionem. Nos tamen pro modulo noſtræ exiguitatis abſtinentes à periculoſo ſcrutinio ſecretorum, non incongruè forſitan duodecim ſtellas iſtas, duodecim prærogativas gratiarum intelligere videamur, quibus Maria ſingulariter adornatur. Siquidem invenire eſt in Maria prærogativas cœli, prærogativas carnis, prærogativas cordis, etſi fuerit ternarius iſte per quaternarium multiplicatus: habemus forte ſtellas duodecim, quibus reginæ noſtræ diadema præfulgeat univerſis. Mihi ſanè ſingularis rutilat fulgor: *primò* quidem in Mariæ generatione: *ſecundò* in Angelica viſitatione: *tertiò* in Spiritus ſuperventione: *quartò* in Filii Dei inenarrabili Conceptione. Sic & in his quoque ſidereum planè irradiat decus, quòd *Virginitatis primiceria*, quòd ſine *corruptione fœcunda*, quòd ſine *gravamine gravida*, quòd ſine *dolore puerpera*. Nihilominus etiam ſpeciali quodam ſplendore in Maria coruſcant *manſuetudo* pudoris, *devotio* humilitatis, *magnanimitas* credulitatis, *martyrium* cordis. Veſtræ quidem ſedulitatis erit ſingula quæque diligentius intueri. Nos interim ſatisfeciſſe videbimur, ſi breviter ea potuerimus demonſtrare.

Quod ergo ſidereum micat in generatione Mariæ? Planè quòd ex regibus orta, quòd ex ſemine Abrahæ, quòd generoſa ex ſtirpe David. Si id

k Rom. 13. d

l Hier. 31. d

m Zach. 6. c

n Cant. 3. d

o Apoc. 12.

Stellarũ duodecim interpretatio de 12 prærogativis gratiarum in Maria.

1. Prærogativa gratiæ in Mariæ generatione.

Si id parum videtur, adde quòd generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis divinitus noscitur esse concessa; quòd longè antè eisdem Patribus cœlitus repromissa; quod mysticis præfigurata miraculis; quòd oraculis prænunciata Propheticis. Hanc enim sacerdotalis virga dum sine radice floruit [p]: hanc Gedeonis vellus dum in medio siccæ areæ maduit [q], hanc in Ezechielis visione Orientalis porta quæ nulli unquam patuit præsignabat [r]. Hanc denique præ cæteris Isaias nunc virgam de radice Jesse orituram promittebat; nunc evidentius Virginem parituram [s]. Meritò signum hoc magnum in cœlo apparuisse scribitur, quod tantò antè de cœlo noscitur fuisse promissum. Dominus ait [t]: *Ipse dabit vobis signum. Ecce virgo concipiet.* Magnum profectò signum dedit: quia & magnus ipse qui dedit. Huius ergo prærogativæ fulgor, quorum non vehementer reverberat aciem oculorum? Jam in eo quam reverenter atque officiosissimè ab Archangelo salutata est, ut jam in regali solio supra omnes cœlestium ordines regionum exaltatam cernere videretur, & paulò minùs adoraturus fœminam, qui solebat ab hominibus hactenus æquanimiter adorari, excellentissimum nobis Virginis nostræ meritum, & singularis gratia commendatur.

p Num. 17. c
q Iudic. 6. g
r Ezech. 19. d
s Esa. 11. a
t Esa. 7. c

2. *Prærog. in Archangeli visitatione.*

Nihilominus fulget etiam novus ille conceptionis modus, ut non in iniquitate, quemadmodum cæteræ omnes, sed superveniente Spiritu sancto sola, & de sola sanctificatione Maria conciperet. Nam quòd verum Deum, & Dei filium genuit, ut idem ipsi Dei atque hominis filius unus omnino Deus & homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis; nec facilè dixerim, quod vel Angelicus oculus ad huius fulgoris vehementiam non caliget. De cætero sanè & virginitatem carnis, & propositum virginitatis, & ipsius quoque propositi novitas evidenter illustrat: quòd videlicet in libertate spiritus legis Mosaicæ decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul & Spiritus sanctimoniam vovit. Probat enim propositi inviolabile fundamentum, quòd tam constanter promittenti filium Angelo respondit [u]: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Fortè enim propterea primo turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio, quod benedictam se se audisset in mulieribus, quæ nimirum benedici in virginibus semper optabat. Et ex tunc quidem cogitabat qualis esset ista benedictio, qnod jam videretur esse suspecta. Ubi verò in promissione filii manifestum virginitatis periculum videbatur, non potuit ultra dissimulare quin diceret: *Quomodo fiet istud, quòniam virum non cognosco?* Merito proinde & illam meruit benedictionem, & hanc non amisit: ut longè glorioſior fiat, & virginitas ex fœcunditate, & ex virginitate fœcunditas, ac mutuis sese radiis illustrare hæc duo sidera videantur.

3. & 4. *Prærog. in spiritus obumbratione, & novo conceptionis modo.*

5. *Prærog. Virginitatis propositū novum & inviolabile.*

* u Luc. 1.

6. *Prærog. Fœcunditas sine corruptione.*

deantur. Magnum enim Virginem esse, sed Virginem Matrem esse, longè amplius per omnem modum. Jure etiam illud molestissimum tædium quo reliquæ omnes gravidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quod sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde & in ipso suæ conceptionis initio, quando potissimum cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate Montana conscendit, ut Elizabeth ministraret. Sed & ascendit Bethleem imminente jam partu, portans precioſissimum illud depositum, portans onus leve, portans à quo portabatur. Sic & in partu quam lucidum est quod nova exultatione novam edidit prolem, sola inter mulieres à communi maledicto & dolore parturientium aliena; Si rerum precia de raritate pensamus, nihil his potest rarius inveniri. Siquidem in omnibus istis, nec primam similem visa est, nec habere sequentem. E quibus nos, si ea fideliter intuemur, sine dubio admirationem concipimus, sed venerationem, sed devotionem, sed consolationem.

7. *Prærog. Graviditas sine gravamine.*

8. *Prærog. Puerperium sine dolore.*

Cæterum quæ restant adhuc, & imitationem requirunt. Non est nobis ante ortum tam multifariæ multísque modis promitti divinitus, cœlitus prænunciari: sed nec ab Archangelo Gabriele tam novæ salutationis obsequiis honorari. Minus autem cætera duo communicat nobis, planè secretum suum sibi. Sola enim est de qua dicitur: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, sola cui dicitur: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Offerantur regi virgines, sed post eam: nam primatum sola vendicat sibi. Multò magis autem sola sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit. Itaque nihil horum à nobis exigitur, sed exigitur planè nonnihil. Nunquid enim si defuerit nobis etiam mansuetudo pudoris, si humilitas cordis, si magnanimitas fidei, si compassio mentis: negligentiam nostram munerum singularitas excusabit? Gratissima sanè gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An verò quis putat quòd hac caruerit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit Maria: ex Evangelio id probamus. Ubi enim aliquando loquax, ubi præsumptuosa fuisse videtur? Foris stabat [y] quærens loqui Filio, nec materna auctoritate, aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit in qua Filius loquebatur. In omni denique textu quatuor Evangeliorum (si bene meminimus) non nisi quater Maria loquens auditur. *Primò* quidem ad Angelum, sed cum jam semel atque iterum allocutus eam fuisset [z]. *Secundò* ad Elizabeth, quando vox salutationis eius Joannem exultare fecit in utero, & ea magnificante Mariam, ipsa magis Dominum magnificare curavit [a]. *Tertiò* ad Filium, cum jam esset annorum duodecim, quòd ipsa & pater eius dolentes quæsissent eum [b]. *Quartò* in nuptiis ad Filium

u Matt. 1. c
x Luc. 1. d

9. *Prærog. mansuetudo pudoris.*

y Matt. 12. d

Non nisi quater Maria loquuta legitur.

z Luc. 1.

a Luc. 2.
b Luc. 2. g

& ministros [c]. Et is quidem sermo certissimus index ingenitæ mansuetudinis, & virginalis verecundiæ fuit. Aliorum quippe verecundiam suam reputans, sustinere non potuit, non potuit vini dissimulare defectum. Ubi sanè increpata est à Filio (tanquam mitis & humilis corde) nec illi respondit, nec tamen deseruit, ministros admonens facere quod diceret eis.

c Ioan. 2. a

Nunquid non ab initio venisse pastores, & primam omnium Mariam invenisse leguntur? *Invenerunt*, ait Evangelista [d], *Mariam & Ioseph, & Infantem positum in præsepio.* Sic & Magi quoque si recolis, non sine Maria matre eius Puerum invenerunt, & inducens in templum Domini, templi Dominum, multa quidem à Simeone audivit tam de DEO quàm de seipsa [f], ad loquendum tarda, velox ad audiendum. Et quidem *Maria conservabat omnia verba hæc cõferens in corde suo* [g], sed in his omnibus neq; de ipso Incarnationis Dominicæ Sacramento quodcunq; verbum fecisse reperies. *Væ* nobis qui spiritum habemus in naribus. *Væ* qui totum proferimus spiritum, qui iuxta illud Comici [h], Pleni rimarum effluimus undique. Totiens denique Maria Filium audivit, non modo turbis loquentem in parabolis: sed & Discipulis seorsum regni Dei mysteria revelantem, vidit miracula facientem: vidit deinde in cruce pendentem, vidit expirantem, vidit resurgentem, vidit & ascendentem: sed in his omnibus quotiens verecundissimæ Virginis, quotiens pudicissimæ turturis vox memoratur audita? Denique legis in Actibus Apostolorum, quòd redeuntes à monte Oliveti unanimiter perseverabant in oratione [i]. Qui? Si fortè Maria adfuit, nominetur prima, quæ super omnes est, tam Filii prærogativa, quàm suæ privilegio sanctitatis. *Petrus & Andreas*, ait, *Iacobus & Ioannes*, & cæteri qui sequuntur: *hi omnes perseverabant unanimiter cum mulieribus & Maria matre Iesu.* Itane & mulierum sese ultimam exhibebat, ut novissima omnium poneretur? Verè carnales adhuc Discipuli, quibus necdum spiritus erat datus, quia Jesus necdum fuerat glorificatus, quando facta est inter illos contentio de primatu: cum Maria quanto maior erat, humiliaret se non modo de omnibus, sed & præ omnibus. Merito facta est novissima prima, quæ cum prima esset omnium, sese novissimam faciebat. Merito facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Merito denique super Angelos exaltata est, quæ & infra viduas & pœnitentes, infra eam de qua eiecta fuerant septem dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat. Obsecro vos filioli, æmulamini hanc virtutem: si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam eius; nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano, maximéque monachum nihil adeo decet.

d Luc. 2. c

Maria studiosa cultrix silentii.

e Matt. 2. b

f Luc. 2. e

g Luc. 2. c

Nostram arguit loquacitatem.

h Teren. in Eunucho.

i Act. 1. b

Discipuli ante acceptum Sp. S. carnales.

Modestia maximè decet Monachum.

Et

Et quidem manifesta satis in Virgine ex hac ipsa mansuetudine virtus humilitatis elucet. Nimirum collactaneæ sunt humilitas & mansuetudo, in eo confœderatæ germanius qui dicebat [k]: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Sicut enim mater præsumptionis elatio, sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate procedit. Nec in sola tantum Mariæ taciturnitate commendatur humilitas, sed evidentius resonat in sermone. Audierat [l]: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et nihil aliud, quàm ancillam eius se esse respondit. Inde ventum est ad Elizabeth, & continuo Virginis gloria singularis eidem per spiritum revelatur. Denique & mirabatur personam venientis, dicens [m]: *Vnde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me.* Commendabat & vocem salutantis adjiciens. *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo*: & beatificat fidem credentis: *Beata* (inquiens) *quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino.* Magna quidem præconia, sed & devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit cuius in se beneficia laudabantur. Tu (inquit) magnificas Matrem Domini, sed *magnificat anima mea Dominum* [n]. In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio: sed *exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*: & ipse quoque tanquam amicus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse dicis quæ credidisset; sed credulitatis & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis *beatam me dicant omnes generationes*, quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus.

10. *Prærog. excellens humilitas.*

k Matt. 11. d

Mansuetudo & humilitas cognatæ virtutis.

l Luc. 1. d

*m Ibidem.

* n Luc. 1. d

B. Maria laudes à se transfert in Deum.

Veruntamen nunquid putamus, Fratres, Elizabeth sanctam in eo quod per Spiritum utiq; loquebatur, errasse? Absit. Beata planè quam respexit Deus, & beata quæ credidit. Hic enim magnus divinæ respectionis extitit fructus. Ineffabili siquidem artificio Spiritus superveniens tantæ humilitati magnanimitas tanta in secretario virginei cordis accessit, ut (quemadmodum de integritate & fœcunditate prædiximus) hæ quoque nihilominus sint stellæ ex respectu mutuo clariores, quòd videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem, sed cum in sua æstimatione tam humilis esset, nihilominus & in promissionis credulitate magnanimis; ut quæ nihil aliud quàm exiguam sese reputabat ancillam, ad incomprehensibile hoc mysterium, & admirabile commercium, ad inscrutabile sacramentum nullatenus se dubitaret electam, & veram DEI & hominis genitricem crederet mox futuram. Agit hoc nimirum in cordibus electorum gratia prærogativa divinæ, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes, magis autem cooperentur sibi, ut non solum nulla ex magnanimitate subintret elatio, sed hinc maximè provehatur humilitas, ut inveniantur eo am-

11. *Prærog. magnanimitas credulitatis.*

Electos humilitas non reddit pusillanimes: nec magnanimitas arrogantes.

eo amplius timorati, & largitori munerum non ingrati, ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla subrepat; sed quo minus de sua quisque vel in minimis præsumere consuevit, eo amplius etiam in magnis quibusque de divina virtute confidat.

12. *Prærog. Martyrium cordis.*

Martyrium sanè Virginis (quam nimirum inter stellas diadematis eius, si meministis, duodecimam nominavimus) tam in Simeonis prophetia, quàm in ipsa Dominicæ passionis historia commendatur. *Positus est hic* (ait sanctus senex de parvulo Jesu) *in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam* (ad Mariam autem dicebat) *pertransibit gladius* [n]. Verè tuam, ô beata Mater, animam gladius pertransivit. Alioquin non nisi eam pertransiens, carnem Filii tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Jesus (omnium quidem, sed specialiter tuus) ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat avelli. Tuam ergò pertransivit animam vis doloris, ut plus quàm martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus.

n Luc. 2. c

B. Virgo plus quã Martyr.

An non tibi plus quàm gladius fuit sermo ille (revera pertransiens animam, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus:) *Mulier ecce filius tuus* [o]. O commutationem! Joannes tibi pro Jesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro magistro, filius Zebedæi pro filio DEI, homo purus pro Deo vero! Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra licet saxea, licet ferrea pectora sola recordatio scindit? Non miremini, fratres, quòd Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit se audisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quòd sine affectione fuissent [p]. Longè id fuit à Mariæ visceribus, longè sit à servulis eius. Sed fortè quis dicat: Nunquid non eum præscierat moriturum? Et indubitanter. Nunquid non sperabat continuo resurrecturum? Et fidenter. Super hæc doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu, frater, aut unde tibi hæc sapientia, ut mireris plus Mariam compatientem, quam Mariæ filium patientem? Illi etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas qua maiorem nemo habuit; fecit & hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.

o Ioan. 19. c

Dolor & afflictio Mariæ in passione & morte filii.

p Rom. 1. d

Jam te Mater misericordiæ per ipsum synceriſſimæ tuæ mentis affectum, tuis jacens provoluta pedibus Luna, mediatricem sibi apud solem justitiæ constitutam de notis supplicationibus interpellat, ut in lumine

Supplicatio ad Virginem Deiparam.

tuo

tuo videat lumen, & solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam verè amavit præ omnibus, & ornavit stola gloriæ induens, & coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Plena es gratiarum, plena rore cœlesti, innixa super Dilectum, deliciis affluens. Ciba hodie pauperes tuos Domina, ipsi quoque catelli de micis edant, nec puero Abrahæ tantum, sed & camelis potum tribuas de supereffluenti hydria tua, quia tu verè puella es præelecta & præparata Altissimi Filio tuo, qui est super omnia benedictus in sæcula, AMEN.

DE VIRGINE DEIPARA,
Sermo II. †

† *alias* de Aquæ ductu.

FOecundæ Virginis amplectitur cœlum præsentiam, terra memoriam veneratur. Sic nimirum totius boni illic exhibitio, hic tenuis quædam libatio primitiarum: ibi res, & hic nomen. *Domine*, inquit [a], *nomen tuum in æternum, & memoriale tuum in generatione & generationem.* Generatio & generatio, non Angelorum profecto, sed hominum est. Vis scire quia nomen & memoriale eius in nobis est, præsentia in excelso? *Sic orabitis*, inquit [b]: *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuū, &c.* Fidelis oratio, cuius ipsa primordia, & divinæ adoptionis & terrenæ peregrinationis admoneant, ut hoc scientes, quòd quandiu non sumus in cœlo, peregrinamur à Domino, gemamus intra nosmetipsos adoptionem filiorum expectantes præsentiam utique Patris. Signanter proinde & de Christo Propheta loquitur dicens [c]: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, in umbra eius vivemus inter gentes.* Nam inter cœlestes quidem beatitudines non in umbra vivitur, sed potius in splendore. *In splendoribus sanctorum*, inquit [d], *ex utero ante luciferum genui te.* Verum id quidem Pater.

a Psal. 101. d

b Matt. 6. b

c Thren. 4. d

d Psal. 109. a

At Mater sanè eundem ipsum in splendore non genuit, sed in umbra, non nisi ea tamen, qua obumbravit Altissimus. Merito proinde canit Ecclesia, non illa quidem Ecclesia Sanctorum, quæ in excelsis & in splendore est: sed quæ interim peregrinatur in terris, *Sub umbra eius*, ait [e], *quem desideraveram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Lucem quippe meridianam ubi pascit sponsus, sibi petierat indicari, sed repressa est, & pro plenitudine luminis umbram, pro satietate interim gustum recepit. Denique non ait, sub umbra eius quam desideraveram: sed *sub umbra eius quem desideraveram sedi.* Neque enim ipsius expetierat umbram, sed ipsum profectò meridiem, lumen plenum de lumine pleno. *Et fructus*, ait, *dulcis gutturi meo.* Ac si dicat, gustui meo. Usque quo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? Quousque manet

*e Cant. 2. d

net illa sententia [f] : *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus?* Et quidem suavis gustui, & dulcis gutturi, ut meritò etiam super hoc sponsa proruperit in vocem gratiarum actionis & laudis.

Sed quando dicetur [g] : *Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi?* Justi *epulentur* (ait Propheta [h]) sed *in conspectu Dei*, utiq; non in umbra. Et de seipso. *Satiabor*, ait [i], *cum apparuerit gloria tua.* Sed & Dominus ad Apostolos ait [k] : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam.* Sed ubi? *In regno meo*, inquit. Beatus planè qui manducabit panem in regno Dei. Sanctificetur itaq; nomen tuum: per quod utcunq; interim nobis es Domine per fidem in cordibus habitans, quoniam nomen tuum jam invocatum est super nos. Adveniat regnum tuum. Veniat utiq; quod perfectum est, & evacuetur quod est ex parte. *Habetis* (ait Apostolus [l]) *fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Vita æterna fons indeficiens, qui universam irrigat superficiem paradisi. Nec modo irrigat, sed inebriat fons hortorum, puteus aquarum viventium quæ fluunt impetu de Libano: & fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Quis verò fons vitæ, nisi Christus Dominus [m]? *Cum Christus* (inquit) *apparuerit vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Sanè ipsa sese plenitudo exinanivit, ut fieret nobis justitia & sanctificatio & remissio, necdum apparens vita, aut gloria, aut beatitudo. Derivatus est fons usque ad nos, in plateis derivatæ sunt aquæ, licet non bibat alienus ex eis. Descendit per aquæductum vena illa cœlestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens, aliis quidem plus, aliis quidem minus. Plenus equidem aquæductus, ut accipiant cæteri de plenitudine, sed non plenitudinē ipsam.

Advertistis jam, ni fallor, quem velim dicere aquæductum qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, sed si non prout est, prout capere poteramus. Nostis enim cui dictum sit: *Ave gratia plena.* An verò inveniri potuisse miramur, unde talis ac tantus fieret aquæductus, cuius nimirum summitas instar profecto scalæ illius quam vidit Patriarcha Jacob [o], cœlos tangeret, imò & transcenderet cœlos, ut vividissimum illum aquarum quæ super cœlos sunt, posset attingere fontem? Mirabatur & Salomon, & velut desperanti similis aiebat [p] : *Mulierem fortem quis inveniet?* Nimirum propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quòd necdum intercederet is de quo loquimur tam desiderabilis aquæductus. Nec mirabere diutius expectatum, si recordaris quot annis Noe vir justus in arce fabrica laborarit, in qua pauçæ, id est, animæ salvæ factæ sunt, idque satis ad modicum tempus.

Sed

[f] Psal. 33.
[g] Cant. 5. a
[h] Psal. 67. a
[i] Psal. 16. d
[k] Luc. 22. c
[l] Rom. 6. d
[m] Coloss. 3. *Christus fons vitæ ad nos derivatus.*
[n] Prov. 5.
Per aquæductum, id est, Mariam.
[o] Genes. 28.
[p] Prov. 31. b

Sed quomodo noſter hic aquæductus fontem illum attigit tam ſublimem: Quomodo putas niſi vehementia deſiderii, niſi fervore devotionis, niſi puritate orationis? Sicut ſcriptum eſt: *Oratio juſti penetrat cœlos.* Et quis juſtus, ſi non Maria juſta, de qua ſol juſtitiæ ortus eſt nobis? Quomodo ergo illam inacceſſam attigit maieſtatem, niſi pulſando, petendo, quærendo? Denique & quod quærebat, invenit: cui dictum eſt: *Inveniſti gratiam apud Deum.* Quid? Plena eſt gratia, & gratiam adhuc invenit? Digna prorſus invenire quod quærit, cui propria non ſufficit plenitudo, nec ſuo poteſt eſſe contenta bono: ſed quemadmodum ſcriptum eſt [r]: *Qui bibit me, adhuc ſitiet*: petit ſupereffluentiam ad ſalutem univerſitatis. *Spiritus ſanctus*, ait, *ſuperveniet in te*, & precioſum illud balſamum tanta tibi copia, tantaq; plenitudine influet, ut copioſiſſimè effluat circumquaque. Ita eſt, jam ſentimus, jam exhilarantur facies noſtræ in oleo, jam clamamus [ſ]: *Oleum effuſum nomen tuum*, memoriale tuum in generatione & generationem. Verum id quidem non in vanum, etſi oleum effunditur, ſed non perit. Propterea ſiquidem & adoleſcentulæ, parvulæ ſcilicet animæ, ſponſum diligunt, idque non parum: & unguentum deſcendens de capite, non modò barba, ſed & ipſæ veſtimenti ora ſuſcepit.

Aſcenſus huius aquæductus ad fontem illum tam ſublimem.

q Eccli. 35. d *Primus per fervorem devotionis.*

r Eccl. 24. c *Maria non ſibi tantũ plena, ſed & nobis.*

ſ Cant. 1. a

Intuere ô homo conſilium Dei, agnoſce conſilium Sapientiæ, conſilium Pietatis. Cœleſti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, precium univerſum contulit in Mariam. Ut quid hoc? Fortè ut excuſaretur Eva per filiam, & querela viri adverſus fœminam deinceps ſopiretur: Ne dixeris ultra (ô Adam) *mulier quem dediſti mihi, dedit mihi de ligno* [t] vetito: dic potius, Mulier quam dediſti mihi, me cibavit fructu benedicto. Piiſſimum ſanè conſilium, ſed latet forſitan aliud, nec totum hoc eſt. Verum id quidem, ſed parum eſt (ni fallor) deſideriis veſtris. Dulcedo lactis eſt, elicietur fortè ſi fortius premimus, & pinguedo butyri. Altius ergo intueamini quanto devotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria: ut proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare, quæ aſcendit deliciis affluens. Hortus planè deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, ſed & perflaverit ſuperveniens auſter ille divinus, ut undique fluant & affluant aromata eius, chariſmata ſcilicet gratiarum. Tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris ſtellam, maris utique magni & ſpacioſi: quid niſi caligo involvens, & umbra mortis, ac denſiſſimæ tenebræ relinquuntur?

t Gen. 3.

Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas eius, qui totum

NOTA *Quanto affectu veneranda & invocanda Virgo Maria.*

totum nos habere voluit per Mariam. Hæc inquam voluntas eius est, sed pro nobis. In omnibus siquidem & per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere: solo auditu territus ad folia fugiebas. JESUM tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. An verò trepidas & ad ipsum? Frater tuus est & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan & in ipso Maiestatem vereare divinam, quòd licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipsum? ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potéstne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam, non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum planè. *Inveniſti* (ait Angelus [u]) *gratiam apud Deum.* Fœliciter. Semper hæc inveniet gratiam, & sola est gratia qua egemus. Prudens virgo non sapientiam, sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia qua salvamur.

Advocata nempe nostra apud Filium suum.

[u] Luc. 1. d

Quid nos alia concupiscimus, Fratres? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus: quia quod quærit, invenit, & frustrari non potest. Quæramus gratiam, sed gratiam apud DEUM: nam apud homines gratia fallax. Quærant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? Nam gratiæ est quòd hic sumus? Profecto misericordiæ Domini est quod non sumus consumpti nos. Qui nos? Nos periuri, nos adulteri, nos homicidæ, nos raptores, purgamenta utique mundi huius. Consulite conscientias vestras, Fratres, & videte quia ubi abundavit delictum, superabundat & gratia. Maria non prætendit meritum, sed gratiam quærit. Denique usque adeo fidit gratiæ, & non altum sapit, ut salutationem Angelicam vereatur. *Maria*, inquit, *cogitabat qualis esset ista salutatio.* Nimirum sese salutatione Angelica reputabat indignam. Et forsitan talia meditabatur. Unde hoc mihi, ut veniat Angelus Domini mei ad me? Ne timeas Maria, ne mireris Angelum venientem, & maior Angelo venit. Ne mireris Angelum Domini, & Dominus Angeli tecum. Postremo quidni videas Angelum, cum jam Angelicè vivas? Quidni visitet Angelus vitæ sociam? Quidni salutet civem Sanctorũ, & domesticam Dei? Angelica planè vita Virginitas: & qui non nubent neq; nubentur, erunt sicut Angeli Dei.

Gratia apud DEVM per Mariã quærenda.

Angelica vita Virginitas.

Videsne

Vidésne quòd & hoc nihilominus modo aquæductus noſter aſcendit ad fontem, nec ſola jam oratione cœlos penetrat, ſed etiam incorruptione *quæ proximum DEO facit*, ſicut Sapiens ait [x] ? Erat enim virgo ſancta corpore & ſpiritu, cui ſpecialiter eſſet dicere : *Converſatio noſtra in cœlis eſt.* Sancta, inquam, corpore & ſpiritu, ne quid forſitan ſuper hoc dubites aquæductum. Sublimis equidem valdè, ſed nihilominus integerrimus manet. Hortus concluſus, Fons ſignatus, Templum Domini, Sacrarium Spiritus ſancti. Nec enim eſt fatua Virgo, cui non modò oleum eſt, ſed olei plenitudo in vaſe recondita. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, converſatione pariter (ſicuti jam diximus) & oratione aſcendens. Denique abiit in montana cum feſtinatione, & ſalutavit Elizabeth, & in miniſterio eius erat quaſi menſibus tribus, ut jam tunc poſſet dicere matri mater, quod tanto poſt Filio dixit filius : *ſine modo, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Planè montana conſcendens, cuius juſtitia ſicut montes DEI. Tertius enim hic aſcenſus Virginis fuit, ut funiculus triplex difficilè rumperetur. Fervebat ſiquidem in quærenda gratia charitas; ſplendebat in carne virginitas; humilitas in obſequio eminebat. Etenim ſi omnis qui ſe humiliat exaltabitur; quid hac humilitate ſublimius ? Veniſſe eam mirabatur Elizabeth, & dicebat : *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me* ? Sed jam magis miretur quòd inſtar utique Filii & ipſa non miniſtrari venerit, ſed miniſtrare. Merito proinde Cantor ille divinus in ipſius admiratione præcinens aiebat [a] : *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata* ? Aſcendit planè ſupra omne humanum genus, aſcendit uſque ad Angelos, ſed & ipſos quoque tranſcendit, & cœleſtem omnem ſupergreditur creaturam. Nimirum ſupra Angelos hauriat neceſſe eſt, quam refundat hominibus aquam vivam.

Secundus aſcenſus huius Aquæductus, per incorruptionem.

[x] Sap. 6. e.

[y] Matt. 3. d

Tertius aſcenſus ad fontem viâ humilitatis.

[z] Lucæ 1.

[a] Cant. 6. d

Quomodo, inquit, *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco* : Verè ſancta corpore & ſpiritu, & integritatem carnis habens, & propoſitum integritatis. Reſpondens autem Angelus, dixit : *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Ne me interrogaveris, inquit, ſupra me eſt, & non potero ad illud. Spiritus ſanctus, non Angelus, ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, non ego. Ne ſterilis, vel inter Angelos Virgo ſancta, ſublimius aliquid tuo ſibi miniſterio propinandum terra ſitiens præſtolatur. Paululum cum pertranſieris eos, invenies quem diligit anima tua. Paululum, inquam, non quia non incomparabiliter ſuperemineat, ſed quod inter eum & ipſos medium nihil invenias. Tranſi ergo Virtutes & Dominationes, Cherubim

quoque & Seraphim, ut ad eum pervenias, de quo vociferantur adinvicem, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEVS Sabaoth.* *Quod enim exte nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Fons sapientiæ, Verbum patris in excelsis, hoc Verbum mediante te caro fiet: ut qui dicit [c], *Ego in Patre, & Pater in me*: dicat nihilominus, *quia ego à Deo processi & veni. In principio*, inquit, *erat Verbum* [d]. Jam scatet fons: sed interim tantum in semetipso, Denique, *& Verbum erat apud Deum*: lucem profecto habitans inaccessibilem, & dicebat Dominus ab initio [e]: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Sed penes te est cogitatio tua, & quid cogites, nos nescimus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius erat? Descendit itaque cogitatio pacis in opus pacis: Verbum caro factum est, & habitat jam in nobis. Habitat planè per fidem in cordibus nostris, habitat in memoria nostra, habitat in cogitatione: quia usque ad ipsam descendit imaginationem. Quid enim prius cogitaret homo de DEO, nisi forsitan idolum corde fabricaretur?

b Esa. 6.

c Ioan. 14. b

d Ioan. 1, a

e Hier. 29. c

Deus ante incomprehensibilis, nunc comprehendi potest.

Incomprehensibilis erat & inaccessibilis, invisibilis & inexcogitabilis omninò. Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quonam modo, inquis? Nimirum jacens in præsepio, in Virginali gremio cubans, in monte prædicans, in oratione pernoctans, & in cruce pendens, in morte pallens, liber inter mortuos, & in inferno imperans, seu etiam tertia die resurgens, & Apostolis loca clavorum victoriæ signa demonstrans, novissimè coram eis cœli secreta conscendens. Quid horum non verè, non piè, non sanctè cogitatur? Quicquid horum cogito, Deum cogito, & per omnia est Deus meus. Hæc ego meditari dixi sapientiam, & prudentiam indicavi eructare memoriam suavitatis: quoniam in huiusce modi nucleis virga Sacerdotalis copiosè produxit, quam in supernis hauriens, uberius nobis Maria refundit. In supernis planè, & ultra Angelos: qui Verbum ex ipso Patris corde susceptit, ut scriptum est: *Dies diei eructat verbum* [f]. Utique dies Pater: siquidem dies ex die salutare Dei. An non etiam Virgo dies? Et præclara Rutilans planè dies, quæ procedit sicut aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol.

f Psal. 18. a

B. Mariæ supra omnes spiritus Angelicos eminentia ostenditur.

Intuere igitur quemadmodum usque ad Angelos plenitudine gratiæ, supra Angelos superveniente Spiritu sancto pervenit. Est in Angelis charitas, est puritas, est humilitas, Quid horum non enituit in Maria? Sed ostensum est superius, ut quidem à nobis ostendi potuit; supereminentiam prosequamur. Cui enim Angelorum aliquando dictum est: *Spiritus sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur exte sanctum, vocabitur filius Dei.* Denique veritas de

terra

de terra orta est, non de Angelica creatura: nec Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Magnum est Angelo ut ministet sit Domini, sed Maria sublimius quiddam meruit ut sit Mater. Fœcunditas itaque Virginis supereminens gloria est, tantóque excellentior Angelis facta munere singulari, quanto differentius præ ministris nomen Matris accepit: hanc invenit gratiam plena jam gratia, ut charitate fervida, virginitate integra, humilitate devota, fieret nihilominus sine viri cognitione gravida, sine muliebri dolore puerpera; Parum est; quod ex ea natum est, *sanctum* vocatur [o], & est Filius Dei.

o Luc. 1. d

De reliquo, Fratres, curandum nobis summoperè est, ne Verbum quod de ore Patris ad nos egressum est Virgine mediante, vacuum revertatur: sed per eandem nihilominus Virginem gratiam pro gratia referamus. Eructemus memoriam, donec præsentiam suspiramus, & suæ reddantur origini fluenta gratiæ, ut uberius fluant. Alioquin nisi ad fontem redeant, exsiccantur, & infideles in modico, quod maximum est, accipere non meremur. Modicum planè memoria ad præsentiam, modicum ad id quod cupimus, magnum ad id quod meremur: longè infrà desiderium, sed nihilominus supra meritum. Sapienter proinde sponsa, & pro hoc modico non modicè gratulatur. Cum enim dixisset [g]: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*: recipiens exigua pro immensis, & pro pastu meridiano libans sacrificium verspertinum, minimè tamen, ut solet fieri, murmurat aut tristatur, sed gratias agit, & in omnibus sese exhibet devotiorem. Novit enim quòd si fidelis fuerit in umbra memoriæ, lucem præsentiæ sine dubio obtinebit. Itaque qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei. Nimirum qui præsentem habent Dominum, exhortatione non indigent: & quod ait Propheta alius [h]. *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion*: congratulationis est potius quàm commonitionis. Qui in fide ambulant, egent admonitione ne taceant, & ne dederint silentium ei. Loquitur enim, & loquitur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor. *Cæterum cum sancto sanctus eris* [i], *& cum viro innocente innocens eris*: & audientem sese audiet, & loquenti sibi loquetur. Alioquin silentium ei dedisti si taceas. Sed unde si taceas? A laude? *Ne taceatis*, inquit [k], *& ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Hierusalem laudem in terra*: Laus Hierusalem jucunda, & decora laudatio. Nisi forte Angelos cives Hierusalem mutuis opinamur laudibus delectari, & decipere de vanitate in idipsum.

Gratiæ fluenta origini suæ reddenda, ut fluant uberius.

g Cant. 1. b

Dei laus & grata memoria frequentanda interim dum differtur præsentia.

h Psl. 147. a

i Psal. 16. d

k Esa. 62. d

Fiat voluntas tua Pater sicut in cœlo & in terra, ut laus Hierusalem stabiliatur in terra. Quid enim modo est? Non quærit Angelus ab An-

gelo gloriam in Hierusalem, & homo ab homine laudari cupit in terra? Execranda perversitas, sed eorum sit, qui ignorantiam DEI habent, qui obliti sunt Domini Dei sui. Vos qui reminiscimini Domini, ne taceatis à laude eius, donec stabiliatur & perficiatur in terra. Est enim silentium irreprehensibile, imò & laudabile magis. Est & sermo non bonus. Alioquin non diceret Propheta [l] *bonum esse homini præstolari cum silentio salutare Dei.* Bonum silentium à jactantia, bonum à blasphemia, bonum à murmure & detractione. *Alius* enim ob laboris magnitudinem, & pondus diei exasperatus, animo murmurat; dijudicat eos qui pro anima sua pervigilant, tanquam reddituri utique rationem. Clamor est, sed supra omne silentium clamor iste animi obdurati silere facit (quam audiri non patitur) vocem verbi. *Alius* pusillanimitate spiritus in expectatione deficit, pessimumque hoc verbum blasphemiæ est, quod nec in hoc sæculo remittitur, nec in futuro. *Tertius* in magnis ambulat, & in mirabilibus super se, dicens: Manus nostra excelsa, putans se aliquid esse, cum nihil sit. Quid loqueretur huic, qui loquitur pacem? Dicit enim, quia dives sum, & nullius egeo. Porrò veritatis sententia est [m]: *Væ nobis divitibus, quia habetis hic consolationem vestram.* Contra verò: *Beati,* inquit [n], *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Sileat ergo in nobis lingua maledica, lingua magniloqua: quoniam bonum est in hoc triplici silentio salutare Domini præstolari, ut dicas: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Eiusmodi quippe voces non ad eum sunt, sed adversus eum, sicut legislator murmurantibus ait [p]: *Non enim contra est murmur vestrum, sed contra ad Dominum.*

l Thren. 3. c
Bonũ & laudabile silentium triplex, à Murmure.
à Blasphemia.
à Iactantia.
m Luc. 6. d
n Matt. 5. a
o 1. Reg. 3. b
p Exod. 16. b

Ita tamen ab his taceas, ne omninò taceas, ne dederis silentium ei. Loquere illi contra *jactantiam* in confessione, ut obtineas veniam de præterito. Loquere in gratiarum actione contra *murmurationem*, ut ampliorem invenias gratiam in præsenti. Loquere in oratione contra *diffidentiam*, ut consequaris & gloriam in futuro. Confitere, inquam, præterita, & pro præsentibus gratias age, ac deinceps ora studiosius pro futuris, ut ne ipse quidem sileat à remissione, ab immissione, à promissione. Ne taceas, inquam, ne dederis silentium ei, loquere ut & ipse loquatur, & dicere possis [q]: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Jucunda vox, & eloquium dulce. Nimirum non vox murmuris hæc, sed vox turturis est. Et ne dixeris [r]: *Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena?* non jam aliena reputabitur, de qua sponsus ait [s]: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Audierat enim dicentem [t]: *Capite nobis vulpes parvulas*: & fortè ex eo in vocem exultationis erupit ut diceret: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Planè vox turturis, quæ tam viventi, quam mortuo, singulari utique castimoniâ,

Bona & utilis loquela.
q Cant. 2. d
r Psal. 136. a
s Cant. 2. c
t Ibidem. d
Dei erga hominem con-

monià, ſuo compari perſeverat, ut eam neque mors neque vita à Chriſti ſeparet charitate. Intuere etenim utrumnam aliquid hunc Dilectum avertere potuerit à Dilecta, quo minus ei & peccanti & averſæ perſeveraret. Glomeratæ nubes radios Solis offendere contendebant, ut iniquitates noſtræ ſepararent inter nos & Deum, ſed incaluit Sol, & univerſa diſſolvit. Alioquin quando rediiſſes ad eum, niſi ille tibi perſeveraſſet, niſi clamaſſes [u]: *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, ut intueamur te?* Eſto ergo illi, & tu nihilominus perſeverans, ut nullis ab eo flagellis aut laboribus avertaris. *ſtans & fortis amor.* u Cant. 6. d

Luctare cum Angelo, ne ſuccumbas; quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud [x]. An non lucta, *Dilectus meus mihi, & ego illi?* Notam fecit dilectionem ſuam, experiatur & tuam. In multis enim tentat te Dominus Deus tuus. Declinat ſæpius; avertit faciem, ſed non in ira. Probationis iſtud eſt, non reprobationis. Suſtinuit te dilectus, ſuſtine tu Dilectum, ſuſtine, viriliter age. Non illum vicêre peccata tua, te quoque ipſius flagella non ſuperent, & obtinebis benedictionem. Sed quando? Cum aurora fuerit, cum aſpiraverit jam dies, cum ſtabilierit Hieruſalem laudem in terra. *Ecce*, inquit [y], *vir luctabatur cum Iacob uſque mane.* Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, quia ſperavi in te Domine. Non tacebo, nec dabo tibi ſilentium uſque mane; utinam nec jeiunium. Nimirum dignaris & paſci, ſed inter lilia. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia* [z]. Nimirum & ſupra, ſi meminiſti, in eodem cantico [a] evidenter expreſſum eſt, quòd florum apparitio turturis comitetur auditum. Sed attende, quod locum non cibum indicare videtur, nec quibus paſcitur exprimit, ſed inter quæ. Fortè enim non cibo, ſed conſortio paſcitur liliorũ: nec liliis veſcitur, ſed verſatur. Nimirũ odore potius quàm ſapore lilia placent, & viſui magis ſunt apta, quam eſui. *x* Matth. 11. *Non cedendũ tentationibus vel adverſis.* y Gen. 32. f z Cant. 2. d* a Cant. 2. c

Ita ergò paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & venuſtati florum fructuum ſuccedat ubertas. Interim quippe florum non fructuum tempus eſt, dum in ſpe magis, quam in re ſumus: & per fidem, non per ſpeciem ambulantes, expectatione magis quàm experientia gratulamur. Conſidera denique floris teneritudinem, & memento verbi, quod ait Apoſtolus [b]: *Quia habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Quanta enim videntur imminere pericula floribus? quàm facilè ſpinarum aculeis lilium perferatur? Meritò proinde canit dilectus: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias* [c]. An non erat inter ſpinas, qui dicebat [d]: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus?* Cæterum etſi juſtus germinat ſicut lilium, ſed non ad lilium ſponſus paſcitur, nec in ſingularitate complacet ſibi. Audi denique inter lilia com- b 2. Cor. 4. b c Cant. 2. a d Pſal. 119. *Singularitas exoſa.*

commorantem : *Ubi*, inquit [e], *duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Amat semper media JESUS, diverticula semper & reclinatoria reprobat Filius hominis, Dei & hominum mediator. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascis inter lilia. Curemus habere lilia, fratres, extirpare spinas & tribulos, & inserere lilia festinemus: si quando & fortè & ad nos pascendos dignetur Dilectus descendere.

[e] Matt. 18. a* *Christus amat media, odit diverticula.*

Apud Mariam utique pascebatur, idque copiosius pro multitudine liliorum. An non lilia virginitatis decus, humilitatis insigne, supereminentia charitatis? Erunt tamen & nos lilia, quamvis inferiora valdè, sed ne inter hæc quidem dedignabitur pasci sponsus: siquidem eas quas prædiximus actiones gratiarum devotionis hilaritas illustraverit, orationem intentionis puritas candidaverit, confessionem indulgentia dealbaverit, sicut scriptum est [f]: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Cæterum quicquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat quo influxit. Neque enim impotens erat DEUS, & sine hoc aquæductu infundere gratiam prout vellet, sed tibi vehiculum voluit providere. Fortè enim manus tuæ, aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quòd non eas ab omni munere excussisti. Ideoque modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quædam lilia sunt, nec causabitur ille liliorum amator inter lilia non inventum, quicquid illud sit quod inter Mariæ manus invenerit.

[f] Isaiæ. 1. c

Patrocinium B. Virginis quàm nobis apud Deum efficax & utile.

AD B. VIRGINEM DEIPARAM
Sermo Panegyricus. †
Alias, *Ad gloriosam Virginem MARIAM Deprecatio & laus elegantissima.*

† *In antiquis Edit. non extat.*

MEntem & oculos pariter cum manibus ad te Regina mundi attollimus & coram tuæ celsitudinis gloria genuflectimus, cervicem inclinamus ac plenis suspiriis ad te preces in cœlum transmittimus. Tu altitudo cœli, beatos oculos tuos, quibus incomprehensibilem gloriam illam lucis æternæ cum desiderio semper intueris, ad tuos supplices in hanc mundi miseriam proiectos, de alto inclinare non despicias. Ecce coram tremendo judice peccatores assistimus, cuius manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos. Et quis avertet eam? Nemo Domina tam idoneus, ut gladio Domini manum pro nobis objiciat, ut tu Dei amantissima, per quam primùm in terris suscepimus misericordiam de

manu

manu Domini DEI nostri. Aperi itaque tu Mater misericordiæ benignissimi cordis tui januam suspiriosis precatibus filiorum Adam. Ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis umbraculum confugimus à facie formidinis † Dei. Ad te Domina mea, stillant oculi nostri: te devotionis clamore valido obsecramus: ut Filii tui Domini nostri iram quam graviter peccando succendimus, erga nos mitiges: eiusque gratiam à qua ingrati excidimus, nobis tua conciliet: cuius livore sanati sumus, eius iterum medelam deposcimus; quia putruerunt & corruptæ sunt cicatrices nostræ, & non est in nobis sanitas. Attende Domina, & vide dolores vulnerum animarum nostrarum, quia tibi revelamus causam nostram cum fiducia.

† *al.* Fortitudinis. *Al. utrunq; coniungunt.*

Te enim inæstimabilis benignitas fœminam & venerandam matrem esse cognoscimus ex eo, quòd tu mundum hunc immundum & lubricum, impolluto calle transisti; & adhuc inter peccatores degens, tanta ante Deum sanctitate fœcundaris, ut sola solio Regis æterni immediatè approximare merueris. Tu peccatorem quantumlibet fœtidum, non horres, non despicis; si ad te suspiraverit, tuúmque interventum pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum à desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamen † aspiras, * foves, nec deseris, quousque horrendo Judici miserum reconcilies. Famosum huius tuæ benignitatis testimonium est per te restauratus gratiæ Theophilus†. Nec mirum ô Domina, si tam copioso misericordiæ oleo tui cordis perfusum est Solatium * cùm illud inæstimabile opus misericordiæ, quod prædestinavit Deus ante secula in redemptionem nostram, primum in te à mundi artifice sit fabricatum. Quando enim placuit gratiæ supernæ, ut habitaret in nobis, à quibus diu elongata fuerat: tu sola inventa es digna: ut in tua virginali aula Rex regum, & Dominus dominantium à regalibus sedibus veniens primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. Verè beneplacitum fuit Deo habitare in te, quando ex ipsa illibata carnis tuæ substanti aqua side lignis Libani architectura ineffabili, domum sibi ædificavit DEI Sapientia: suffulsit eam septem columnis argenteis, ac reclinatorium aureum in ea collocavit. Hi sunt septem spiritus Dei; & hæc est unica illa Salvatoris fœmina†, in qua sola quæsitam in omnibus requiem invenit, atque in eius sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit.† Bene Spiritui sancto in te complacuit, ô Maria, cùm divinis adeò mysteriis uterum tuum consecrare dignatus est. Ipse est enim ignis consumens qui sanctissimam animam tuam totam inflammavit, seipso atque splendore divinæ maiestatis implevit: tuumq; uterum ineffabili modo fœcundavit: Fecitque ut Deum & hominem clausa conciperes, clausa pareres, & post partum virgo permaneres.

B. Virg. M. erga peccatores clementia.

† *al.* medicamine. * *M. S. add.* ac toti mundo despectū materno affectu amplecteris, & *l.* Sanctuarium. *al.* Solatium.

Mirabilia in Virgine patrata.

† *al.* Anima.

† *al.* Unde benè.

Jam

Jam ergò uterum tuum Domina velut ſacratiſſimum DEI vivi templum totus mundus veneratur; quia in eo ſalus mundi initiata eſt; ibi decorem indutus eſt Dei Filius; ac præelectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ formoſus in ſtola candida exultanter occurrit, deſideratum diu oſculum præelegit*, ac prædeſtinatas * à ſæculo nuptias, Virgo cum Virgine præ-
* *leg.* porrexit;
libavit. Ibi ruptus eſt paries inimicitiarum quem inter cœlum & terram protoplaſtorum inobedientia conſtruxerat. Ibi confœderata ſunt terrenis cœleſtia, & obviaverunt ſibi in oſculo pacis, quando in unam, eandémque perſonam concurrerunt divinitas & humanitas: Factúmque eſt novum illud ſuper terram, ut eſſet Deus homo, & homo Deus. Ibi magnus Eliſæus in menſuram ſuſcitandi pueri ſeſe contrâxit. Ibi antiquus dierum præelecto filio ſuo tunicam induit polymitam. Ibi Rebecca futurorum præſcia magnificandi filii manibus pelliculas hœdorum circundedit, & colli nuda protexit. Ibi enim cooperante gratia Spiritus ſancti Filius à Deo Patre hæreditandus in omnibus gentibus divinæ majeſtatis potentiam ſimilitudine carnis peccati cooperuit; & quaſi abſconditus eſt vultus eius in infirmitate; unde nec reputavimus eum. Ibi* conſilii providentiâ ineſcatus eſt hamus, qui ad extrahendum ſerpentem antiquum in hoc mare magnum de cœlo traiectus eſt. Inde egreſſa eſt armilla aurea, ut perforaretur maxilla Leviathan, ut evomeret mortuos non ſuos, quos ab origine mundi ſecurè deglutiverat.

Typi incarnationis domin. in Virgine facta.
* *add.* alti.

Hortus deliciarum nobis eſt ſacratiſſimus tuus uterus, ô Maria: quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recolimus quàm magna multitudo dulcedinis toti orbi inde affulſit*. Hortus concluſus tu es Dei genitrix, ad quem defloràndum manus peccatoris nunquam introivit. Tu ſanctorum areola aromatum è cœleſti confita pigmentario, virtutum omnium ſpecioſis floribus delectabiliter vernas: inter quos pulcherrimos flores tres miramur in te, ô excellentiſſima*. Hi ſunt quorum odore ſuaviſſimo, totam domum Domini reples, ô Maria, Viola humilitatis, Lilium caſtitatis, Roſa charitatis. Meritò de Dei * areola flos ille ſpecioſus præ filiis* patadiſi electus eſt, ſuper quem requievit Spiritus Domini. Et cui te aſſimilabimus, Mater pulchritudinis? Verè paradiſus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protuliſti, de quo qui manducaverit, vivet in æternum: Fons vitæ, qui ex ore Altiſſimi prodiit, de medio ventris tui exilivit, atque in te* in quatuor capita ſeſe diſpergens* ad irrigandam faciem arentis mundi emanavit, lætificans civitatem DEI. Omnis enim qui biberit ex eo, non ſitiet in æternum, (& erit pluſquam paradiſus hic, de cuius aqua ſi quis biberit, ſitiet iterum.) O quanta * mundo contuliſti, quæ tam ſalubris * aquæductus eſſe meruiſti! O lam-

Maria hortus deliciarum.
* *l.* profluxit.

* *al.* inter quorũ pulcherrimos trium in te miramur excellentiã.
* *leg.* tali.
* floribus.
* *l.* inde.
* diſpertiens.
Hæc in M. S. non leg.
* *l.* quantũ.
* *Add.* aquæ.

pas

pas luculentissima, quantos lætificasti, quanto splendore Dei illustrata desideratum illud lumen, quo inventa est drachma decima, sedentibus in tenebris & umbra mortis protulisti. Te nimirum ille divini epithalamii præcentor à longè intuitus est cum in admirationis voce ita prorupit. *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens: pulchra, ut Luna: electa, ut Sol: terribilis, ut castrorum acies ordinata?* Sicut aurora valdè rutilans in mundo † progressa es, ô Maria, quandò veri solis splendorem tantæ sanctitatis jubare præcurristi, ut verè diem salutis * diem propitiationis, diem quem fecit Dominus à tua claritate initiari dignum fuerit. Felix aurora felicis diei nuncia extitisti, talis dies talis auroram diei decuit †: Et rectè quidem auroræ implesti officium. Ipse enim Sol justitiæ de te processurus ortum suum quadam matutina irradiatione præveniens, in te lucis suæ radios copiosè transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva produxerat *, in fugam convertisti: atque ita desideratum cunctis gentibus solem mundo invexisti.

† *l.* in mundum.

Maria Aurora consurgens.

* *Hæc tota periodus hactenus mendosè lecta est.*

† *l.* Talem auroram talis dies, & talem diē talis aurora decuit.

* *al.* induxerat.

Tu *pulchra ut Luna* diceris, eique non immeritò compararis. Illa enim omnium astrorum sola Soli simillima, & candore venusta argenteo cæteris in cœlo præmicat sideribus: tu verò † Solis imago expressissima, inter millia astrorum DEO assistentium Virginali puritate in cœlo gloriosa præfulges. Illa enim transfuso in se solari lumine noctem nostram illuminat: tu virtutum tibi à DEO inditarum magnificis exemplis ad imitationem tui nos provocas, sicque noctem nostram illuminas. Qui enim vias tuas consectatus fuerit, non ambulabit in tenebris: sed lumen vitæ inveniet. Tu ergo *pulchra es*, ut Luna: immò & pulchrior Luna; quia *tota pulchra es & macula non est in te*, neque vicissitudinis obumbratio. Tu *electa es ut sol*, ille, inquam, sol solis conditor. Ille enim electus est ex millibus virorum: tu electa ex millibus fœminarum. Ille electus ex omnibus quæ sunt: tu electa ex omnibus quæ per illum sunt. Tu *terribilis ut castrorum acies ordinata.* Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem armatura omni fortiore instructam contra se procedere fœminam, fœminam fortem & ad bella doctissimam, cuius *ensis super femur suum propter timores nocturnos*? In circuitu eius acies validas spiritualium virtutum suo se invicem ordine tuentium: siquidem ordinatione perseverat dies. Sed & innumerabilium beatorum spirituum militiam ad ministerium tanti † principis delegatam fuisse nullatenus ambigimus: utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providerent, ne præparatum æterno Regi hospitium alienus hospes invaderet. Nimirum timor & tremor

† *l.* veri.

Maria electa ut sol.

Castrorum acies ordinata.

† *l.* tantæ.

venerunt ſuper eos, ita ut dicerent, Ecce pluſquam Eva hæc: caſtra Dei ſunt hæc, fugiamus Iſraelem. Tu ergò bellatrix egregia primò eum qui primus omnia † ſupplantavit, expugnare viriliter aggreſſa es. Tu & ſpiritum elationis Evæ vertice humilitatis complosiſti: quam in te ita reſpexit Dominus, ut ipſius merito ſuper omnes choros Angelorum te ſublimari dignam æſtimaverit*. Nunquam enim ſuper omnes Angelos glorificata aſcendiſſes, niſi priùs infrà omnes homines humiliata deſcendiſſes. Tu & ardorem vetitæ concupiſcentiæ, virtute caſtitatis in tua carne virginea eatenus extinxiſti: ut is in cuius conſpectu nec aſtra munda ſunt, tantæ munditiæ carnem tuam judicaverit, ut etiam ſuæ divinæ puritati agglutinare non deſpexerit. His ergò primariis ducibus tenebrarum à te fortiter expugnatis, omnis ante faciem tuam ſpiritualium nequitiarum militia in fugam converſa eſt.

† *l.* Evam.
* *M. S. totam periodum ita l.* Tu enim ſpiritum elevationis ea virtute humilitatis compreſſiſti, qua omnem Angelorum altitudinem aſcendere meruiſti.

Glorioſa dicta ſunt de te civitas † Dei genitrix. Sed adhuc locus eſt tuæ laudationi: adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim ſunt loquelæ, neque ſermones in omni natione quæ ſub cœlo eſt, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari. O magna, ô pia, ô multum amabilis Maria, tu nec nominari quidem potes, quin accendas: nec cogitari quin recrees affectus diligentium te: tu nunquam ſine dulcedine divinitus tibi inſita piæ memoriæ portas ingrederis. Et nunc ſequimur te ô Domina, ex totis præcordiis vociferantes ad te: adiuva imbecillitatem noſtram, auſer opprobrium noſtrum. Vides hanc tunicam pelliceam quæ nos circundedit? Tunica Evæ parentis noſtræ hæc eſt, quam ad nos olim miſera illa tranſmiſit, & ſuperveſtivit carnem filiorum ſuorum, ſicut diploidè, confuſione ſua. De manu quippe ipſius duplicis mali ſemen terra noſtra ſuſcepit, & concepit, & peperit nobis ſpinas & tribulos iniquitatis in anima, calamitatis in corpore, ac per hoc mortem utrobique. O infelix hæreditas! ô dira humanæ carnis infirmitas! uſquequo patiemur te? Multum dorſa noſtra incuruaſti, quia gravis es valde & diu te ſuſtinuimus. Multum minuiſti nos ab Angelis, equo & jumentis inſipientibus coæquaſti; nimis invaluiſti, quæ non niſi morte filii Dei ſanari potuiſti. Nimis ſuper nos te extuliſti, quando & uſque ad eum qui ſuper omnia eſt, incautè aſcendiſti.

Humilitas & puritas Virginis.
† Civitas *in M. S. omitt.*

Et quis liberabit nos à corruptela huius miſerrimæ pelliculæ? Gratia Salvatoris noſtri Filii tui, ô Maria, qui ut infirma noſtra tolleret, ſponte infirmatus eſt: & ut mors mortis noſtræ ipſe fieret, innocens pro peccatoribus mortuus eſt. Et quis tam idoneus, ut loquatur ad cor Domini noſtri Jesu Christi, ut tu felix Maria, quæ in ſecretiſſimis amplexibus amantiſſimi filii tui † recubas in meridie ſempiterno, eiúſque fami-

† *add.* ſuaviter.

familiarissimo colloquio cum plena cordis lætitia perfrueris. Loquere Domina, quia audit Filius tuus: & quæcunque petieris impetrabis. Invoca bonum nomen eius super nos, ut curemur à vetusta hac lepra carnis & spiritus. Exurge † virus hoc mortiferum exinanitura*, quod de pomi sui reliquiis Eva nobis propinavit: quando succi noxialis gustu ebriata est; & reliquias dimisit parvulis suis. Utinam poculum suum ebria illa totum ebibisset, non item in nos diffudisset †. Te igitur Domina exorante, omne jugum nostrum computrescat à facie olei divinæ misericordiæ: renovetur, ut aquilæ, juventus nostra, ut novi nova voce novum canticum novis civibus aggregati illic, ubi nova sunt omnia hæc jubilum sempiternum celebrantes in cymbalis jubilationis concinamus. Tollatur hæc crassa nebula ab oculis nostris, ut revelata facie gloriam Domini speculantes in immensum illud pelagus divini luminis absorbeamur à Domini spiritu; ac DEO nostro in vinculis charitatis astricti unum cum ipso efficiamur †: Præstet hoc nobis tuo interventu, ô Maria, Filius tuus Jesus Christus Deus & Dominus noster, cui laus & gloria, & gratiarum actio in sempiterna sæcula, AMEN.

† *al.* exsuge. * *in M. S. omittitur.*

† *M. S. ita leg.* aut totũ ebibisset, aut totum effudisset.

† *al.* unus cum ipso spiritus.

IN FESTO S. MICHAELIS.

De Angelorum erga nos officiis, & nostra erga ipsos reverentia.

SERMO I.

ANgelorum hodie memoria celebratur, & exigitis debitum pro tota solemnitate sermonem. Sed quid de Angelicis spiritibus viles loquantur vermiculi? Credimus sanè, & indubitata fide tenemus divina eos præsentia & visione beatos sine fine lætari in bonis Domini, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Quid ergo de his homo loquatur hominibus, quæ nec ipse quidem cogitare, nec illi saltem audire sufficiant? Profectò si ex abundantia cordis os loquitur, sileat nihilominus lingua necesse est ex inopia cogitationis. Attamen si multum est ad nos loqui de ea claritate & gloria qua in semetipsis, imò in DEO suo Angeli sancti nostris omnino supereminent cordibus; de ea loquamur quam nobis exhibent gratia & charitate. In supernis enim spiritibus non solum admirabilis dignitas, sed dignatio amabilis invenitur. Dignum est proinde, fratres, ut gloriam non capientes, tanto magis amplectamur misericordiam, qua nimirum constat nihilominus abundare domesticos Dei, cœli cives, principes paradisi. Testatur denique Apostolus ipse, qui raptus usque ad tertium cœlum, beatæ illi curiæ meruit interesse, atq; eius nosse secreta [a]; *quoniam omnes administratorii sunt spiritus, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.*

Angelorum eminentia seu dignitas.

Eorundem erga nos dignatio & charitas.

a Heb. 1. d *

Neque id cuiquam incredibile videatur, quandoquidem ipse quoque Creator & rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare, & animam suam dare pro multis [b]. Ut quid ergo ministerium illud Angelorum quispiam dedignetur, in quo præcedit eos, cui in excelsis tota cum aviditate & fœlicitate ministrant? Si & hinc dubitas, utique qui vidit, testimonium perhibuit: *millia*, inquiens [c], *millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. Alius quoque Propheta ad Patrem de Filio loquens, ait [d]: *Minuisti eum paulominus ab Angelis*. Sic planè sic decet ut vincat & humilitate, qui sublimitate vincebat, sitque tantò minor Angelis, quantò inferiori sese ministerio mancipavit: qui tantò excellentior est, quantò differentius præ eis nomen hæreditavit. Sed quæres fortasse in quo minoratus videatur ab Angelis, cum ministrare venit, quandoquidem (ut supra meminimus) in ministerium mittuntur & illi? In eo utique quòd non modò ministravit, sed ministratus est, erátque unus & idem qui ministrabat, & qui ministrabatur. Meritò proinde sponsa in Canticis Canticorum: *Ecce* (inquit [e]) *venit is saliens in montibus, transiliens colles*. Ministrans enim saliit inter Angelos, sed & ipsos transiliit ministratus. Ministrant enim Angeli, sed de alieno, offerentes DEO bona opera non sua, sed nostra, ac nobis eius gratiam referentes. Unde & scriptura dicens [f]: *Quoniam ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli*, solicitè præmisit *data ei fuisse incensa multa*. Nostros enim sudores non suos, nostras non suas lachrymas offerunt Deo; nobis quoque eius munera referunt, & non sua.

b Matt. 20. d

c Dan. 7. c

d Psal. 8. a

Christus & Angeli ministrare veniunt, quo discrimine.

e Cant. 2, c

f Apoc. 8. a

Non sic minister ille sublimior cunctis, sed humilior universis, qui semetipsum obtulit sacrificium laudis, qui patri offerens animam suam, nobis ministrat usque hodie carnem suam. Huius utique tanti ministri gratia nihil mirum si dignanter nobis imò & libenter Angeli sancti ministrent. Ipsi enim amant nos, quia nos Christus amavit. Dicitur certè vulgari quodam proverbio: Qui me amat, amat & canem meum. Nos verò ô beati Angeli, catelli sumus Domini illius quem tanto affectu diligitis, catelli, inquam, cupientes saturari de micis quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, qui estis vos. Et hæc dixerim, Fratres, ut ampliorem de cætero ergo beatos Angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiarius in omni necessitate vestra eorum invocetis auxilia: sed & dignius in eorum præsentia conversari, & magis ac magis eorum vobis conciliare gratiam, captare benevolentiam, exorare clementiam studeatis. Cuius rei gratia necessarium duco alias quoq; charitati vestræ exponere causas, quæ ipsos beatos Angelos pro nostra infirmitate reddant solicitos: absq; sua sane anxietate, sed non absq; utilitate nostra, nec ad detrimentum fœlicitatis suæ, sed ad nostræ salutis augmentum.

Angeli amant nos quia nos Christus amavit.

Rationes ob quas Angeli pro hominibus solliciti.

Constat

Constat sine dubio rationis participes, & capaces beatitudinis humanas animas Angelicæ (si dicere id audeamus) cognatas esse naturæ: nec decet vos, ô Beati Spiritus, contra legis præceptum dedignari, quam visitare debetis speciem vestram, licet in multam (ut ipsi cernitis) dejecta sit utilitatem. Sed neque arbitramur vos superni cives, civitatis vestræ excidio delectari, & ruina murorum quos semirutos ipsi videtis. Cuius instaurationem si desideratis (ut dignum est) frequenter quæso ante thronum gloriæ verbum precis iterate dicentes [g]: *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Hierusalem.* Si diligitis decorem domus Dei (imò quia diligitis) experiantur zelum vestrum vivi & rationales lapides, qui soli in instaurationem eius vobis possunt coædificari. Hic est, dilectissimi, funiculus triplex, quo de excelso cœlorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adiuvandos nos attrahitur supereminens charitas Angelorum, propter Deum, propter nos, propter seipsos. *Propter Deum* utique, cuius tanta erga nos misericordiæ viscera ipsi quoque (ut dignum est) imitantur. *Propter nos*, in quibus nimirum propriam similitudinem miserantur. *Propter seipsos*, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. In ore enim parvulorum qui lacte modo vescuntur, & nondum solido cibo, perficienda est laus illa maiestatis divinæ, cuius habentes primitias Angelici spiritus beata nimirum delectatione fruuntur: sed tantò avidiùs nos expectant, quantò consummationis eius expectatione & expetitione solicitantur.

[g] Psal. 50. d

Angeli in nostrum auxilium sedulí: propter Deũ, propter nos, & propter seipsos.

Quæ cum tamen ita sint, pensate, quanta etiam nobis solicitudine opus est, dilectissimi, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo conversemur in conspectu Angelorum, ne fortè sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, si quando provocati peccatis & negligentiis nostris, indignos nos judicaverint præsentia & visitatione sua, ut jam necesse habeamus & nos plangere, & dicere cum Propheta [h]: *Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt. Et qui juxta me erant, de longè steterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam.* Elongatis nimirum eis quorum præsentia protegere nos, & propulsare poterat inimicum. Quod si tam necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda nobis eorum offensa, & in his maximè exercendum, quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plurima quæ eis placent, & quæ in nobis invenire delectat; ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, & orationes cum lachrymis, & cordis intentione. Attamen super omnia hæc unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. Quidni maximè delectentur in his, quæ formam quandam civitatis suæ repræsentant in nobis, ut mirentur Hierusalem

Quam sollicitè cavenda Angelorũ offensa.

[h] Psal. 37. b

Virtutes & exercitia Angelis grata & familiaria.

Vnitas & pax præcipuè colenda, ut placeamus Angelis.

novam in terra? Dico autem, ut quomodò civitatis illius participatio est in idipsum [i]: sic & nos idipsum sentiamus, idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata: sed magis omnes simul unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra.

i Ps. 121. a

Econtra vero nihil æquè offendit, & ad indignationem provocat eos, quomodò dissensiones & scandala, si fortè inveniuntur in nobis. Audiamus siquidem, quid loquatur ad Corinthios Paulus [k]: *Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* In epistola quoque Judæ Apostoli legimus sic [l]: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Videre est animam hominis quemadmodum universa corporis membra vivificet cohærentia sibi. Separa ergo quidvis à junctura cæterorum, & vide an de cætero illud vivificet. Sic est omnis qui dicit, anathema JESU [m]: quod nemo dicit loquens in spiritu Dei: quia anathema separatio est. Sic &, inquam, omnis qui ab unitate dividitur, ne dubites quin ab eo recesserit spiritus vitæ. Dignè igitur contentiosos, & qui separant semetipsos, Apostoli *carnales* vocant & *animales*, spiritum non habentes. Dicunt ergo sancti illi, & beati Spiritus, ubi scandala invenerint & dissensiones: Quid nobis & generationi huic spiritum non habenti? Nam si adesset spiritus, per eum utique charitas diffunderetur, & unitas non scinderetur. Et dicunt: Non permaneamus cum hominibus istis in æternum: quia caro sunt. Quæ enim conventio luci ad tenebras? Nos de regno unitatis & pacis sumus, & homines istos in eandem unitatem & pacem sperabamus esse venturos. Nunc autem qua ratione nobis cohæreant, qui dissident à seipsis? Videtis quàm congruat huic solennitati Evangelica lectio, quæ sic deterret nos à scandalo parvulorum, quandoquidem tam vehementer Angelis displicent scandala [n]? Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, durum est quod sequitur. Sed jam præterit hora, ad missas nobis eundem est. Peto ne sit vobis molesta dilatio, quæ poterit non inutilis fore, si capitulum præsens sermone altero diligentiùs prosequamur.

k 1. Cor. 3. a

l Judæ. 1. f

Anima membra sibi cohærentia vivificans Symbolũ Pacis & concordiæ.

m 1. Cor. 12. a

Angeli amatores pacis deserunt contentiosos & unitatis hostes.

n Matt. 18. a

IN FESTO S. MICHAELIS
SERMO II.

Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, &c.
Matth. 18. a.

AUdistis, Fratres, Evangelicam lectionem adversus eos qui pusillos scandalizant, satis terribiliter intonantem. Nemini blanditur Veritas, neminem palpat, nullum seducit, apertè denuncians, quoniam *Væ homini illi per quem scandalum venit* [a]. *Bonum erat ei si natus non fuisset homo*

a Matt. 18. a

homo ille [b]. Natus sanè denuò, natus ad vitam, natus de spiritu, qui nimirum carne postmodum consummatur. Expedit ei (si quis est) qui scandala suscitat in hac domo, in hac sancta, Deo placita, & Angelis eius admodum grata ac familiari congregatione, ut suspendatur in collo eius mola asinaria, & pro suavi jugo, & levi onere Salvatoris, gravi mole terrenæ cupiditatis humeris eius imposita demergatur in profundum maris huius magni & spacioſi manibus, quod est sine dubio seculum nequam. Minus enim damnabile erat ei in seculo magis perire, quàm in monasterio. Perire siquidem necesse est hominem, qui charitatem non habet, etiam si tradiderit corpus suum ita ut ardeat. Et hoc dixerim, fratres, non quasi minus benè de vobis sentiam, aut regnare videatur in vobis nequissimum istud vitium: sed ut in ea charitate, & unanimitate, & pace in qua statis in Domino, soliciti sitis perseverare & abundare magis. Quæ est enim spes nostra, & gaudium nostrum, & corona gloriæ? Nonne unitas & unanimitas vestra, in qua gaudeo vos inveniri fraternitatis amatores, & ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis? Propter quod obsecro vos, sic state in Domino, charissimi. In hoc enim cognoscunt omnes etiam Angeli sancti, quòd Christi estis discipuli, si dilectionem habueritis adinvicem.

[b] Matt. 26. c

Religiosi perversi in Monasteriis scandala suscitantes, quam damnabiles.

Vnitas seu unanimitas gloria Religiosorum.

Denique si tenetis memoria quam vobis præcedenti sermone tradidimus triplicem Angelicæ erga nos charitatis & sollicitudinis causam, potest hinc quoque fraternæ dilectionis utilitas magnifice commendari. Facilè siquidem considerare est homini, qui non diligit proximum, nullam ex his quas tunc diximus, suppetere causam. Numquid enim *Christi gratia* diligemur ab Angelis, si de mutuæ dilectionis inopia cognoverint nequaquam eius nos esse discipulos? Nunquid diligemur ab eis *propter nosipsos*, id est, spiritualis naturæ similitudine, si invenimur non diligere humanæ naturæ nostræ consortes: imò verò si ex eis quæ inter nos sunt contentionibus, carnales nos magis quàm spirituales esse constiterit? Denique nunquid diligent nos *propter seipsos*, & futuram de nobis civitatis suæ restaurationem, si (quod absit) unum, quo solo uniri & coædificari eis possumus, defuerit glutinum charitatis? Quomodo sperabunt reædificandos de nobis perpetuos civitatis illius muros, si cognoverint, si viderint nos non lapides esse vivos qui possint invicem cohærere: sed magis pulverem, quem projiciat ventus à facie terræ, quem unius verbi flatus in turbinem excitet, & suspicionis cuiuslibet levissima aura dispergat? Et hæc quidem dixisse sufficiat pro eo quod ait Dominus [b]: *Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis.* Credo enim quòd maiori solicitudine deinceps ab hac tam nequissima peste cavebitis.

Angelicæ erga nos dilectionis & sollicitudinis obstacula.

[b] Matt. 18. a

Iam

Scandalū duplex internū & externum.

[c] Matt. 18.b

Iam verò, quem non moveat quod sequitur in Evangelio [c] : *Si oculus tuus scandalizaverit te, erue eum, &c.* Nunquid enim corporalem hunc oculum monemur eruere, aut unam ex manibus istis, similiter & unum abscindere pedem ? Absit à nobis huiusmodi carnalis omninò, & nimis ridiculosa cogitatio. Sed postquam ab exterioribus scandalis deterruit nos sermo divinus asperè satis, sicut audistis, consilium dat quid de eo nobis agendum sit scandalo, quod interius patimur, contrariam invenientes legem in membris nostris. Ipse enim novit figmentum nostrum, quòd eiusmodi scandalum non tam facilè à nobis valeat evitari. Porrò *tripliciter* fieri scandalum istud, quotidiano nobis nosse licet experimento. Interdum enim est in nobis spiritualis intentionis oculus simplex, & qui gratiæ magis quàm noster dicendus sit : sed scandalizat nos oculus noster, & qui verè à nobis est, dum voluntas nostra aliam minus castam importunè ingerit intentionem. Sed habemus jam super hoc salubre consilium Salvatoris [d] : *Erue eum*, inquit, *& projice abs te.* Hoc autem fiet, si non consentias, si abjicias, si resistas. Simili modo de manu ac pede est intelligendum. Cùm enim bonis operibus intentos, ad alia opera trahere voluntas propria conatur, manus nostra est quæ scandalizat nos ; sed abscindi debet, & projici à nobis, ut non ei consentiamus.

Internum triplici modo fieri potest.

[d] Ibid. b

Oculus quomodo eruendus.

Sic etiam proficere in sancta conversatione, & ascendere per gradus scalæ quæ Jacob apparuit, ac juxta quod ait Psalmista [e] : *De virtute in virtutem ire* desiderantes, sæpius scandalum patimur à pede quodam pusillanimitatis & negligentiæ nostræ, qui nimirum descendere magis ac remissius ire conatur : sed abscindi eum necesse est, ut pes gratiæ qui stat in directo, currere possit sine offensione, sine scandalo, sine impedimento. Quod autem dicit, *Bonum nobis esse ad vitam intrare cum uno oculo, aut manu, aut pede, quàm duos habentes ire in gehennam ignis* : eos notat qui voluntatem suam, sive bona, sive mala sit, æquè sequuntur, & ingrediuntur duabus viis, nunc bona, nunc mala sectantes : secundùm quod variantur desideria sua. Quibus meritò utilius fuerat gratiæ in omnibus inhærere, & ubi obviat propria voluntas, abscindere & à seipsis abjicere eam. Est autem, cum multo tempore in abscissione propriæ voluntatis nostræ exercitati aliquatenus eam domamus, ut discat jam non superbire, sed magis sine omni scandalo vel contradictione Deo subiecta sit anima nostra, nec jam abjicere necesse sit oculum nostrum, nempe qui simplici adhærens oculo factus est & ipse simplex, aut certè jam non alter est oculus, sed unus cum eo. Apostolo teste [g] : Quoniam qui adhæret Domino, unus spiritus est cum eo. Quod autem de oculo dictum est, de manu quoque & pede eodem modo est intelligendum. Cuius enim voluntas ex

[e] Psal. 83.b

[f] Matt. 18.b

Ingredi duabus viis quid.

[g] 1. Cor. 6.d

affectione

affectione & cum desiderio gratiæ cohæret, ut nec concupiscat mala agere, nec bona minora, nec minùs benè quàm gratia suggerit: hic planè perfectus est vir. Sed pax ista potius est felicitatis: abscissio verò scandalorum, & tentationũ victoria, fortitudinis: illa, inquam, gloriæ, hæc virtutis.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

De lectione Evangelica.

SERMO I.

FEstivitatem hodiernam Sanctorum omnium cum omni devotione dignum est celebrari. Nimirum si magna videtur, & est, beati Petri solemnitas, seu beati Stephani, aut cuiuslibet cæterorum, quanta ista est, quæ non unius tantum est, sed universorum? Verum non ignoratis, fratres, secularibus id moris esse, ut diebus festis festiva sibi convivia parent: & quanto fuerit solennitas clarior, tanto splendidius epulentur. Quid ergò? Nonne & his qui convertuntur ad cor, cordis deliciæ sunt quærendæ? & spiritualibus spiritualia comparanda? Propterea iam paratum est convivium nostrum, fratres, jam cocta sunt omnia & epulandi tempus advenit. Dignum est enim, ut prius anima satietur, quòd hæc portio sine dubitatione, & sine comparatione sit potior, præsertim cum Sanctorum solennitates manifestum sit ad animas magis quàm ad corpora pertinere: & quæ animarum sunt, animæ plus acceptent, quippe naturali quadam eis cognatione coniunctæ. Quibus propterea quoque Sancti isti compatiuntur amplius, propterea magis desiderant animarum bona, & plus earum refectionibus delectantur, quoniam & ipsi similes nobis fuere passibiles: & ipsi peregrinationis huius & exilii miserabilis deploravere molestias: & ipsi grave huius corporis onus, & tumultus seculi, & tentationes experti sunt inimici. Nihil itaque dubium quin gratior eis sit, & multò acceptabilior illa festivitas, qua intenditur epulis animarum, quàm sit ea quæ celebratur à secularibus curâ carnis perficientibus in desideriis voluptatum.

Festivitates pijs & religiosis non more sæcularium celebrandæ.

Veruntamen unde nobis animarum panis in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis? Unde nobis sub sole spiritualis cibus, ubi nihil est, nisi labor & dolor, & afflictio spiritus? Sed scio quis dixerit: *Petite, & accipietis* [a]. Et illud [b]: *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester cœlestis è cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Nec ignoro quam obnixè tota hac nocte & die petieritis mendicantes dari vobis panem de cœlo vivum; non eum qui corpus corroborat, sed qui confirmat cor hominis. Nam convivas quidem non ausim dicere, sed mendici sumus præbendâ DEI viventes. Mendici, inquam, jacentes ante januam regis prædivitis, ulceribus pleni, &

Convivium spirituale adornat suis Bern.

a Matt. 7. a

b Ibid. b.

Mendici sumus ante januam summi Regis.

cupientes saturari: imò & sustentari de micis quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, quorum celebramus hodie solennitatem. Nempe deliciis affluunt, & mensuram accipiunt bonam & confertam, & supereffluentem. Confidimus autem quoniam erit qui det nobis: chaos enim magnum & distantia est multa nimis inter liberalitatem & benignitatem Dei, & avari divitis crudelitatem. Propterea dedit hodie Pater noster panem. Patrem enim misericordiarum, patrem esse necesse est etiam miserorum. Dedit (inquam) nobis panem de cœlo, & cibaria in abundantia: quorum utinam ego fidelis coquus, utinam anima mea coquina utilis videatur.

Siquidem ad præparanda fercula vestra, tota hac nocte concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exarsit ignis: ille sine dubio, quem Dominus Jesus misit in terram, & voluit vehementer accendi. Nam spiritualem cibum, & coquinam, & ignem habere necesse est spiritualem. Supereſt jam ut distribuam quæ paravi: vos autem considerate potius dantem Dominum quàm ministrum distribuentem. Ego enim, quantum in me est, nihil aliud sum quam conservus vester, qui vobiscum pariter & mihi & vobis (sicut ipse Dominus novit) mendico panem de cœlo, & alimoniam vitæ. Propterea non ego vobis, sed Pater vester ipse est, qui dat vobis panem de cœlo vivum: ipse vos pascit, & operibus, & sermonibus, etiam & carne Filii sui, qui est verè cibus. Nam & de operibus lego [b]: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei*: & de verbis: *Quoniam non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* [c]. Ergo nunc quidem cibari habemus factis eius & verbis, post hæc etiam illibatum Dominici corporis Sacramentum in altaris mensa Sacrosancta (ipso propitio) percepturi.

b Ioan. 4. e

c Deut. 8. a

Legimus in Evangelio hodie, quoniam *videns turbas Iesus, ascendit in montem* [d]. Prædicantem enim Dominum, de civitatibus & castellis populi sequebantur: quorum salvabat animas sanabat corpora; & adhærebant ei, affatu pariter & aspectu illius delectati: cuius nimirum vox suavis, & facies eius decora, sicut scriptum est [e]: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Talis est quem nos sequimur, cui adhæremus, totus desiderabilis, in quem non solùm populi, sed & ipsi quoque Angeli sancti desiderant prospicere. Quid vobis suavius apponemus? Nimirum hæ sunt deliciæ Angelorum. Gustate proinde, & videte quoniam suavis est Dominus. Et huic suavitati, huic sapori, huic sapientiæ quæ trahitur de occultis, omne quod desideratur, non valet comparari. Quid enim? Miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fœcunditatem? Sed à Deo hæc universa donata

d Matt. 5. a

Christi suavitas attrahit omnes.

e Psal. 44. a

Perfectiones omnium rerũ eminentius in DEO.

sunt;

sunt: nec dubium quin multo amplius reservaverit sibi, quàm dederit creaturis.

Jam ne hoc quidem ociosum putemus, quod ascendit in montem; nimirum quod tantò ante prædictum est, tanquam à longè clamante Propheta [f]: *Super montem excelsum ascende tu qui Evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Hierusalem.* In qua ascensione, si vos melius non habetis, ego illud intelligendum puto, quod in initio Actuum Apostolorum [g] beatus Lucas meminit, dicens: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere.* Utiq; non juxta Pharisæorum morem, qui alligabant onera gravia & importabilia, & imponebant ea in humeros hominum, digito autem suo nolebant ea movere [h]. An non bonus animæ panis est iste, & plurimum confirmans cor hominis? Fiducialiter sequor te Domine quocunque ieris, & securè incedo viam mandatorum tuorum, sciens quod per eam præcesseris ipse. Securè, inquam, viam mandatorum tuorum curro, quandoquidem novi quod à summo cælo egressio tua ad currendam hanc viam: & occursus tuus usq; ad summum eius fuerit per hanc viam. Non possum modò, Fratres in hunc modum singula masticare: vos estote animalia munda & ruminantia, ut fiat sicut scriptum est: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis* [i]. Cogit enim succingere forsitan & præscindere verbum, tam brevitas horæ, quam materiæ magnitudo.

Videns turbas Iesus ascendit in montem.) Videns miserationis intuitu, quoniam erant sicut oves errantes non habentes pastorẽ. Quid est quod priusquam docere inciperet, ascendit in montem, nisi quòd in hoc ipso docuit necesse habere prædicatores verbi Dei desideriis animi, & conversatione sancta ad sublimia tendere, & virtutum conscendere montem? *Et cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli eius.* Cum sedisset, inquit. Alioquin quis ad excelsum illum gigantem posset accedere. Benignissimè prorsus inclinavit se, & exinanivit usq; ad sessionẽ, ut dicat Patri: *Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam* [k]. Sedit enim ut ad eum quem ne ipsi quidem Angeli stantem attingere poterant, etiam publicani & peccatores accedant: accedat Maria Magdalene, accedat & Latro de cruce. *Et cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli eius.* Accesserunt non tam incessu pedum, quàm affectu cordis, & imitatione virtutum. Benè autem non turbæ, non quilibet de populo, sed Discipuli accessisse dicuntur: quatenus sicut Testamentum Vetus datum legitur [l] in monte Syna, solo Moyse ascendente, & populo expectante deorsum: sic & modo susciperent montes pacẽ populo, & colles justitiã: & velut in tenebris quibusdam, & in occulto diceretur Apostolis, quod postea dicerent in lumine: & audirent in aure, quod prædicarent postmodum super tecta. Unde & sequitur;

[f] Esa. 40. b

[g] Act. 1. a

Christus fecit & docuit.

[h] Matt. 23. a

[i] Prov. 21. c

Prædicatorum conversatio ad sublimia tendere debet.

[k] Psal. 138. a

Accessus ad sedentẽ quid.

[l] Exod. 24. d

Matt. 5. a

Et aperiens os suum, docebat eos. Aperuit nunc os suum, qui Prophetarum prius aperuerat ora. Hinc est quod legitur in Psalmo, Propheta dicente [m]: *Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Nunc autem qui multifariè multisque modis olim locutus fuerat in Prophetis, demum suo ipsius ore locutus est, tanquam si diceret: Ego qui loquebar, ecce adsum. Beati qui audierunt loquentem in carne sapientiam: beati qui verbi DEI verba quæ ab ipsius ore processerunt, audierunt. Veruntamen quod audierunt illi, adhuc reservatur nobis: quia & nos audire possumus, quamvis non ab ipso. *Aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu.* Verè apertum est os eius, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi. Et verè eius hæc doctrina, qui in Apocalypsi loquitur: *Ecce nova facio omnia,* qui per Prophetam ante prædixerat [o]: *Aperiam os meum,* eructabo abscondita à constitutione mundi. Quid enim tam absconditum, quàm paupertatem esse beatam? Attamen veritas loquitur, quæ nec falli nec fallere potest: & ipsa est quæ dicit, *quoniam beati pauperes spiritu.* Sic vos insensati filii Adam divitias quæritis, divitias desideratis usque adhuc: cum jam beatitudo pauperum divinitus commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus? Quærat eas paganus, qui sine DEO vivit. Quærat Judæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte magis, aut qua mente Christianus divitias quærit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicavit? Quousque filii alieni, quousque vanitatem loquetur os vestrum, ut beatum dicatis populum cui hæc sunt, hæc visibilia, hæc præsentia: cum Filius Dei os suum aperiens locutus sit veritatem [illegible]eatos esse pauperes, & væ divitibus?

[illegible]d diligenter attende quòd non simpliciter pauperes nominat, propter plebeios pauperes necessitate miserabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturam eis apud divinæ bonitatis misericordiam, hanc ipsam afflictionis suæ miseriam: scio tamen Dominum hoc in loco non de huiusmodi fuisse locutum, sed de his qui possunt dicere cum Propheta [p] *Voluntariè sacrificabo tibi.* Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis laudem habet apud DEUM: nam & Philosophi omnia sua reliquisse leguntur, ut expediti mundialibus curis: studio vanitatis possent vacare liberius, & nolebant censu abundare terreno, ut abundarent magis in sensu suo. Hos discernit quod dictum est, *spiritu*, id est, spirituali voluntate. *Beati* verò *pauperes spiritu*, spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum DEI, & animarum salutem: *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Sed quis est qui sic loquitur, qui sic beatificat pauperes; & sic ditat? Putas poterit verum esse?

m Psal. 50. d

Matt. 5. a

r Apoc. 21. b
o Psal. 77. a

Beati pauperes à Christo prædicantur.

*Matt. 5. a

Quantum ergo Christiani tantopere divitias quæritis?

p Psal. 53. b

Qui pauperes beati.

Philosophi olim divitias aspernati inter eos non censendi.

esse? Erit sine dubio: siquidem verax & potens est qui promittit. Si murmurat inimicus, respondebitur ei. An non licet mihi facere quod volo? Nonne oculus tuus nequam est, quia ego bonus? Si tu jure humiliatus es pro eo, quòd adversum me exaltare te voluisti, nonne qui se humiliant propter me, merito sunt exaltandi? Et verè, Fratres, si miserrimus ille è cœlo deiectus est, quoniam affectavit celsitudinem, altitudinem concupivit, sublimitatem præsumpsit, nonne consequens est beatos esse, qui sponte in paupertatis humilitatem sese deponunt: & juxta Domini promissionem *ipsorum est regnum cœlorum*, quod perdidit iste? Et attende quam sapienter ordinaverit sapientia, contra peccatum primum, remedium primum opponens. Ac si apertius dicat: Vis obtinere cœlum quod perdidit superbiens Angelus, qui confisus est in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. Sequitur:

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Benè, optimè. Sic enim oportebat (commendatâ paupertate) etiam mansuetudinem prædicari; quoniam relinquentibus omnia, prima solet esse tentatio de molestiis corporis, & afflictione carnis insolita. Quid verò paupertas proderit, si (quod absit) pauper in murmurationem deveniat, factus exasperans, & impatiens disciplinæ? Optimè quoque post regni promissionem minus aliud regnum velut in arrham datur, ut secundum scripturam *1 promissionem habeamus vitæ eius quæ nunc est, pariter & futuræ*, & de exhibitione præsentium, firma sit expectatio futurorum. *Beati mites, qnoniam ipsi possidebunt terram.* Hanc ergo terram corpus nostrum intelligo. Quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est ut sit ipsa mitis, & superiori suo subjecta, quoniam tale inveniet inferius suum, qualem se exhibuit superiori. Armatur enim creatura ad ulciscendam sui iniuriam Creatoris. Et ideo noverit anima quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoque minus, quam oporteat superioribus potestatibus esse subiectam. Mansuescat ipsa, & humilietur sub potenti manu DEI altissimi, subiecta sit DEO, & his pariter quibus vice eius habet obedire Prælatis: & continuo corpus suum inveniet obediens & subjectum. Veritas enim est quæ loquitur. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et vide si non adversus secundi peccati vulnus secunda processerit medicina. Prima quidem post angelicæ prævaricationis ruinam Eva peccavit, inquietudine spiritus agitata, & interdicti dominici jugum suave, & leve onus abjiciens: quoniam expectare noluit, ut de manu Domini, unde jam cætera acceperat, perfectionem quoque beatitudinis mereretur, sed præripere illam Serpentis consilio attentavit. Pro-

Beati mites.

Pauper murmurãs & impatiens huius beatit. expers. q 1. Tim. 4.

Per terram corpus intelligit.

Eva præposterè beatitudinem ambiens, amisit.

pter hoc paradisum perdidit, terram deliciarum : propter hoc in ipso corpore contrariam legem invenit. Sed jam fortassis ad hanc Domini vocem desiderio mansuetudinis æstuas, & conquereris super asperitate cordis tui, & belluinis quibusdam motibus, atque indomita feritate. Attende ergo quod sequitur.

Beati qui lugent.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Equum indomitum flagella domant, animam immitem contritio spiritus, & assiduitas lacrymarum. Ergo in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, mortis horrorem, judicii tremendum discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miseriam, recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ : cogita vitæ humanæ pericula, cogita fragilitatem propriam : & in huiusmodi cogitatione si perseveraveris dico tibi, parum senties, quicquid foris videtur esse molestum, dum toto corde circa interiorem molestiam occuparis. Sed nec patietur Dominus sine consolatione te esse, quoniam pater misericordiarum est, & DEUS totius consolationis, & complebitur omnino quod veritas pollicetur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Concordat autem huic sententiæ, etiam illud quod in Salomone legisti [r] : *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.* Propterea beata esses Eva si post culpam consolationem quæreres lachrymarum, & conversa ad pœnitentiam veniam citius obtineres. Nunc autem miserrimam quæsisti consolationem de simili casu viri tui, & veneno pessimo, nequissimo, videlicet vitio totam infecisti posteritatem tuam : ut usque hodie perditionem alterius, alter suam reputet consolationem. Misera prorsus Evæ consolatio, & eorum qui miseriam hanc imitantur : sed *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Verum quid aliud est hæc consolatio, quàm procedens de spe veniæ gratia devotionis, & suavissima delectatio boni, & gustus sapientiæ licet exiguus, quibus interim benignus Dominus afflictam refrigerat animam ? Sed gustus ille nihil aliud est, quàm irritamentum desiderii, & incentivum amoris : sicut scriptum est [s] : *Qui edunt me, adhuc esurient : & qui bibunt me, adhuc sitient.* Propterea illicò subinfertur.

[r] Eccli. 7. a

Lugendi copiosa materia.

Eva post tristem lapsum perversa consolatio.

[s] Eccli. 24. c Matt. 5. a*

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Qui esurit, esuriat amplius : & qui desiderat, abundantius adhuc desideret : quoniam quantumcunque desiderare potuerit, tantum est accepturus. Imò verò non secundum imperfectionem modúmve desiderii, quoniam qui donec perfectè habeat, perfectè desiderare non potest : sed nec & perfectè habere, donec perfectè desideret : sed mensuram accepturus est bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem. *Beati qui esuriunt & sitiunt*

Beati qui esuriunt ac sitiunt justitiam.

& sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Infirmiori palato cordis, & animæ languenti adhuc dura & insipida res videtur esse justitia : sed qui gustaverunt, ecce ipsi sciunt, quàm beati sunt, qui esuriunt illam, *quoniam ipsi saturabuntur* ! O vere felix & glorioſa satietas ! ô sanctum convivium ! ô desiderabiles epulæ ! ubi nimirum anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium, quoniam satietas summa, & summum inerit desiderium, *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Jam verò hoc verbum adversus Adam procedere credo, qui portionem quidem aliquam videtur tenuisse justitiæ, in eo quòd mulieri quidem compassus est : sed si esurisset justitiam, curasset sine dubio reddere quod debebat non modo uxori, sed multò magis Creatori. Debebat enim uxori compassionem utique & disciplinam tanquam inferiori. Caput enim mulieris vir [t]. Debebat autem DEO obedientiam atque subjectionem. Sed quid putamus Fratres, quàm plurimi usque hodie factum illud graviter dijudicant, & tamen insipienter imitantur ? Indignantur adversus Adam quod obedierit voci uxoris suæ plusquã Dei, & ipsi quotidie Evam suam, carnem videlicet audiunt plusquam Deum. Fratres, si modo præsentem videremus Adam in eo articulo positum, ascendentibus cogitationibus in cor eius, coarctari inter precem uxoris, & præceptum Creatoris ; nonne clamaremus adversus illum, dicentes ; Cave tibi miser, vide ne feceris, seducta est mulier, non acquiescas ei ? Ut quid ergò quoties apprehendit nos tentatio similis, non persuademus similiter nobis ipsis ? *Beati enim qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Sed quid potest esse omnis justitia nostra coram Deo ? Nonne juxta Prophetam [u] *velut pannus menstruatæ* reputabitur : & si districtè judicetur, injusta invenietur omnis justitia nostra, & minus habens ? quid ergò de peccatis erit, quando ne ipsa quidem pro se poterit respondere justitia ? Propterea obnixè cum Propheta clamantes [x] : *Non intres in judicium cum servo tuo Domine* : tota humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest salvare animas nostras, & solicitè pensemus quod sequitur :

Adamo defuit vera esuries justitiæ ; alias Deũ potius quam uxorẽ audisset.

t Ephes. 5.

Adami imitatores etiam hodie plurimi.

u Isa. 64. b

x Ps. 142. a*

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et attende. Quemadmodum Zachæus breviter uno verbo utrumque complectitur dicens [y] : *Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quempiam defraudavi, reddo quadruplum.* Vides quantum esurivit iste justitiam : cui non suffecit æqua mensura reddere, nisi reddat quadruplum. Misericordia quoque magna est, quòd dimidium bonorum suorum dat pauperibus. Veruntamen non silebo ego quod sentio. Laudem Domini loquetur os meum : Domini planè, non vestram. Neque enim vobis, sed nomini eius do gloriam. Zachæus certè cuius laus est in Evangelio dimidium bonorum suorum

Beati misericordes.

y Luc. 19. b

Zachæi justitia & misericordia.

suorum dedit pauperibus: sed ego multos Zachæos hic video, qui nihil sibi ex omnibus reliquêre. Quis mihi scribet hoc Evangelium de Zachæis istis, imò de Petris istis quis fiducialiter loquatur Domino ζ. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*? Sed scriptum est jam in Evangelio æterno, in libro vitæ scriptum est & signatum. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Jam vero, Fratres, Adæ erudelitatem hæc sententia tangit, qui videbatur uxoris amore peccasse. Ecce enim scimus ô Adam, quia os de ossibus tuis, & caro de carne tua est, & eius amore peccasti. Videamus nunc quantum diligas eam. Venit Dominus igneum tenens gladium in ultionem prævaricationis, oppone te discrimini propter illam, & dic: Domine mulier infirmior est, mulier seducta est: mea est iniquitas, meum peccatum, in me solum vindicta procedat. Sed non loquitur sic: *Mulier* (inquit [a]) *quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, &c.* O perversitas! pœnam pro ea suscipere refugis, & culpam admittere non recusasti? Quomodò, prohdolor, omnia confudisti, perniciosè misericors, ubi severus esse debueras: & pernicioſius crudelis, ubi misericordiam impendere oportebat? Nam delinquere propter illam nullo modo, satisfacere vero pro ea libenti animo debuisti. Sic enim oportet fieri, Fratres, ut nunquam propter alium homo peccet, quod est *justitiæ*: & libenter aliena peccata portet, quod est *misericordiæ*. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sequitur:

Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Beati planè, & omnino beati qui videbunt in quem desiderant Angeli prospicere, quem videre vita æterna est. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea DEUS in æternum. Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? Væ mihi ab immunditia cordis mei, qua impediente necdum mereor ad beatam illam visionem admitti. Quanta sollicitudine, Fratres, quanto studio danda est opera ut mundari possit oculus, quo videndus est Deus? Et ego quidem triplici sorde inquinari me sentio, concupiscentiâ carnis, & concupiscentiâ gloriæ temporalis, & præteritorum conscientiâ delictorum. Sunt enim in anima motus quidam utrorumque desideriorum, quos nec ratione, nec viribus extinguere possum, quandiu sum in hoc seculo nequam, & in corpore mortis teneor alligatus. Attamen contra sordes istas *Orationis* oppono remedium, & propterea sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum DEUM nostrum, donec misereatur nostri: qui solus mundus est, & potest facere

ζ Matt. 19. d

Adæ inhumanitas erga uxorem.

[a] Gen. 3. b

Aliena peccata non patranda, sed portanda.

Beati mundo corde,

Mundandus oculus quo videndus est Deus.

Triplex inquinatio mentis.

Oratio remedium contra pravos motus concupiscentiæ;

test facere mundum de immundo conceptum semine. Sic & contra peccati conscientiam remedium *Confessionis* est institutum, & omnia in confessione lavantur. Ecce hæc sunt quæ mundant oculum cordis, Oratio & Confessio. Porrò, *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt.* Videbunt quidem in fine facie ad faciem: videbunt etiam nunc, sed per speculum in ænigmate, & nunc cognoscent ex parte, perfectè postea cognituri. Omnis enim in cuius conscientia clausum adhuc peccatum vivit, aut peccata in spe, & ita sentit de Deo, tanquam si minus ei peccata displiceant: aut peccat in desperatione, immisericordem sentiens Deum. Quorum utrique merito dicitur [b]: *Existimasti inique quod ero tui similis*: quoniam neuter DEUM videt, sed mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo, quod non est ipse. Beati verò mundo corde, quoniam ipsi soli Deum vident, soli de eo sentiunt in bonitate: sicut verè bonus est, ita ut nemo bonus sit nisi ipse. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Miseri proinde Adam & Eva, qui conversi in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, dum confessionis mundationem fugiunt, immundo remanent corde, & à facie Domini ejiciuntur. Sequitur:

Alii peccant in spe, alii ex desperatione.

[b] Psal. 49. d

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Merito filii nomine vocabuntur, qui filii opus impleverint. Ipse enim est per quem reconciliati pacem habemus ad Deum, ipse qui pacificavit in sanguine suo quæ in cœlis sunt, & quæ super terram, mediator DEI & hominum homo CHRISTUS JESUS. Et attende quemadmodum in tribus quidem prioribus sibiipsi reconciliatur anima, in duobus quæ sequuntur proximo, in sexto Deo. In septimo etiam alios reconciliat, tanquam receptus in gratiam Domini, & felici familiaritate donatus. Nam paupertate, & mansuetudine, fletu renovatur in anima similitudo quædã & imago æternitatis omnia tempora complectentis, dum *paupertate* futura meretur, *mansuetudine* sibi præsentia vendicat, *luctu* pœnitentiæ præterita quoque recuperat, sicut scriptum est [c]: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Porrò, *justitia & misericordia* perfectè proximo cohæremus, dum quicquid nolumus nobis fieri, aliis non faciamus per justitiam: & quæcunque volumus ut faciant nobis homines, & nos faciamus illis per misericordiam. Jam reconciliati nobis, reconciliati etiam proximo, fiducialiter per *munditiam* cordis reconciliamur DEO. Beati verò, qui de sua reconciliatione non ingrati, & pro fratribus suis piè solliciti, eos quoque quantum prævalent, & sibi DEO reconciliare laborant. Quibus enim laudibus dignum, quanto amplectendum putas affectu fratrem illum, qui sine querela conversans inter fratres, tota

Beati pacifici.

[c] Esai. 38. c

solicitudine cavet, ne quid in eo sit quod ab aliis portari oporteat: quicquid in aliis est onerosum, patientissimè portat, singulorum scandala sua reputat: qui cum Apostolo loquitur [d]. *Quis scandalizatur, & ego non uror? quis infirmatur, & ego non infirmor?* Beati *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* [e]. Non est enim DEUS dissensionis, sed pacis: ideóque filios pacis, Dei quoque filios dignum est appellari.

d 2. Cor. 11. g

e Matt. 5. a

Beati qui persecutionem patiuntur.

Iam quæ sequitur *octava Beatitudo*, Martyrum est prærogativa: cuius nobis tolerantiæ nec tempus videtur esse nec virtus. Honoratur nunc iustitia magis quantum in facie est: aut nulli, aut pauci pro ea sustinent persecutionem. Felices tamen si qui sunt, quoniam ipsorum est regnũ cœlorum, ut eos nemo persequatur. Quòd si multiplex fuerit tribulatio, tunc multiplicius exultandum, non intuentibus quæ videntur incommoda; sed præmia, quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. *Beati*, inquit, *eritis cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & ejecerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis*, copiosior longè quam sit labor in terris. Verùntamen quid sibi vult quòd eadem promissio facta est Pauperibus & Martyribus, nisi quia verè martyrii genus paupertas voluntaria est? *Beatus vir*, ait Propheta [f]: *qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ, Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.* Quid mirabilius, aut quod Martyrium gravius est, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus? An non meritò coronabitur, qui sic certaverit, mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, (& quod gloriosius est) de semetipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem? Denique propterea pauperibus pariter, & Martyribus regnum cœlorum promittitur, quia paupertate quidem emitur; sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur.

Pauperibus & martyribus eadē promissio facta.

f Eccli. 31. a

Paupertas voluntaria quodam martyrium.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM
Sermo II.

QUia Sanctorum omnium festivam hodie, dilectissimi, omnique dignissimam devotione memoriam celebramus, operæ precium puto de communi eorum felicitate, in qua beata jam requie perfruuntur, & futura quam præstolantur consummatione, adjuvante Spiritu sancto sermonem facere charitati vestræ, ita sanè, ut non opinionis propriæ conjecturas

cturas, sed divinorum librorum sequar auctoritatem, ne, prophetare videar de corde meo, sed innitar quoad potero testimoniis Scripturarum. Erit enim præstante Domino triplex sermonis utilitas, quatenus agnita vel ex parte aliqua, felici retributione Sanctorum, abundantiori deinceps sollicitudine ipsorum inhærere vestigiis; ac ferventiori desiderio ad eorum suspirare consortia; propensiori quoque devotione eorundem nos commendare patrociniis studeamus. Fidelis quippe sermo, & omni acceptione dignus, ut quos solemni veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur: quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus: quorum delectamur præconiis, sublevemur eorum patrociniis. Nec sanè parum fructuosa invenitur memoria festiva Sanctorum, languorem, teporem, errorémque depellens, cum eorum intercessione juvetur infirmitas nostra, consideratione beatitudinis excitetur negligentia nostra: ignorantia quoque nostra ipsorum eruditur exemplis. Propterea cum perfecte eruditos vos ad imitanda Sanctorum vestigia, hodierna sancti Evangelii lectione, & ipsius Domini sermone non dubitem, erecta nimirum ante oculos vestros scala per quam universus (quem hodie veneramur) Sanctorum chorus ascendit: nec ignorem implorandis eorum suffragiis totum paulominus noctis & diei huius religiosa devotione tempus expensum, jam de eorum felicitate loqui vel exiguum aliquid attentabo, quod donaverit ipse, qui eos & magnificat jam & glorificat, quos vocavit prius atque justificavit.

Utilitas præsentis sermonis.

Festa Sanctorum quæ fructuosè celebrentur.

Legimus in Propheta [a]: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu.* Et in alio Psalmo [b]: *Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Multa quoque similia in divinarum reperisse mihi videor serie scripturarum verba hominum, qui liberatos se esse non sine multa admiratione lætantur, verba perfectæ securitatis, & felicitatis immensæ, vocem gratiarum actionis & lætitiæ, quam pro meo sapere his qui luteas adhuc domos inhabitant, & in sudore vultus sui comedunt panem suum omninò non arbitror convenire. Quis enim eorum gloriabitur castum se habere cor? Quis audeat gloriari contritum esse laqueum, liberatos pedes à lapsu, reclamante nimirum Apostolo, & dicente: *Qui stat, videat ne cadat?* Unde & de semetipso: *Infelix,* inquit [d], *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et alio in loco: *Fratres,* inquit, *ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ retro sunt oblitus, & in ea quæ ante me sunt extentus, sequor ad palmam, &c.* Itemque [f] *ego,* ait, *sic curro non quasi in incertum sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & servituti subjicio; ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse*

In hac vita nõ datur perfecta securitas, aut plena fœlicitas.

a Psal. 114. b

b Psal. 123. a

c 1. Cor. 10. c

d Rom. 7. d

e Philip. 3. a

f 1. Cor. 9. d

ipse reprobus efficiar. Hæc tamen planè tuba militiæ est, hæc verba ducis strenui fortiter dimicantis. Nam superiora quidem potius triumphantis, aut certè necdum quidem triumphantis, sed cum victoria jam redeuntis de prælio, & futuram magni triumphi diem læta ac secura conscientia præstolantis.

Quid enim loquitur reversus de prælio fortis miles, servus fidelis? *Convertere jam,* inquit [g], *anima mea in requiem tuam.* Dum enim in corpore mortis Domino militares, nulla requies erat, tum pro labore certaminis, tum pro periculo exitus adhuc incerti. Hinc excitabat tumultus tentationum, inde succumbendi metus gravius solicitabat. Habebat tamen, Fratres, & tunc gloriam miles Christi, licet & requiem non haberet. Ait siquidem strenuus ille & fortis miles, cuius & paulo ante fecimus mentionem: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* [h], Quod conscientiæ testimonium non sic intelligendum puto, tanquam ipsa sibi conscientia atteste tur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat [i]. Est ergo testimonium conscientiæ in quo gloriatur Apostolus, non quod perhibet conscientia, sed quod loquitur Spiritus veritatis in ipsa, testimonium perhibens spiritui nostro quòd filii Dei sumus. Est enim testimonium conscientiæ non perhibentis, sed percipientis. Cum enim veritas applaudit, cum justitia attestatur, Dei sine dubio commendantis vox est, & Spiritus sancti testimonium perhibentis, ac si decertanti viriliter militi rex suus, pro cuius amore & honore decertat, prope assistens lætus applaudat, laudet fortia facta, proximam clamitet esse victoriam, parata jam præmia, & coronam polliceatur æternam. In quo testimonio gloriatur siquidem probatus & strenuus miles, minimè tamen quiescit, sed tanto acrius viriliúsq; decertat.

Quod testimonium conscientiæ ab Apost. prædicatum.

Itaque dum adhuc militant, gaudent utique electi Dei, sed tantum de primitiis spiritus, qui & infirmitatem eorum adjuvat virtute sua, & pusillanimitatem sua consolatur attestatione. Unde & is (de quo loquebamur) Apostolus. *Non est,* inquit [k], *regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Jam verò consummato militiæ tempore gaudium habent Sancti etiam in spiritu suo, donec adveniet dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini sui, gaudium habituri & in ipso corpore suo. Sic habemus in psalmo [l]: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Unde? Planè ex his quæ sequuntur: *A fructu frumenti, vini & olei sui.* Audivit enim eiusmodi anima vocem dicentis [m]: *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.* Unde & Joannes scribere jubetur in Apocalypsi, quo-

g Psl. 114. b
h 2. Cor. 1. c
i 2. Cor. 10.
k Rom. 14. c
l Psal. 4. b
m Prov. 31. b
n Apoc. 14.

quoniam *beati mortui qui in Domino moriuntur.* Quare beati? *Á modo enim jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Unde & in ipso de quo paulò antè loquebamur psalmo [o], eis quæ supra posuimus verbis adjunctum est: *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Et de operibus habemus in Apocalypsi [p]: *Opera enim illorum sequuntur illos.* Ad quid verò sequuntur, nisi ut laudent eos in portis? Ad quid sequuntur, nisi ut multiplicentur à fructu eorum, & accipientes de fructu manuum suarum saginentur vituli quos ex Prophetico testimonio [q] cum reædificabuntur muri Hierusalem, super altare Domini novimus imponendos? Interim quippe sub altari eos esse, & non supra, ipse nos doceat, cujus testimonium credibile factum est nimis qui (ut scribit in Apocalypsi) sub altari ipso eorum etiam voces audivit [r]. Adhuc ergo signatum est super eos lumen vultus Dominici, & licet non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa qua implebit eos lætitia cum vultu suo. Interim, inquam, convertantur animæ illæ in requiem suam, donec veniat dies, qua introire mereantur in requiem Domini. Adhuc laudant eas in portis opera sua, donec veniat cum erit unicuique laus à DEO. Videtis, Fratres quanta est unitas scripturarum, quàm uno sensu & eisdem penè verbis de beatitudine loquantur animarum?

o Psal. 4. b

p Apoc. 13. c

q Psal. 50.

r Apoc. 6. c *Sancti ante generalem resurrect. necdum plenè beati.*

Jam vero nemo ex vobis parvam aliquam requiem, aut lætitiam suspicetur eorum qui ab omni penitus molestia liberi recogitant annos suos in dulcedine animæ suæ: lætantur pro diebus quibus humiliati sunt, annis quibus viderunt mala; cum jucunda admiratione, & mira jucunditate considerant pericula quæ evaserunt, labores quos pertulerunt, certamina quæ vicerunt, & pro his omnibus certa & indubitata fide expectant beatam spem, & adventum gloriæ magni DEI & Salvatoris sui, qui resuscitabit corpora eorum configurata proprii corporis claritati.

Beatarum animarum triplex gaudium. 1. *De certa expectatione futuræ consummationis.*

Quanta est fœlicitas eorum, quam immensa lætitia, qui nimirum triplici gaudio de recordatione transactæ virtutis, de exhibitione præsentis quietis, de certa expectatione futuræ consummationis exultant? Nam de futura illa consummatione habemus vocem eorum in fine eius psalmi de quo superius loquebamur. Dicunt enim singulæ animæ quibus jam datum est ad hanc requiem pervenire [s]: *In pace in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Singulariter inquam, in spe, non jam inter spem & metum, ubi prius non sine solicitudine & anxietate plurima fluctuabam. Sic & de præsenti Sanctorum requie habemus in alio psalmo [t] scriptum: *Converte anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Bene inquam fecit,

s Psal. 4. b*

2. *De exhibitione præsentis quietis.*

t Psal. 114. b

quamvis necdum optimè. Denique audi quàm bene: *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu*: id est, à peccato omni, & à peccati pœna, à timore quoque & à periculo recidendi penitus liberavit. Hoc est suavissimum animæ stratum, quod nullis jam lavet aut riget lachrymis, quando absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eius. Hoc cubile in quo jam non compungitur, nec convertitur in ærumna sua, dum configitur spina. Exiit enim de terra illa, quæ spinas ei, & tribulos germinabat. Hoc planè stratum animæ, quod minimè jam versatur in infirmitate eius: quoniam universa quæ infirmitatis erant, pariter transierunt. Hæc est, inquam, animæ suavissima & saluberrima requies, conscientia munda, quieta, secura. Sit ergo beatæ animæ culcitra, conscientiæ suæ puritas, sit capitale tranquillitas, sit opertorium eius securitas; ut hoc interim strato dormiat delectabiliter, fœliciter requiescat.

Conscientia munda, quieta, secura suaviss. animæ stratum.

3. *De recordatione trãsactæ virtutis.*

Jam verò de recordatione transactæ virtutis habes in psalmo manifestè verba eorum, quæ superius quoque commemoravi. Considerant enim & multa cum admiratione recogitant à quibus laqueis quantúsve periculis divino meruerint auxilio liberari, & exultantes in Domino dicunt [u]: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis: cum exurgerent homines in nos, fortè vivos deglutissent nos. Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Et addunt: *Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* Sed & verba quæ jam tempore suæ resolutionis instante loquebatur Apostolus, de eo in quo nunc fœliciter requiescit statu præsumpta, videntur & nunc ei multo melius convenire: nunc enim jam securè loquitur [x]. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem justus judex.* Hæc sunt dico vobis, Fratres, hæc modo sunt universa Sanctorum negocia, hic cibus, hic somnus eorum: & propterea voluit Spiritus sanctus scribi verba ea quæ protulimus, cæteráque similia, ut ex his aliquatenus innotesceret nobis status eorum.

[u] Psal. 123. a

[x] 2. Tim. 4. b

Longè aliter tamen afficiuntur in huiusmodi meditationibus, & multo amplius delectantur quam nostra aut cogitatio capere, aut explicare queat oratio. Audi enim quomodo laborat Propheta inculcans, & multiplicans verba, nec tamen sic digne magnificare valens quod intendit. *Quàm magna,* [y] inquit, *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus in te!* Quid tamen addidit? *Perfecisti,* inquit, *eis qui sperant in te,* in conspectu filiorum hominum. Est ergo multitudo dulcedinis quæ abscondita est, magna quidem. & magna valdè, necdum tamen perfecta;

[y] Psal. 30. c

perfecta: quoniam in manifesto perficietur, non in abscondito, quando non sub altari requiescent Sancti, sed super thronos tanquam judices residebunt. Ad requiem enim exutæ à corporibus animæ sanctæ protinus admittuntur, ad plenam autem gloriam regni non ita. *Me expectant iusti* (ait Propheta ℣ cum adhuc detineretur in custodia corporis huius) *donec retribuas mihi.* Et vox divina ad animas sanctas corporum suorum resurrectionem flagitantes. *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum* [a]. Sed jam sermo claudendus est: vocant enim nos missarum adhuc celebranda solennia. Quod ergo restat adhuc de eadem materia, sermoni alteri reservemus.

℣ Psal. 141. b

a Apoc. 6. c

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM SERMO III.

ADvertistis, nisi fallor, ex his quæ præcedente sermone sunt dicta, tres esse sanctarum status animarum. *Primum* videlicet in corpore corruptibili, *secundum* sine corpore, *tertium* in beatitudine consummata. Primum denique in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum*: multò magis tamen atria concupiscibilia, secundum quod addit [a]. *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Sed quoniam in ipsis quoque atriis nonnullus (ut audis) defectus est, *beati* omninò *qui habitant in domo tua Domine.* Lætatus sum planè in his quæ dicta sunt mihi, Fratres, quoniam in domum Domini ibimus. Quòd si quæritis unde id tam fiducialiter præsumam, inde sine dubio, quòd jam multi exnobis in atriis stent expectantes donec recipiant corpora sua, donec impleatur numerus fratrum. In illam enim beatissimam domum nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis: id est, nec Sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Neque enim præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui detur, nec perfectione donari Ecclesiam imperfectam. Propterea cum resurrectionem expeterent corporum, sicut priore sermone jam diximus, acceperunt divinum responsum dicens [b]: *Sustinete modicum tempus donec compleatur numerus fratrum vestrorum.* Acceperunt jam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus donec vestiamur & nos: quomodò de Patriarchis & de Prophetis ait Apostolus [c]: *Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur.* Stola enim prima ipsa est quam diximus fœlicitas & requies animarum, secunda vero immortalitas & gloria corporum. Unde & dicunt [d]: *Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est*; non tanquam vindictæ cupidi, nec de propriæ

Tres animarũ sanctarum status.

Plena & consummata sanctorum fœlicitas usque ad resurrectionẽ generalẽ differenda.

a Psl. 83. a

* Apoc. 6. c

c Hebr. 11. g

d Apoc. 6. c

priæ ultionis zelo, sed ex desiderio resurrectionis, & glorificationis corporum suorum, quam nimirum usque in diem judicij differendam esse non dubitant.

Animæ separatæ ob desiderium naturale ad corpora, minus liberè & perfectè feruntur in Deum.

Sed unde hoc tibi ô misera caro, ô fœda, ô fœtida, unde tibi hoc? Animæ sanctæ quas propria Deus insignivit imagine, te desiderant: quas redemit proprio sanguine, te expectant: & ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota eorum affectio liberè pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, & rugam faciat dum inclinantur desiderio tui. Unde & beatus Joannes qui multa nobis de eo statu, in quo feliciter beatæ animæ requiescunt, per spiritum reseravit; *Sine macula*, inquit [e], *sunt ante thronum Dei. Sine macula*, inquam sed necdum sine ruga: donec veniat dies cum sibi gloriosam Christus exhibebit Ecclesiam non habentem maculam neque rugam. In his namque qui adhuc militant, nec sine macula quidem Ecclesia est: quoniam nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unus diei vita super terram, quam utique vitam beatus Job militiam esse testatur [f]. In his vero qui sub altari Domini requiescunt, jam quidem sine macula est Ecclesia, sicut habes in Psalmo [g]. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur*, inquit, *sine macula.* Hic ergo requiescet in monte Domini qui ingreditur sine macula: qui vero fuerit sine ruga, exaltabitur supra montem. Sed si vis scire quando erunt sine ruga animæ sanctæ, quandò extendentur cœli sicut pellis, quæ dilatatur penitus, ut nec minima quidem ruga inveniatur in ea: tunc sine dubio quando jam sequentur Agnum quocunque jerit. Verè enim extendi & dilatari necesse est animas, quibus ubique sequendus est Agnus. Quò enim vadit? Attingit profecto à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.

e Apoc. 14. a * *Ecclesia militans non est sine macula & ruga.*

f Job. 7. a.

g Psal. 14. a.

Deo quomodo etiam mala placant.

Vis adhuc nosse quò eat Agnus, & quo necesse habeant beatæ animæ sequi eum? In omnibus requiem quæsivi. Hæc est planè requies Domini non interciſa, non circa aliquid certum restricta: quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem quærit & invenit. Nam & bona ei placent in seipsis & delectatur nihilominus bona ordinatione malorum. Diligit misericordiam & judicium: nec modò in bonorum gloria sibi complacent, sed in ipsis quoque utpote justis suppliciis impiorum. Quid ergo? Putásne poterit humana anima in hoc gaudium Domini sui, & in hanc ejus requiem intrare, ut & ipsa quoque in omnibus delectetur? nec aliqua iam privata affectione contrahatur in rugam, sed transeat in affectum quendam generalem atque divinum?

divinum? Poterit sine dubio, si fidelis inveniatur super pauca quæ accepit militiæ suæ tempore, id est, super artus, super sensus, super appetitus suos quos suscepit regendos, ut in his probetur quàm fidelis sit Domino suo. Sciat igitur servus Christi vas suum possidere in sanctificatione, glorificet & portet Deum in corpore suo: nec dubium quin fidelem in modico servum supra multa constituat Dominus liberalis & dives. Supra multa planè, quando constituet eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Neque id vobis incredibile videatur, fratres, tanquam à me ipso id loquar, quoniam veritas ipsa manifestè id pollicetur, cuius de promissione omnino dubitare non licet. *Beatus*, ait [h], *servus ille quem cum venerit Dominus eius, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Tunc enim fidelis servus constituitur super omnia bona Domini sui, cum in gaudium eius meretur intrare, & cum eo deinceps lætari in universis, in cunctis gaudere, in omnibus delectari. Etenim, *qui adhæret* DEO (Apostolo teste [i]) *unus cum eo spiritus efficitur*, & voluntas eius omnino divinæ adhærens voluntati fit una cum ea, ut nihil jam quod contra eam sit, inveniatur in omnibus creaturis, sed universa fiant, vel magis maneant pro eius arbitrio.

Quis fidelis servus.

h Matt. 24. d

i 1. Cor. 6. d

Hæc est ergo beata spes quam expectant animæ sanctæ: & licet in gratiarum actione versentur pro ea fœlicitate in qua requiescunt, adhuc tamen orant & clamant ad DEUM pro ea consummatione quam præstolantur. Unde quemadmodum sine macula quidem vetustatis, sed non sine ruga contractionis eas diximus esse: sic ad gratiarum actionem jam perveniisse videntur, sed necdum ad vocem laudis, quoniam perfectum perfectos laudare decet, ut laudetur cum hæreditate sua: quando jam & ipsi laudabunt eum, & erit unicuique laus à Deo. Unde & Propheta significanter futuri temporis verbo usus videtur: *Beati*, inquiens [k], *qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Nam & beatus Joannes in Apocalypsi non vocem laudis, sed potius vocem precis audivit. Sic enim habes [l]: *Sub altari Dei audivi voces occisorum*, Quas voces? *Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est.* Vox precis, non laudis est ista. Sed quousque à longè circundamus altare istud, & veremur accedere? Desiderat, nisi fallor, charitas vestra audire Sacramentum altaris huius, & sacrum secretúmque nosse mysterium. Sed quis ego sum qui Sanctorum cubiculum facilè audeam temerarius perscrutator irrumpere? Quasi verò non legerim [m] scrutatorem maiestatis opprimendum à gloria. Veruntamen pausemus hic si placet hodie, si fortè pulsantibus nobis aperire dignentur mysterium altaris illius inhabiatrices

Animæ sanctæ orant pro consummatione.

Vox laudis nec dum eis competit.

k Psal. 83. a

l Apoc. 6. c

m Prov. 25.

animæ sanctæ, non nostro merito sanè, sed propter eum qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, agnoscentes & nos inter cives & domesticos Dei, nec tanquam hospites & advenas à secreta illa habitatione censeant propulsandos.

IN SOLEMNITATE OMNIUM SANCTORUM
SERMO IV.

a Apoc. 6. c
† Serm. 2.

CUm de Altari illo cœlesti sub quo beatus Joannes Sanctorum voces audivit [a], sermo incidisset †, distulimus (sicut meminisse arbitror charitatem vestram) ut oratione præmissa securior nobis ad tam sacrum secretúmve cubiculum pateret accessus. Tempus est, ut jam dicamus quod de eo nobis sentire datum est, sine præjudicio sanè, si cui fortè aliter fuerit revelatum. Illud ergò primum movere potest, quid sibi velit quòd beatus Joannes sub altari Dei audisse se perhibet sanctarum voces animarum, cum Salvator in Evangelio [b] de Lazari anima loquens, non sub Altari Dei, sed in *Sinum Abrahæ* dicat eam ab Angelis deportatam. Nam & sanctus Job, ut apparet, nequaquam ad altare Dei ausus est aspirare, cum diceret [c]: *Quis mihi hoc tribuat ut in inferno protegas me, & abscondas me donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei?* Sed jam venerat tempus, Fratres, illud quod beatus Job postulabat, jam recordandi tempus, jam venerat tempus miserendi, quando Sanctorum voces sub altari Dei beatus Joannes audivit. Donec enim veniret desideratus ille qui sanguine suo deleret chirographum damnationis nostræ, & flammeum accingens gladium aperiret credentibus regna cœlorum, nullus omninò cuiquam Sanctorum ad ea patebat accessus, sed providerat eis Dominus in inferno ipso locum quietis & refrigerii, chaos magnum firmans inter sanctas illas animas, & animas impiorum: Quamvis enim utræque in tenebris essent, non utræque erant in pœnis, sed cruciabantur impii, justi verò consolabantur. Quòd autem in tenebris essent, beati Job testimonio didicimus: qui se quoque in locum tenebrosum & opertum mortis caligine perhibebat iturum [d].

Altare Dei, de quo S. Ioan. in Apoc. quodnam.

b Luc. 16. c

c Iob. 14. c

Quisnam sinus Abrahæ de quo in Evang.

d Iob. 10.

Hunc ergo locum obscurum quidem, sed quietum, sinum Abrahæ Dominus vocat; pro eo, ut arbitror, quod in fide & expectatione quiesceret Salvatoris. Abrahæ enim fides tam manifestè probata est & approbata, ut primus ipse futuræ Incarnationis Christi meruisset accipere promissionem. In hunc ergo locum Salvator descendens contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit, eductósque vinctos de domo carceris edentes quidem, hoc est quiescentes, sed in tenebris, & umbra mortis: jam

Christus descendens ad inferos quid egerit.

jam tunc quidem sub altari Dei collocavit, abscondens eos in tabernaculo suo in die malorum, & protegens eos in abscondito tabernaculi sui, donec veniat tempus, in quo procedant completo jam numero fratrum, & percipiant regnum quod eis paratum est ab origine mundi. Jam verò sicubi fortè præsens quoque sanctorum requies *Abrahæ sinus* vocatur, certum est de Evangelio hanc inoleviſſe consuetudinem : licet neminem oporteat dubitare longè alium hunc sinum esse quam illum, quippe cum ille in tenebris, hic in luce multa : in inferno ille fuerit, iste in cœlo. Non incongruè tamen etiam nunc dictũ videtur Patriarcharum filios paternum in sinum recipi, cum ad eorum consortiũ ab hoc sæculo transire meruerint.

Præsens sanctorum requies unde appelletur quandoque sinus Abrahæ.

Porrò Altare ipsum de quo nobis habendus est sermo, ego pro meo sapere nihil aliud arbitror esse quàm corpus ipsum Domini Salvatoris. Credo autem quod & ego super hoc sensum eius habeam, præsertim cum audiam eum in Evangelio promittentem [e] : *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Interim ergò sub Christi humanitate sœliciter Sancti quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam Angeli ipsi prospicere, donec veniat tempus quandò jam non sub altari collocentur, sed exaltentur super altare. Sed quid dixi? Nunquid humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel Angelorum assequi poterit quis, nedum superare? Quonam igitur modo super altare dixerim exaltandos eos qui nunc sub altari quiescunt? Visione utique & contemplatione non prælatione. Ostendet enim nobis Filius (ut pollicitus est [f]) semetipsum, non in forma servi, sed in forma Dei. Ostendet etiam nobis Patrem & Spiritum sanctum sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis: quoniam hæc est vita æterna, ut cognoscamus Patrem verum Deum, & quem misit Jesum Christum [g], & in eis (quod non est dubium) etiam Spiritum utriusque. Transiens quippe ministrabit nobis, novas utique & usque ad tempus illud nobis penitus inexpertas delicias manifestæ suæ contemplationis. Unde & B. Joannes in epistola sua: *Nunc* inquit [h], *filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus.* Et addit: *Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Audi denique sponsam in cantico canticorum [i] fiducialiter loquentem, & spe quidem jam super altare locatam: *Læva eius* (haud dubium quin sponsi) *sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, transcendit enim beata anima Christi Incarnationem & humanitatem, quæ nimirum *læva* eius jure vocatur: ut divinitatem eius & majestatem eius, quam non incongruè *dexteram* nominat, sublimius contempletur.

[e] Luc. 17. g

NOTA novam & pulchram exposit. Altarii.

[f] Ioan. 14. c

[g] Ioan. 17. a

[h] 1. Ioan. 3. a

[i] Cant. 2. a*

Tripliciter enim, Fratres, in æterna illa, & perfecta beatitudine fruemur Deo, *videntes* eum in omnibus creaturis, *habentes* eum in nobis ipsis, &

Dei imperfecta beatitu-

dine triplex fruitio.

quod his omnibus ineffabiliter jucundius sit atque beatius, ipsamquoque *cognoscentes* in semetipsa Trinitatem, & gloriam illam sine ullo ænigmate mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vita æterna & perfecta, ut cognoscamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu, & videamus Deum sicuti est: id est, non modo sicut inest, nobis videlicet aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso. Unde duo illa velut circumiacentia esse videntur quæ prædiximus, & quasi cortex tritici. Hæc vero cognitio summæ beatitudinis, tritici medulla, adeps frumenti, quo nimirum civitas sancta Hierusalem satiatur [k]. Verùm quàm magna est beatitudo illa, tam abscondita ab oculis nostris? Nec enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quanta claritas, quanta suavitas, quanta jucunditas maneat nos in illa cognitione. Pax Dei est illa, quæ exuperat omnem intellectum, quantò magis omnem sermonem nostrum? Quod ergo nulli datum est experiri, nullus conetur effari: *Mensuram*, ait Dominus, *plenam & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinus vestros. Plenam* universitate creaturarum, *confertam* in interiore homine nostro, *coagitatam* in exteriore, *supereffluentem* in DEO ipso. Ibi cumulus felicitatis, ibi supereminens gloria, ibi supereffluens beatitudo.

Æterna vitæ beatitudo in quo consistat.

k Psal. 147. a

l Luc. 6. f

Nam quomodò videndus sit in creaturis, quomodò in nobis habendus, possumus vel ex parte conjicere, ex ipsis nimirum quas accepimus jam primitiis spiritus. Cognitio autem illa omnino adhuc nobis incognita est, mirabilis facta est, confortata est, ut non possimus ad eam. At verò quemadmodum in creaturis videndus sit possumus aliquatenus intelligere, nimirum cum & modo videatur in ipsis: unde & Philosophi (Apostolo teste [m]) per ea quæ facta sunt, Dei invisibilia conspexere. Verum quantumcunque proficiat quis intelligendo conspicere, quàm potentissimè, quàm prudentissime, quàm benignissime maiestas æterna omnia fecerit, cuncta regat, nunc creet omnia, nunc regat, ordinet universa: prorsus modicum ab eo quod est comprehendit. Veniet autem quando jam (ut in præcedenti sermone diximus) sequemur Agnum quocunque ierit: & in omnibus consequemur creaturis, ut in omnibus gaudeamus, quod est gaudium Domini Dei nostri. Gaudeamus sanè in omnibus, sed non aliunde quàm de ipso: sicut & ipse non aliis fruitur, sed semetipso.

Deus quomodo videndus in creaturis.

m Rom. 1.

Jam verò quemadmodum in nobis habendus sit, & hoc vel ex parte possumus cogitare. Constat enim animarum triplicem esse naturam: unde & Sapientes mundi huius animam humanam, rationalem, irascibilem, concupiscibilem esse tradiderunt. Quam utique triplicem vim animæ ipsa quoque natura & quotidiana experimenta nos docent. Porrò quemadmodum circa *rationale* nostrum, & scientia & ignorantia constat

Quomodo habendus in nobismetipsis.

Animæ humanæ triplex vis seu natura

tanquam

tanquam habitus & privatio: sic & circa *concupiscibile*, desiderium & contemptus: & circa id quod dicitur *irascibile*, & lætitia pariter & ira versatur. Implebit ergo Deus *rationale* nostrum luce sapientiæ: ita ut penitus nobis nihil desit in ulla sapientia. Implebit *concupiscibile* nostrum fonte justitiæ, ut omnino desideremus eam, & ea penitus repleamur: sicut scriptum est [n]: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Nulla enim alia res implere potest desiderium animæ, nulla alia præter justitiam beatificare animam potest. Dum ergò replevérit Deus concupiscibile nostrum justitia, quicquid respuere debet anima respuet, quicquid debet concupiscere, concupiscet: & ex omnibus id magis appetet quod magis fuerit appetendũ. Merito denique concupiscibili nostro justitiã attribuimus, ex quo nimirũ, aut justi aut injusti reputamur. Jam vero quod dicitur in nobis *irascibile*, cum repleverit illud Deus, perfecta erit in nobis tranquilitas, & in summam jucunditatem atque lætitiam replebitur pace divina. Et vide si non etiam in his tribus perfecta, quantum sane ad animam spectat, beatitudo consistat; quando scientia jam non inflat propter justitiam; jam non contristat propter lætitiam, ut cesset proverbium illud [o]: *Qui apponit scientiam, apponit & dolorem*: quoniam justitia nec indiscreta erit propter scientiam, nec onerosa propter lætitiam, quando lætitia nec inepta erit ptopter scientiam, nec impura propter justitiam.

in æterna Dei visione & beatitudine adimplenda.

n Matt. 5. a

Beatitudo hominis quo ad animam.

o Eccl. 1.

Sed in his omnibus nihil adhuc exterior homo noster accepit. Ipsi ergò, ut inhabitet gloria etiam in terra nostra, & juxta alium Prophetam [p] repleatur majestate Domini omnis terra, quatuor sunt quærenda, quem nimirum conflat ex elementis quatuor esse compactum. Nec mireris quod pluribus indigere videtur qui miserior est, cum & in psalmo legeris dicente Propheta [q]: *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea?* Habeat ergo terra nostra *immortalitatem*, ne jam timeat denuo se in pulverem redigendam. Resurgens enim corpus nostrum jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Sed quid proderit, si fortè contingat in æternum vivere in miserijs & ærumnis passibilitatis hujus, qua nimirum incessanter corruptibile hoc corpus affligitur; & si non semel, utique semper moritur. Habeat certè etiam aliquando omnimodam *impassibilitatem*: ab humoribus enim inordinatis causas ajunt procedere passionum. Sed jam desiderat corpus nostrum etiam levitatem, secundùm eam nimirum quam habet ex aere portionem. Tanta itaque futura credenda est corporum *levitas & agilitas* beatorum, ut possint, si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi omnia velocitatem. Quid ultra deest, ad

p Psal. 71. d

Beatitudo hominis quoad corpus.

q Ibid. 62. a

Quatuor dotes corporis glorificati.

1. *immortalitas.*

2. *impassibilitas.*

3. *agilitas.*

4. *pulchritudo.*

perfectam corporis beatitudinem? Sola utique *pulchritudo.* Hanc perfectissimam habituri, non immerito possumus attribuere ei parti quam habemus ab igne, *Salvatorem* enim *expectamus* (ut ait Apostolus [r]) *qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, exhibens quod pollicitus est, [s], *quoniam fulgebunt justi sicut Sol in regno Patris eorum.* Sic ergo replebit animas nostras Deus, cum perfecta in eis scientia fuerit, perfecta justitia, perfecta lætitia. Sic replebitur majestate omnis terra, cum fuerit corpus incorruptibile, impassibile, agile, configuratum denique corpori claritatis suæ. Et vide ne fortè isti sint septem panes quibus quatuor hominum millia Salvator legitur satiasse [t], è quibus ejusdem numeri sportas plenas Apostoli reservandas sustulerunt. Nunc enim reficimur panibus istis, cum jucunda meditatione beatam spem ruminamus, donec veniat, cum jam non de spe, sed de re ipsa & exhibitione gaudentes, quasi plenas sportas recipere pro panibus singulis mereamur.

r Philip. 3. e

s Matt. 13. f

t Matt. 15. d

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM
Sermo V.

FEstiva nobis est dies hæc, & inter præcipuas solennitates hodierna solennitas numeratur. Quid ergo dicimus, cujus Apostoli, cujus Martyris, cujus sancti? Non unius alicujus singulariter, sed pariter universorum. Omnes siquidem novimus festivitatem Omnium Sanctorum dici, & esse, quam hodie celebramus. Omnium, inquam, sive cœlestium, sive terrestrium. Sunt enim Sancti de cœlo, & sunt Sancti de terra: itemq; eorum qui de terra sunt, quidam adhuc in terra, aliqui jam in cœlo. Celebratur ergo festivitas omnium horum communiter, sed forsitan non uniformiter. Neque hoc mirum, cum non sit ne ipsa quidem sanctitas omnium uniformis, sed inter sanctos & sanctos distet, idque non parum. Nec modò dico quia alius alio sanctior (hæc enim quantitatis potius quá qualitatis distantia est,) sed quòd non modo magis & minus, verumetiam aliter atque aliter sanctos dici & verè dici inveniamus. Et fortè inter Angelos atque homines assignari possit ista diversitas sanctitatis pariter & celebritatis. Neque enim tanquam triumphantes honorari posse videntur, qui nunquá pugnâsse noscuntur. Aliter tamen honorandi sunt nimis etiam ipsi tanquam amici tui Deus, cujus nimirũ voluntati semper adhæserunt, tanta utique fœlicitate quanta facilitate. Nisi fortè in eo pugnâsse creduntur, quòd peccantibus alijs viriliter perstiterunt, non abeuntes in consilio impiorum, sed singuli quiq; dicentes: Mihi autẽ adhærere Deo bonum est. Celebranda ergo in eis gratia præveniens in benedictione dulcedinis, honoranda benignitas Dei non ad pœnitentiam adducens, sed abducens

Sanctorum differentia.

SS. Angeli quare honorandi.

abducens ab omnibus quibus pœnitentia deberetur; non eripiens sed à tentatione conservans.

Aliud sanè in his sanctitatis genus, & proprio modo videbitur honorandum, qui venerunt ex magnâ tribulatione, & dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni qui post multos agones jam nunc triumphant in cœlis coronati, quoniam legitimè certaverunt. Est ne adhuc sanctorum tertium genus? Est, sed occultum. Sunt enim sancti qui adhuc militant, adhuc pugnant, currunt, necdum comprehenderunt. Temerariè forsitan hujusmodi videar dicere sanctos; sed tamen novi unum ex his non veritum dicere Deo [a]: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Sic & Apostolus divinorum conscius secretorum, evidentius ait [b]: *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Hæc nimirum diversitas appellationis in nomine sanctitatis, ut alij quidem jam secundum consummationem sancti vocentur, alij juxta solam adhuc prædestinationem. Latet ergò hujusmodi sanctitas penes Deum, clausa est, & clausè quodammodo celebratur. Siquidem *nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed in futurum omnia reservantur incerta* [c]. Sit ergo istorum celebritas sanctorum in corde Dei: quoniam novit Dominus qui sunt ejus, & ipse scit quos elegerit à principio. Sit etiam apud administratorios illos Spiritus, qui mittuntur in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis: nos in vita sua laudare hominem prohibemur. Quomodò namque secura laudatio, ubi nec ipsa vita secura: *Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit* (ait tuba illa cœlestis [d]) & legem certaminis ab ore ipsius legislatoris auscultа. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* [e]. Nescis quis sit perseveraturus, nescis quis sit legitimè certaturus, nescis quis coronam sit accepturus.

Sancti, alij triumphantes. Alii militantes.

a Psal. 85. a

b Rom. 8. e

c Eccles. 9. *Ante obitum nemo debet dici beatus.*

d 2. Tim. 2. c

e Matt. 10. c & 24.

Illorum lauda virtutem, quorum jam certa victoria est; illos devotis extolle præconijs, quorum securè potes adgaudere coronis. Cantavimus Sanctis hac nocte, dicentes [f]: *Timete Dominum omnes sancti ejus*: sed non istis. Non inquam, eos qui perseveraverunt usque in finem, timere hortabamur, quia scriptum est: Iam non erit timor in finibus nostris. Illis potius dicebamus sanctis, quibus custodia multiplex necessaria est pro multitudine periculorum. Siquidem non est eis colluctatio adversus carnem & sanguinem tantum [h]: sed adversus principatus quoque & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Egent planè custodia qui tam multipliciter non modo eminus, sed eminus appetuntur: & ubi tot pugnæ foris, non debent intus deesse timores, ut merito his dicatur; *Timete Dominum omnes sancti ejus* [i]. Tota interim

f Psal. 33. b

h Eph. 6. b *Beatitudo mortalium in timore DEI.*

i Psal. 33. b

k Prov. 28. c interim beatitudo noſtra eſt timere DEUM, dicente ſcriptura [k]: *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus*: Et item Pſalmiſta ait [l]: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs ejus.* Cæterum longè aliter beati in quibus perfecta charitas foras miſit timorem, nec jam timent ambulantes in vijs ejus, ſed laudant potius habitantes in domo, ſicut idem ait [m]: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Noſtra ergo felicitas, noſtra interim feſtivitas in timore Dei: nam illorum magis in exultatione & laude verſatur.

l Pſal. 127.

m Pſal. 83.

Sancti in cælis ſæcurè laudantur,

Inde eſt quòd ſeçurè laudantur homines, qui non ſua jam vivunt vita, ſed Dei: nam hominum utique vita tentatio eſt. Eſt autem gemina quædam ſæcuritas laudis hujus, niſi quòd fortè videbitur, ſi diligenter attendimus, intra alteram, alteram comprehendi. Siquidem non eſt quod laudare vereamur veriſſimè certiſsimèque laudabiles; non eſt, quod glorificare cunctemur ſic abſorptos in gloria, ut noſtra omninò nequeant laudatione moveri. Non enim eſt quo vanitas intret, ubi veritas jam totum occupavit. Sed quænam, inquies, gloria Sanctis; Neque enim ſinguli ſeſe glorificant, quia ſcriptũ eſt [n]: *Non te laudet os tuum.* Non viciſſim alter alterum laudat, quia in laudẽ conditoris intenti, & extenti, in quo nimirum tota eis repoſita eſt beatitudo, mutuis nunquam vacare laudibus poſſunt, dicente Propheta [o], ſicut ſupra quoque meminimus: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Veruntamen non acquieſco expertes gloriæ credere Sanctos, maximè propter illud quod Apoſtolus ait [p]: *Quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitatem æternum gloriæ pondus operabitur in nobis.* Et Propheta [q]: *Viſita nos in ſalutari tuo ad videndum in bonitate electorum tuorũ, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: ut lauderis cum hæreditate tua.* Non enim, ait, ut lauderis ab hæreditate tua: ſed, *cum hæreditate tua*, ut communis intelligatur futura laudatio. Quòd ſi ipſa laudat hæreditas Dominum, hæreditatem quis laudet, ab Apoſtolo audiamus: *Tunc*, inquit, *unciuique laus erit* [r]. A quo? *A Deo.* Magnus laudator, & vehementer ambienda laudatio. Felix commutatio laudis, ubi & laudare beatum eſt, & laudari.

Sanctorum laus & gloria unde.

n Prov. 27. a

o Pſal. 83. a

p 1. Cor. 4. d

q Pſal. 105. a.

r 1. Cor. 4. a

Ad quid ſanctis laudes & præconia noſtra.

Ad quid ergo Sanctis laus noſtra, ad quid glorificatio noſtra, ad quid noſtra hæc ipſa ſolennitas? Quo eis terrenos honores, quos juxta veracem Filij promiſſionem honorificat Pater cœleſtis? Quo eis præconia noſtra? Pleni ſunt. Prorſus ita eſt, dilectiſſimi, bonorum noſtrorum ſancti non egent nec quicquam eis noſtra devotione præſtatur: Planè quòd eorum memoriam veneramur, noſtra intereſt, non ipſorum. Vultis ſcire quantum intereſt noſtra? Ego in me, fateor, ex hac recordatione ſentio

Laus & memoria Sanctorum exci-

deſide-

desiderium vehemens inflammari, & desiderium triplex. Vulgo dicitur: Quod non videt oculus, cor non dolet. Oculus meus, memoria mea; & cogitare de Sanctis, quodammodo eos videre est. Sic nempe portio nostra in terra viventium, nec modica sanè portio: si tamen, ut decet, memoriam affectio comitetur: sic inquam conversatio nostra in cœlis est: veruntamen non sic nostra, sicut illorum. Ipsorum enim substantia ibi est, nostra autem desideria: ipsi per præsentiam, nos per memoriam ibi sumus. Quando & nos addemur ad patres nostros? quando essentialiter præsentabimur eis? Hoc enim primum desiderium, quod in nobis Sanctorum memoria, vel excitat vel incitat magis, ut eorum tam optabili societate fruamur, & mereamur concives & contubernales esse spirituum beatorum, misceri cœtui Patriarcharum, cuneis Prophetarum, senatui Apostolorum, Martyrum exercitibus numerosis, Confessorum collegijs, Virginum choris. In omnium denique colligi & collætari communione Sanctorum.

in nobis triplex desiderium.
1. *Societatis,*
2. *Felicitatis,*
3. *Intercessionis eorum.*

Singulorum quippe recordationes, quasi scintillæ singulæ, imò quasi ardentissimæ faces devotos accendunt animos, ut eorum & conspectum sitiant & complexum, adeò ut plerumque etiam inter eos esse se reputent: modo ad omnes simul, modo ad hos vel ad illos tota aviditate & vehemētia corda vibrantes. Alioquin quid istud negligentiæ, quid pigritiæ, imò quid vecordiæ est, ut non crebris suspirijs & ferventissima affectione abrumpere hinc, & in illa, tam felicia agmina jaculari animos studeamus? Væ nobis à duritia cordis nostri, væ à peccato gentium, quas Apostolus memorat *sine affectione* [t]. Præstolatur nos Ecclesia illa primitivorum, & negligimus: desiderāt nos Sancti, & parvipendimus: expectant nos justi, & dissimulamus. Excitemur aliquando, Fratres, resurgamus cum Christo, quæramus quæ sursum sunt, quæ sursum sunt sapiamus. Desideremus desiderantes nos, properemus ad præstolantes nos, expectantes nos votis præoccupemus animorum. Ecce enim nihil in hac nostra communione securitatis, nihil perfectionis, nihil quietis: & tamen hic quoque quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unū! Quicquid enim sive interius sive exterius molestū occurrit, ipso quoque tam germanorum consortio fratrum, cū quibus est nobis cor unum & anima una in Deum, tolerabilius invenītur. Quàm dulcior erit, quàm delectabilior, quàm beatior unio, ubi nulla suspicio esse poterit, nulla dissensionis occasio, ubi omnes perfecta charitas indissolubili fœdere colligabit; ut sicut Pater & Filius unum sunt, sic & nos unum simus in ipsis?

1. *SS. societas & præsentia desideranda.*

[t] Rom. d *Magnæ socordiæ est, non anhelare ad consortium SS.*

Si dulcis fraternitas in terris, quanto magis in cœlis?

Non tatummodo societas, sed etiam fœlicitas nobis est optanda Sanctorum: ut quorum desideramus præsentiam, gloriam quoque ferventissimis studijs ambiamus. Neque enim pernicioſa hæc ambitio, aut illius affectatio

Felicitas & gloria SS. affectanda.

u Ps. 113. b

x Luc. 2. b

y Ioan. 20. d

z Cant. 8. d

tatio gloriæ ullatenus periculosa est. Nam quod dicimus [u]: *Non nobis, Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, hujus temporis vox est, quando & ipsi Angeli clamant: *Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* *Noli me tangere*, ait [y], *nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Verbum gloriæ est. Nempe filius sapiens gloria patris. Noli ergo, ait gloria, noli me tangere. Noli interim quærere gloriam, fuge potius: & vide omnino ne me tetigeris, donec perveniamus ad Patrem, ubi sit gloriatio omnis jam secura. Ibi ibi in Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur. Numquid non videtur audisse dicentem: *Noli me tangere: nondum ascendi ad Patrem meum*, quæ in Cantico clamat [z]: *Fuge dilecte mi, fuge?* Hoc est enim quod supra meminimus. *Non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Unde & in hymno hodie nos canimus. *Des Pacem famulis, nos quoque gloriam per cuncta tibi sæcula*: juxta Angelicam scilicet distributionem.

Homini in terra non gloria sed pax quærenda.

Quia enim tentatio est vita hominis super terram, merito in terra homini non gloria, sed pax est quærenda: pax cum Deo, pax cum proximo, pax cum seipso. *O custos hominum quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsis gravis* [a]? Vicina nimirum lucta & intestina seditio, bellum non civile, sed domesticum, spiritus adversus carnem, & caro adversus spiritum concupiscens. Unde hoc, nisi quia posuisti me contrarium tibi? Tu enim vera libertas, tu vita, tu gloria, tu sufficientia, tu beatitudo: ego pauper & miser & miserabilis, confusus & humiliatus usquequaque, mortuus propter peccatum, venundatus sub peccato. Denique tu perfecta & sancta voluptas & requies spirituum beatorum posuisti me ab initio contra Eden (quod voluptatem sonat) in labore utique & ærumna.

Quomodo Deus hominem sibi posuerit contrarium.

b Ioel. 2. c

Attamen dicis: *Convertimini ad me in toto corde vestro* [b]. Liquet quia sumus aversi, quos ut revertamur hortaris. Liquet quia contrarij, quos revocas ut convertamur. Sed quomodo? *In jejunio*, inquit, *& fletu & planctu.* Mira res. Itane in jejunio tu versaris, & fletu degis, & in planctu habitas? Procul à te omnia ista: procul ipse ab his vehementer. Nimirum regnum tuum in Hierusalem, quam satias adipe frumenti; nec ibi luctus & clamor, sed nec ullus dolor, magis autem gratiarum actio & vox laudis. *Justi*, inquit [c], *epulentur in conspectu Dei, & delectentur in lætitia, & exultatione.* Quomodo ergo in jejunio & fletu, & planctu convertemur ad ipsum? An verò justus eum in lætitia & exultatione; qui verò nondum justus est, non nisi in jejunio & fletu & planctu reperiet? Ita planè, sed justus, qui jam conspectum meruerit, non qui adhuc vivat ex fide. Nimirum quod ait Dominus [d]: *Cum ipso sum in tribulatione*, ad eum pertinet qui per fidem ambulat; non autem qui ad faciem jam pervenit.

c Psal. 67. a

Aliter justis beatis, aliter nobis in fide etiamnum ambulantibus exhibetur Deus.

d Psal. 90.

Equidem

Equidem utrisque est caput unum, sed non uno modo membris omnibus exhibetur. Quibusdam enim ostenditur caput hirsutum spinis, inclinatum in cruce, ut humilientur pariter, pariter & compungantur. Quibusdam glorioſum apparet, ut ab ipso glorificentur, ut in ipso glorientur facta ei similia, quem vident sicuti est.

Hoc ergo secundum desiderium, quod ex Sanctorum commemoratione flagrat in nobis, ut sicut illis, sic nobis etiam Christus appareat vita nostra, & nos quoque cum ipso appareamus in gloria. Interim nempe non sicut est, sed sicut pro nobis factum est, caput nostrum nobis repræsentatur, non coronatum gloria, sed peccatorum nostorum circundatum spinis, dicente scriptura: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua.* O regem! ô diadema! Mater siquidem Synagoga, non matrem sanè se exhibens, sed novercam, regem nostrum corona spinea coronavit. Pudeat sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorium exhibetur, non habens speciem aut decorem vel aliquid ejusmodi. Nimirum Salomon est, quod interpretatum est, *pacificus*: sanè quod in præsenti est, non utique beatificus, aut glorificus; ut in omnibus Angelicum illud elogium commendetur, quo *terris pacem, cœlis gloriam tradiderunt* [f]. Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum, quòd omnis ei interim purpura non tam honoris sit, quàm irrisionis. Videre est tamen hodie multis in locis non sine multa ambitione, & comessatione præsentem diem honorari. Honorari, an dehonestari dicam? Ipsi viderint qui hæc agunt. Ipsorum est enim hujusmodi celebritas, non sanctorum? quod sibi libet faciunt, non quod Sanctis. Erit cum venerit Christus, nec mors ejus ultra annunciabitur, ut sciamus quoniam ipsi quoque mortui sumus, & cum eo abscondita est vita nostra, apparebit caput glorioſum, & cum eo membra glorificata fulgebunt: cum videlicet reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum gloriæ capitis, quod est ipse. Hanc ergò gloriam tota & tuta ambitione concupiscamus, ne fortè audiamus & nos [g]: quia gloriam quæ ab invicem est quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est, non vultis.

Sub capite spinoso non decet membra esse delicata.

[e] Cant 3. 4

[f] Luc. 2.

Abusus celebrantium solemnia SS.

[g] Ioan. 5. 8

Sanè ut eam nobis sperare liceat, & ad tantam beatitudinem aspirare, summoperè nobis desideranda sunt suffragia quoque Sanctorum: ut quod possibilitas nostra non obtinet, eorum nobis intercessione donetur: Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei [h]. Nostis ipsi periculum nostrum, nostis figmentum nostrum, nostis ignorantiam nostram, & dolos adversariorum: nostis eorum impetus, & nostram fragilitatem. Vobis enim loquor qui in eadem tentatione fuistis; qui eosdem superastis conflictus, eosdem laqueos evasistis; qui didicistis ex his quæ passi estis, compassionem. Confido equidem & de Angelis, quòd nec ipsi suam

3. *Sanctorum suffragia nobis desideranda & speranda.*

[h] Iob. 19.

1. *Quia non ignari malorum quæ patimur, miseris succurrere didicerunt.*

i Iob. 5. d

visitare speciem dedignentur, maximè quia scriptũ est [i] : *Visitabis speciem tuam, & non peccabis.* Cæterum etsi de eis mihi arbitror præsumendum ob spiritualis substantiæ, & rationalis formæ similitudinem, ampliori tamen fiducia ad eos mihi reor utendum quos habere me noverim, & in ipsa humilitate consortes; ut oporteat eos familiarius & specialius misereri ossi de ossibus suis, & carni de carne sua.

2. *Quia Sacra eorum pignora id est Reliquiæ penes nos sunt.*

Denique transeuntes ex hoc mundo ad Patrem, sancta nobis pignora reliquerunt. Apud nos siquidem corpora eorum in pace sepulta sunt, quorũ nomina vivent in sæculũ, id est, quorum nunquam gloria sepelitur. Absit, absit à vobis animæ sanctæ, Ægyptia illa crudelitas pincernæ Pharaonis [k], qui in gradum pristinũ restitutus, statim oblitus est Joseph sancti, qui in carcere tenebatur. Non enim erant unius capitis membra, nec aliqua pars fideli cum infideli, aut ulla societas Israelitæ ad Ægyptũ, non plus quàm luci ad tenebras. Interpretatur enim Ægyptus, *tenebræ*, Israel verò *videns Deum*: atque ideo ubicunque Israel erat, lux erat. Non sic noster Jesus crucifixi secum Latronis potuit oblivisci: factum est utiq; quod promissum est: ipsa die qua passus est, & conregnavit. Nos quoque si non sumus ipsius capitis membra, cujus & Sancti, unde eis tam solemnibus hodie votis & tanto gratulamur affectu? Cæterum qui dixit [l] : *Si glorificatur unũ membrum, congaudent omnia membra*: hoc quoque nihilominus ait, *quòd si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Hæc igitur nostra & eorũ cohærentia est, ut nos congratulemur eis, ipsi compatiantur nobis: nos devota meditatione regnemus in eis: ipsi in nobis, & pro nobis militent pia interventione. Nec est quòd de eorum pia erga nos sollicitudine dubitemus, quandoquidem non consummandi sine nobis, sicut supra meminimus, expectant nos usque dum retribuatur nobis: ut videlicet in novissimo die magno festivitatis omnia simul in virum perfectum cum suo tam excelso capite membra concurrant, & laudetur cum hæreditate sua Iesus Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus, laudabilis, & gloriosus in sæcula, Amen.

3. *Quia unius nobiscum corporis membra.*

k Gen. 40. c

l 1. Cor. 12. d

4. *Quia non consummandi sine nobis.*

IN OBITUS. MALACHIÆ EPISCOPI. SERMO.

DE cœlo vobis hodie, dilectissimi, copiosa quædam est benedictio destinata: & fideliter eam non distribui, vobis quidem damnosum esset; mihi vero periculosum, cui nimirum hæc dispensatio videtur esse commissa. Timeo itaque damnum vestrum, timeo damnationem meam, si forte dicatur [a] : *Parvuli petierunt panem, & non fuit qui porrigeret illis.* Scio enim quàm necessaria vobis sit è cœlo veniens consolatio, quos constat illecebris carnalibus & oblectamentis secularibus viriliter abrenunciâsse.

a Thren. 4. a

Malachias in Claram-

Nemo

Nemo sanè beneficii esse cœlestis, & superno dubitet consilio diffinitum, ut Episcopus Malachias hodie inter vos obdormiret, & desideratam inter vos haberet sepulturam. Cum enim nec folium quidem arboris sine divino nutu cadat in terram, quis tam hebes, ut non evidenter in huius beati viri adventu & transitu magnum prorsus consilium supernæ pietatis advertat? A finibus terræ, terram hic positurus advenit, alia quidem occasione festinans, quamvis ob specialem erga nos charitatem id plurimum desideraſſe noscatur. Multa quidem in itinere ipso impedimenta sustinuit, nec transfretare permissus est, donec appropinquaret tempus consummationis eius, & terminus qui non poterat præteriri. Quem quidem multis ad nos pervenientem laboribus, tanquam Angelum Dei pro reverentia sanctitatis suæ susceepimus; sed nos ipse pro sua mansuetudine & humilitate altius radicata, longè suprà quàm meremur devoto susciepiebat affectu. Paucos deinde apud nos dies fecit incolumitate sua dum socios præstolaretur, qui dispersi in Anglia fuerant, cum Regis illius vana suspicio Dei hominem impediret. Jámque omnibus ad eum collectis, ad Romanam, pro qua venerat, curiam parabat iter: cum subito infirmitate præventus sensit protinus ad cœleste magis sese palatium evocari, DEO melius aliquid providente pro nobis, ne à nobis egressus alibi consummaretur.

Vallem venit singulari Dei providentia.

Brevis narratio peregrinationis eius.

Nullum quidem in eo non dico mortis, sed vel gravis ægritudinis signum medicis apparebat, ille tamen exhilaratus spiritu, aiebat omnimodis oportere, ut hoc anno Malachias ab hac vita egrederetur. Laboratum est ècontra, & devotis precibus apud Deum, & quibuscunque potuimus modis: sed illius prævaluere merita, ut desiderium cordis eius tribueretur ei, & non fraudaretur voluntate labiorum suorum. Sic enim pro votis omnia ei concurrêre, ut hunc maximè locum divina sibi inspirante clementia elegisset: & hunc quoque ex longo optaret sepulturæ habere diem, quo fidelium omnium generalis memoria celebratur. Sed & illud nostra hæc gaudia merito cumulavit, quòd fratrum nostrorum ossibus de priore cœmeterio huc asportandis & recondendis, eadem nobis dies auctore Deo fuisset electa. Quæ nimirum deportantibus nobis, & ex more psallentibus idem vir sanctus plurimum sese illo cantu delectari dicebat, & non multo post ipse quoque secutus est somno suavissimo & felicissimo soporatus. Agimus itaque gratias Deo super omnibus dispositionibus suis, quòd indignos nos beatæ mortis eius honorare præsentia, quod pauperes suos preciosissimo corporis eius locupletare thesauro, quod infirmos nos tanta Ecclesiæ suæ voluit fulcire columna. Alterum siquidem è duobus signũ istud quod nobis in bonum factum est, persuadet,

Præscius mortis suæ.

Sepultus in die commemoratione Fidel. Anim.

quòd aut placitus DEO sit locus, aut sibi placitum facere velit, ad quem tantæ sanctitatis virum à finibus terræ moriturum sepeliendúmque perduxit.

Dira mors quæ Malachiam sustulit.

Cæterum populo illi affectuosius condolere, & eius quæ tam miserabili Ecclesiæ dirum hoc vulnus non pepercit inferre, crudelitatem mortis vehementius abhorrere, beati huius Patris charitas ipsa compellit. Dira profecto & inexorabilis mors, quæ tantam hominum multitudinem unius percussione mulctavit: cæca & improvida, quæ Malachiæ ligavit linguam, impedivit gressus, dissolvit manus, oculos clausit. Illos inquam, devotos oculos, qui piissimis fletibus divinam peccatoribus reconciliare gratiam consuevere. Illas mundissimas manus quæ laboriosis & humilibus operibus exerceri semper amaverant, quæ Dominici Corporis Hostiam salutarem pro peccatoribus totiens offerebant; & sine ira & disceptatione in oratione levabantur in cœlum; quæ infirmis multa beneficia præstitisse, & signis variis effulsisse noscũtur. Illos quoque speciosos gressus Evangelizantis pacem, Evangelizantis bona; illos pedes qui totiens fatigati sunt studio pietatis; vestigia illa digna quæ semper devotis osculis premerentur. Sancta denique labia illa Sacerdotis, quæ custodiebant scientiam, os justi quod sapientiam meditabatur: & linguam eius quæ judicium loquens, imò & misericordiam, tantis mederi solebat vulneribus animarum. Nec mirum, fratres, iniquam esse, quam generavit iniquitas: inconsideratam, quam noscitur seductio peperisse. Nihil inquam mirum si ferit sine discretione, quæ venit ex prævaricatione: si sit crudelis & fatua, quæ ex antiqui serpentis fallacia, & mulieris insipientia prodiit. Quid tamen causamur quòd Malachiam ausa sit attentare, fidele equidem membrum Christi, quando & ipsum Malachiæ pariter & omnium electorum caput furibunda pervasit: Pervasit utique immunem, sed non immunis evasit. Impegit in vitam mors, & inclusit intra se vita mortem, & absorpta est mors à vita. Hamum sibi devorans, inde teneri cœpit, unde visa est tenuisse.

Sed neque Christo pepercit.

Quomodo mors à Christo superata cum etiamnum in homines sæviat.

At fortasse quis dicat: Quomodo mors à capite superata videtur, quæ tanta adhuc libertate sævit in membra? Si mors mortua, quomodo Malachiam occidit? Si victa, quomodo adhuc prævalet universis: & non est homo qui vivat & non videat mortem? Victa planè mors opus Diaboli, & peccati pœna, victum peccatum causa mortis, victus & malignus ipse, & peccati author & mortis. Nec modo victa sunt hæc, sed & judicata jam & damnata. Diffinita quidem, sed nondum promulgata sententia est. Denique jam Diabolo ignis paratus, etsi nondum ille præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore finitur malignari. Tanquam

malleus

malleus cœlestis opificis factus est, malleus universæ terræ. Terit electos ad eorum utilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem. Qualis ergo paterfamilias, tales & domestici eius, peccatum scilicet & mors. Nam & peccatum licet simul cum Christo cruci ipsius non dubitetur affixum, adhuc tamen interim non regnare quidem, sed habitare etiam in ipso dum viveret Apostolo permittebatur. Mentior si non ipse ait [o]: *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Sic & mors ipsa minimè quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur non obesse. Erit autem cum dicetur: *Vbi est mors victoria tua?* Et ipsa siquidem inimica novissima destruetur. Nunc verò moderante eo qui imperium habet vitæ & mortis, & mare ipsum certis littorum coercet metis, mors ipsa dilectis Domini somnus refrigerii est, Propheta attestante qui ait [c]: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Pessima quidem mors peccatorum, quorum & nativitas mala, & vita peior: *sed preciosa est mors sanctorum* [d]. Preciosa planè tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus.

Diabolo & morti quid juris seu potestatis in homines relictū.

o Rom. 7. d

c Psal. 86. a*

d Psal. 115.

Congratulemur itaque, fratres, congratulemur ut dignum est patri nostro: quia & pium est defunctum plangere Malachiam, & pium magis Malachiæ congaudere viventi. Nunquid non vivit? Et beatè. Nimirum visus est oculis insipientium mori, ille autem est in pace. Denique jam concivis Sanctorum, & domesticus Dei psallit pariter, & gratias agit dicens [e]: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Transivit planè viriliter, & fœliciter pertransivit. Verus Hebræus Pascha celebravit in spiritu, & nobis transiens loquebatur: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare apud vos. Transivit per ignem & aquam, quem non tristitia frangere, nec detinere mollia potuerunt. Est enim deorsum nos locus, quem sibi totum vendicat ignis, adeò ut ne minimam quidem aquæ guttam de Lazari digito miser ille Dives ibi habere potuerit. Est & sursum civitas Dei quam lætificat fluminis impetus, voluptatis torrens, calix inebrians quàm præclarus! In hoc sanè medio boni & mali scientia continetur, & voluptatis & tribulationis hic capere est experimentum. Infelix Eva in has vicissitudines nos induxit. Hinc planè dies & nox: nam in inferno tantum nox, & in cœlo tantum dies. Beata proinde anima quæ utrunque pertransit, nec voluptati inhærens, nec deficiens in tribulatione.

e Psal. 65. c

Malachias in tristibus & lætis, æquè infractus.

Vicissitudo vitæ præsentis.

Breviter vobis unum aliquid ex multis huius viri magnificis actibus arbitror referendum, in quo strenuè satis & ignem & aquam noscitur pertransisse. Magni illius Patricii Hybernensium Apostoli sedem Metropolitanam

politanam tyrannica sibi progenies successionis ordine creans Archiepiscopos vendicabat, hæreditate possidens sanctuarium DEI. Rogatus itaque à fidelibus Malachias noster, ut tantis sese malis opponeret, animam suam in manibus suis ponens accessit intrepidus, suscepit Archiepiscopatum, tradens sese discrimini manifesto, ut tanto crimini finem daret. Inter pericula rexit Ecclesiam: post pericula sibi continuo successorem alterum canonicè ordinavit. Ea siquidem conditione susceperat, ut postquam cessante persecutionis rabie alter securè posset instrui, ad sedem propriam remeare permitteretur. Ubi sine ecclesiasticis secularibúsve reditibus in congregationibus religiosis, quas ipse extruxerat, degens inter eos tanquam unus eorum, usque ad hoc tempus vixit absque ulla proprietate. Sic Dei hominem examinavit non exinanivit tribulationis incendium (siquidem aurum erat) sic nec illecebra tenuit aut resolvit: nec curiosus spectator in via substitit propriæ peregrinationis oblitus.

Malachiæ Zelus pro domo DEI.

Inter pericula non detrectat curam Ecclesiæ; post pericula mavult vitæ religiosæ quietem.

Quis vestrum, Fratres, non vehementer eius imitari cupiat sanctitatem, si id audeat vel sperare? Credo igitur libentius audituros, si dicere fortè poterimus quid sanctum fecerit Malachiam. Sed ne nostrum forsitan minùs acceptabile testimonium videatur, scripturam audite dicentem [g]: *In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum.* Fide calcabat mundum, Joanne attestante qui ait [b]: *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides vestra.* Nam in spiritu lenitatis dura quælibet & adversa æquo animo tolerabat. Hinc quidem post Christum fide calcabat Maria, ne caperetur illecebris: inde in patientia sua possidebat animam suam, ne molestiis frangeretur. De his enim duobus habes in Psalmo: casuros *à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*: quod multo plures prosperitatis fallaciæ, quàm adversitatis flagella dejiciant. Nemo itaque nostrum, charissimi, plana mollioris viæ superficie delectatus, iter illud marinum sibi commodius arbitretur. Magnos hic campus montes habet, Invisibiles quidem, sed eo ipso periculosiores. Laboriosior fortè via videtur inter ardua collium, & aspera rupium, sed expertis longè securior & desiderabilior invenitur. Utrobique tamen laborem, utrobique periculum esse noverat, qui dicebat [k]: *Per arma justitiæ à dextris & à sinistris*: ut meritò congratulemur eis qui transierunt per ignem & aquam, & in refrigerium sunt educti. Refrigerium vultis audire? Utinam id vobis alius loqueretur. Nam ego quod non gustavi, eructare non possum.

g Eccl. 45. a
b 1. Ioan. 5. a

i Psal. 91. b

Plures dejicit prosperitas quàm adversitas.

Plana via commodior, sed aspera securior.

k 2. Cor. 6. b

Videor taman mihi hodie super hoc refrigerio Malachiam audire dicentem [l]: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi: quia eripuit animam meam de morte, &c.* In quibus verbis quid intelligam, paucis audite. Siquidem inclinata est jam dies, & longius quàm

l Psal. 114. b

quàm speraveram sermo processit, quòd invitus avellar à paterni dulcedine nominis & Malachiam silere lingua formidans, finem facere vereatur. Mors animæ, fratres mei, peccatum est, nisi fortè excidit vobis quod in Propheta legistis [m]: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Triplex proinde congratulatio est hominis ab omni peccato, & labore, & periculo liberati. Ex hoc siquidem nec peccatum in eo habitare dicitur, nec pœnitentiæ luctus indicitur, nec ab ullo deinceps lapsu ei prædicitur esse cavendum. Posuit Helias pallium, non est, quod timeat: non est, quod tangit nedum teneri ab adultera vereatur. Currum conscendit: non est jam trepidare ne cadat: suaviter scandit, non laborans volatu proprio, sed celeri in vehiculo sedens. Ad hoc nos refrigerium, dilectissimi, tota animi aviditate curramus in odore unguentorum huius beati Patris nostri, qui nostrum hodie torporem in ferventissimum desiderium visus est excitasse. Curramus, inquam, post eum crebrius illi clamantes: Trahe nos post te: & affectu cordis, & profectu conversationis devotas omnipotenti misericordiæ gratias referentes, quòd indignis servulis, quibus propria desunt merita, aliena saltem voluit suffragia non deesse.

Hominis sancti ex hoc sæculo liberati triplex congratulatio.

[m] Ezech. 18. a

Sermo I.

Hi sermones hoc loco ponuntur, eo quod Prophetia Esaiæ sub Kalend. Novemb. in officio Eccl. legi incipiat.

De verbis Esaiæ: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum: & ea quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius & duabus volabant.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & plena erat omnis terra maiestate eius [a]. Sublimis quædam visio Prophetico nobis sermone describitur. *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem.* Magnum spectaculum, fratres, & beati oculi qui viderunt. Quis non toto desiderio concupiscat tantæ maiestatis gloriam contemplari? Hoc quippe Sanctorum omnium unicum semper desiderium fuit. Ipse est enim in quem desiderant Angeli prospicere, quem videre est vita æterna. Sed aliam, fratres, audio Prophetæ eiusdem, & eiusdem Domini longè dissimilem visionem. Siquidem Esaias iste est qui in alio loco sic loquitur [b]: *Vidimus eum, & non erat ei species neque decor, & æstimavimus eum tanquam leprosum, &c.* Ubi illud primum considerandum est, quòd communis illa, hæc Propheticæ prærogativæ propria videatur. Non sine causa sanè ibi, *vidimus*, scriptum est: & hic, *vidi*: nisi ut illam quidem intelligas esse communem, hanc verò excellentiæ singularis. Siquidem absque specie & decore vidit eum & sprevit Herodes: viderunt quoque ipsi Judæi, qui & dinumeraverunt

Visio DEI duplex in maiestate, & humilitate.

[a] Isa. 6. a

[b] Esai. 53. a

raverunt omnia ossa eius. Jam verò super hac visione beata manifestè
d Isai. 26.b Propheta denuncians ait [d]: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.*

Multifariè ergo multisque modis non solùm locutus in Prophetis, sed & visus est à Prophetis. Agnovit eum David minoratum ab Angelis [e], Hieremias etiam vidit eum cum hominibus conversantem [f], Esaias modo super solium excelsum, modo non solum infrà Angelos, aut inter homines, sed tanquam leprosum se vidisse testatur *, id non in carne tantum, sed in similitudine carnis peccati. Tu quoque si desideras videre sublimem, humilem prius JESUM videre curato. Intuere prius exaltatum in deserto serpentem, si videre desideras regem in solio residentem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet humiliatum. Reprimat & sanet ista tumorem tuum, ut illa repleat & satiet desiderium tuum. Exinanitum vides? non sit ociosa visio, quia exaltatum ociosè videre non poteris. Similis eris illi, cum videris eum sicuti est [g], esto & nunc similis ei videns eum sicut propter te factus est. Si enim ne in humilitate quidem similitudinem eius abnuis, certa tibi sublimitatis quoque similitudo debetur. Nunquam ille socium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri. Denique usque adeo non dedignatur passionis suæ consortem & in regnum mittere secum, ut in cruce confitens Latro eadem die cum eo fuerit in paradiso. Hinc est quod ait etiam ad Apostolos: *Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus meis, & ego dispono vobis regnum* [h] Quia ergo si compatimur, & conregnabimus, sit interim meditatio nostra, Fratres, Christus, & hic crucifixus. Ipsum ponamus signaculum super cor, signaculum super brachium nostrum. Ipsum amplectamur brachiis quibusdam vicariæ dilectionis, ipsum sequamur studio piæ conversationis. Hoc enim iter quo ostendatur & nobis ipse, qui est salutare DEI: sanè non jam sine specie & decore, sed in claritate tanta, ut maiestas eius repleat orbem terrarum.

e Psal. 8. a
f Baruc. 3.d
* *supra.*

Christus prius in humilitate videndus, antequam videatur in gloria.

Patientes modo cum Christo tandem regnabunt cum ipso.

h Luc. 22. c

Meditatio & imitatio Christi patientis commendatur.

Opportunè siquidem visione prima tanquam hyemali adhuc tempore non super solium, sed in inferiori atque humiliori habitatione videtur. Duplicem quippe solet habere magna domus quælibet mansionem, æstivam superius, inferius hyemalem. Igitur dum ipsa etiam discipulorum corda brumali adhuc glacie stringerentur, & Petrus quoque non minus gelido corde quam corpore calefaceret se ad prunas, tempus omninò non erat habitandi in solio, vel potius apparendi. At ubi cantabitur canticum novum [i]: *Hyems abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra*: opportunè jam tunc ascendetur in solium: & habitabit Dominus in excelso. Puta ergo Isaiam cum hæc loqueretur, illius gloriam temporis oculo prævidisse Propheticо. *Vidi* (inquit [k]) *Dominum*

i Cant. 2.c

k Esa. 6.a

Dominum sedentem super solium excelsum, &c. Sed quid putamus quale est solium istud, fratres? Neque enim Altissimus in manifestis & manufactis inhabitat. Nulla omnino materia corporalis apta tanto solio, tanto habitatori videtur. Vivis est construenda lapidibus fabrica spiritualis, quam vera & æterna vita sua inhabitare dignetur. Quòd si minùs tanto ædificio sufficit Angelica creatura, prævaricatorum utique minorata præcipitio, suscitet certè de terra inopem, & solium gloriæ compleat [l]. Et fortassis propterea ipse qui vidit, non modo excelsum solium, sed & elevatum quoque describit, ut proinde & Angelorum stabilis celsitudo, & hominum misericors elevatio designetur. Quæ sequuntur, diligentiorem & ipsa considerationem desiderare videntur: sufficiat hodie vel cœpisse.

[l] Psal. 112. a

Sermo II.

De Verbis Esaiæ Prophetæ.

Plena erat (ait contemplator noster de eo quem super solium viderat) *majestate eius omnis terra* [a]. Adveniat regnum tuum, ut majestate tua sicut cœlum repletur, repleatur & terra. Ut quidem enim princeps huius mundi tanto ubique furore debacchatur, nisi quia terra data est in manus impii? Sed & hæc est hora eius, & potestas tenebrarum. Erit certè quando qui in cœlo locum non habuerit, & ab ipsa quoque terræ superficie exturbabitur, miser cavernis utique subterraneis recludendus. Hinc quoque Propheta David sanctorum prosperitate præmissa de maligno & Angelis seu membris eius adiecit & ait [b]: *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ.* Nulla jam nunc tentandi facultas erit, inquietandi nulla libertas, possibilitas nulla nocendi. Replebitur majestate eius omnis terra, quando jam voluntatis eius transgressio nulla erit. Magis autem quando creatura ipsa liberabitur à servitute corruptionis huius, propter quam ingemiscit & parturit usque adhuc. Erit enim cœlum novum & terra nova: ut quaqua verteris oculos, in ipsa tibi rerum facie divina videatur quodammodo resplendere majestas.

[a] Isai. 6. a

Terra majestate Domini replenda exclusa ab ea Satana.

[b] Psal. 1. b

Sed & est tibi altera quædam terra propinquior, & super hanc amplior justiórque solicitudo. Nemo quippe carnem suam odio habuit [c]. Consolare ergo eam, ut & ipsa requiescat in spe: audiens nimirum quia replebitur majestate Domini omnis terra. Quomodo enim nunc carnem nostram, dilectissimi, majestas divina repleat, cum & magnus ille Paulus primitias tantum spiritus habens ingemiscat miserabiliter satis, & dicat [d]: *Scio quia non est in me, hoc est in carne mea, bonum?* Et certe jam non dominabitur peccatum in eius mortali corpore. Nota

[c] Ephes. 5. f

Terra corporis nostri replenda quoque majestate Domini.

[d] Rom. 7. d

tamen adhuc,& corpus mortale perhiberi [e], & peccati quoq; solum dominiũ negari. Erat enim etiam tunc lex peccati in membris eius [f], quam quidem maiestatis plenitudo cum venerit, prorsus excludet. Non solum autem, sed & novissima inimica destruetur mors. Replebitur ergo majestate Domini terra nostra, quando prorsus de medio fiet & peccati omnis sensus, & debitum mortis. Replebitur, inquam, omnis terra nostra, Domini maiestate, quando resurrectionis gloria vestietur, induet immortalitatis stolam, configurabitur denique claritati corporis Christi. Salvatorem siquidem expectamus qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ [g]. Quid adhuc murmuras caro misera, quid adhuc recalcitras, & adversus spiritum concupiscis? Si te humiliat, si castigat, si redigit in servitutem, id profecto in tuo genere non minus tua interest quàm ipsius. Quid eis invides, qui de operibus vermium & murium pellibus ingloriam planè gloriam mendicare non erubescunt, cultu indigno viris interdicto & mulieribus, semetipsos dehonestantes potius quàm ornantes? Reforment ipsi, aut magis certe deforment corpora sua, te (si fueris corpus humilitatis) reformabit idem artifex qui formavit. Illam (si non desipis) præstolare manum, ut quod fecit ipsa reficiat.

e Ibid. b
f Rom. 7. b
g Philip. 2. d

Carnis castigatio & mortificatio spectat ad ipsius carnis gloriã.

Jam vero quid in ipsa prophetica visione sequatur attende. *Et ea,* inquit [h] *quæ sub ipso erant, replebant templum.* Propterea sane dixit, Humiliare sub potenti manu Dei, ut exaltet te in tempore visitationis. Vide ut sub ipso inveniaris, alioquin non esse poteris cum ipso. Quid enim putas, indifferenter admittent homines in illud tantæ beatitudinis templum, qui ne ipsos quidem Angelos indifferenter reliquit in eo? Aut non discernet inter glebas, qui discrevit inter stellas? Examinabit certè argentum, qui ipsum quoque aurum probavit & reprobavit. Quidem ergo putas necesse est hominem inveniri, qui repudiati locum Angeli sortiatur? Planè immunem ab omni iniquitate, sed ab ea maximè quæ in ipso quoque Angelo, non ad levem offensam, non ad momentaneam iram inventa est, sed ad odium sempiternum. Semel turbavit superbia regnum illud, concussit muros, etiam prostravit ex parte, & parte non modica. Quid ergo? Faciléne deinceps admittenda videtur? Nunquid non odit civitas illa & vehementer huiusmodi pestẽ abominatur? Certi estote, Fratres, eum qui superbis non pepercit Angelis, nec hominibus parciturum. Non est contrarius sibi ipsi, non est personarum acceptor, similia sunt judicia eius. Sola ei placet humilitas sive in Angelo, sive in homine: & qui sedet in throno, solos eligit subditos, è quibus repleat templum. Scriptum quippe est [i]: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo*

h Isa. 6. a

Angelos superbos Cœlo Deus expulit, utique non admissurus homines.

Superbia quã aliena & inimica cœlo.

i Psal. 112. a

in cælo & in terra? Vide autem ne forte Michaelis verbum sit, superbo illi dicenti [k]: *Similis ero altissimo*: in faciem resistentis. Michael quippe interpretatus dicitur, Quis ut Deus? [k] Isa. 14. d

Benè ergò Propheta cum dixisset vidisse se *Dominum super solium excelsum & elevatum*, ne fortè aut excelsum intelligeres de eo dictum qui ait [l]: *Ascendam super altitudinem nubium*: aut elevatum referres ad eos homines qui in superbiam eriguntur: addit. *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum*: ut manifestè intelligas non eam altitudinem commendari quæ extollitur adversus eum, sed eos in templo sive in solio sore, qui sub eo sunt, alios quidem excelsos stabilitate solida, alios ex imo levatos miseratione divina. Ac ne forte objicias ditioni ejus universa subesse, nec quicquam determinationis habere quod ait, quæ sub ipso erant, ut solam quæ voluntaria est, & ex fervore charitatis procedit, approbaret & commendaret Dei subjectionem, addidit & de Seraphim, de quibus & nos loco suo dicemus, quod ab eo fuerit datum. [l] Ibid.

Et ea, inquit, *quæ sub ipso erant, replebant templum*. Ab initio siquidem creaverat Angelos Deus, in quibus beati illius templi plenitudo constaret, sed non in omnibus beneplacitum est ei, quia *& in ipsis* (ut scriptum est [m]) *Angelis suis reperit pravitatem*. Fuit quippe in eis qui diceret. *Ponam sedem meam ad Aquilonem* [n]: & populum qui sibi crederet habuit. Miser ipse, qui sine Deo esse maluit quàm sub Deo; miseri & illi qui videntes furem cucurrerunt cum eo. Exierunt infelices, & vacuus relictus est locus, quem accipiet alter. Nonne Deo subjecta eris anima mea? Alioquin nec tibi locus erit in templo, quia quæ sub ipso erant, replebant templum. Frustra pulsabunt fatuæ virgines, in vanum clamabunt ubi impletæ fuerint nuptiæ discumbentium, & janua clausa erit. Infelix anima cui à nuptijs illis contigerit excludi. Infelix de quo clamabitur: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Ut quid enim lucem hanc temporalem miser ille videt, qui gloriam illam non merebitur intueri? Utinam nihil unquam vidisset oculus meus, si illa (quod avertat Deus) frustrandus est visione. Eant superbi, insolescant magis, extollantur, inflentur, appetant semper in cumulo apparere: ut cum venerit æquitatis linea, à plenitudine ejiciantur. Tu verò non sic, sed Deo subjecta esto anima mea, subjecta sane ex animo, subjecta cum fervore devotionis, quia *Seraphim stabant super illud*. Cum quibus stemus & nos hodie, fratres, nec dimoveamur à templo isto, in quo omnes dicunt gloriam, quia gloriam contemplantur Domini nostri Jesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen. [m] Job. 4. d [n] Isa. 14. d *Angelorum superborum infelicitas.*

Sermo III.

De Verbis Esaiæ Prophetæ.

NOn vobis arbitror excidisse de duobus Seraphim hodie nobis habendum esse sermonem propter illud Isaiæ [a]: qui postquam Dominum sese vidisse testatus est super solium residentem, addidit *Seraphim stare super illud.* Seraphim quidem, dilectissimi, sicut frequenter audistis, nomen est supernorum spirituum, ordinis unius de novem summi atque supremi. Verùm hoc loco, ut arbitror, non in ea ponitur significatione, præsertim cum innumera illa sint agmina, hic duo tantum Seraphim describantur.

[a] Esa 6. a

Et ego quidem, fratres, si licet in hac parte unicuique abundare in suo sensu, in duobus Seraphim duplicem arbitror intelligi creaturam rationabilem, angelicam scilicet & humanam. Nec mireris hominem Seraphim factum, memento quia creator & Dominus Seraphim factus est homo. Ad Contumeliam tuam, ô superbe, qui creatus inter Angelos, inter Angelos stare non meruisti, ecce rex noster novos in terra Angelos fabricaturus advenit. Atque ut tabescat amplius, & livore proprio torquearis; non qualescunque, nec inferiores alicujus ordinis Angelos, sed Seraphim. Audi enim quid ipse loquatur, *Ignem*, inquit [b], *veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur*? Vult ergò Seraphim fabricari, ut ibi stent, unde tu corruisti. *Seraphim*, inquit, *stabant super illud.* Ut quid ergo tu qui mane oriebaris Lucifer, in veritate non stitisti, nisi quia Seraphim non fuisti? Seraphim quippe Ardens vel Incendens interpretatur. Tu vero habuisti miser lucem, sed ardorem non habuisti. Bonum erat tibi si ignifer magis esses quam lucifer nec tam immoderato appetitu lucendi, ut eras frigidus ipse, frigidam quoque eligeres regionem. Dixisti enim [c]: *Ascendam super altitudinem nubium, sedebo in lateribus Aquilonis.* Quid festinas mane oriri Lucifer? quid gloriaris super sidera, quibus aliquando clarius rutilare videris? Brevis omnino erit gloriatio tua. Sequitur sol justitiæ, quem te esse vana simulatione jactabas, cujus fervore pariter & splendore in nihilum redactus omnino dispareas. Frustra quoque paras venturum in fine sæculorum Dominum, tanquam veri solis ortum in damnato illo quem assumpturus es homine prævenire, & extolli super omne quod dicitur aut colitur DEUS: quia & tunc adventus ejus illustratione penitus destrueris.

Per duo Seraphim, intelligitur creatura Angelica & humana.

[b] Luc. 12. f *Christus ad reparandas ruinas Angelorum novos in terra condit Angelos, imò Seraphim, i. e. homines igneos.*

[c] Esa. 14. d *Lucifer lucem habuit, sed non ardorem.*

Quàm melius (& certe non ad insipientiam sibi) Joannes Baptista, siquidem & ipse lucifer fuit, non sua præsumptione, ne ipse fur esset & latro,

latro, sed Dei Patris auctoritate præmissus est ante Dominum. *Ecce*, inquit [d], *mitto angelum meum ante faciem tuam* &c. Habes & in Psalmo decodem [e]: *Paravi lucernam Christo meo.* Ille enim erat lucerna ardens & lucens, & voluerunt Judæi ad horam exultare in lumine ejus, sed non ipse. Unde ergo? Ipsum interroga, ipse de se loquatur. *Amicus*, inquit [f], *sponsi stat, & gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Stat ergo Joannes: neque enim arundo est vento agitata. Stat quia amicus, stat quia ardens est, & Seraphim stare describuntur. Vere amicus sponsi, qui procedentis de thalamo suo non æmulatur gloriam, sed parat viam, sed prædicat gratiam: ut & ipse de plenitudine ejus accipere mereatur. Lucet ergo Joannes, tantò utique clarius, quanto amplius fervet, tantò verius, quantò minus appetit lucere. Fidelis lucifer, qui Solis justitiæ non usurpare venit, sed prænunciare splendorem. *Non sum ego* (inquit [g]) *Christus, venit fortior me post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus.* Et illud: *Ego baptizo vos aqua, ille baptizabit vos spiritu sancto & igne.* Ac si manifestè Lucifer dicere videatur. Quid admiramini intuentes splendorem meum? Non sum ego sol, longè alium videbitis eum: in ejus comparatione tenebræ sum, & non lux. Ego tanquàm sidus antelucanum matutino vos rore perfundo, ille emittet in fervore radios suos, solvet glacies, palludes siccabit, algentes calefaciet, pauperibus erit pro vestimento. Nec sane dissonat à verbo judicis vox præcursoris, sed manifeste ignem à Ioanne promissum, Christus exhibuit dicens [h]: *Ignem veni mittere in terram.*

[d] Luc. 7. d
[e] Psal. 131. c
S. Ioannes lucerna non tantum lucens sed & ardens.
[f] Luc. 7. c
[g] Ioan. 3. d
Ioannes Christi gloriam sibi non usurpat.
[h] Luc. 12. f

Dicas fortassis in igne ut fervorem, sic & splendorem esse. Non contendo, licet fervor ei quodammodo substantialior videatur: ipsum potius audiamus quid magis in igne commendet. *Ignem* (ait) *veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Cognovisti certe quid velit. Sed ne illud quidem ignoras, quod vita in voluntate ejus [i], & servus sciens nec faciens Domini voluntatem, plagis plurimis habeat vapulare [k]. Quid lucere festinas? Nondum illud advenit tempus in quo fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. Interim pernicioſus est iste appetitus lucendi: fervere enim multo melius. Denique si tam vehementer splendorem desideras, quod videri vis, esse curato, & primum quære fervorem, nec dubium quin & splendor adijciatur tibi. Alioquin in cassum laboras; quia vanus splendor, absque fervore. Mutuata aut magis certè simulata lux est quæ non ab igne procedit. Quod autem alienum est, ad modicum poteris usurpare. Erit major confusio, quod non erat tuum, tuum voluisse videri. Luna (ut aiunt) habet absque fervore splendorem, sed & ipsum mutuatur à sole, ideoque tam

[i] Psal. 29. b
[k] Luc. 12. f
Præposterum splendoris desiderium sine fervore.

tam frequenter, imò & semper mutatur, nec unquàm in eodem statu permanet. Sic profectò stultus ut luna mutatur, sapiens permanet ut sol [l]. Ille, inquam, stultus qui in decore suo perdidit sapientiam, id est, qui refriguit in splendore.

[l] Eccli. 27. b

Cecidit ergo Lucifer ut fulgur de cœlo; *Seraphim verò stabant super illud.* Stant plane Seraphim: quia charitas nunquam excidit [m]. Stant attoniti & suspensi in contemplatione sedentes in throno, stant in æterna incommutabilitate & æternitate incommutabili. Tu sedere tentasti ô impie, propterea tui moti sunt pedes, & effusi sunt gressus tui. Filius est qui sedet in throno, Dominus Sabaoth, cum tranquilitate judicans omnia. Sola sedet Trinitas, quæ sola habet immutabilitatem, sola est apud quam non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Seraphim verò stant immutabiles quidem, sed suo modo, non in ejus comparatione. Stant extendentes se & intendentes in eum in quem prospicere concupiscunt. Qui sedere præsumpsit, seipso voluit esse contentus, unde solam hodie quoque malitiam esurit: quia solam habet hanc à semetipso. Cum loquitur mendacium, de proprio loquitur; quia mendax est, & pater ejus [n]. Quod audis de verbo mendacij, intellige & de opere malitiæ. Et licet male sibi in malo complaceat, sufficere tamen sibi nunquam poterit nec in ipso. Sola proinde sedet Trinitas summa, quæ sola in se est, & ideo sola vera est: sola se fruitur, sola nullius eget, sola sufficit sibiipsi.

[m] 1. Cor. 13. d

Statio Seraphim incommutabilitatem denotat.

Sedere quomodo soli conveniat Trinitati.

[n] Ioan. 8. f

Sermo IV.

De Verbis Esaiæ Prophetæ.

Cum dixisset Propheta: *Et Seraphim stabant*: adjunxit deinde & ait: *Sex alæ uni, & sex alæ alteri.* Quid sibi volunt alæ istæ, Fratres? Ergone etiam cum hiems transierit, sedebit rex super solium, volandum adhuc erit & ipsis Seraphim, ut possint diversis occurrere necessitatibus diversorum, ab imminentibus liberare periculis, opem ferre laborantibus, in tribulatione positos consolari? Absit ut in illo æternæ beatitudinis regno necessitas aut periculum aut labor aut tribulatio sit, cui oporteat subveniri. Ad quid ergo tunc alæ? Placet mihi statio illa, omninò sic volo manere, nec aliquid prorsus admitto quo mihi stabilitas illa depereat. Veruntamen scio beate Isaia, quòd Propheta es tu, & spiritum ejus habes qui abundantia pietatis excedit hominum non modo merita, sed & vota. Salva mihi sit illa tam amata stabilitas; jam si quid *alæ* istæ ad beatitudinem addiderint, non recuso. Credo autem sicut in statione immutabilitatem, sic & in volatu alacritatem promittit, ne videlicet insen-

[a] Esa. 6. a

Sex alæ Seraphim.

sibilis

sibilis quædam, & quasi lapidea stabilitas æstimetur. *Sed dicas.* Et si alas habere necesse est, quare tam multas? Quid sibi vult multiplicitas ista pennarum? Audi quod sequitur. *Duabus alis velabant caput, duabus pedes, duabus volabant.* In quibus verbis videre mihi videor, quod de statione dictum est, volatu manifestius explicari. Quò enim Seraphim volant, nisi in eum cujus ardent amore? Vide flammam quasi volantem & stantem simul, nec miraberis jam Seraphim stantes volare, stare volantes.

Alarum multiplicitas quid sibi velit.

Sed quia diximus quò volant, ipsas quoque quibus volant, alas exigere religiosa curiositas vestra videtur. Certius posset & credibilius testimonium perhibere, cui datum est & videre. Ego tamen opinor non incongrue pennas istas *agnitionem* & *devotionem* intelligi posse, quibus in eum qui supra ipsos est, Seraphim rapiuntur. Levat quippe cognitionis ala, sed sola non sufficit. Ruit citius qui una tantum ala volare contendit: & quo magis attollitur, pejus colliditur. Experti sunt hoc philosophi gentium; qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum, glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum [b]. Denique traditi in reprobum sensum, usque in ipsas etiam passiones ignominiæ corruerunt. Adeò vera probatur illa sententia [c]. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Sic & zelus absque scientia, quo vehementius irruit, eo gravius corruit, impingens nimirum atque resiliens. Ubi vero intelligentiam charitas, agnitionem devotio comitatur, volet securè quisquis ejusmodi est, volet sine fine, quia volat in æternitatem.

Cognitio & devotio alæ quibus in Deum rapimur.

b Roma. 1. c

c Iacob. 4. d

Securè volatur ubi scientiam charitas comitatur.

Jam super ea quæ præmittitur capitis & pedum velatione, extat à Patribus probata sententia, Dei caput pedesque velari, eo quod lateat quid ante mundum fuerit, quidve futurum post consummationem. Et hoc quidem pro eo, quod distinctè in latinis codicibus scriptum est, *Caput ejus, & pedes ejus.* Testatur autem interpres noster in Hebræo verbum esse commune, quòd interpretari possit, ejus, & suam, ut Seraphim juxta Hebræi sermonis ambiguitatem, vel faciem, pedesque Dei, vel suam faciem ac pedes operire dicantur. Unde & mirũ videri potest, cur è duobus eum magis in interpretatione elegerit sensum, quem visionis ipsius consequentia minus videtur admittere, ut videlicet & velarent pariter caput pedesque sedentis, nisi quod Origenis expositionem secutus est in hac parte.

Capitis & Pedum velatio quid significet.

Interpretatio duplex.

Quod si de ipsis quoque Seraphim licet accipere, sic pinge ea, ut operto capite & pedibus, solum appareat corpus medium, sed & ipsum quoque non penitus, propter eas nimirum alas quibus volare perhibentur. Considero siquidem quasi quoddam caput, corpus, & pedes meos in verbis Apostoli, quibus ait [d]: *Quos enim præscivit & prædestinavit conformes fie-*

d Rom. 8. f

mes fieri imaginis filij sui : & quos prædestinavit, hos & vocavit. Quos autem vocavit, hos & justificavit. Et quos justificavit, hos & magnificavit. Ita initium meum solius gratiæ est, & non habeo quid mihi in prædestinatione attribuam sine vocatione. Non sic sanè ab opere justificationis alienus sum, operatur & illud gratia, sed plane mecum. Videsne quemadmodum Seraphim in medio appareat aliquatenus? Porrò consummatio quidem & ipsa solius gratiæ est: nec est mihi in hac parte, vel cum ea, sive in ea gloriari, quasi coadjutor videar aut cooperator. Velat itaque Seraphim caput suum duabus pennis, si & veraciter cognoverit & humiliter fateatur quia misericordia eum sola prævenerit. Velat & pedes alis æquè duabus, si misericordiæ quoque quæ subsecutura est, nec ignarus extiterit nec ingratus. Quam sane capitis & pedum velationem, & nunc quoque negligere non oportet, licet tunc maxime perficienda sit quando Iudex sedebit super solium, & astantes sibi Seraphim & agnitione veritatis subtilius illustrabit, & inflammabit vehementius charitatis ardore. In quorum numero indignos nos servos nominis sui, ipsa de qua locuti sumus constituere dignetur misericordia, quæ ab æterno est & usque in æternum super electos, in medio quidem aliquatenus ostendens liberum arbitrium, meriti gratiâ, principium & finem omninò soli vendicans sibi: ut sit nobis Alpha & Omega Dominus Deus noster, & pro utroque jure clamemus. *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, Amen.

Prædestinationis opus universum soli gratiæ tribuendum.

e Psal. 113. b

Sermo. V.

De Verbis Esaiæ Prophetæ.

COmmendant nobis sacræ litteræ Christum Dominum & ex Patre, & in Patre, & cum Patre, & à Patre, & pro Patre & etiam sub Patre. Quòd dicitur, *ex Patre*, ineffabilis est nativitas: quòd *in Patre*, consubstantialis unitas: quod *cum Patre*, æqualitas majestatis. Sane enim tria hæc ab æterno. Cæterum si ex Patre nascens, quid in Patre, aut cum Patre? Non incongruè forsitan in Patre cubans, cum Patre sedens dicatur. Et audite confessus & hujus accubitus rationem. Sicut enim sessio majestatem, sic confessio æqualitatem exprimit majestatis, præsertim cum sit ei sedes à dextris Patris, non sane sub pedibus, vel quasi à tergo. Et sedere quidem jam quiescere est, sed jacere magis. Quid autem delectabilius & quodammodo dulcius esse videbitur Filio, quòd in Patre est, an quod cum Patre omnibus præest? In quo putas horum summa illa pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, & singularis requies Domini competentius assignetur? Et si dignè ore id exprimi nequeat, corde tamen forsitan piè concipitur: ut salva

Christus ex Patre; In Patre; & cum Patre.

In Patre & Filio, & substantiæ unitas, & gloriæ æqualitas.

ut salva quidem in omnibus illius invisibili simplicitate essentiæ, inter gloriæ æqualitatem, & substantiæ unitatem, velut similis quædam ei, quæ inter consessum & accubitum est, cogitari posse distinctio videatur.

Denique parum videtur sponsæ videre sedentem, cubantem sibi flagitat indicari. *Indica mihi* ait [a], *quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie.* Sed & animæ omni quæ sanum sapit, dulcius sapit per omnem modum quod Apostolus ait [b]. *Qui adhæret Deo, unus spiritus est:* quàm quod Apostolis dicitur. *Cum sederit rex in sede majestatis suæ, sedebitis & vos judicantes:* haud minus utique jucundior sessione cubatio. *Ego in Patre,* ait Filius, *& Pater in me est.* Non potuit expressius substantiæ unitas commendari. Ubi enim uterque in altero, nihil quasi exterius licet, nihil interius cogitari, simplicissimam magis credi necesse est in ambobus substantiæ unitatem. Veruntamen aliquatenus huic simile est quod dicitur [d]: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo:* nisi quod hic quidem spiritualis quædam unio, secundum quod supra memoravimus. *Qui adhæret Deo,* non quidem unum, id est non una substantia, *sed unus spiritus est:* illic vero naturalis potius & substantialis unitas designatur. Unde & habes in Evangelio [e]. *Ego & Pater unum sumus.* Illud proinde juxta præfatam similitudinem tanquam cubiculum unigeniti, & quasi summa quædam Domini requies est. Nos quoque per hanc voluntatem unionem, & adhæsionem spiritus, quam nimirum charitas facit, pro nostro quidem modulo, in hoc suum cubiculum, & in suam requiem factus etiam primogenitus introducit.

Iam vero quòd dicitur *à Patre,* ambulantem significat, & ad eum quem proximè ipso præstante celebraturi sumus, spectat incarnationis ejus adventus. Hinc nimirum & ipse ait [f]: *Ego enim à Deo processi & veni.* In terris denique visus, & cum hominibus conversatus medius nostrum, quem nesciebamus stetit [g], verus quidem Emmanuel, nobiscum Deus, nobiscum stans, sed *pro Patre.* Quòd enim nobiscum stetit, adjutorium, quod pro Patre stetit, zelum designat. Paternam namque quærebat in omnibus gloriam, cujus & venerat facere voluntatem. Cæterum si pendentem consideres, si Christum & hunc crucifixum attendas, ibi maximè evidentissimèque eum *sub Patre* reperies: hoc enim proprie ac specialiter ad humanæ pertinuit naturæ humilitatem: secundum quam ipse ait [h]: *Pater major me est.* Diceréne audebimus quòd aliquando fuerit etiam *sine patre*? Nemo id præsumeret, si non prior ipse dixisset [i]. *Deus meus Deus meus ut quid dereliquisti me*? Quasi quædam enim ibi derelictio fuit, ubi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostensio majestatis.

a Cant. 1. b

b Cor. 6. d.

c Matt. 19. d

d 1. Ioan. 4. c

e Ioan. 10. f

Christus à Patre;

f Ioan. 8. c

g Ibid. 1. d

Pro Patre; & sub Patre.

h Ioan. 14. c.

i Matth. 27.

Habemus itaque Christum ex Patre *nascentem*, in Patre *cubantem*, cum Patre *sedentem*, à Patre *ambulantem*, pro Patre *stantem*, sub Patre *pendentem*, sine Patre quodammodo *morientem*. Quonam igitur modo ex his vidisse eum credemus Isaiam, cum diceret [k]: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum*? Longe enim per omnem modum dissimilis ea visio fuit, de qua alibi idem Propheta [l]: *Vidimus eum*, inquit, *& non erat ei species neque decor*: *& æstimavimus eum tanquam leprosum, & percussum à Deo & humiliatum.* Idem utrobique vidit eundem, sed non vidit eodem modo, ac per hoc quodammodo non eundem. Ibi enim vidit eum lividum plagis, saturatũ opprobriis, afflictum suppliciis, lacessitum injurijs. Vidit denique contemptibilem, vidit pendentem, vidit propter nos morientem, & ait [m]: *Attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus.* Ibi inquam novissimus virorum apparuit despectus: hic autem erat plena omnis terra majestate ipsius. Ibi vir dolorum, & sciens infirmitatem hîc Dominus sedens. Et illa quidem communis visio verbo pluralis numeri designatur, hæc autem tam singularis est, quàm sublimis. Ibi ergò tanquam unus de multitudine, *vidimus* ait: hic verò tanquam solus & solitarius levans se supra se, *vidi*, inquit, *Dominum sedentem* &c. Sane competenter *Dominus* dicitur, qui sedere conspicitur. Sedere enim præsidentis est, sedere dominantis est & regnantis. Maximè vero sedere super solium, dominationem notat: nam sedere simpliciter, aliquando & humiliationem. Cæterum ut prædiximus, qui in Patre cubat delicians, cum Patre imperans sedet, ibi sponsus amabilis, ibi Dominus admirabilis. Denique gloriosus Deus in sanctis suis, mirabilis in majestate sua.

[k] Isa 6. a

[l] Ibid. 53. a

[m] Ibid. b

Diversimoda Christi visio apud Isaiam.

Sedere, dominationem notat.

Vidi, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & plena erat omnis terra majestate ejus: & ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Quæ enim sub ipso erant? Nunquid ipsum quod dixerat solium quamlibet excelsum & elevatum, sub ipso tamen nihilominus erat? Si enim ipse super solium sedens, solium plane sub ipso. Et quomodo illud replebat templum? Deinde quando & ipsa jam terra omnis plena est majestate ejus, quomodo templum adhuc vel unde repletur? Enim vero disce ex his quæ audis, solium non machinam imaginari corpoream, sed angelicam intelligere creaturam. Si enim sedis est sapientiæ anima justi, quàm dignior sedes angeli sancti? Hoc plane solium gloriæ ejus excelsum per naturam, sed multo magis per gratiam elevatum. Excelsos enim fecit eos natura conditionis, elevatos gratia confirmationis, de qua dicitur [n]: *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Ea igitur agmina Angelorum in quibus sedet DEUS, & quæ sub ipso sunt,

Solium, cui vidit insidentem Dominum Isaias, quale?

[n] Psal. 32. b

templum

templum replent, licet jam terra omnis ipsius plena sit majestate. Ubique enim regnat, ubique imperat, ubique majestas eius, sed gratia forte non ita. Non, inquam, ubique sicut potestas, sic & voluntas eius bona & beneplacens & perfecta. Alioquin quid est quod dicimus [o]: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*? Fit enim voluntas eius de omnibus, fit per omnes, non in omnibus tamen. In electis spiritibus fit voluntas Dei, quando eis efficitur cum ipso una voluntas. Hæc sane adhæsio spiritualis unum spiritum faciens, sicut multitudinis quoque credentium cor unum & anima una legitur extitisse. *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum* [p]. Replebant omni benedictione spirituali, replebant consolatione divina, replebant divisionibus gratiarum. Replebant denique fructu sanctificationis: siquidem domum tuam Domine decet sanctitudo. Replebant diversis charismatum donis, spiritu sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis, & replebant illud spiritu timoris Domini.

[o] Matt. 6. b

[p] Act. 4. f

Seraphim stabant super illud. Nomen est ordinis angelorum summi atque supremi: ut merito stare super cæteros describantur: & ipsi tamen quamlibet cæteris præstent, astant nihilominus Domino præsidenti, devotum utique ministerium, & plenum reverentiæ obsequium exhibentes. Aliter enim Domini, aliter Angeli, aliter hominis intelligi convenit stationem. Stat Christus pro Patre zelans, Patris gloriam quærens, & tanquam fidelis Unigenitus, imò & Primogenitus Patris, zelo Patris adjuvans adoptivos. Sic illum Stephanus stantem vidit, quem habuit adjutorem [q]: Sic Propheta in adjutorium eum surgere precabatur: *Exurge*, inquiens, *Domine, adiuva nos.* Sane angelica statio ministratio est, dicente Propheta [r]: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Nam hominis quidem stare, persistere est in vigore animi, & observatione propositi. Sic Moyses stetit in confractione & in conspectu Domini ut averteret iram eius [t]: sic stetit Phinees, & placuit. *Seraphim stabant super illud.* Quid sibi vult quòd non unum, non plurimos stantes vidisse se perhibet Propheta, sed duos? Duos siquidem ei apparuisse constat ex eo quod secutus adiunxit: *Sexalæ uni, & sex alæ alteri* Et bene duo stabant. *Væ enim soli: quia si ceciderit, non habet sublevantem* [u]. Væ tibi superbe spiritus, solitudinis & solitariæ præsumptionis amator. Non stetisti in veritate, expulsus est pes superbiæ, stare non potuit. Solus sedere volens tanquam fulgur cecidisti de cœlo, non habiturus aliquando sublevantem.

Statio Domini, Angeli & hominis diversa.

[q] Actor. 7. c

[r] Psal. 43. d

[s] Dan. 7. c

[t] Psal. 105. d

Quid duo Seraphim.

[u] Eccles. 4

Sex alæ uni & sex alæ alteri. Ad quid multiplicitas ista pennarum? *Duabus*, inquit, *velabant caput eius, & duabus pedes, & duabus volabant.*

Quid multiplicitas pennarum.

Grande mysterium, & profundum utique sacramentum. Attentas in vobis hæc verba desiderant aures, sed multo magis difertam in nobis linguam exigunt, maximéque animum spiritualem. Dico vobis tamen ut cunque quod sentio, nec sane affirmans dico, sed coniectans quodammodo & opinans. Quid enim æstimare vetat, deiecto Lucifero, ad pervigiles excubias Seraphim constitutos, sicut eiecto homine teste scriptura [x]: Cherubim ad custodiam posuit DEUS? Nec incongrue forsitan Cherubim flammeus traditur gladius, ut à ligno vitæ incisio pariter & incensio quibus nihil carni terribilius, manum prohibeant corporalem. Porrò Seraphim tantum alas accipiunt, quarum velamine arceant oculum spiritualem. Denique *duabus*, inquit [y], *velabant caput eius, & duabus pedes*, ut nec alta DEI, nec profunda eius iniquus ille valeat contemplari. Erit cum revelabitur gloria Domini, sed non erit hoc nisi factum fuerit ante quod scriptum est [z]: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* Interim sanè velatur caput, velantur pedes, ut medium quidem aliquid eidem impio videndum, sed ad invidendum utique relinquatur. Et velantur alis, quæ nimirum sic illum arceant, ut istos sustineant & sustollant.

[x] Gen. 3. d *Gloria Domini Lucifero post casum abscondita.*

[y] Isa. 6. a

[z] Isai. 26. b

Quærendum tamen prius quibus alis volare dicantur, quia *duabus*, inquit, *volabant.* Nec incongruè forsitan duas istas *naturæ & gratiæ* dicimus: præsertim cum prius quoque in hisipsis etiam solii celsitudo & elevatio à nobis fuerit assignata. Vivaci siquidem per naturam *intellectu*, & ferventi nihilominus *affectu* per gratiam in eum qui supra ipsos est extenti jugiter & intenti, stare quidem ut diximus per ministerium, sed & volare per studium perhibentur. Licet enim velent caput Domini, velent etiam pedes, sed sibi ista non velant, magis autem sedulò volant & volitant inter ista: & altà potentiæ eius, & profunda sapientiæ vestigantes. Nec sanè scrutatores sunt majestatis ut proinde opprimantur à gloria: quòd non minus diligant, quàm intelligant, utpote quos ille regit & agit spiritus qui scrutatur etiam alta Dei. Superbus ille Lucifer lucem præferens non ignem habens alteri tantum innixus alæ, casum facere potuit, non volatum. Exaltavit enim lucidus esse, non fervidus, non incensus, quod Seraphim sonat. Non ergo stetit, quia contempsit: sed nec volare potuit, quod præsumpsit. Sustulit eum naturæ vivacitas, sed in suam plane perniciem, quippe quem defectus gratiæ mox dejecit. Nec dissimilis sane eorum casus qui cum cognovissent DEUM, non glorificaverunt aut gratias egerunt; quo tandem merito traditi sunt in reprobum sensum, & obscuratum est insipiens cor eorum. Denique & ipsi eorum principi interpositum est velamen, quod nulla jam naturæ vivacitate pertranseat, ut ipsius qui solium sedet, caput apud pedes valeat intueri.

Duabus alis naturæ & gratiæ, seu intellectu & affectu Seraphim feruntur in Deum.

Lucifer una tantum ala volare tentans cecidit.

Siquidem

Siquidem Seraphim stantes & astantes duabus alis caput velant, duabus pedes.

Non est corporalis divina substantia, nec in formam hominum membris distincta corporeis. Spiritus est DEUS: & quæ de eo dicuntur, spiritualiter vestiganda. Alioquin quis nobis revelabit hoc caput & pedes istos, quos geminis alis Seraphim velant, nisi spiritus ipse qui novit omnia quæ in eo sunt, & scrutatur etiam alta Dei? Ego enim opinor ipsa esse, quæ in loco *capitis* nomine designantur. Itaque secundum hunc sensum, *Caput* eius, maiestas eius, potestas eius, sempiterna virtus atque divinitas. *Caput* eius juxta illud propheticum; *Justitia tua sicut montes Dei.* Nempe quod sequitur. *Justitia tua abyssus multa*, non incongrue forte videbitur *pedum* posse appellatione signari. Sunt enim velut quidam pedes eius, investigabiles viæ eius, inscrutabilia judicia eius, profundum sapientiæ, & irreprehensibilis quædam, sed incomprehensibilis dispositio eius. Ad hos pedes ipsum quoque Dominicæ incarnationis mysterium specialiter cognoscitur pertinere, & omnis pariter operatio nostræ salutis. Cernere est quam sit justitia illa sublimis, quam sicut montes Dei propheta esse miratur. Nostra enim (si qua est) humilis justitia, recta forsitan, sed non pura. Nisi fortè meliores nos esse eredimus, quam patres nostros, qui non minus veraciter quam humiliter aiebant: *Omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ mulieris* [b]. Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse? Recta proinde interim videri potest justitia hominum, si tamen peccato non consentiant, ut non regnet in eorum mortali corpore. Nam primi hominis in initio quidem non modo recta, sed etiam pura fuit, quandiu ei datum est nec sentire peccatum. Cæterum & hæc ipsa quoniam firma non fuit, & puritatem facile perdidit, & nec ipsam quoque retinuit rectitudinem suam. Sane apud Angelos justitia recta, pura, & firma est, sublimis quidem; sed adhuc longe inferior quam divina. Non enim innata est eis, sed à Deo collata: ut natura ipsa, quod ex se est, non modo justitiæ, sed etiam injustitiæ capax inveniatur. Nunquid non ista est pravitas quædam quam in Angelis suis vera illa justitia legitur invenisse [c]? *Non enim justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, ait is qui Dei justitiam minime ignorabat [d]. Nec ait, omnis homo: sed, *omnis vivens*, fortè, ut nec ipsos angelicos eum noveris spiritus excepisse. Vivunt enim & ipsi tantò verius, quantò propius astant ei apud quem est fons vitæ. Nihilominus etiam justi sunt, sed ex eo, non coram eo: munere eius, non in eius comparatione. Ipse enim sibi justitia est, cuius voluntas non tam æqua quàm ipsa æquitas. Et utraque non aliud quam ipsa substantia est. Illa ergo justitia verissimè sicut mons est, quæ

Nihil corporeum in DEO fingendum.

Caput Domini divinitas, maiestas, & potestas.

a Psal. 35. b

Pedes, judicia,

*b Isa. 64. a

Justitiæ divinæ, humanæ, & Angelicæ differentia & imparitas.

c Iob. 4. d

d Ps. 141. b

Alæ quibus Caput DEI velant Seraphim;

quæ recta est, quæ pura est, quæ firma est, & ut ita dixerim, etiam substantia est. Quanta enim in hoc capite latet altitudo? Quanta gloria est, quantáque sublimitas in hoc umbroso & condenso monte reposita?

Quibus tamen putamus alis hoc caput Seraphim velant, ut nulla suæ subtilitate naturæ, nulla rationis perspicacitate nequam oculus in illius queat irrumpere veri luminis claritatem? Duabus, ni fallor, alis; suæ videlicet ipsorum gloriæ & felicitatis. Ineffabiliter siquidem delectantur in *admiratione* cõtemplationis illius, nec minus gloriantur in ipsius *veneratione*. Iniquus ille admirationem quidem, sed non venerationem habens, quia subdi noluit per venerationem, figi non valuit per admirationem. Denique admirationem ipsam in æmulationem convertit, nec venerari dignatus, sed conatus est imitari. Quàm melius Seraphim sua ipsa admiratione felices, veneratione etiam venerabiles fiunt, veram in ipso habentes gloriam, cui servire regnare est, & apud quem omnis qui se humiliat exaltatur? Et nunc audi quemadmodum his duabus alis ipsum quod diximus caput Domini, ne iniquus ille inspiciat, velare Seraphim videantur. Quotiens enim sursum dirigit aciem, in angelicam statim felicitatem & gloriam malignus offendit, & offundit oculum pessimus humor, livor proprius, ut penetrare ultra non possit. Sic nimirum quasi gemino quodam velamine ne sublimiora prospiciat invidus præpeditur, ad illorum quos superiores habere dolet, modo quidem felicitatem, modo gloriam, modo utramque simul, reverberata acie contabescens. Quis enim tam gravis pruritus oculi quàm invidia est? Nec verò aliis livor invidus quàm aliena gloria & felicitate torquetur. Miseria enim (ut ajunt) invidia caret.

Admiratio & veneratio.

Altera harũ defuit lucifero.

Quomodo his alis velent caput.

Invidi tormẽtum gloriæ alienæ.

Sed & pedes Domini quibus nimirum impenetrabilem judiciorum eius abyssum, & dispositionis eius diximus vias investigabiles designari, duabus æquè alis velant Seraphim. Ego autem dico, *prudentiâ & fidelitate*. Cum enim & fideles pariter ministri sint & prudentes, sic divina negocia gerunt, & saluti provident electorum, ut malignus ille deprehendere omnino non possit. Ex hoc pedum velamento factum reor, ut nescíens Dominum gloriæ fecerit crucifigi: ex hoc quotidie fieri, ut salutis nostræ negociis ignorans serviat & invitus, serò postmodum plangens quod dum obesse voluit, inventus est profuisse. Sic nimirum per administratorios spiritus illuditur eius astutia, quòd & fideles sint qui detegere nolint, & prudentes qui norint tegere divina erga nos providentiæ & dispositionis arcana.

Alæ quibus pedes velent; prudentia & fidelitas.

Diabolus servit electorum saluti inscius & invitus.

Cæterum sicut è supremis duabis alis nequissimus ille admirationem habuit, sed non venerationem (ut diximus) sic è mediis quoque spiritualem

rualem ei intellectum natura, sed non etiam gratia affectum dedit: sed nihilominus ex infimis istis facilè satis animadvertere est, quàm inventus sit fidelitatis expers, non autem similiter caruisse prudentiâ. Nisi tu fortè alium aliquem putas esse, qui dictus est [e] callidior cunctis animantibus serpens. Fortè etiam non incongruè dicimus, quoniam eo ipso tam irrevocabilis casus eius, irreparabilisque collisio fuerit, quòd ex his quas diximus alis, sicut in parte dextera nulla affuerit, sic in læva nulla defuerit. Non ita sanè duo illi quos prophetica nobis visio commendavit stantes, & adstantes Domino maiestatis. Cuius etiam duabus (ut dictum est) alis caput velant; ipsa equidem sua *admiratione*, in qua delectantur feliciter, ac *veneratione* in qua sublimiter gloriantur. Duabus etiam pedes, *fidelitate* videlicet atque *prudentia*. Porrò duabus volant, *naturæ* ut diximus perspicaciâ, & efficaciâ *gratiæ*. Sane mediam quasi quandam longitudinem nudam visibilemque relinquunt, longanimitatem dico & benignitatem DEI ad pœnitentiam homines invitantis. Omnibus enim cernere est quemadmodum solem suum super bonos & malos oriri faciat, & pluat super justos & injustos. Hac nimirum charitate verus ille Salomon quasi quædam media sua constravit propter filias Hierusalem [f]: ut quibus altiora se quærere, & profunda vestigare non licet, in his saltem mediis valeant exerceri, & ad sublimium subtiliumque exinde rerum contemplationem promoveri aliquando mereantur. Cæterum nequissimus ille ex hac visione, & in præsenti torquetur acrius, & gravius cruciabitur in futuro. Primum quidem quòd ipsam nobis longanimitatem benignitatis invideat, deinde quòd nequaquàm sibiipsi hac saltem occasione provideat ut ad pœnitentiam adducatur.

Diabolus quæ aliæ competãt, quæ minus.

e Gen. 3. a

At Seraphim omnes conveniunt.

Caput & pedes Domini velant; sed media relinquunt conspicua, id est Dei longanimitatem & benignitatem.

f Cant. 3. d

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI, SERMO.

PUto sermonem à nobis expetit tam vester iste conventus, quàm adventus harum honorabilium personarum, quas de longinquo gratulamur adesse. Sanè audirem eos ipse libentius: sed quoniam eligunt, imò & exigunt magis ut loquar, mihi, si non licet audire eos, eis necesse est obaudire. Et quidem vivus est nobis sermo tam multa mansuetudo eorum, qua videlicet meritis sanctiores, dignitate superiores, sapientia locupletiores, non modo ad visitandos, sed etiam ad audiendos nos dignati sunt declinare. Efficax eruditio, & omni digna acceptione doctrina. Siquidem non verbo & lingua, sed opere & veritate nos admonent imitatores suos esse, sicut ipsi sunt Christi, & discere quod ab ipso utique dicerunt,

Exemplũ humilitatis in

Auditoribus suis commendat.

runt, mites esse, & humiles corde. Sic Maria Elizabeth petiit, coniugatam virgo, ancillam domina, Præcursoris matrem Judicis mater, Dei genitrix servuli genitricem [a]. Sic postmodum JESUS etiam ipse Joannem adiit, & adiit baptizandus, utpote quem decebat implere omnem justitiam [b]. Vos quoque, reverendi Patres, deteriorem nobis non facitis partem vestram. Ad audiendum quippe quàm ad loquendum velociores, etiam inter ipsos qui vestro magis eguerant documento. Nam nos quidem, quia omnem non possumus implere justitiam, vel nonnullam vobis exhibere curamus; justum esse non ignorantes inferiorem Superioribus obedire.

a Luc. 2.

b Matt. 3.

Sed unde loquemur? *Qui terra est, de terra loquitur*: ait vox illa clamantis [c]. De terra ergò loquamur, qua de terra subsistimus, & in terra. Audite quiq; terrigenæ & filii hominum, vobis dicimus, & de vobis. In terra orimur, in terra morimur, revertentes in eam unde sumus assumpti. Hic nobis angustus introitus, mora brevis, sola mors certa. Cogitur totus Adam judicium portare quod meruit. Dilatus est vehementer, multiplicatus est & replevit terram. Attamen velit nolit, quantumq; recalcitret, universus adhuc fert sententiam quam excepit. *Terra*, inquit, *es* [d], *& in terram ibis*. Gravis equidē sententia, sed non sine grandis misericordiæ temperamento. Dura admodum, sed si merita penses, indulgentiæ plena. Siquidem non minus juste peccanti diceretur terra es, sed ex hoc sub terram ibis. Justus foret etiam tunc justus Dominus, & laudabilis nimis. Dignus planè qui laudaretur, sed non ego idoneus qui laudarem. Alioquin tunc quoq; nihilominus verè dicerem, si tamen dicere possem [e]: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum*. At non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: sed nos qui vivimus, benedicimus Domino. Pepercisti ergo creaturæ tuæ, pepercisti gloriæ nominis tui, ut descendentem de Hierusalem, minimè tamen usq; in Hierico patereris abduci. Semivivus adhuc relictus in via, semilaudare possum: ubi totus vixero, ibi totus erumpam in laudem, & dicent omnia ossa mea: Domine, quis similis tibi? Propter hoc nempe cum iratus fuisses, misericordiæ meministi, non damnans hominem in loco perditionis; sed in loco afflictionis humilians. Quid causaris homo, quid sententiam quereris duriorem? Terræ addictus es, factus è terra ut ipsa tibi sit patria, quæ materia fuit.

In terra orimur & morimur.

c Ioan. 3.

d Gen. 3.

e Psal. 118.

Sed audire, inquies, velim; quia spiritus es, & ad spiritum ibis. Siquidem etiam spiritus sum, quod ad animam pertinet; nec portionem hanc mei dubitaverim potiorem. Audivi sane ab Apostolo [f], quia *Dominus spiritus est*, & ab ipso Domino, *quia spiritus est Deus* [g]. Nec modo spiritus, sed spirituum pater. Ut quid ergò tenet me mater carnis, quia

f 2. Cor. 3. a

g Ioan. 4. c

caro

caro ex parte; spirituum pater non recipit, cum ex parte sim spiritus? Scio, scio, agit hoc non tam substantia ipsa quam culpa. Sicut enim peccatores spiritus inter cœlum & terram ventosum hoc medium tenent, unde & potestates huius aeris nominantur [h]: sic peccata nostra inter nos & DEUM separant inter Creatorem patremque spirituum, & spiritualem utique creaturam. Traxit animam corpus in regionem suam, & ecce prævalens opprimit peregrinam. Factum est nempe talentum plumbi non aliunde tamen, nisi quia sedet iniquitas super illud. Corpus enim aggravat animam, sed utique quod corrumpitur [i]: corrumpitur autem, imò etiam Apostolo teste [k], mortuum est propter peccatum. Itaque licet quodammodo cœlum sit homo, cœlestibus sine dubio spiritibus similis, substantia simul & forma, substantia quidem quoniam spiritualis, forma verò quia rationalis est: minimè tamen levare eum duo ista sufficiunt, ut mereatur audire, quia cœlum es, & in cœlum ibis. Frustra glorietur de libertate arbitrii, quæ in mente est: captivus ducitur in legem peccati, quæ in carne est. Nam etsi forsitan videretur duplex funiculus posse alteri æquè duplici prævalere, ut videlicet quem sibi terra gemino quodam jure tanquam patria pariter & materia vendicat, ob geminam nihilominus quæ prædicta est, substantiæ scilicet & formæ similitudinem, cœlum quoque recipiat ut cœlestem: sed jam triplicatus inferior ille & deorsum trahens peccato equidem accedente funiculus, nisi illinc quoque occurrerit gratia, non rumpetur. Sanè ubi illa adfuerit, haud dubium quin solvatur facile gravis iste quo trahimur, imò quem trahimus funiculus iniquitatis. Hæc enim inter nos & DEUM non separans intervenit, sed reparans & coniungens.

[h] Ephes. 2. a

[i] Sapient. 9. d
[k] Rom. 8. b
Cur in homine cœlestis portio non prædominetur terrenæ; cum homo ex utraq; constet.

Itaque ibo mihi ad montem gratiæ, & colles miserationum, quarum thesauros omnes repositos audio penes Christum. Ibo ad eum qui est plenus gratiæ & veritatis, si fortè accipiam aliquid de plenitudine illa, imò si fortè accipiar in plenitudine illa: ut cum cæteris aliquando membris occurram in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Nemo quippe ascendit in cœlum: nisi qui descendit de cœlo [l]. Fidelissimus planè & benignissimus mediator, qui quidem non discrevit, sed fecit utraque unum, medium parietem maceriæ solvens, donans nobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti [m], quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos, pacificánsque per sanguinem suum quæ sunt in cœlo, & quæ super terram. Propter hanc nempe salutem, quam in medio terræ erat operaturus, non confestim sub terra posuit hominem, sicut pec-

Gratiâ huc opus est.

[l] Ioan. 3. b

[m] Coloss. 2. c

Cur DEVS hominem pec-

tantem non illico deleverit.

cando moverat, sed in terra. Siquidem respirandum est nobis, & nullatenus desperandum donec in terra adhuc interim constituti & suscipere cœlum possumus, & suscipere data optima & dona perfecta desursum à patre luminum, à patre spirituum, à patre misericordiarum.

Cur homo erecto ad cœlum vultu conditus.

Nam & propterea rectum fecit hominem, etiam corpore ipso, & os homini sublime dedit, cum prona utique spectent animantia cætera terram: ut attollens ad sidera vultus illicò suspiret, ubi tam beatam & perennem conspicit mansionem.

Non enim piè & fideliter intuentibus nobis vehementissimum quoddam incentivum amoris, & provocatio flagrantissimi desiderii est visio ipsa tam lucidissimæ regionis? Non sunt stellæ cœli similes glebis terræ. Inter splendorem Solis, & caliginem soli huius, non parva distantia est. Forte tamen hic quoque nonnulla, sed in suo genere pulchra videntur, & hæc ipsa undique mixta non pulchris, ut aurum in luto, gemma in sterquilinio, lilium inter spinas. Tota pulchra es patria mea, & macula non est in te: tota pulchra es, absque eo quod intrinsecus latet. Quid illud? Nempe illi beati angelici spiritus, & animæ Sanctorum, quæ jam ingredi meruerunt in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Sicut enim sunt corpora terrestria, sic sunt & corpora cœlestia, sed longè vero alia cœlestium gloria, quàm terrestrium: sic sunt cœlestes spiritus & terrestres, nec minor sane distantia inter eos. Angeli, Archangeli, Virtutes, Principatus, Potestates, Dominationes, Throni, Cherubim & Seraphim. Benè nomina novi. Fortè hoc totum est. Quid enim amplius copiam terrigena de cœlestibus, carnalis homo de spiritualibus & divinis? Veruntamen etsi ignoro quid lateat in his tantis appellationibus, illuc equidem certissimè novi, quòd magnum & mirabile aliquid sub tanta verborum maiestate clausum sit & signatum. Non sine causa cœlum hoc dicitur: plane eximium nescio quid celatur in eo. Celatur inquam, sed tamen non negatur fidei usquequaque. Videre enim nobis datur in terra ipsam exteriorem cœli pulchritudinem non adire: Internam quoque gloriam secretorum eius, etsi non comprehendere conceditur, vel audire. Videmus patriam, sed à longè salutamus: odoramus illas delicias, non gustamus.

Cœli & terræ discrimen.

Ordines Angelorum & eorum nomina mysteriis plena.

Cœlum à celando dictum, quod celet seu abscondat omnia.

Enimvero non sine causa Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse nobis in regione hac umbræ mortis quam inhabitamus, cœlestium gloriam spirituum sanè per fidem enarrat, corporum verò per speciem manifestat. *Audi*, inquit [n], *filia & vide.* Et factum est. Quorsum ista? *Inclina*, ait, *aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.* Vult nos ponere contumaciam, discere obedienti-

n Psal. 44. c

dientiam, apprehendere disciplinam. Vult nos etiam obliviſci posteriora, despicere inferiora, terrenos mores & vitia genuina deserere, cœlestia sapere, superna quærere, anterioribus inhiare. Vult & illum tantum decorem domus suæ ingenuam concupiscere creaturam: quo scilicet in eandem imaginem transformetur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu, ac proinde concupiscat etiam rex decorem illius, utique spiritualem. Sed in quo visus ille inquies, vel auditus inclinare me aurem & obaudire monet? Nam quòd desiderium pariat, manifestum est.

Obedientiam commendat à variis obedientiæ exemplis Cælorum, Angelorum,

Sanè ergo considera universam hanc cœlestium gloriam corporum incessanter legibus obtemperare divinis, nec unquam sibi positas in tam continuis motibus metas excedere temporum, aut locorum terminos transgredi constitutos. Sed & ipsos spiritus tam sublimes audi omnes administratorios esse, & in ministerium mitti dignantissimum, ut ne indignum dicam: minimè tamen puto reperies in scripturis aliquando quenquam illorum vel contradixisse mittenti, vel erga ipsos tam inferiores se, propter quos in ministerium mittebatur, saltem tenuiter fuisse commotum. Exempla sunt obedientiæ, si diligenter attendas, eo sane acceptabiliora, quo in materia digniori. Sed novi quid ad ista submurmurat sensus hominis, & cogitatio prona semper ad malum. Quid tu mihi, inquit, Elementorum proponis obedientiam supernorum? Quasi vero aut sensus ullus in eis, aut ulla vigeat deliberatio rationis, & non potius agi ipsa, quam agere videantur. Quid vero vel ipsorum Angelorum obedientiam sic commendas? Sentiunt quidem angeli, sed delectabilia sola obedientes equidem Creatori, sed tam felici quàm facili voluntate. Quidni obediant? Semper enim vident faciem Patris, quem videre perfecta beatitudo, æterna gloria, summa voluptas est.

Abrahami obedientia.

Produc nobis, Domine, Patriarchas & Prophetas, viros obedientes præceptis tuis, obedientes ex voluntate, obedientes contra propriam voluntatem. Factum est. exhibetur nobis (ut cæteros brevitatis causa præteream, exhibetur, inquam nobis Abraham ad præceptum Domini exiens de terra sua, eiiciens ancillam & filium ejus, etiam chariſſimum filium Isaac immolare paratus. Quid hic humana astutia poterit cavillari? Forte respondeat, quoniam multifariè multisque modis apparens eis Deus, suscipiebatur hospitio, participabat convivio, animabat alloquio, instruebat consilio, donabat filijs, illustrabat victorijs, divitijs cumulabat. Quid dices, cum venerit Christus factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis? Multum, inquit, per omnem modum. Quando enim Unigenitum Dei Patris, Dei virtutem, & Dei sa-

Christi Domini,

pientiam Christum quando præsumerem æmulari? Oblatus est quia ipse voluit, quando & quantum voluit passus est, utpote verus quidem homo, sed verus nihilominus Deus. Imò verò ne ipsam apostolicam obedientiam afferas velim: quos nimirum juxta Propheticam promissionem oculis suis vidisse constat præceptorem suum, & auribus suis vocem audisse monentis. Unde & unus eorum expressius scribens ait: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ palpaverunt de verbo vitæ.* Quidni relinquerent omnia, quidni ad omnia sequerentur tantæ præsentiæ majestatis? Quid ego non facerem, si mihi eadem copia præstaretur? Sed non fecit taliter omni nationi, non præeunti utique, non sequenti. Siquidem ut multi reges optaverunt videre & non viderunt: sic nihilominus venerunt jam dies quando desideremus videre diem unum filij hominis, nec tamen mereamur.

c 1. Ioan. 1. a

B. Martini.

Opportunè ergo jam Martinus ad medium veniat, ut de medio fiat occasio peccatorum. Hodie enim ille per omnia similis nobis plane & sensibilis & passibilis, sed & longe post illa patriarchalium & propheticarum tempora visionum, & homo purus, nihil de natura divinitatis habens: credens autem in eum quem non vidit, plenus fructu obedientiæ, & virtutum locuples, solum deseruit, polum subiit, terræ commendans quod habebat è terra, spiritum dirigens ad Patrem spirituum: cui fideliter in adoptionis spiritu deservivit. Non fuit cœleste corpus, sed nec spiritus quidem cœlestis, rationale animal, etiam & mortale, terrigena, filius hominis. In terra natus est, in terra educatus, in terra exercitatus & probatus, in terra etiam consummatus. Nec vero patriarcha erat, aut unus ex Prophetis. De quibus sanè in Evangelio veritas ait: *quia lex & prophetæ usque ad Ioannem.* Multo magis non erat ipse Christus, sed erat tamen Christus in ipso, haud aliter utique quàm per fidem.

d Matt. 11. b

Enimvero juxta hunc modum etiam modo propè est verbum in corde tuo & in ore tuo, tantum si recto quæsieris corde [e]. Nempe Apostolo interpretante verbum fidei istud est, de quo Moyses ait. Unde & alibi idem Apostolus [f], Jesus *Christus*, inquit, *heri & hodie & in æternum.* Hesternum quidem ab initio seculi usque ad ascensionem Dominicam, hodiernum verò diem exinde usque ad sæculi consummationem; porrò æternum intellige post communem omnium resurrectionem. Nulli horum deest Christus, nulli deest Jesus, nulli deest unctio, nulli salus Patriarchis & Prophetis in visione exhibitus est, Apostolis in humanitate, Martino in fide, Angelis jam in specie. Quam sanè speciem & electis omnibus ostensurum sese promiserat, non quidem hodie,

e Deut. 30. c
f Rom. 10. b
g Heb. 13. b

Christus quomodo præsens seu manifestus Patriarchis, Apostolis. nobis.

hodie, sed in æternum, Denique jam transierat heri, jam illud nostrum illuxerat hodiernum, cum Apostoli loquerentur [b]: *Et si cognovimus Christum secundum carnem sed jam nunc non novimus.* Videtur tamen etiam in hoc mane de carnibus Agni nonnihil esse servatum; sed quod residuum est, utique jam datur igni: quod videlicet usque hodie eadem caro nobis, sed spiritualiter utique non carnaliter exhibeatur. [b] 2. Cor. 5. d

Neque enim est quòd causemur nostro huic negatam tempori, sive eam quæ ad patres veteris testamenti facta est, apparitionem, sive eam, quæ Apostolis exhibita est, præsentiam carnis ejus. Siquidem fideliter considerantibus neutram deesse liquebit. Adest enim nobis etiam nunc carnis ipsius vera substantia, haud dubium sane quin in sacramento. Adsunt revelationes, sed in spiritu & virtute: ut tempori gratiæ quod nunc est, nihil in ulla gratia deesse probetur. Denique nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se, nobis tamen revelavit per Spiritum suum. Nec mireris quòd carnales eis manifestationes exhibuit: qui carnalem ejus præstolabantur adventum. Nobis enim tanto efficacior gratia & revelatio dignior necessaria est, quanto nimirum excellentiora constat esse quæ expectamus. *Christi præsentia apud nos.*

Itaque (ut supra diximus) Martinus iste Christus non fuit, sed tamen Christum habuit: non quomodò Angeli in præsentia majestatis; non quomodò Apostoli in visione humanitatis; non quomodò olim locutus est in visione sanctis suis; sed quomodo eum etiam nunc habet Ecclesia in fide & sacramentis. Non erat ille lux, sed lucerna plane ardens & lucens, De Joanne dictum est [i]. Sed si illum protulero, puto dicetis: Maximus hominum est, plusquàm propheta est, etiam angelus est Dei Patris, sicut ipse testatur [k]: *Ecce mitto angelum meum* &c. Et Martinus lucerna erat ardens & lucens: eum saltem non pigeat imitari. Sed imitari in eo quod est imitabile, non autem quod mirabile exhibetur. [i] Ioan. 5. f [k] Luc. 7. d

Ad mensam divitis sedes hodie, diligenter considera quæ tibi apponuntur. Discerne inter cibos & vasa ciborum. Illos enim juberis tollere, sed non illa. Dives est iste Martinus, dives in meritis, dives in miraculis, dives in virtutibus, dives in signis. Diligenter ergo considera, quæ apponuntur tibi, quænam videlicet ad admirationem, quæ vero ad imitationem. Aut certè quia sequitur in scriptura illa [l], *quoniam talia oportet te præparare*: diligenter considera quid apponitur, & in quo. Suscitavit Martinus tres mortuos, quot nimirum Salvatorem legerat suscitasse. Reddidit visum *In sanctis alia imitanda, alia miranda.* [l] Prov. 23. a *juxta* LXX.

sum cæcis, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, aridis sospitatem. Evasit divina virtute pericula, proprij corporis obice flammas repulit, immanem sacrilegæ machinæ molem columna parili è cœlo descendente prostravit, leprosum mundavit oculo, curavit oleo paralyticam, dæmones vicit, angelos vidit, futura prævidit.

B. Martini miracula.

Verum hæc quidem cæteraque ejusmodi altissima quæ fecit magnalia, quidni mirifica quædam vasa dixerim divitis hujus, auro gravia, gemmis micantia, pariterque materia & opere preciosa? Noli in his saporem quærere, sed mirare splendorem. Luceat in hujusmodi lucerna nostra, ut in lumine ejus videamus lumen, quod quidem purum prout in se est, necdum prævales intueri. Non enim est iste lux, sed ut testimonium perhibeat de lumine: & appareat tibi interim gloriosus Deus in Sancto suo dum non potes ad gloriam ejus sicut est in seipso. Cæterum ne putaveris ornatas quidem Martini lampades, sed vacuas inveniri, non est fatua virgo: habet in vasis oleum; habet vinum in phialis: habet intra paropsides istas ciborum copiam, delicias utique spirituales? ut non modò videant & mirentur, sed edant pauperes & saturentur, atque in illis quidem Dominum laudent: porro in his vivant corda eorum. Alioquin quomodò mortui laudabunt te Domine: Ut ergo sit jucunda decoráque laudatio in admiratione etiam vivant ex imitatione, & ut avidius sumant delicias, ipsa quoque divitias curiosius contemplentur. Sic nimirum inter splendorem & fervorem lucernæ hujus vicariis quibusdam affectibus discurrendum, ut nobis alter ex altero commendetur & ex mutua collatione uterque complacitior fiat. Siquidem humilis fuit & spiritu pauper iste Martinus, sicut ut evidentissime probat effectus ipse divinæ gratiæ, quam profecto tam multam nisi multum humili non dedisset.

SS. Miracula spectanda, ut gloriæ divinæ testimonia.

Ut grata sit SS. Laudatio subsequi debet imitatio.

Ut tamen pauca virtutum ejus indicia promam, *pauperem illum spiritu* beatus novit Hilarius, cum imponere ei diaconatus officium tentans, nec prævalens, quòd indignum sese vociferatur: Exorcistam eum esse præcepit, in quo quidem locus injuriæ videretur, sciens, nimirum, quod humiliorem ordinationem minimè repudiaret. Pauper fuit, veste sordidus, crine incultus, facie despicabilis: quæ quidem licet in electione ejus à quibusdam malevolis objecta fuissent, in ipso tamen Episcopatu, sicut scriptum est *, penitus non mutavit. Denique quia verè pauper fuit spiritu Martinus, pauper & mendicus meruit nominari. Audio vero *mansuetudinem* ejus, suo illo Sulpitio sic scribente. Tantam adversus omnes injurias patientiam assumpserat, ut cùm esset summus Sacerdos impunè etiam ab infimis clericis læderetur, nec propter id eos, aut loco unquàm amoverit, aut à sua quantum in ipso fuit charitate repulerit: quod

B. Martini humilitas & paupertas.

* Sulpit. *de Vita Mart. cap. 7.*

Mansuetudo ejus. Sulpit. *Dial. 3. cap. 20.*

quòd quidem in Brixio manifestè probatum, omnes vos arbitror meminisse. Eum nempè ex omnibus sibi successorem elegit, & de tanta post futura adversitate præmonuit: postremo in fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, ad cujus os aures suæ fuerant cum responderet homini, qui de eo scisitabatur: Si illum delirum quæris, prospice eminus. Ecce cœlum solito sicut amens respicit. Crebro siquidem homo Dei, utpote terram despiciens cœlum suspiciebat. Nempe sciebat ad hoc sese (ut supra meminimus) rectam in corpore accepisse staturam, sciebat illic esse thesaurum suum, sciebat illic sedere in Patris dextera Christum suum, sciebat nunquam sese donec illuc perveniret, quod desiderabat assecuturum. Unde & hoc ipsum, quod delirus vocabatur in terra, merito non attendit, cujus nimirum conversatio esset in cœlis, cujus oculi in capite suo. Sanè illuc etiam lachrimæ ejus à maxilla ascendere consueverant, quibus sic abundabat, ut soleret pro illorum quoque qui obtrectatores sui videbantur, flere peccatis.

Iniuriarum oblivio & benevolentia erga Brixium.

Sanè quantum *justitiam* æsurierit, tum in cæteris ejus actibus, tum specialiter in idolatriæ persecutione probatum est, in templorum destructione, in statuarum dejectione, in succisione lucorum. Ubi se quoque aliquando non est veritus dare diserimini, ut occasio tanti criminis de medio tolleretur. Nam *misericordem* eum in paupere se expertum Salvator ipse apud Angelos gloriabatur, datam sibi medietatem vestis ostentans. Utinam nobis etiam miseris apud summum Judicem (in cujus admirabile tabernaculum introivit) misericordiam illam exhibere dignetur, qua & illos olim morti destinatos, & tormentis varijs deputatos eripuit, pro quibus ante terreni judicis januam nocte media scribitur jacuisse. Quomodo enim non audiet eum nunc, qui tunc quoque fecit audiri? Porrò *munditiam* cordis ejus illud vel maxime indicat, quod non est confusus inimico loquens in porta. Nihil in me, funeste, reperies, Abrahæ me sinus recipit. Nam in opere *pacificorum* feliciter plane consummans labores suos, licet dierum suorũ finem non ignoraret, clericos tamen adiit dissidentes, inter quos reformata pace, in pace ipse quievit.

Zelus eius & sitis justitiæ.

Charitas & misericordia erga proximos.

Munditia cordis & totius integritas vitæ. Studium pacis & concordiæ.

Cæterum *persecutiones* quas sustinuit propter justitiam, longum est numerare, quomodo apud Julianum Augustum in civitate Wangionum intrepidus: imò & illato terrore constantior, custodiæ mancipatus est, ut inermis postero die Barbaris opponeretur; quomodo circa Alpes sub securi, quam in verticem ejus latro vibrabat, securissimus fuit: quomodo illum Mediolani Auxentius Arianus graviter infectatus, multisque appetitum injurijs tandem de civitate exturbavit: quomodo & alibi prius adversus sacerdotum perfidias acerrimè pugnans,

Patientia persecutionum.

nans, supplicijs fuit affectus, publice virgis cæsus, inde quoque exire compulsus est: quomodo item in cujusdam fani eversione, cum gentilis eum stricto gladio peteret, nudâ cervicem præbuit percussuro, donec ille extollens ad ictum dexteram, cecidit resupinus: quomodo alter eũ cultro ferire voluit, sed ferrum de manibus ejus elapsum, repente disparuit. Pro quibus omnibus dubium non est multipliciter coronari eum, qui quidem etsi non semel effectu consumatæ passionis, sed toties martyr fuit affectu devotissimæ voluntatis †. Commedite jam amici & bibite, & inebriemini, charissimi. Sic enim vivitur, & in talibus vita spiritus vestri. Nisi forte beatos prædicat sermo divinus, qui mortuos suscitant, cæcos illuminant, morbidos sanant, leprosos mundant, paralyticos curant, dæmonibus imperant, futura prænunciant, miraculis coruscant, & non magis pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes & sitientes justitiam, misericordes, mundicordes, pacificos, persecutionem propter justitiam sustinentes.

† Idem dicit Sulpit. v. infra.

Beati non qui prodigijs, sed virtutibus insignes.

Ignoscite mihi, Fratres, exemplum Obedientiæ paulominus prætervi; quod quidem vel solum juxta præpositum ordinem in Martino quoque nobis convenit exhiberi. Sane moram facimus, sed ut arbitror bonum est nos hic esse: tardius enim hodie venimus ad Martinum. *Domine*, inquit * *si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua.* O vere sanctissimam animam! ô inæstimabilem charitatem! ô obedientiam singularem! Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti, de reliquo supereſt tibi corona justitiæ quam reddet tibi Dominus hodie justus Judex: & adhuc dicis, Non recuso laborem, fiat voluntas tua. Obtulisti plane Isaac; unicum illum quem diligis, quòd in te est, jugulasti; immolasti singulare gaudium tuum pia devotione paratus redire iterum in pericula, innovare certamina, denuò subire laborem, sustinere tribulationem, prolongare tentationem, deinde differri adhuc ab illa tanta felicitate & diu desiderata societate spirituũ beatorum, atque in hujus mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ revocari: postremo (quod maximum est) à Christo tuo peregrinari diutius, si modo ipse voluisset. Nec sane dubium quin ampliorem gratiam mereatur, qui paratum se exhibet etiam ante mandatum, quam qui obedire satagit post mandatum. Magna quidem obedientia vestra Angeli sancti, sed quod dicere audeam pace vestra, nescio an inveniatur in vobis quisquam paratus in tale aliquando ministerium mitti, in quo necesse habeat non videre faciem Patris. Magnum est Petre, quod Dominum secuturus omnia reliquisti, sed audivi te in monte dicentem, ubi transfiguratus est coram vobis: *Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula.* Non est hoc, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Paratum cor tuum Martine, paratum cor tuum, sive manere in corpore, sive dissolvi & esse cum Christo. Ex

B. Martini mira obedientia, resignatio, & promptitudo ad labores.

* Sulpit. Epist. 3. ad Bassul.

Exemplum obedientiæ B. Martini ad novos se labores efferentis elegantissimè commendatur.

Matth. 17. a

Et magna quidem in horrenda morte securitas, magna in visione Christi desideranda, & tam ferventer ac singulariter desideranda, perfectio reperitur: sed id quidem longe amplius per omnem modum, quod qui mori non metuis, imò qui tanto desiderio præsentiam Domini concupiscis, vivere quoque non renuis, & expectatione molestissima fatigari: in quo enim alio non obedire potuerat, qui in hoc tanto articulo tam devotè clamabat, *fiat voluntas tua*? Hæc ergo pars nostra sit, fratres, in convivio hodierno, hanc nobis obedientiâ in mensam pauperis, imò jam divitis hujus appositam diligenter consideremus, scientes quoniam ipsa est quæ à nobis exigitur, ipsa quam oportet nos præparare, ut singuli quique dicamus: quia *paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Nec modo semel, aut in parte, sed paratum cor meum Deus, paratum cor meum, paratum ad utrumque, & in nullo tuam præscribens dispositionem. Forte hoc cupio & specialiter & vehementer, sed ne quidem illud recuso: sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Desidero requiem, sed nonrecuso laborem, fiat voluntas tua.

Nec mori timuit, nec vivere recusavit.

Psal. 118. b

Nam licet ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloriâ tamen martyris non carebit, quia voto atque virtutibus & posuit esse martyr & voluit. *Ita Sulpit. Epist. 2. ad Aurel.*

DE S. CLEMENTE PAPA ET MARTYRE, SERMO.

Preciosa in conspectu Domini mors sanctorũ ejus [a]. Audiat peccator & iratus, dentibus suis fremat & tabescat. Deprehensus est in astutia sua, cecidit in foveam quam fecit, in laqueum incidit quem tetendit. Invidiâ siquidem diaboli mors intravit in orbem terrarũ, sed ecce preciosa facta est mors sanctorũ. Audi igitur hostis vitæ, mortis auctor attende. Quid valet jam fraus tua, versutia tua quid nocet? Imò verò, ut plus doleas, etiam omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti [b]. Neque enim aliter quam ipsa (quæ tui est operis) de te hodie Beatus Martyr, cujus solemnia celebramus, morte corporis triumphavit: fecit siquidem de necessitate virtutem, pœnam peccati in meritum gloriæ commutavit? fidelem se probavit in modico, ut dignus inveniretur supra multa constitui. Modicum namque erat & omninò modicum quicquid prius acceperat anima illa beata, quantum ad eam gloriam quam præsenti promeruit passione. Omnis enim delectatio hujus mundi, universa ejus gloria, quicquid denique in eo concupiscitur, prorsus modicum est, in illius felicitatis, in illius gloriæ, in illius beatitudinis comparatione: si tamen vel modicum dici debet, & non potius nihilum, vapor ad modicum parens. Acceperat beatus

[a] Psal. 115. c

[b] Rom. 8.

Sancti ipsa morte de diabolo mortis auctore triumphant.

Omnia hujus vitæ bona comparatione futurorum non nisi modicum aut potius nihilum.

Clemens nobile genus, amplas possessiones, hæreditatem multam, scientiâ quoque quamplurimam, ita ut optimus quidem illius temporis philosophus haberetur. Acceperat hæc universa à Domino: Dei enim dona sunt etiam hæc. Fidelem ergo se probavit ei qui dederat, cum pro ejus amore universa contempsit, omnia detrimentum faciens, & arbitratus ut stercora, ut lucrifaceret Christum.

Iob. 12. b *SS. non cætera tantum sed & vitam exponunt pro Deo.*

Sed fortè murmurat etiam nunc inimicus, *pellem*, inquiens [c], *pro pelle, & omnia quæ habet homo dabit pro anima sua.* Quid ergo? Putas quòd in ipsa corporis sui vita quam accepit à Domino, infidelis inveniatur, ut vel ipsam præferat illi? Ecce habes potestatem, irrue in eum per satellites tuos ut coarctetur è duobus, aut à Domino necesse habens, aut à corpore separari. Varia & immania exquire genera tormentorum, sed noveris te Martyri nostro fabricare coronas. Sicut enim ipsa vitæ hujus ornamenta & adjumenta contempsit, sic contemnit & ipsam, corpus omne tibi exponit in mortem, & in faciem maledicit tibi, atque idola tua sacro ore blasphemat, Dominum Deum suum etiam inter tormenta tua libere prædicat, in igne confitetur. Coronabitur ergò quia legitimè certavit, quia fideliter vicit, quia nec blandimentis vitæ hujus, nec mortis horrore à charitate Christi potuit separari. Dic quæso nobis Anima sancta, quæ sic corpus tuum suppliciis exponebas, obsecro, diligebas illud, an non? Utique diligebam, inquit, nemo enim unquam odio habuit carnem suam [d]. Diligebam ergo eam, sed parum diligebam tanquam ancillam, & multo magis diligebam Dominum Deum. Utque probatio esset dilectionis, operis exhibitio; libenter ipsam quoque pro eius gloria mortem corporis amplectebar.

d Ephes. 5. f

Quam longe absumus à Zelo & fervore Martyrium!

Quid nos ad hæc dicimus, Fratres? Congratulamur Martyri, sed jam gloria ejus non sine nostra confusione est. Ecce enim beatus Clemens homo erat similis nobis passibilis, eadem circundatus infirmitate, & carnis suæ eodem vinculo naturalis affectionis inhærens. Si ergo ille sic glorificavit Christum in corpore suo, & calicem salutaris accepit: quid nos retribuimus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis? Eadem certe insignivit imagine, eodem sanguine nos redemit, & vocavit in eandem hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam æternam, conservatam in cœlis. Ut quid ergo non possumus & nos cum beato Clemente Christi bibere calicem? Sed fortè respondent aliqui, possemus si opportunitas non deesset, sed persecutionis tempus cessavit. At ego, fateor, non satis crediderim ita dicentibus. Quid enim? Quotidie ceditis punctioni acus unius, & mucroni vos arbitramini posse resistere? In minimis probate conflictibus, quàm viriliter in majori certamine stare possitis. Ecce enim vobis non dicitur: Sacrificate idolis, &

Non deesse nobis etiam hodie occasiones Martyrii, spiritualis scilicet.

vivite:

vivite: aut si hoc non vultis oportet vos diversis suppliciis interire. Novit Dominus, figmentum nostrum, nec dat nobis tam forte certamen. Beato Clementi certamen forte dedit ut vinceret, & disceret quoniam omnium potentior est sapientia.

Vestrum autem certamen quale est, Fratres mei? Quotidie vobis suggeritur in cordibus vestris, frange ordinem tuum, murmura, detrahe, age remissiùs, infirmitatem simula, responde ei qui fortè durius locutus est, ut satisfacias desiderio tuo: nec dicitur cuiquam, nisi hæc feceris, morieris: sed ut multum, cum difficultate & labore resistes animo tuo. Et quis sustineret tanta? Hæc enim intus audire, hæc respondere consuevimus exhortantibus nos, aut foris homini, aut intus Spiritui sancto. Si ergò in huiusmodi certamine periclitamur, si vix resistimus, si interdum etiam succumbimus, quid in illo tam gravi certamine faceremus? Si juncis fragilibus cedit infirmitas nostra, quomodo telis resisteret? Videtis quomodo ad nihilum redacti sumus, & sicut solent mulieres aut parvuli, pugnantes laudamus alios, pugnare ipsi non possumus. Quid tamen agimus? Omnes certè ad nuptias Agni vocati sumus, & in conspectu eius vacuos apparere non licet. Diligenter ergò consideremus quæ apponuntur nobis, quoniam talia oportet nos præparare. Consideravit beatus Clemens vinum sibi appositum esse à Domino, & ipse quoque quoniam dives fuit ad nuptias illas, vinum nihilominus proprii sanguinis effusione potavit. Sed nos pauperes sumus, & vinum, Domine, non habemus. At ille, implete, inquit, hydrias aqua. Ergone & ipsa suscipietur aqua si attulerimus eam. Utique suscipietur. Nam & ipsam cum vino nobis appositam inveniet, qui secundum monita Sapientis [e], diligenter consideravit quæ sibi apponuntur, ab eo nimirum qui venit non in aqua solũ sed in aqua & sanguine. Testimoniũ enim perhibuit qui vidit [f], quòd aperto latere Domini dormientis in cruce exierit sanguis & aqua.

Quomodo nobis liceat imitari Martyres.

[e] Prov. 23. a

[f] Ioan. 19.

Et nos ergò Fratres, ut vel fideles nos probemus DEO nostro, si martyrium sanguinis non habemus (martyrium enim testimonium est) quæramus vel testimonium aquæ, & ne ipsum quidem despiciet DEUS. Tres sunt enim qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, Sanguis. Beati quibus trinum suppetit testimonium, quoniam funiculus triplex difficile rumpitur [g]. Nos si sanguinis testimonium non habemus, habeamus spiritum & aquam: quoniam sine spiritu nec sanguis nec aqua sufficiet; imò verò si spiritus ipse sine aqua aut sanguine invenitur, sufficit testimonium eius: quoniam spiritus veritatis est, nec sanguis nec aqua quicquam proderunt à seipsis, sed spiritus est qui testificatur in illis. Sanè tamen aut vix aut nunquam sine aqua, aut sanguine spiritum arbitror inveniri. Propterea, chariſſimi, quæramus vel aquam, qui sanguinem non

Quale martyrium nobis curandum.

[g] Eccli. 4. c

Testimonium triplex; Spiritus, Aquæ & Sanguinis.

non habemus. Et quoniam hydriarum supra fecimus mentionem, quæramus mensuras binas vel ternas, quas hydriæ capiebant. Nam & Christus triplicem nobis apponit aquam, & perfectus omnis qui fuerit in nobis sicut ipse, qui videlicet tres metretas habere potuerit. Propter hoc enim sub distinctione dicitur, binas vel ternas, ut duas ad minus constet necessarias esse, tertiam non ab omnibus exigendam.

Triplex aqua Salvatoris: 1. oculorum, 2. totius corporis, 3. lateris.

Accipe igitur triplicem aquam, quam tibi Salvator apponit. Plorat super Lazarum & super civitatem Hierusalem, & hæc est *aqua prima*. Sudavit imminente jam passionis hora, & hæc est *aqua secunda*: non ab oculis tantum, sed à toto corpore manans. Hæc autem rubea est, sanguineique coloris, sicut scriptum est; *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*. Jam verò *tertia* est *aqua* quam & prædiximus de latere eius unà cum sanguine emanasse. Et tu ergo *primam* quidem habes, si rigas lachrymis tuis conscientiæ tuæ statum & dolore compunctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. *Secundam* aquam habes, si in sudore vultus tui vesceris pane tuo: & labore pœnitentiæ corpus tuum castigas, ac restringis concupiscentiæ flammam. Est autem sanguinei coloris sive propter laborem, seu etiam propter ipsum quem extinguit concupiscentiæ ignem. Jam verò si proficere potes usque ad devotionis gratiam, potaberis *aqua sapientiæ* salutaris, & spiritus Christi qui super mel dulcis est, fiet in te fons aquæ salientis in vitam æternam. Et memento hanc esse aquam, quæ procedit de latere dormientis, & sine omni molestia fluit. Oportet enim jam mortuum esse mundo, qui in hac voluerit gratia delectari. Ergo ut breviter repetam, *prima* quidem à præteritis delictis abluit conscientiam: *secunda* ut futura caveas, extinguit cõcupiscentiam: *tertia* si ad eam pervenire merueris, potat animã sitientem.

h Luc. 22. c

Sic & triplex aquæ hominis.

1. Contritionis.

2. Mortificationis.

3. Sapientiæ.

Prima abluit conscientiam. 2. restringit concupiscentiam. 3. potat animam.

SERMO.

In Viglia Sancti Andreæ Apostoli.

Cur maioribus festis Ecclesia præmittat jejunia.

SAnctorum festa præcipua Patrum sanxit auctoritas votivis prævenienda jejuniis. Utiliter planè, & non ad insipientiam nobis, si adsuerit qui advertat. Multa siquidem quotidie peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes: nec tutum omnino est celebrandas suscipere festivitates sacras, maximéque eas quæ maximæ sunt, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissa, quo & digniores & capaciores inveniamur spiritualium gaudiorum. Sic enim justus in principio sermonis accusator est sui, nec nisi à propria reprehensione laudes incipit alienas. Quod si etiam justus trepidat solicitus prævenire eum, qui ipsas quoque paratus est justitias judicare; quid agimus nos, quorum interim judicata non

Opera pœnitentiæ nos præparant ad festa dignius celebranda.

fuerint

fuerint & tecta peccata? Timendum valde est ne forte manifesta inveniantur præcedentia ad judicium. Si nec justus sine modestia & verecundia quadam ad Sanctorum præsumit accedere laudes: quantò magis peccator in cuius ore non est laus speciosa, timeat semper necesse est vocem illam [a]: *Quare tu enarras justitias meas*? sive illam [b]: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem*? Beati proinde qui stolam suam, dico autem gloriam conscientiæ suæ, soliciti sunt omni tempore conservare immaculatam, semper splendidam exhibere. Sed quia pauci sunt qui sic omni custodia servent cor suum, pauciores autem (si tamen vel pauciores) qui in omni sanctimonia conservent illud, necesse est frequenti abstinentia maculas diluere subintrantes, præcipuè cùm præcipua quælibet solemnitas advenerit celebranda.

[a] Psal. 49. c
[b] Matt. 22. b

Non modo tamen præparatio est ad proximam celebritatem observatio præmissa jeiunii, est & admonitio quædam eruditióque non parva. Discimus ex hoc ipso, quænam vera sit via festivitatis æternæ. Quid est enim quod jeiuniis solennia prævenimus, nisi quod per multas tribulationes oportet nos introire in regnum DEI? Indignus quippe solenni lætitia est, qui statutam vigiliæ abstinentiam non observat. Planè, inquam, si renuis affligere animam tuam in vigilia, indignus jure censeris requie & exultatione festiva. Est autem universum præsentis pœnitentiæ tempus, vigilia quædam solennitatis magni & æterni sabbati quod præstolamur. Nec causaberis vigiliam longiorem, si æternitatem festivitatis attendas. Licet enim habere præparationem solent solennia diurna diurnam: illa cum æterna sit, non exigit tamen æternam. Sed quo nos rapit jucundior illius memoria fœlicitatis? Hoc enim nomine & sæpius & forte dignius nominatur illa festivitas. Redeundum nobis est ad id quod præ manibus est.

Jeiunia festis præmissa, nos instruunt.

Vigilia festorum symbolùm est tribulationis per quam itur in regnum cœlorum.

Hodierni itaque jeiunii, & eius quam præstolamur solennitatis & lætitiæ causa est beata passio Andreæ Apostoli. Dignum est enim, ut si cum eo pendêre non possumus, cum eo vel jeiunemus. Nam & ipsum cum biduo penderet in cruce, etiam jeiunasse quis dubitet? Inveniamur ergò vel in exiguo communicantes passioni eius, etsi non simul affixi patibulo, simul afflicti jeiunio: ut miserante DEO etiam coronæ participes simus, & in præsenti quoque spiritualium socii gaudiorum. Quomodò enim non exultemus in memoria triumphi eius, quem in ipsa sui præsentia supplicii tam vehementer novimus exultasse? An non erit læta festivitas, ubi & crux ipsa plena est gaudio? Siquidem & festivum solemus nominare quod lætum est, & crux à cruciatu utique dicitur, aut certe cruciatus à cruce. Quanta proinde exultatione universæ

versæ terræ celebrandum tantæ novitatis miraculum, tam magnificum opus divinæ virtutis? Andreas homo erat similis nobis passibilis, & tam vehementi ardore spiritus crucem sitiebat, tam inaudito à seculis gaudio tripudiabat cum paratum sibi animus patibulum conspexisset. *O crux* (inquit) *diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te, ita ut & tu exultans suscipias me* †. Videtis quia non se capit præ magnitudine gaudii? *Ita* (inquit) *ut & tu exultans.* Ergone tanta est exultatio ut exultet & ipsa crux, nec læti quicquam habeat, sed totum lætitiæ sit? Aut quis dicat minus contra consuetudinem, supra rationem, ultra naturam crucifixum exultare quàm crucem? Illi sensum lætitiæ natura negavit, huic si quid prævalet, gaudium omne exterminat, ingeritque dolorem. *Amator*, ait, *tuus semper fui, & desideravi amplecti te*, Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens: & si lingua, certe ignea est. Carbones sunt ignis illius quem de excelso Christus miserat in ossibus meis. Atque utinam desolatorii nobis sint, consumentes & exurentes quicquid in nobis est carnalis affectionis. Quales enim scintillæ sunt istæ, aut à quanto interiori incendio micant?

Miro desiderio B. Andreas anhelat ad Crucem.

† Ex Historia per Presbyteros Achaiæ scripta. Extat apud Surium.

Planè beate Andrea, granum sinapis est fides tua, quæ tam insperatum ubi teri cœpit, cœpit ex se proferre fervorem. Quid si paulò amplius tereretur? Quis fervorem illum animus, quis verba illa sustinere posset auditus? Dum enim minus minaretur Ægeas, adhuc granum sinapis despicabile videbatur. Integrum erat, nesciebamus quid intus lateret. *Dominus*, inquit, *me misit ad istam provinciam, in qua non parvum ei populum acquisivi.* Accedat comminationis pistillum, longe jam acrius sapiet, constantiusque loquetur. Terendum eum putat Ægeas crucis supplicium minitans, sed non est ita. Accenditur magis in verbo hoc, & libere clamat: *Ego si patibulum crucis expavescerem, crucis gloriam non prædicarem.* At ubi paratum sibi lignum intuitus est, ex hoc jam planè totus igneſcens applaudebat, & blandiebatur illi amatæ suæ, officiosissimè salutabat, devotissimè suscipiebat, magnificè attollebat eam: & in ipsius præconio gloriabatur, clamans magis affectione quàm voce: *Salve crux preciosa, quæ decorem & pulchritudinem de membris Dominicis accepisti: Salve crux quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata.* Meritò proinde crucis amatorem venerantur quicunque sunt servi crucis, sed ab his ampliorem jure devotionem exigit qui specialius proposuerunt tollere crucem suam. Vobis hoc & de vobis dico, Fratres mei, qui non surda aure audistis illam evangelicam tubam: *Qui non baiulat crucem suam & sequitur me, non potest meus esse discipulus.* Parati estote, totam animi diligentiam huic adhibere solennitati, & corde magno celebrare

Fides B. Andreæ instar grani sinapis, quò magis teritur, quo magis suam exserit vim & acrimoniam.

Non terretur minis aut supplicio.

Crucem cupidissimè salutat.

Luc. 14. f

Sic & nos crucem amemus,

brate eam: quia magnus omninò consolationis pariter & exhortationis thesaurus vobis repositus est in ea, si fuerit qui fodiat & scrutetur.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI, SERMO I.

CElebrantes hodie glorioſum beati Andreæ triumphum, in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius, exultavimus & delectati ſumus. Neque enim locus poterat eſſe triſtitiæ, ubi tam vehementer lætabatur & ipſe. Nemo ex nobis compaſſus eſt ſic patienti: nemo auſus eſt plangere exultantem. Alioquin & nobis ipſe non incongruè dicere poterat quod Salvator crucem baiulans ſequentibus ſe & lugentibus ait [a]: *Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete.* Denique cum duceretur ipſe beatus Andreas ad crucem: populus qui ſanctum & juſtum dolebat injuſte damnari, prohibere voluit ne puniretur: ſed magis ipſa inſtantiſſima prece prohibuit eos, ne non coronaretur, imò ne non pateretur. Deſiderabat ſiquidem diſſolvi, & cum CHRISTO eſſe, ſed in cruce quam ſemper amaverat. Deſiderabat regnum intrare, ſed per patibulum. Quid enim dicit illi amatæ ſuæ? *Per te*, inquit, *me recipiet, qui per te me redemit.* Ergo ſi diligimus eum, congaudemus ei, non ſolum quia coronatus, ſed & quia crucifixus: quia deſiderium animæ eius tribuit ei Dominus, & poſuit in capite eius coronam de lapide precioſo. Veruntamen dum congratulamur ei quod diu deſideratæ crucis frui mereatur amplexu, mirum valde eſt ſi non ipſum eius miramur gaudium cui congratulamur. Dum enim noctis huius vigilias celebrantes, in verbis tantæ exultationis cantando delectaremur, putas non fuit in nobis, qui ſecum cogitaret & diceret; quid ſibi vult hoc, aut unde tam nova lætitia?

[a] Luc. 23. d

Crux pretioſa, amabilis, & jucunda.

Certe & crux precioſa eſt, & crux amari poteſt, & crux habet exultationem? Ita eſt, fratres mei. Si fuerit qui colligat, ſemper lignum crucis vitam germinat, fructificat judicantem, oleum lætitiæ ſtillat, balſamum ſudat ſpiritualium chariſmatum. Non eſt ſylveſtris arbor; lignum vitæ eſt apprehendentibus eam. Arbor fructifera, arbor ſalutifera eſt: alioquin quomodò dominicam occuparet terram? Illam dico precioſiſſimam glebam, cui clavorum eſt infixa radicibus. Si non eſſet hæc precioſior cunctis, fructuoſior univerſis, nunquam illo plantaretur in horto, nec illam permitteretur vineam occupare. Deinde quid mirum ſi cruci ſuavitatem dedit, qui dedit & igni? Aut quomodò crux judicatur inſipida, ubi dulce ſapit & flamma? Quid enim ſapiebat Laurentio ignis cum ir-

rideret carnifices, judicem subsannaret? Quid nos ad ista dicemus, Fratres, quòd non sapit etiam nobis, quæ pro Christo est tribulatio, nec gustamus & nos manna absconditum? Sic enim victus esset omnino diabolus, nec haberet penitus quod afferret. Sufficeret nobis hoc unum adversus duplicem malitiam inimici.

Diabolus venator hominum alios laqueis, id est, voluptatibus, alios iaculis, id est, malis suggestionibus capit.

Habet quippe nequissimus ille laqueos, habet & jacula: utpote calidissimus venator hominum, solum sitiens sanguinem animarum. Alios telis appetit malitiosæ cuiuslibet suggestionis, & in eis vulnerat multos, quorum tenuis est patientia. Alios voluptatibus irretire laborat, & in his includit multitudinem copiosam eorum quæ in terra repunt, aut volitant juxta eum. Sit ergo gaudium in tribulatione, & jam non habet malignus unde illiciat, non habet unde dejiciat, liberati sumus à laqueo venantium, pariter & à verbo aspero. Nihil enim proficiet inimicus in eo, quem Crux Christi delectat, si carnalem suggesserit delectationem: & filius iniquitatis non apponet nocere ei, si ad exasperandum animum eius quamlibet immittere tentaverit amaritudinem. Non curat delicias, qui jeiunio pascitur, multo minus murmurare pro eo potest in quo etiam delectatur. Planè altissimum posuit refugium suum: ubi nec muscipula inimici timenda sit, nec sagitta; imò vero mundus piscis est, squamas pariter & pennulas habens. Porrò sicut frustra jacitur rete ante oculos pennatorum, sic frustra jacitur telum in squamas loricarum. Huiusmodi siquidem pisces mundos esse legalis sanctio judicat [b], qui & pinnis levantur, & proteguntur squamis: sive illi in mari sint, sive in flumine, sive in stagno. Habet etiam *mare* hoc magnum & spatiosum pisces mundos, & Dominica dignos mensa: quia ex his qui in seculi latitudine habitu actúque versantur, reliquit sibi multa millia quos † Apostolica sagena trahit, ut cum educta fuerit, segregentur à malis. Ubi sanè sedebit & hic noster piscator hominum, qui totam nunc post se Achaiam trahit. Habet & flumen pisces mundos, quicunque inter dispensatores fideles inveniuntur. *Fluvius* quippe est prædicatorum ordo, non in eodem permanens loco, sed extendens se & currens, ut diversas irriget terras. Sunt & in *stagno* mundi pisces qui in claustro Deo serviunt in spiritu & virtute. Meritò siquidem stagnis monasteria comparantur, ubi quodammodo incarcerati pisces evagandi non habeant libertatem, quò videlicet parati sint semper ad epulas spirituales dicentes singuli intra se: Quandò veniet qui me deferat? Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.

Amor crucis tutos nos facit à laqueis satanæ.

b Levit. 11. b Deut. 14. b

Pisces mystici triplices; primo in mari.

† *al.* quæ.

2. *In Fluviis,*

3. *In stagnis.*

Porrò ut de lege supra meminimus, sive in mari, sive in flumine, sive in stagno, illi mundi sunt pisces qui squamas & pinnulas habent. Sunt

autem

autem squamæ multæ, sed una ex eis quodammodo lorica contexitur: quia una est patientiæ virtus, licet singulis tribulationibus exhibere singulas videamur. Jam verò sicut squamas ad patientiam, sic pinnulas quoque ad hilaritatem arbitror non incongrue posse referri. Hilaritas quippe levat & sublevat, ut saltus quosdam in altum dare videatur, quisquis exhilaratur. Sanè ut duas habeamus pinnulas, duplex nobis hilaritas quærenda est. Et fortè propterea docet Apostolus (ille enim verè pennas habebat, quibus & in tertium usque cœlum raptus est, & volavit etiam in paradisum) non solum *gloriari in spe*, sed etiam *gloriari in tribulationibus* [c]. Prorsus sublime volat quisquis ille est quem non modo futurorum expectatio bonorum, sed præsentium quoque malorum exhibitio ipsa delectat, ita ut in eo etiam glorietur. Talem invenimus hunc beatum Apostolum, talem miramur, talem merito prædicamus.

Pinnulæ & squamæ in piscibus mundis quid significent.

c Roma. 5. a

Unde & triplicem hic licet considerare gradum, incipientium, proficientium, perfectorum. Initium sapientiæ timor Domini [d]: medium, spes: charitas, plenitudo. Denique Apostolum audi, quia *plenitudo legis est charitas* [e]. Qui initiatur à timore, crucem Christi sustinet patienter; qui proficit in spe, portat libenter: qui vero consummatur in charitate, amplectitur jam ardenter. Solus etenim iste est qui dicere possit, quia amator tuus semper fui, & desideravi amplecti te. Longè est vox ista ab eo qui sustinet quidem, sed optaret omnino si posset non venisse in hanc horam. Denique (si non videor temerarius) longe est ab ea voce [f]: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*. Quid enim? Certe super asellum ascenderat, ut ne hic quidem hostibus relinqueretur. Agnosco plane in duce belli pusillanimorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis. Considero charitatem, stupeo miserationem, expavesco dignationem. Misericors Dominus non beati Andreæ robustum sibi susceptit affectum: quia non est sanis opus medicus, sed male habentibus [g]. Si quem fortè dignatio scandalizat, planè meretur audire: *Nonne oculus tuus nequam est, quia ego bonus* [h]? Huic enim odor vitæ in mortem est.

d Eccli. 1. b

e Rom. 13. c

Triplex gradus ferentium crucem.

f Matt. 26. d

Christus deprecatur mortê; Andreas desiderat: O mirum!

g Matt. 9 b

h Matt. 20. b

Quid magnum fuerat, Domine Jesu, si accedente hora, propter quam veneras, intrepidus stares, tanquam qui potestatem habebas ponendi animam tuam, & nemo eam tollebat à te? An non longè glorioſius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, ut non modo passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret; & quos vivificabat mors tua, tua nihilominus & trepidatio robustos, & mœstitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, desolatio consolatos? Lego quidem in Lazari resurrectione, quia *infremuit spiritu, & turbavit seipsum* [i].

i Ioan. 11. d

Sed esto interim, quia seipse turbavit, non conditionis necessitate, sed suæ beneplacito voluntatis. Nunc autem aliquid jam amplius audio. Usque adeo siquidem prævaluit ea quæ fortis est ut mors dilectio, ut Christum Angelus DEI confortaverit. Quis, quem? Evangelistam audi [k]. *Apparuit* (inquit) *Angelus confortans eum.* Quem *eum*? Planè eum, cui nascituro clausus patuit Virginis uterus; cuius nutu in vinum aqua mutata est; cuius tactu lepra fugata; sub cuius plantis solidum mare stetit; ad cuius vocem mortui surrexerunt: Denique eum qui portat omnia verbo virtutis suæ [l], per quem facta sunt omnia; per quem universa subsistunt, etiam & Angelus ipse. Et quid dicam? Quem *eum*? Minus enim morarer, si non penitus esset indicibilis. *Confortans eum.* Quem *eum*? Cuius ne ipse quidem confortator suus capere poterat maiestatem.

Christus ab Angelo confortari voluit.

[k] Luc. 22. c

[l] 2. Cor. 5. d

Rogo te Angele, quem consolaris? An ignorabas quis esset ad quem consolandum veniebas? Certe consolator est, certe paracletus est. Alioquin non diceret [m], alium Paracletum à Patre mittendum Apostolis, si non esset & ipse Paracletus. Deniq; agnosco & in hoc ipso Paracletum maximum, agnosco Paracletum benignissimum, qui prope sit his qui tribulato sunt corde. Non despero jam, Domine, etiamsi molesta mihi videatur tribulatio, quam patior, etiamsi pusillanimis sum, etiamsi desidero, ut transferatur calix à me. Non despero, inquam, dummodo audiam ipse. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Didici etiam ex hoc ipso non ad carnalem sive caducam recurrere consolationem, sed ad angelicam, sed ad spiritualem, sed ad cœlestem. Ita planè, dummodo non murmurem: id enim penitus separet à te, si non citius resipiscerem: non renuo, etiamsi opus habeo consolari. Quid enim? Agnosco vocem meam in Salvatore; & de salute desperem? Plane in patientia mea possidebo animam meam.

Christi ab Angelo solatium suscipiêtis Exemplum animat nos in tribulatione pusillanimes.

[m] Ioan. 14. b

Veruntamen proficere volo si possum, nec statim adepta salute esse contentus. *Qui timet Deum* (ait Sapiens [n]) *faciet bona*: sed parum est. Scriptum est enim [o]: *Declina à malo & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.* Noli esse salute contentus, quære pacem; ne tibi sit in periculo etiam salus ipsa. Audi ergo Angelum nato eo, qui factus est pax nostra, exultantem atq; canentem [p]: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Quæ autem bona, nisi ordinata voluntas? Quænam est illa inquis? Profecto quæ rationi consentanea est dicenti [q]: *Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Hoc si jam sentire cœpisti, haud dubium quin libenter feras crucem Domini, & dicas [r]: *Paratus sum, & non sum turbatus ut custodiam mandata tua.*

2. gradus ferentium crucem libenter.

[n] Sapien. 15.

[o] Psal. 36. c

[p] Luc. 2. b

[q] Rom. 8. d

[r] Psal. 118. h

Attamen si vis perfectus esse, unum adhuc tibi est necessarium. Quid, illud? inquis, Profecto gaudium in Spiritu Sancto. Siquidem & is

3. Gradus ferentium tru-

qui

qui timore coercetur & patiens est, & qui ratione spei ducitur, & benevolus est: nisi etiam fuerit fervens spiritu, facili labi potest. Porro quæ per Spiritum diffunditur charitas, & patiens & benigna est: & quod est amplius, nunquam excidit. In primo denique mandato quod Parentibus nostris datum est, si diligenter consideres, & Eva patiens, & Adam benevolus fuisse videntur. Quia tamen uterque cecidit, liquet quòd stabili non erat ille, vel illa gradu. *Vidit mulier lignum* (ait scriptura *f*) *quòd esset pulchrum visu, & ad vescendum suave.* Non tibi videtur vix continere manum? Sic & ubi à serpente interrogata est, vide si non manifestè sonant verba ejus molestum ei fuisse mandatum. *Ex omni* (inquit) *ligno paradisi comedimus, de ligno autem scientiæ boni & mali dixit nobis, ne comedamus.* Non dicit, sic & voluntas Creatoris: quare sic, ipse novit: nobis sufficit obedire, quia vita nostra in voluntate ejus. Itaque facilè seducta est mulier & promissioni credere, & acquiescere persuasioni. Vir autem non seductus est, sed subversus mulieris amore *t*. Optaret enim semper servare mandatum quod sibi utile noverat, si non mulier ei aliud suaderet. Nec aliquam in servando mandato visus est pati difficultatem, sed quæ bona voluntas erat, non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem.

cem gaudenter.

*f Gen. 3. b

Primorum parentum lapsus ex instabilitate, & defectu charitatis.

*t 1. Tim. 2. b

Fortis quippe est ut mors *u*, non patientia aut spes, sed dilectio. Non timor aut ratio, sed spiritus fortitudinis est. Dicit patientia, sic oportet fieri: quia timore urgetur. Dicit voluntas bona, sic expedit, & sic agendum est: quia spei attrahitur ratione. Charitas vero quæ inflammatur à spiritu, neque sic oportet, dicit, neque sic expedit: sed sic volo (inquit) sic cupio, sic desidero vehementer. Videtis quanta sublimitas, videtis quanta securitas quantáque suavitas charitatis? Felix anima quæ ad hunc charitatis pervenerit statum. Nec sanè desperandum nobis, quandoquidem ejus, qui ad hunc pervenit gradum, hoc maximè memoria celebratur: ut ipsius & invocemus auxilium, & provocemur exemplo. Plus dico, & ex nobis nonnullos videre mihi videor in hoc gradu. Si dicis beatum Andream Apostolum esse, nec posse te, qui pusillus es, ejus sequi vestigia: pudeat vel eos qui tecum sunt, non imitari. Nemo repente fit summus: ascendendo non volando apprehenditur summitas scalæ. Ascendamus igitur velut duobus quibusdam pedibus, meditatione & oratione. Meditatio siquidem docet quid desit, oratio ne desit obtinet. Illa viam ostendit, ista deducit. Meditatione denique agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione evadimus, præstante Domino nostro Jesu Christo.

*u Cant. 8. b

Vis & efficacia charitatis.

Meditationis & orationis necessitas.

DE SANCTO ANDREA APOSTOLO
SERMO II.

BEati Andreæ Apostoli solemnitas hodie celebratur : quam si pia solicitudine perscrutemur, multa invenimus in ea quæ ædificent animas nostras. In ipso siquidem conversionis suæ initio magnum nobis perfectæ Obedientiæ præstat exemplum. Quod quidem Christianis omnibus necessarium : nobis tamen est charius amplectendum, qui nimirum specialiter ex ipsa professione nostra tenemur obedientiæ debitores. Sapiens nummularius est, imò ipsa sapientia, cui necesse habemus reddere hunc obedientiæ nummum : nec suscipiet eum nisi & integer inveniatur, & sine aliqua falsitate. Nam si discutimus, si adjudicamus, & in hoc quidem præcepto obedimus, sed non illo, fractus est nummus ; non suscipiet eum Christus, à quo nimirum tenemur nummi integri debitores. Omnes enim obedientiam simpliciter & sine ulla exceptione promisimus. Quòd si quis obediat quidem, sed simulatoriè & ad oculum ; murmuret autem in abscondito, falsus est nummus ejus : plumbum habet non argentum ; & iniquitas sedet super talentum plumbi. Dolosè agit, sed in conspectu Dei, quoniam Deus non irridetur.

Obedientiæ exempl.

Obedientia vitiosa.

Vis audire perfectæ obedientiæ formam ? *Vidit Dominus* (ait Evangelista [a]) *Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis : Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Faciam (inquit) de piscatoribus piscatores : imò prædicatores. *At illi continuo* nihil dijudicantes aut hæsitantes, non soliciti unde venerunt, non considerantes quonam modo rudes homines & sine literis prædicatores fieri possent : nihil denique interrogantes, sine omni mora *relictis retibus & navi secuti sunt eum.* Agnoscite, Fratres, quoniam propter vos scripta sunt hæc, propter vos singulis annis in Ecclesia recitantur ; ut discentes veræ obedientiæ formam, castigetis corda vestra in obedientia charitatis. Hæc nimirum est quæ sola commendat obedientiæ nummum, hoc illius argentum est probatum atque purgatum. Sola est charitas quæ obedientiam gratam facit & acceptabilem Deo, Hilarem quippe datorem diligit Deus [b]. Et item : *si tradidero* (inquit [c]) *corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam : nihil mihi prodest.*

[a] Matt. 4. c*

Obedientiæ perfectæ Exemplum in Petro & Andrea.

[b] 1. Cor. 9. b

[c] 1. Cor. 13. a

Vultis ut de ipsa quoque beati hujus Apostoli passione, quam nimirum hodie celebramus, loquamur aliquid ad laudem Christi, & ædificationem vestram ? Audistis certè cum pervenisset beatus Andreas ad locum ubi crux parata erat, quomodò confortatus sit in Domino, & per Spiritum quem unà cum cæteris Apostolis in igneis linguis acceperat, verba

De Passione B. Andreæ.

verba verè igneà loqueretur. Videns ergo paratam eminus crucem, nequaquam (ut exigere videtur mortalis infirmitas) facies ejus expalluit, nequaquam sanguis ejus gelatus est, non stetère comæ, aut vox faucibus hæsit: non contremuit corpus, nec mens turbata est, non recessit, ut assolet, intellectus. Ex abundantia cordis os locutum est, & charitas quæ fervebat in corde, quasi scintillas quasdam ardentissimas emittebat in voce. Quid enim beatus Andreas cum sibi paratam (ut dixi) crucem eminus cerneret, loquebatur? *O crux*, inquit, *diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata: securus & gaudens venio ad te, ita ut & tu exultans suscipias me discipulum ejus qui pependit in te, quia amator tuus semper fui, & desideravi amplecti te.* Obsecro, Fratres, homo est qui loquitur hæc, an non est homo, sed Angelus, aut nova aliqua creatura? Homo plane similis nobis passibilis. Nam passibilem eum passio ipsa testatur, qua appropinquante tam lætabundus exultat. Unde ergo in homine nova hæc exultatio, & lætitia hactenus inaudita? Unde in tanta fragilitate tanta constantia: Unde in homine tam spiritualis mens, tam fervens charitas, animus tam robustus? Absit ut à seipso tantam ei credamus inesse virtutem. Donum perfectum est, descendens à Patre luminum, ab eo utique qui facit mirabilia magna solus.

Visam eminus crucem exultabundus salutat.

Vnde B. Andreæ tantus animi fervor & fortitudo.

Planè spiritus erat, dilectissimi qui adjuvabat infirmitatem ejus, per quem diffundebatur in corde ipsius fortis charitas ut mors, imò & fortior morte. Cujus ô si & nos participes inveniamur! Ecce enim molestus est nobis pœnitentiæ labor, corporis afflictio gravis, abstinentia onerosa: in vigilijs dormitat anima nostra præ tædio, non ob aliud sanè quàm propter inopiã spiritus. Ipse enim si adesset, adjuvaret sine dubio infirmitatem nostrã: & sicut beato Andreæ crucem & mortem ipsam, sic nobis quoque laborem & pœnitentiam nostram faceret, non solum non molestam, sed etiam desiderabilem atque omninò delectabilem esse. *Spiritus enim meus* (ait Dominus) *super mel dulcis*, ita ut ne ipsa quidem dulcedini ejus prævalere queat amarissima licet mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit esse dulcissimam? Quæ resistere possit asperitas unctioni illi, quæ mortem quoque facit suavissimum? *Cum dederit* (ait [e]) *dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Quam molestiam non expellit gaudium illud, quod mortem quoque ipsam facit esse lætissimam? Quæramus hunc spiritum, Fratres, tota solicitudine operam demus ut mereamur habere hunc spiritum, imò ut quem jam habemus, abundantius habeamus. Quicunque enim spiritum Christi non habet, hic non est ejus [f]. Nos autem non accepimus spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.

Languor ad spiritualia in nobis unde.

d Eccli. 24. c

e Psal. 126. a

f Rom. 8. b

Desiderium majoris gratiæ est testi-

Testimo-

monium præsentiæ spiritus.

Testimonium præsentiæ ejus præbent opera ipsa salutis & vitæ, quæ nullatenus agere possemus, nisi Spiritus qui vivificat, spiritus Salvatoris adesset. Quæramus igitur ut dona sua multiplicet Deus in nobis, spiritum suum augeat, qui jam primitias dedit. Nullum enim omnino præsentiæ ejus certius testimonium est quàm desiderium gratiæ amplioris, quoniam ipse dicit: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me,* g Eccli. 24.c *adhuc sitient.* g

Sed fortasse multorum nobis conscientiæ jam respondent. Desideramus quidem hunc spiritum, qui sic adjuvet infirmitatem nostram, sed invenire non possumus. Et ego dico, propterea non invenitis, quia non quæritis: propterea non accipitis, quia non petitis. Petitis & non accipitis, eo quòd negligenter petatis. Nihil enim aliud expectat, nihil aliud quærit Deus, nisi ut sedulò & cum desiderio requiratur. Denique quando negabit petentibus, qui etiam non petentes provocat & hortatur ut petant? *Si vos* (inquit [h]) *cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Petite ergo, charissimi, petite sine intermissione, petite sine hæsitatione: in omnibus operibus vestris dulcissimi semper hujus ac suavissimi spiritus præsentiam & auxilium invocate. Et nos enim, Fratres, cum beato Andrea necesse habemus tollere crucem nostram, imò cum eo, quem & ipse secutus est, Domino Salvatore. Inde enim sic lætabatur, inde sic exultabat, quod non solum pro eo, sed etiam cum eo mori videretur, & complantari similitudini mortis ejus, ut compatiens etiam conregnaret. Cum quo ut simul crucifigamur & nos, attentius auribus cordis audiamus vocem dicentis [i]: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ac si dicat: qui me desiderat, se despiciat; qui vult facere voluntatem meam, discat frangere suam.

Petentes non accipimus, eo quod negligenter petamus.

h Matth. 7.b

Crux cuique tollenda.

i Luc. 9. c

Sed continuò bella insurgunt, armantur protinus adversum nos inimici. Et nos armemur contra, imitemur arma Regis nostri, ut tollamus & nos crucem nostram, in qua de inimicis omnibus triumphemus. Audi enim quid Psalmista promiserit, imò Spiritus sanctus per os ejus [k]: *Scuto* (inquit) *circumdabit te veritas ejus*, haud dubium quin Altissimi. Deo siquidem loquebatur, sicut manifestè indicant ipsius psalmi præcedentia verba. Ad quid, Fratres, scuto circundamur, nisi quia nos undique bella circundant? Denique quid causæ sit ut te scuto circundet, attende. *Scuto* (inquit) *circundabit te veritas ejus.* Ad quid enim? *Non timebis* (inquit) *à timore nocturno, A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.* Videsne quàm necesse sit, ut scuto circundet te veritas, quem sic hostium tela circundant?

Arma contra hostem capienda.

k Psal. 90.a

Armorum spiritualium necessitas.

Ab inferiore enim parte timor nocturnus insurgit, à sinistris sagitta volat in die, à dextris perambulat negocium tenebrosum: & ut nihil sit vacuum, à superiori parte dæmonium meridianum insurgit. Nos autem miseri & miserabiles vicinis tot serpentibus, & igneis telis undique volantibus, insurgentibus inimicis, nihilominus pernicioſa securitate & negligentia, dormitamus, torpemus ocio, vanitatibus & scurrilitatibus indulgemus, tam pigri ad spiritualia exercitia, ac si jam pax sit & securitas, & non sit militia vita hominis super terram. Hoc est (dico vobis charissimi) quod me vehementius terret, quod omnino timoris acerbissimi gladio transverberat animam meam: quod inter tanta pericula minus timorati, minus exercitati, minus quàm necesse sit soliciti videamur. Siquidem unum è duobus hæc ipsa negligentia nostra probat, aut omninò traditos nos hostibus, & nescire: aut si inter hæc conservamur, ei qui tuetur nos, ingratos nimium inveniri. Quorum utrumque quid periculi habeat, satis manifestum est. Propterea obsecro vos, dilectissimi, ipsa nos excitet hostium malitia pervigil, & instantia eorum maligna; qua tam seduli, tam solliciti sunt in nostram perditionem, nos quoque solicitos faciat & circunspectos, ut in timore & tremore nostrâ ipsorum salutem operemur.

Securitas nostra in tot tantisque periculis quam pernicioſa.

Ecce enim in cruce salus nostra, tantum ut ei viriliter inhæreamus. *Verbum crucis* (ait Apostolus [l]) *pereuntibus quidem stultitia, his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est.* Ipsa est scutum quo circundamur, ut ejus quatuor cornua quadrifaria hostium tela repellant. Sit ergo inferius cornu contra timorem nocturnum, id est, adversus pusillanimitatem, quæ de carnis afflictione procedit, ut id, quod sub nobis est, corpus castigare viriliter studeamus, ac subjicere servituti. Si quis verò nobis in faciem maledicit, si quis apertè mala suadere conatur, in die volat sagitta, & à sinistris est, sinistro nihilominus cornu crucis excipienda. Quod si adulatur, si quasi consulentis animo venenum propinat fraternæ detractionis, & odium seminare conatur, si denique iniquum aliquid tanquam justum persuadere tentat, à dextris est mihi iste: sed Judas est, osculo me prodit, & dextro cornu crucis negocium perambulans in tenebris necesse est propulsari. Sed ecce dæmonium meridianum, superbiæ scilicet spiritus, qui nimirum in splendore majori virtutum acrius insurgere solet. Hæc autem quàm pernicioſa sit, sæpius vobis intimare curamus. Initium quippe omnis peccati & causa totius perditionis superbia est. Propterea quisquis es qui salutem tuam operari studes, adversus hanc, super caput tuum, cornu crucis habere memento, ut non eleveris in superbiam, non exaltetur cor tuum, non ambules in magnis neque in mirabilibus super te: sed tela ea quæ de sublimi

[l] 1. Cor. 1. b*

Quatuor Crucis cornua mysticè expoſita.

Superbia in ipsis virtutibus maximè cavenda.

veniunt ; supereminens capiti tuo cornu crucis excipiat. Sanè hoc solum est, cui salutis pariter & regni titulus inscribitur ; quia solus qui se humiliat, salvari & exaltari meretur.

Dæmon perseverantiæ insidiatur.

Jam ut breviter repetam, quatuor hæc cornua sunt, continentia, patientia, prudentia, & humilitas. Felix anima quæ in hac cruce gloriatur & triumphat, tantum ut perseveret in ea, nullis valeat tentationibus deiici. Oret igitur quisquis in hac cruce est, oret cum beato Andrea Dominum & Magistrum suum, ne patiatur eum de cruce deponi. Quid enim malignus ille non audeat, quid non præsumat impius attentare? Quod Ægeæ manibus de discipulo, hoc Judæorum linguis facere cogitaverat & de Magistro. In utroque tamen sera pœnitentia ductus, victus & confusus abscessit. Utinam abeat similiter & à nobis, eo vincente, qui & in se, & in discipulo triumphavit. Faciat ipse ut mereamur & nos in hac nostra qualicunque cruce pœnitentiæ, quam pro ipsius nomine tulimus, feliciter consummari, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

Manendum & moriendum in cruce. † v. Fascic. Cysterc. Chrysost. Henriquez. *lib.* 1. *dist.* 13. ubi dicitur fuisse fundator & primus Abbas Cœnobij Igniacensis à B. Bern. constitutus, postea tamen deposito præfecturæ onere ad Clarā-Vallem rediisse, ibique sancto fine quievisse.

IN OBITU DEVOTI HUMBERTI MONACHI.†

Sermo.

Mortis sola potestas in corpus, nulla in animam.

HUmbertus famulus Domini mortuus est, devotus famulus, servus fidelis. Ipsi vidistis quomodò nocte præterita inter manus nostras expiravit tanquam unus ex vermiculis terræ. Per hoc triduum fatigavit eum mors, & demolita est intra fauces suas, ut satiaretur sanguine quem sitivit. Eia fecit quod potuit, occidit carnem, & ecce recondita est in corde terræ. Separavit à nobis dulcem amicum, prudentem consiliarium, auxiliarium fortem. Nec mihi nec nobis pepercit insatiabilis homicida, mihi minus. Siccine separas amara mors ? O bestia crudelis, ô amaritudo amarissima, ô fœtor & horror filiorum Adam. Quid fecisti? Occidisti, possedisti. Sed quid ? Carnem utique solam. Animæ enim non habes quid facias. Volat ad creatorem suum : quem tam ardenter concupierat, tam fortiter secuta fuerat omnibus diebus vitæ suæ. Sed & ipsum corpus quod videris habere, auferetur à te : cum tu novissima inimica destrueris, & absorbeberis in victoria. Reddes utique reddes aliquando corpus istud, quod ad signum adventus tui tantis hesterna die sputis & excreationibus, ac multiplici sordium squalore repleveras, lætabunda & laudans, quia hunc tuis laqueis irretiisses. Veniet Unigenitus Patris cum potestate magna & majestate Humbertum quærere, & illud idem cadaverosum corpus configurare corpori claritatis suæ. Tu autem quid ? Profecto (quod [a] Hier. 17. b in Hieremia scriptum est [a]) in novissimo dierum stulta remanebis : &

Humberto

Humberto in æternum vivente, tu in perpetuum morieris. Evomuit Prophetam [b] marina bestia quem deglutierat: & tu Humbertum reddes, quem videris tuo vastissimo ventre concluisse. b. Ionæ. 2

De cætero, Fratres, factitium vobis sermonem in omni forma sanctitatis iste Dei servus exhibuit, quem & longum fecit & magnum, Longum, quantum ad longinquitatem viæ: magnum, quantum ad vitæ sublimitatem. Non oportet me amplius aperire os meum, si bene retinuistis sermonem ejus, si vestris illum cordibus impressistis. Quinquaginta annos & eo amplius vixit in servitio illius, cui servire regnare est; quia à pueritibus annis locutus est in sanctuario Dei. Nobiscum triginta annis ab ipso pene principio monasterij hujus conversatus est, non solum sine querela, sed & cum gratia: cujus ex hoc memoria in benedictione erit nobis, & generationi, quæ ventura est. Sicut advena & peregrinus pertransiit viam & vitam istam, quantum minus potuit de mundi rebus accipiens, ut pote sciens quia non erat de hoc mundo. Non habebat hic manentem civitatem, sicut nec patres sui: sed in anteriora extentus sequebatur ad palmam supernæ vocationis. Nihil habet mundus quod jure clamet in eo, vel de eo: quia nec mundus ei placuit, nec ipse mundo. Quantum parcius potuit de substantia ejus accepit, & minus accepisset, si non obedientia coegisset Victum & vestitum habens, his contentus fuit, non ad superfluitatem, sed ad necessitatem: nisi quòd ipsam quoque necessitatem, superfluitatem esse sæpius causabatur. Ante hos paucos dies, si bene memini, dum colloqueremur adinvicem, dicebat se monasterij hujus præbendarium esse, & nullius tanquam utilitatis hominem pasci in domo Dei. Erat enim vere mitis, & humilis corde: & cùm cæteris floreret virtutibus, gratiam tamen mansuetudinis specialiter obtinebat. Ideo se amabilem & affabilem omnibus exhibebat, sicut erat amabilis valde.

Quinquaginta annos egit in ordine.

Humbertus idea & exemplar viri religiosi; nam eminebant in eo contemptus mundi, seu amor paupertatis;

Mansuetudo & humilitas.

Veruntamen in his omnibus quàm circunciſum fuerit os ejus & lingua, omnes vos plenissime cognovistis, qui tamdiu vidistis ejus conversationem, & sermonem ejus audistis. Quis unquam ex ore ejus sonum detractionis, verbum scurrilitatis, sermonem gloriæ, invidiæ vocem audivit? Quis eum vel alios judicantem, vel judicanti consentientem aliquando deprehendit? Quis eum loquentem inania audire potuit? Imò quis non ab eo timuit, si talia forte loqueretur audiri? Nimirum sollicite custodiebat vias suas ut non delinqueret in lingua sua, sciens quia qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir [c]. Longe à te Humberte. Væ illud evangelicum: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia flebitis* [d]. Nunquid aliquis vestrum eum ridentem, & inter multos ridentes invenit? Serenabat quidem vultum suum assidentium gratiâ, ne fieret onerosus, sed risum integrum,

Taciturnitas & linguæ custodia.

Maturitas & risus fuga.

c Iacob. 3. 2
d Luc. 5.

Vigilantia, industria, & fervor.

bene recolitis, non admisit. Porro quanti fervoris in opere Dei diebus & noctibus fuerit, non solum vidistis, sed etiam admirati estis usque ad diem mortis suæ. Cum enim ferè jam ad decrepitam perveniss ætatem, præter incommoda senectutis, etiam tot & tantis infirmitatibus, quas multi vestrum non ignorant, lassatus atque quassatus; erat tamen, ut dicitur, animus victor annorum, & cedere nesciens infirmiti. Denique in frigoribus & caloribus per montes & valles ascendens & descendens, juvenum laborem prosequebatur, ita ut admirationi esset omnibus & stupori. Si eum quandoque propter multitudinem negociorum consilij gratiâ retinuissem, tristis perseverabat & nubilus donec vestro consortio redderetur. Rarissimè unquam solemnibus vigilijs, quas non rarò anticipabat, rarissimè cæteris horis psallentium in choro inventus est defuisse: nec nisi ea necessitate, ut ex instanti responsum mortis habens infirmitas sequeretur.

Assiduitas in officio divino.

Sobrietas & rara abstinentia.

Porro in refectorio vix communibus utens cibis siquid fortè aliud apponeretur, aut non accipiebat, aut tam molestè accipiebat, ut super hoc universitatem nostram sæpius molestaret. Decreverat aquam bibere semper, si non totis viribus restitissem. Vinum si quandoque bibere cogeretur; erat vinum colore potius quam sapore, adeo illud aquis nimiis obruebat. Vix unquam ubedientia compellente infirmitorium introivit: vix cum intrasset teneri potuit. Fateor minus obediens in hac parte, quòd auctoritatis suæ mole me premeret. Laudo eum, in hoc non laudo: quia sicut vos scitis, non parum in hujusmodi perstitit obstinatus. Credo quia si quid triste sensit, propter hoc sensit, quòd minus nobis consensit de necessitate corporis sui †. Sed qualis erat in consilijs? Purus utique & discretus, quod ego tanto melius novi, quanto sæpius tetigi pectus ejus. Non solus autem novi hoc, novit & universitas vestra. Quis denique multitudine vel magnitudine tentationum percussus, non audivit ab ore ejus & radicem tentationis, & curationis remedium? Ita enim percurrebat omnes angulos conscientiæ infirmantis, ut credere posset qui confitebatur, eum vidisse omnia, omnibus interfuisse.

† *v. Bern. serm. 19. in Cant. n. 8.* ubi carpit religiosos hac in parte proprio judicio nimium obsequentes.

Prudentia in consiliis. Et tentationum remediis.

Charitas & pietas erga alios. In sancta conversatione constantia.

Quantæ autem charitatis erat? Sic se induerat viscera pietatis, ut omnes excusaret, pro omnibus intercederet, nescientibus illis pro quibus loquebatur; non personarum acceptor, sed necessitatum. Erat ergo humilis corde, dulcis sermone, strenuus opere, fervens charitate, in commisso fidelis, in consilio circunspectus & prudens. Compositus erat super omnes homines quos viderim in diebus istis, unus & idem perseverans omni tempore & omni hora. Plane in semitis Domini JEsu posuit vestigia, nec retraxit pedem donec cursum itineris consummaret. Ille fuit

Verus ergò Christi sectator & discipulus Humbertus.

pauper,

pauper, pauper etiam iſte fuit. Vixit ille in laboribus, & hic in laboribus multis. Crucifixus eſt ille, & iſte multis & magnis crucibus affixus, ſtigmata JESU tulit in corpore ſuo, adimplens ea quæ deerant paſſionum Chriſti etiam in carne ſua. Reſurrexit ille, iſte reſurget. Ille aſcendit in cœlum, & iſte creditur aſcenſurus. Aſcenſurus plane cum rex gloriæ propter nos deſcendet, ſicut prius aſcenderat, ut notam faciat potentiam ſuam: cum non minoris excellentiæ ſit deſcendere per aera, quàm per aerem aſcendiſſe. Sic enim olim Angeli prædixerunt [e]: *quia hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Ne laudaveris hominem in vita ſua, dicit ſcriptura [f], pro eo quòd non eſt ſecura laudatio niſi poſt mortem. Hoc & ego in eo ſtudiosè ſervavi, qui dum viveret, in huiuſmodi non aperui os meum; ne forte poſſemus vel ego adulationis notam, vel ille culpam incurrere vanitatis. Ex hoc ſane neutrum jam timetur: nec ego eum video, & ille forſitan me non audit. Sed etſi audiat, non movetur hominum verbis, fortius inhœrens atque felicius verbo DEI. Nihil proficiet inimicus in eo, & vanitatis ſuggeſtor non apponet nocere ei.

[e] Act. 1. a

[f] Eccl. 11. d

Ecce jam coram te eſt, Pater dulciſſime, fons ille puritatis, quem tanto ardore animi ſitiebas: ecce imerſus es in illam divinæ pietatis abyſſum, cuius memoriam abundantiæ ſuavitatis tam devotè eructare ſolebas. Quis enim tam devotus prædicator pietatis divinæ, quis humanæ puritatis commendator tam ſtudioſus, quis utriuſque rei tam affectuoſus amator erat? aut cui aliquando quinq; verba locutus es, in quibus non vera puritas reſonaret, in quibus non ſancta Dei pietas audiretur? Non ergò ſuper te doleo, cui deſiderium animæ tuæ tribuit Deus, mihi potius ademptum doleo fidele conſilium, auxilium grande, virum unanimem, hominem ſecundum cor meum. In me hæc omnia mala ceciderunt. In me tranſierunt iræ tuæ Domine JESU, & terrores tui conturbaverunt me. Elongaſti à me amicum & proximum, & notos meos à miſeria extrahens, me in miſeriis reliquiſti. Abſtuliſti mihi germanos carne, germaniores ſpiritu, & in tuis negociis, & in ſecularibus ſecundum te ſapientes. Suſtuliſti hinc alios, atque alios, qui onus meum portabant, onus grande quod mihi impoſuiſti. Unus mihi prope ſolus Humbertus ſupererat è tantis neceſſariis meis, eo ſuavior amicus, quo antiquior: & hunc tuliſti; quoniam tuus erat. Ego ſolus ad verbera relinquor, ego morior in ſingulis, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. Utinam quem flagellas, occidas ſemel, & non miſerum hominem tot & tantis mortibus ſerves.

Apoſtrophe ad Humbertũ.

Ad Chriſtũ.

Pia S. Bern. lamentatio.

Veruntamen non contradico ſermonibus ſancti: qui cœpit, ipſe me conterat; & hæc mihi conſolatio ſit, ut affligens dolore, non parcat.

Deplorat ereptum ſibi

suisque Humbertum.

Ego in flagella paratus sum, si forte pius pater in beneficia flagella commutet. Unde & verba non murmure plena sunt, sed dolore. Non ploro Humbertum (neque enim ille plorandus est, qui vocatus est ad mensam divitis, sed super me & super vos ploro, super domum istam, super cæteros fratres nostos, qui omnes ab eius ore consilium expectabant. Sic & Salvator crucem suam tanquam latro suum laqueum portans, cum mulieres quæ eum à Galilæa secutæ fuerant, super se lamentantes respiceret, g Luc. 23. d conversus ad eas dixit g: *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros. Etenim ea quæ de me sunt, finem habent.* Quæ videtis mihi præparari, temporalia sunt: quæ non videtis, æterna. Si temporalia sunt, transitoria sunt: si transitoria sunt, & mortalia sunt: & transeundi vel moriendi argumentum hoc solum est, quia videri possunt. Temporalia fuerunt quæ in Humberti morte conspeximus, sed jam obtinet gaudium & lætitiam in perpetuas æternitates.

Omnia visibilia transitoria.

Non est ergo lugendus nobis, cui nec luctus, nec dolor est. Sed nec pro nobis, quibus ille sublatus est, murmurandum est, magis gratias agamus quòd tamdiu concessus est nobis. Siquidem (ut ego arbitror) decennium jam decursum est, quod non vixit, nisi nobis & pro nobis: atque hic timor meus est, ne ideò translatus sit, quia non eramus jam digni consortio illius. Quis scit tamen si idcirco sublatus fuerit, ut nos suis intercessionibus protegat apud Patrem? Utinam ita sit. Si enim tantæ charitatis erat dum esset nobiscum, ut omnia quæ ad corpoream necessitatem spectant, libentius mihi quàm sibi cederet: quantò magis nunc cum illi summæ charitati (quæ Deus est) inhæret, maiorem habet in me gratiam & charitatem? Sed forsitan nunc de me, & de conversatione mea plenius novit veritatem, nec compatitur, ut solebat, sed ut vereor, indignatur. Quod si etiam propter peccata nostra abstulit eum DEUS: utinam idem ipse obtineat, ut nobis hoc ipsum misericorditer relaxetur, ne pœnam super pœnam sustineamus.

Intercessio Sanctorum.

Ociosi sermones & omnis iactura temporis cavenda.

De reliquo, Fratres, dico vobis, si sequeremini vestigia eius, non tam facilè in vanis cogitationibus & ociosis sermonibus in jocis & scurrilitatibus laberemini: quia in his multum perditis & de vita vestra, & de tempore vestro. Volat irrevocabile tempus, & dum creditis vos cavere pœnam istam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur usque ad novissimum quadrantem. Scio ego quia durum est homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere: sed durius & multo durius erit futuras illas molestias tolerare. Et homo iste qui hic sepultus est, multa

Vel graviter in purgatorio luenda.

in prin-

in principio (sicut ipse cognovi) super huiusmodi tentamenta sustinuit, sed cum multo luctamine pugnavit & vicit. Et sicut tunc ei durum erat pugnam in tentationibus sustinere, sic ei modo durius esset ad illas ineptias revolare, quia bona consuetudo pervenerat in naturam. Exercete vos in doctrina ista, & attendite formam illam quam vidistis in eo & audistis: ut ad eum perveniatis ad quem ipse pervenit, qui est benedictus in sæcula, AMEN.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

SERMO I.

FEstivitas hodierna, Fratres tanto nobis debet esse devotior, quanto familiarior est. Nam cæteras quidem Sanctorum solennitates cum Ecclesiis aliis habemus communes: hæc verò sic nobis est propria, ut necesse sit, vel à nobis eam, vel à nemine celebrari. Nostra est, quia de Ecclesia nostra: magis autem nostra, quia de nobisipsis. Miramini forsitan & erubescitis celebrari festa de vobis, sed nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Quid enim lapides isti potuerunt sanctitatis habere, ut eorum solennia celebremus? Habent utique sanctitatem, sed propter corpora vestra. An vero corpora vestra sancta esse quis dubitet, quæ templum sancti Spiritus sunt, ut sciat unusquisque possidere vas suum in sanctificatione? Itaque sanctæ sunt animæ propter inhabitantem spiritum Dei in vobis. Sancta sunt corpora propter animas, sancta est etiam propter corpora domus. Adhuc certè corruptibili tenebatur in carne, & in corpore peccati, in quo & grave adulterii crimen admisit illius anima qui dicebat [a]: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Mirabilis plane DEUS in Sanctis suis, non modò in cœlestibus, sed etiam in terrenis. Utrobique sanctos habet, & in utrisque mirabilis est: illos quidem beatificans, istos sanctificans.

Festivitas dedicationis non tam templi consecrati materialis, quam nostri spiritualis.

An experimentum quæritis eius de qua loquimur sanctitatis, & sanctorum vobis istorum miracula desideratis ostendi? Multi certè ex vobis à peccatis & vitiis in quibus computruerunt tanquam jumenta in stercore suo, exiere viriliter; & quotidie impugnantibus eis potenter resistunt, juxta Apostolum qui de sanctis loquens utique [b]. *Convaluerunt*, inquit, *de infirmitate fortes facti sunt in bello.* Quid mirabilius, quando is qui prius vix per biduum poterat à luxuria, crapula, & commessationibus, & ebrietatibus, à cubilibus & impudicitiis, cæterisque similibus & dissimilibus vitiis continere, nunc ab eis continet multis annis, tota utique vita sua? Quod maius miraculum, quando tot juvenes, tot adolescentes, tot nobiles, universi denique quos hic video, velut in carcere aperto tenen-

[a] Psal. 85. a *Duplices sanctos habet Deus, alios in cœlis alios in terris.*

[b] Hebr. 11. f *Nec his terrenis sua desunt miracula.*

tur

tur sine vinculis, solo Dei timore confixi, quòd in tanta perseverant afflictione pœnitentiæ ultra virtutem humanam, supra naturam, contra consuetudinem? Ipsi, credo, videtis quanta jam possemus invenire miracula, si perscrutari sigillatim liceret singulorum exitum de Ægypto, & deserti viam, id est, abrenunciationem seculi, introitum monasterii, in monasterio conversationem. Quid vero sunt hæc, nisi manifesta inhabitantis in vobis Spiritus sancti argumenta? Nam habitare in corpore animam, probant vitales motus corporis: habitare in anima Spiritum probat vita spiritualis. Illud ex visu & auditu dignoscitur: istud ex charitate & humilitate, cæterisque virtutibus.

Homo spiritualis unde noscendus.

Vestra est igitur, Fratres charissimi, vestra est hodierna festivitas. Vos dedicati estis Domino, vos elegit & assumpsit in proprios. *Tibi* (inquit Propheta) *derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Quàm benè commutastis, dilectissimi, quicquid habere potuistis in seculo, quando nunc relinquendo ea, proprii esse meruistis auctoris seculi, & eum habere propriam possessionem, qui sine dubio portio & hæreditas est suorum. Neque enim, sicut dixerunt filii iniquitatis, *beatus populus cui hæc sunt* [d], temporalia scilicet quæ præmiserat, *promptuaria eructantia ex hoc in illud, oves fœtosæ* & similia: non, inquam, beatus populus cui hæc sunt, sed *beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Videte ergo, si non dignum sit ut festum agamus diem quo nos assumpsit in proprios, & investivit se per ministeriales & vicarios suos: ut fiat sicut jam olim promiserat: Ego, inquiens, *in medio eorum ero eorum Deus*: nos autem populus eius, & oves pascuæ eius. Quando enim domus ista per manus pontificum dedicata est Domino, propter nos sine dubio factum est; non solum qui præsentes sumus, sed & quicunque usque in finem seculi Domino sunt in hoc loco militaturi.

c Psal. 9.g *Qui reliquerunt omnia, relicti sunt DEO.*

d Psal. 143.c

Beatus qui Deum habet.

e Zach. 2.b

In nobis proinde spiritualiter impleri necesse est, quæ in parietibus visibiliter præcesserunt. Et si vultis scire, hæc utique sunt: *Aspersio, Inscriptio, Inunctio, Illuminatio, Benedictio.* Hæc utique in hac visibili domo fecere Pontifices, hæc & Christus assistens pontifex futurorum bonorum invisibiliter quotidie operatur in nobis. *Primo* siquidem aspergit nos hyssopo, ut mundemur, lavemur, dealbemur, dicatúrque de nobis [f]: *Quæ est ista quæ ascendit albata?* Lavat, inquam, nos in confessione, lavat nos lachrymarum imbre, lavat sudore pœnitentiæ: magis autem lavat nos aqua illa preciosa quæ de fonte pietatis, id est, ab eius latere emanavit. Aspergit nos hyssopo, quæ humilis herba est, & pectoris purgativa: aqua sapientiæ salutaris, quæ est timor Domini, initium sapientiæ, & fons vitæ; etiam condimentum salis admiscens, ne sit insipidus timor sine

Dedicatio templi Materialis, typus spiritualis.

f Cant. 8.b

Ritus & ceremoniæ in dedic. usitatæ spectant ad instructionem templi mystici.

1. *Aspersio.*

spe

spe, sine devotione. Non solum autem, sed *inscribit digito* Dei, in quo ejiciebat dæmonia, haud dubium quin in Spiritu sancto. Inscribit inquam legem suam non jam in lapide, sed in tabulis cordis carnalibus, propheticam implens promissionem, qua se pollicitus est [g] ablaturum cor lapideum, & carneum cor esse daturum, id est non durum, non obstinatum, non Judaicum: sed pium, sed mansuetum, sed tractabile, sed devotum. *Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum* [h]. Beati inquam qui docti *& memores sunt mandatorum eius, sed ad faciendum ea* [i]. Alioquin *scienti bonum & non facienti, peccatum est illi* [k]: *& servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis* [l].

2. *Inscriptio.*

g Ezech. 11. d

h Psal. 93. b
i Psal. 102. d
k Iacob. 4. d
l Luc. 12. f

Unde necesse est ut *Unctio* spiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem nostram, observantiarum & multimodæ pœnitentiæ cruces, devotionis suæ gratiâ liniens: quia nec sine cruce sequi Christum, & sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset? Hinc est quòd multi abominantur & fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non etiam unctionem. Vos qui experti estis, ecce scitis, quia verè crux nostra inuncta est, & per gratiam spiritus adiuvantis suavis & delectabilis est pœnitentia nostra, & ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima. At postquam unctio gratiæ huius præcesserit, jam lucernam suam Christus non ponit sub modio, sed super candelabrum: quia tempus est ut luceat lux nostra coram hominibus, & videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est [m].

3. *Unctio.*

Cur multi horreant pœnitentiæ & disciplinæ crucem.

4. *Illuminatio.*

m Matt. 5.

Jam verò benedictionem quidem expectemus in fine, quandò aperiet manum suam & implebit omne animal benedictione. Nam in quatuor præmissis merita constant, in benedictione sunt præmia. In benedictione tota complebitur gratia sanctificationis, quando jam in domum transibimus non manufactam, æternam in cœlis. Ipsa est quæ construitur vivis ex lapidibus, Angelis scilicet & hominibus. Simul enim ædificatio & dedicatio ipsa complebitur. Disiuncta nimirum ligna & lapides, domum non faciunt, nec in eis habitare quis potest; sola vero conjunctio domum facit. Sic cœlestium spirituum perfecta unitas, sine ulla sibi divisione connexa, integram & congruam DEO reddit habitationem, quam ineffabiliter beatificat inhabitans gloria maiestatis. Quis enim sic sciret universa regum consilia, aut quis eorum omnia dicta vel facta sic nosset, quomodò palatii ligna & lapides, si non deesset illis intelligentiæ sensus? Itaque cœlestis illius curiæ lapides vivi ac rationabiles divinis intersunt consiliis, & Trinitatis mysteria norunt, audiúntque verba ineffabilia quæ non licet homini loqui. Beati qui habitant in domo tua Domine; in secula seculorum laudabunt te [n]. Quanto enim plus vident,

5. *Benedictio.*

Ex Angelis & hominibus cõstruitur domus DEI.

n Psal. 83. a

plus intelligunt, plus agnoscunt: tantò plus diligunt, tanto magis laudant, tanto amplius admirantur.

Verum quia cohærere quidem sibi domum illam, & perfectè connexam esse jam diximus, superest ut junctúram & connexionem ipsam aliquatenus exprimamus. Legimus in Etaia [o]: *Glutino bonum est.* Duplici sibi igitur cohærent lapides illi glutino: cognitionis plenæ, & perfectæ dilectionis. Tanto siquidem maiori ad se invicem dilectione copulantur, quanto ipsi charitati, quæ DEUS est, viciniores assistunt. Sed nec ulla separare eos abinvicem suspicio potest, ubi nihil omninò quod in altero sit, alterum latere patitur penetrans omnia radius veritatis. Quoniam enim *qui adhæret DEO, unus spiritus est cum eo* [p]: nihil dubium est quin perfectè adhærentes ei beati Spiritus, cum eo pariter & in eo penetrent universa. Ad hanc domum si pervenire desideras, sic concupiscat & deficiat anima tua in atria Domini, sicut Propheta clamat [q]: *Vnam petii à Domino, hanc requiram ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Ipsum nihilominus imitare Prophetam [r], qui sicut *juravit Domino, votum vovit Deo Iacob: si introiero in tabernaculum domus meæ &c.* Sed hinc alio sermone nobis tractandum erit, quod Dominus ipse donaverit.

o Isa. 41. b

Lapides vivi domus DEI quæli glutino cohæreant? nempè cognitionis & dilectionis.

p 1. Cor. 6. d

q Psal. 26. b

r Psal. 131. a

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ, SERMO II.

OLim Rex gloriosus & propheta Domini David sanctus, religiosæ quadam cœpit cogitatione moveri, indignum judicans, quòd nullam adhuc Dominus Sabaoth domum haberet in terris: ipse vero domum inhabitaret regiæ dignitatis [a]. Hoc ipsum, Fratres, nos quoque decet cogitare fideliter, & viriliter effectui mancipare. Nam quòd licet DEO placuerit cogitatio illa Prophetæ, opus tamen reservatum est Salomoni; alia ratio est, fortè prolixiore indigens disputatione. Jam verò ô anima, tu quidem sublimi in domo habitas, quæ à Deo tibi fabricata est, corpus hoc dico: quod sic compegit, quod sic aptavit, quod sic ornavit & ordinavit, ut glorioſe in eo & delectabiliter habitares. Sed & ipsi corpori domum fecit excelsam, aptissimam & decoram, dico autem sensibilem hunc & inhabitabilem mundum. Nonne ergo indignum reputas, ut tibi ipse fecerit domum, tu vero ei templum ædificare dissimules? Adhuc domum quidem habes, sed certa esto quoniam in brevi casura est domus tua: & tu nisi prius provideris aliam, eris pluviæ, vento & frigori exponenda. Heu à facie frigoris eius quis sustinebit? Felix proinde & multum felix anima quæ dicere potest [b]: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex DEO, domum non manufactam*

a 2. Reg. 7. & 1. Paral. 17.

Indignũ Deo in nobis deesse domum, qui nos in domo tam splendida posuit.

b 2. Cor. 5. *

manufactam, æternam in cœlis. Propterea jam ne dederis, ô anima, somnum oculis tuis, & palpebris tuis dormitationem, donec invenias locum Domino, tabernaculum DEO Jacob [c].

c Psal. 131. b

Sed quid putamus fratres? Ubi invenitur huius ædificii locus, aut quis poterit esse architectus? Nam visibile istud templum utique propter nos factum est ad nostram habitationem. Neque enim Altissimus in manufactis habitat. Quod ergò ædificabimus templum ei qui dicit, & vere dicit [d]: *Cœlum & terram ego impleo?* Tribularer valde, & anxiaretur super me spiritus meus, nisi quod audio eum de quodam dicentem [e], *Quia ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ita jam scio, ubi præparanda sit domus ei, quoniam non capit eum nisi imago sua. Anima capax illius est, quæ nimirum ad eius imaginem est creata. propter quod jam festina, adornat thalamum tuum Sion, quoniam complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Exulta satis filia Sion, habitabit in te Deus tuus. Dic cũ Maria tua *f*: *Ecce ancilla Domini*: *fiat mihi secundum verbum tuum.* Dic juxta beatæ Elizabeth verbum [g]: *Et unde hoc mihi, ut veniat* maiestas *Domini mei ad me?* Quanta enim Dei benignitas, quanta dignatio, quanta dignitas, quanta gloria animarum, quod Dominus universorum, & qui nullam habet indigentiam, templum sibi fieri jubet in illis?

d Hier. 23. d
e Ioan. 14. c
f Luc. 1. d
g Ibidem.

Itaque, Fratres, toto cum desiderio, & digna gratiarum actione studeamus ei templum ædificare in nobis: primo quidem soliciti, ut in singulis, deinde ut in omnibus simul inhabitet: quia nec singulos dedignatur, nec universos. *Primo* igitur loco studeat unusquisq; ne dissideat ipse à semetipso, quoniam omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet [h]: nec intrabit Christus ubi fuerint parietes declinati, & maceriæ depulsæ. Non enim corporis sui domum integram anima vult habere, & exire illam necesse est, si fuerint à se invicem membra dispersa? Videat ergo & ipsa, si desiderat habitare Christum per fidem in corde suo, id est in seipsa: solicitè caveat ne à se invicem membra eius dissideant, id est ratio, voluntas, atque memoria. Sit ergò sine errore *ratio*, ut bene congruat voluntati. Talem enim voluntas amat. Sit & *voluntas*, sine iniquitate, quoniam ratio talem approbat. Alioqui si sese judicat anima propter voluntatis pravitatem in eo quod per rationem probat, bellum intestinum est, & discordia periculosa: quoniam voluntatem hujusmodi ratio semper fugillat, sed accusat, sed dijudicat, sed condemnat. Propter quod ait Dominus in Evangelio [i]: *Esto consentiens adversario tuo dum es in via cum illo, ne forte adversarius tradat te judici, & judex tradat te tortoribus, &c.* Sit etiam *memoria* sine

Quomodo Deo templũ in nobis ædificandũ.

h Matt. 12. b
1. *Stude ne dissideas ipse à temetipso.*

Concordia sui ipsius constat, Si ratio vacet errore, voluntas iniquitate, memoria sorde.

i Matt. 5. a

sorde, ut nullum in ea peccatum maneat, quod non pura confessione & dignis fructibus pœnitentiæ deleatur. Alioquin conscientiam in qua peccatum latet: & voluntas odit, & ratio execratur. Bonum proinde parat habitaculum Deo, cuius nec ratio decepta, nec voluntas perversa, nec memoria fuerit inquinata.

2. *Cura, ut mutua charitate coniungaris proximo.*

Iam verò sic se habentibus singulis, etiam omnes nos connecti & conglutinari necesse est, mutua utique charitate quæ est vinculum perfectionis. Nam cognitio quidem perfecta in hac vita haberi non potest, forsitan nec oportet. In cœlesti quidem domo cognitio dilectionis est nutrimentum, hic verò esse poterat detrimentum. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Propterea facile erat & confundi cognitum, & cognoscentem offendi. Ibi jucunda erit cognitio, ubi macula jam non erit. Illa ergò domus connexa firmius est tanquam in æternum mansura, hæc tanquam tabernaculum bellatorum minus sibi perfecte cohæret. Illa nimirum domus lætitiæ, ista militiæ est. Illa domus laudis, ista orationis. Hæc inquam est urbs ortitudinis nostræ, illa est civitas requiei nostræ. Proinde si victorioſi fuerimus hic, illic erimus glorioſi: habentes loco galeæ diadema, sceptrum, & palmam pro gladio, pro scuto chlamydem deauratam, pro thorace stolam jucunditatis. Interim sanè premi magis quàm peremi videtur utilius: & sustinere pondus clypei & loricæ, quàm maligni jaculis igneis vulnerari. A quibus nos superna sua protectione custodiat qui est benedictus in sæcula, AMEN.

Nunc pugnandum ut tandem coronemur.

IN DEDICATIONE TEMPLI, SERMO III.

DOmus hæc, Fratres, æterni Regis est oppidum, sed obsessum ab inimicis. Quotquot igitur in ipsius arma jurati sumus, & eius militiæ dedimus nomina, triplici nobis opus esse noverimus apparatu ad custodiam castri huius: *munitione* videlicet, & *armis*, & *alimentis*. Quæ est ergo munitio? *Vrbs fortitudinis nostræ Sion* (ait Propheta) *Salvator ponetur in ea murus & antemurale* [a]. Murus continentia, antemurale patientia est. Bonus continentiæ murus, qui sic undique circundat & circuncingit: ut nec per oculorum feneſtras, nec per cæteros sensus detur ingressus morti. Bonum antemurale patientiæ quòd primos hostium sustinet impetus, ut inter plurima tentamenta stemus viriliter, & perseveremus jugiter inconcussi. Unicum quippe remedium est dum continentia quatitur, & quodammodo nutat, objicere patientiam, & quantumcunque ferveat sensus peccati, negare omnimodo consensum: *In patientia vestra*, inquit [b], *possidebitis animas vestras*. Ponitur ergo in civitate Salvator ipse

[a] Isa. 26. a

Ad custodiã castri spiritualis quæ necessaria; Nempe murus continentiæ, antemurale Patientiæ.

[b] Luc. 21. d

tor ipse murus & antemurale, factus nobis à DEO Patre justitia, & Prophetæ patientia, sicut idem ait [c]: *Quoniam tu es patientia mea Domine.* Murus, inquam, ponitur in conversatione, antemurale in passione, ab omnibus carnis & seculi præsentis illecebris abstinens, & adversa sustinens fortiter universa. [c] Psal. 70. a

Oportet autem & arma parare, sed arma spiritualia potentia Deo, non modo ad resistendum, sed ad impugnandum quoque & expugnandum viriliter inimicum. *Induite vos armaturam Dei,* ait Apostolus, &c. [d]. Quid enim putamus fratres? Gravis equidem nobis est inimici tentatio, sed longe gravior illi oratio nostra. Lædit nos iniquitas ejus atque versutia, sed multo amplius nostra eum simplicitas & misericordia torquet. Humilitatem nostram non sustinet, utitur charitate nostra, mansuetudine & obedientia cruciatur. Jam vero nec fame quidem urgeri possumus, ut hostibus castrum tradere compellamur: quoniam gratias ago Deo, non venit super nos terribilis illa comminatio Prophetæ, imò Domini per prophetam [e], famis videlicet & sitis, non panis & aquæ, sed audiendi verbum Dei. Sic enim habemus. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* [f]. Itaque non nobis alimenta desunt qui & sermones frequenter, & frequentius sacras lectiones audimus: & interdum quoque spiritualis devotionis gustamus delitias, tanquam si catuli edant de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum, cœlestes illos convivas dico, qui replentur ab ubertate domus Dei. Habemus etiam *panem lachrymarum*, qui licet minus suavis, optimè tamen confirmat cor hominis. Habemus *obedientiæ panem*, de quo loquitur ad Discipulos Dominus. *Meus* (inquiens &) *cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei.* Habemus super omnia de cœlo *panem vivum*, corpus Domini Salvatoris, in cujus utique fortitudine cibi, omnis adversæ partis deiicitur fortitudo.

Arma spiritualia.

[d] Ephes. 6. b

Commeatum facer.

[e] Amos. 8. d

[f] Matt. 4. d & Deut. 8. a

Panis verbi Dei.

Obedientiæ

[g] Ioan. 4. c

Panis Corporis Domini.

Sic ergò munita est castri dominici fortitudo, ut nihil jam time[a]-
oporteat, si tamen fideliter & viriliter agere voluerimus; ut videlicet nec proditores, nec pavidi, nec desides inveniamur. Nam proditores quidem fiunt quicunque in hoc Domini castrum inimicos ejus introducere moliuntur, quales sunt utique detractores Deo odibiles, qui discordias seminant, nutriunt scandala inter fratres. Sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum diabolo fieri manifestum est. Non miremini, Fratres, si durius loqui videor: quia veritas neminem palpat. Omninò proditorem sese noverit, si quis forte (quod absit) vitia quælibet in hanc domum conatur inducere, & templum Dei speluncam facere dæmoniorum. Gratias Deo, non multos hic invenimus hujusce-

tio ca[stri] venda.

Proditores castri Dominici quinam sint,

modi. Sed tamen deprehendimus interdum fortè nonnullos, qui colloquantur hostibus, & paciscantur fœdus cum morte, hoc est moliantur (quod in eis est) imminuere ordinis disciplinam, intepescere fervorem, turbare pacem, lædere charitatem. Verum nos quidem caveamus ab eis quantum possumus: sicut scriptum est de quibusdam, JESUS *autem non credebat se eis* [h]. Dico autem vobis quia licet portentur modò, sed portabunt citò grave judicium, nisi se citius emendaverint, sicut grave damnum moliuntur inferre. Quid enim, frater? Vanitati aut tepiditati seu cuilibet alteri vitio fidem servas operibus, & Deo per tonsuram mentiris? Optimum certe castrum tulisti Christo, si inimicis ejus tradideris Claramvallem. Optimos inde singulis annis & precioſos in oculis suis reditus accipit: & prædam multam quam hostibus eripit, in hunc munitionis suæ locum solet inducere, & habet fiduciam multam in fortitudine ejus. Ecce enim quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos, à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari. Quibus ergò proditorem castri hujus, postquam deprehensus & comprehensus fuerit (neque enim latere aut fugere potest) quibus, inquam, putas exponendum esse supplicijs? Non utique communi cæterorum morte damnabitur, exquisitis illum necesse est interire tormentis. Sed non modo plus immoror circa ista, credo melius deinceps ab hac tam execrabili proditione cavebimus, studentes de cætero majori solicitudine non attrahere sed repellere vitia, quæcunque illa sint, seu carnalia, seu etiam secularia, ne proditorum notam vel pœnam incurrere mereamur.

[h] Ioan 12. d

Claravallis castrum Christi.

2. *Cavenda pusillanimitas & turpis fuga.*

Secundo loco etiam illud cavendum, ne quis fortè pusillanimitate dejectus, fugiat à munitione, ibi trepidans timore ubi non est timor, ubi verò summum periculum, insana temeritate securus. Hostilibus enim manibus, hostilibus gladiis se exponit, quicunque est ille qui fugit, ac si ignoret, quoniam hostes illi omnino carent misericordia, crudeles quidem in alienos, sed multo crudeliores in suos, quippe crudelissimi in seipsos.

3. *Cavenda desidia & somnolentia.*

Jam verò tertium quoque periculum breviter dico, quia hora præteriit, dum vestræ, ut dignum est, salutis plurimum cupidus, diversis morum infirmitatibus remedia diversa conquiro. Quid prodest, si nec prodere castrum, nec relinquere velis, sed segnis & desidiosus in eo permaneas? Toto proinde animo, tota virtute, dilectissimi, commissum nobis castrum Domini & regis nostri manu tenere laboremus, solliciti contra omnes inimici versutias, & adversus omnia ejus machinamenta parati, sicut scriptum est [i]: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* At quoniam scimus à quo dictum sit [k]: *Nisi Dominus custodierit civitatem,*

[i] Iacob. 4. h
[k] Psal. 126. a

tem, frustra vigilat qui custodit eam: humiliemur sub potenti manu Altissimi, nos & domum istam tota devotione ejus misericordiæ committentes, ut ipse nos custodiat ab omnibus insidijs inimicorum omnium, ad laudem & gloriam nominis sui, quod est benedictum in sæculá.

DE DEDICATIONE TEMPLI; SERMO IV.

VOtivis laudibus celebramus hanc diem, & festivis eam gaudijs honoramus. Quòd si nec religiosis competit, nec sapientes decet ignorare, quid venerentur, aut celebrare, quod nesciant, quærendum nobis est in cujus id agitur, vel in quorum commemoratione Sanctorum. Nec verò id mihi ex me arbitror præsumendum: prior loquatur alter, cujus testimonium majus sit, & credibilius videatur. Miramini forte cur ista præloquimur, cum vestris sese obtutibus Ecclesia præsens manifestius ingerat, cujus anniversaria Dedicatio celebratur. Quis enim parietes ejus sanctos dicere vereatur, quos manus sacratæ pontificum tantis sanctificavere mysterijs? Extunc quoque & deinceps sanctarum inibi lectionum resultare frequentia, sanctarum orationum devota murmurare susurria, sanctarum reliquiarum honorari beata præsentia, sanctorum spirituum indefessa noscitur custodia vigilare. Dicas forsitan, cætera quidem evidentia sunt, sed quis angelicas sese vidisse excubias gloriatur? Et si tu forte non vides, est tamen qui videt, ipse qui mittit. Quis ille? Nimirum qui loquitur per Prophetam [a]. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes.* Est quidem sursum Hierusalem quæ est libera mater nostra, sed minime crediderim super muros ejus constitutos esse custodes, in cujus laudibus Propheta decantat [b]: *Qui posuit fines tuos pacem.* Tu verò si id parum judicas, perge audire quod sequitur in testimonio præcedenti. *Tota die*, inquit, *& tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Siquidem advertere est vel ex hoc, non hanc esse Hierusalem de qua legisti [c]: *Portæ ejus non claudentur per diem, nox enim non erit in ea.* Illa ergo Hierusalem nec vicissitudines patitur, nec custodibus eget nostris, potius custodes necesse est & diebus & noctibus deputari. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes.*

Ecclesiarum nostrarum sanctitas.

a Isaiæ. 62. c

b Psal. 147. a

c Apoc. 21. g

Benignus es, Domine, nec nostrorum hac fragili protectione murorum potes esse contentus, sed ipsis hominum prælatis hominibus angelicam quoque custodiam superponis, ut muros defensent, & eos qui murorum ambitu continentur. Ita pater, quoniam sic est placitum ante te, sic necessarium nobis. Insufficiens enim est ministratio nostra, nisi &

Præsentia & custodia SS. Angelorum Deus munit Ecclesias.

nobiscum

nobiscum & pro nobis administratorios spiritus in ministerium mittas, ut hæreditatem capiamus salutis. Quid enim si non videmus obsequium, cum experiamur auxilium? Quid si non meremur aspectum, cum sentiamus effectum? Discimus certè vel ex hoc ipso invisibilia visibilibus præferenda. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna [d]. Denique in invisibilibus visibilium causa consistit, ut secundum Apostolum [e]: *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, à creatura visibili intellecta conspiciantur.* Sic nimirum Judæos olim de invisibili peccatorum indulgentia sanctum Dei blasphemantes, sanitatis corporeæ signo visibili confutavit [f]. *Vt sciatis quia filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.*

d 2. Cor. 4.
e Rom. 1. c
f Marc. 2. b

Sic & Pharisæum illum murmurantem adversus medicum, qui salutem operabatur, & succensentem languidæ quæ salvabatur, manifestis revicit indicijs, obsequia mulieris enumerans [g]. Errabat siquidem qui tanquam adhuc peccatricem horrebat, quæ divinis inhærens vestigiis, rigabat fletibus, tergebat crinibus, osculo premebat, ungebat unguento. Quis enim crimina jam deleta recenseat, quis tangenti succenseat, quis eam peccatricem censeat, quæ dum commissa deplorat, odit iniquitatem; dum osculatur pedes Domini, diligit justitiam: & rursum dum tergit crinibus, exhibet humilitatem: cum ungit unguento mansuetudinem præfert? Nunquid possibile est regnare peccatum in animo contrito & spiritu ingemiscenti, aut non multa charitas operit multitudinem peccatorum: *Dimissa sunt ei peccata multa: quoniam dilexit multum* [h]. Merito proinde jam non peccatrix tuam, Pharisæe, sententiam, sed sancta & discipula Christi vocabitur, à quo etiam didicit in tam brevi esse mitis & humilis corde. Nimirum hoc est quod in Propheta legisti [i], sed forsitan neglexisti. *Verte impios, & non erunt.* Sic, charissimi, sic & antiquus ille accusator fratrum, si in quibus & vos erubescitis præterita peccata vestra vobis improperet, Apostolum audite magnificè consolantem vos & dicentem [k]: *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis*, & illud [l]: *Habetis nunc quidem fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Et manifestius imprimens; *Templum Dei*, ait [m], *sanctum est, quod estis vos.*

g Luc. 7. f
Pharisæus judicans secundum speciem visibilem errat.
Magdalena non amplius peccatrix, quando pœnitens,
h Luc. 7. g
i Prov. 12. a
k 1. Cor. 6. c
l Rom. 6.
m 1. Cor. 3. c 6. d

Nimirum ipse est cujus reverentiæ primam in hujus sermonis principio reservavimus vocem, dum quæreremus sanctos, quorum sanctimoniæ congratulamur devotione solenni. Licet enim parietes hos & dici sanctos, & esse faciat consecratio Episcoporum, frequentatio scripturarum, instantia orationum, reliquiæ sanctorum, visitatio angelorum:

Quare Templorum san-

minimè

minimæ tamen eorum sanctitas propter se credenda est honorari, quos nec propter se certum est sanctificari. Quinimmo sancta est propter corpora domus, corpora propter animas, animæ propter spiritum inhabitantem. Neque hinc dubitet quis, cum invisibilis ejus gratiæ visibile nobis signum fiat in bonum. Dico autem in eo quod & ipsi instar illius Evangelici paralytici surgitis, quod corporeum hoc grabatum, in quo jacebatis languidi, tam facilè tollitis, quòd denique ambulatis in domum vestram. Illam sanè domum, de qua lætamini dicentes cum Prophetа [n]: *In domum Domini lætantes ibimus.* O admirabilis domus, & dilectis tabernaculis, & atriis concupiscibilibus præferenda. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini* [o]. Verum multo magis *beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Siquidem gloriosa dicta sunt de te, domus Dei. In tabernaculis enim gemitus est pœnitentiæ, in atriis gustus lætitiæ, in te satietas gloriæ. Hæc quidem est infima domus *orationis*, media *expectationis*, tu gratiarum *actionis & laudis.* Felix proinde qui hic declinaverit à malo quod est culpa, & fecerit bonum: ut illic à malo quod est pœna liberetur, & in te recipiat bonum. Hic nimirum primitiæ spiritus, illic divitiæ, in te plenitudo ubi bona illa mentura conferta & coagitata & superfluens detur in sinus vestros. Hic denique fiunt sancti, illic securi, in te beati. Hæ siquidem primitiæ spiritus; quæ militantibus interim prærogantur; sanctitas in *conversatione*, pietas in *intentione*, virtus in *colluctatione.* In sanctitate *conversationis* pœnitentiæ fructus intellige, & corporalia quæque divinorum exercitia mandatorum. At quoniam hæc nisi simplex fuerit oculus, simplicia esse non possunt, necessario pietas *intentionis* & puritas cordis exigitur, ne vel honoris ambitus vel laudis surrepat appetitus: sed solus ille desideretur, qui solus desiderium replet, & ad proprij fontis originem omnis quam accepimus gratia revertatur. Memento tamen solam ex omnibus *perseverantiam* coronari, nec eam facile posse inter tot discrimina vendicari, nisi multiplicem obtineas in tam multiplici colluctatione virtutem. Hæc in tabernaculis.

Sanctitas honoretur: nempe non propter nos.

n Psal. 121. a

o Psal. 83. a

Tres mansiones distinguit; infimam, modiam & supremam. Primam vocat tabernacula, 2. atria, 3. Domum Dei. Primam tribuit hic viventibus. 2. hinc migrantibus. 3. in fine resurgentibus primitiæ spiritus; quæ prærogantur militantibus in Eccles. Milit.

Perseverantia sola coronatur.

Porrò in atriis quæ post molestos conflictus amœna jucunditate fovendos excipiunt exeuntes, jam divitiæ spiritu erogantur: requies à laboribus, securitas à sollicitudinibus, pax ab hostibus. Ipse enim amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis, qui tanto fervore ocium hactenus interdicere, labores indicere consuevit. Ipse seorsum à curis faciet, & ab omni solicitudine sequestrabit, qui modo consilia ponit in anima sua, & sollicitam facit erga multa turbari. Ipse jam parta victo-

De atriis hisce consule Annot. ubi antidoton pro sententia S. Bern. circa statum animarum post mortem.

victoria in pace idipsum suaviter dormire præstabit, qui dum adhuc leo rugiens fremit, & ad vigilias excitat, & accingit ad pugnam. Verum in his, ut supra tetigimus, liberatio magis à malo quàm boni muneratio est: nisi quod dura nos nostræ necessitatis experientia cogit, absentiam mali, boni cumulos æstimare: quemadmodum conscientia graviorum immunitatem criminum, plenitudinem reputat sanctitatis. Hinc advertere est, quam longe agimus à summo bono, qui carere culpa justitiam, carere miseria, beatitudinem judicamus.

Supremæ domus Dei voluptas, & gloria inæstimabilis.

Absit autem ut talem quis putet ubertatem domus illius, & torrentem voluptatis, & si qua sunt alia quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se. Ne ergo audire velis, ô homo, quod auris hominis non audivit, nec ab homine quæras quod humanus nec oculus videt, nec animus capit. Ne tamen hinc penitus taceamus; nostram hanc patriam à longe salutantes, triplicem quandam odorari videmur, potentiæ scilicet & magnificentiæ & gloriæ repromissionem. Siquidem homo erat, & filius captivitatis hujus, qui dicebat [p]: *Introibo in potentias Domini.* Cæterum nos scire possumus quid sit infirmitate carere, tanquam infirmitate circundari: quid verò sit virtute indui, & potentiam introire, nec modo potentiam, sed multam potentiam, fortè & omnipotentiam, interim scire non possumus. Clamat etiam testis fidelis [q], *quia quos justificavit, illos & magnificavit.* At magnificentiam eam, præsertim quam procedere deceat à magnitudine, cujus nec finis nec numerus est, utinam nostræ interim exiguitati liceat expectare, nam æstimare non licet. Iam verò ne ipsius quidem vereri necesse est aut habere suspectam gloriæ promissionem, feliciter tunc & fiducialiter hauries gloriam, à cujus interim appetitu tantis comminationibus deterreris. Erit enim tunc unicuique laus à Deo, secura certe & sempiterna, finis pariter & discriminis expers, & ut scriptum est [r]: *Iucunda decoráque laudatio.* Eia ergò, fratres, viriliter interim in *tabernaculis* militemus, ut suaviter deinde *in atriis* requiescamus: ut novissimè in *domo* sublimiter gloriemur, momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ supra modum in sublime æternum pondus gloriæ operabitur in nobis, cum in Domino laudabimur tota die, in veritate utique, non in vanitate.

p Psal. 70. c

q Rom. 8. f

Gloria sola secura, quæ in cœlis exspectatur.

r Psal. 146. a

IN DE-

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ,
De gemina consideratione sui.
SERMO. V.

ETiam hodie, Fratres, solennitatem agimus, & præclaram. Atque id quidem facile dixerim; sed si pergitis quærere cujus Sancti, illud fortè jam non ita. Quotiens enim Apostoli seu Martyris vel Confessoris alicujus memoria celebratur, haud difficile est dicere cujus: ut puta sancti Petri, & Stephani glorioſi, aut scilicet Patris nostri Benedicti, vel alicujus cæterorum magnorum principum magnæ curiæ cœli. Nunc verò nullius eorum solennitas agitur, agitur tamen nonnulla solennitas. Nec modo nonnulla, sed non parva. Et si jam vultis audire, festivitas est domus Domini, templi Dei, civitatis Regis æterni, sponsæ Christi. Nemo sanè ambigit sanctam esse sponsam Sancti sanctorum, & omni celebritatis honore dignissimam. An verò domum Dei sanctam esse quis dubitet, de qua legitur [a]: *Domum tuam decet sanctitudo*? Sic & *sanctum est templum ejus, mirabile in æquitate* [b], sed & civitatem sanctam Joannes sese vidisse testatur. *Vidi*, inquit [c], *sanctam civitatem Hierusalem novam descendentem de cœlo, à Deo paratam tanquam sponsam ornatam viro suo.* In quibus sanè verbis aperire jam cœpi, quod adhuc (fateor) dissimulare volebam. Dico autem quòd eadem Sponsa, quæ Civitas est, sed & Templum quoque & Domus nihilominus sit. Neque id mirum, præsertim cum similiter unus sit qui se ei Sponsum dignatur & Regem & Deum & Patremfamilias exhibere.

a Psal. 92. d
b Psal. 64. a.
c Apoc. 21. a

Necdum tamen vobis arbitror satisfactum, donec evidentius quæ *Domus* hujus patrisfamilias, quod hoc *Templum* Dei, quæ *Civitas* Regis istius, quænam denique hujus glorioſi Sponsi *Sponsa* dici & esse meruerit, audiatis. At ego super hoc quidem non parum vereor loqui quid sentiam, ne quem vestrum (quod absit) aut minus fideliter, aut minus humiliter audire contingat: ne quis forsitan ab hoc auditorio aut elatus præ magnitudine gloriæ, aut incredulus exeat præ pusillanimitate spiritus sui. Opto enim semper vos & fideles & humiles inveniri, quod utrunque summopere sit necessarium ad salutem. Solis nanque humilibus ipse dat gratiam, cui etiam sine fide placere impossibile est. Opto igitur & omnibus modis cupio, ut & parvulos & magnos, immò (ut plus miremini) nihil aliud quam grande aliquid eis vos exhibere curetis. Neque enim sine magno animo bona illa tam magna capere, & vim facere poteritis regno cœlorum, non plus quàm idem cælorum regnum intrare: nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli [d]. Non sum homo profundi sensus, non possum vobis quod non gustaverim, eructare.

Duplex nostri consideratio. Una humiliationis seu confusionis, altera exaltationis seu gloriationis profundè declaratur.

d Matt. 18. a

Dicam tamen quid interdum in me sentiam actitari, ut si quis forte sibi utile judicaverit, imitetur. Quia enim olim persuasum est mihi, ut
e Eccli. 30. d miserear animæ meæ [e], placiturus exinde Deo meo, frequenter de ea recogito: utinam autem magis semper liceret. Erat quando id actitari minime libebat, nempe quòd minus (si tamen minus, & non magis minime) diligerem eam. Quomodo enim amat quis, cujus mortem amat? Quod si, ut verum est, & indubitabile, mors animæ iniquitas est,
f Psal. 10. d absolutam proinde liquet esse sententiam [f], quòd *iniquitatem qui diligit, odit animam suam.* Oderam ergo eam, & odissem adhuc, nisi hoc mihi quodcunque amoris ejus initium, is qui prior eam dilexerat, contulisset.

Consideratio Humiliationis Animæ nostræ secundum se spectatæ miseriæ.

Ipsius proinde beneficio nonnunquam de eo cogitans, videor mihi in ea, fateor, velut duo quædam contraria invenire. Si ipsam prout in se est & ex se juxta rei veritatem intueor, nihil de ea verius sentire possum, quam ad nihilum esse redactam. Quid modo necesse est singulas ejus miserias enumerare, quàm sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentijs, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremo totius confusionis & ignominiæ impleta? Nimirum si ipsæ quoque justitiæ nostræ omnes ad lumen veritatis inspectæ, velut pannus menstruatæ inveniuntur
g Isa. 64. b [g], injustitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen quod in nobis est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Facile est cuique nostrum, si sua melius universa & sine dissimulatione vestiget, & judicet sine acceptione personæ, attestari per omnia apostolicæ veritati, & liberè proclamare: *Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit: ipse*

Homo totus miser & nihil.

se seducit [h], *Quid est homo, quia magnificas eum* (ait fidelis & devota
h Gal. 6. a i Rob. 7. d confessio [i]) *aut apponis erga eum cor tuum?* Quid? Sine dubio vanitati similis factus est homo, ad nihilum redactus est homo, nihil est homo. Quomodo tamen penitus nihil est, quem magnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem appositum est cor divinum?

Respiremus, fratres, etsi nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde Dei potest aliud latere de nobis. O pater misericordiarum, ô pater miserorum, quid apponis erga eos cor tuum? Scio scio: ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus? Omnes gentes quasi non sint, sic sunt ante te, & tanquam nihilum & inane reputabuntur. Siquidem ante te, sed non sic intra te. Sic in judicio veritatis tuæ, sed non sic in affectu pietatis tuæ. Nimirum vocas ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Et non sunt ergò, quia quæ non sunt vocas; & sunt quia vocas. Licet enim non sint quantum ad se,

apud

apud te tamen sunt, utique juxta Apostolum [k], *non ex operibus justitiæ, sed ex vocante.* Sic nimirum sic consolaris in tua pietate, quem in veritate tua humiliasti: ut magnifice dilatetur in tuis, qui merito angustiatur in visceribus suis. Siquidem universæ viæ tuæ misericordia & veritas, requirentibus testamentum tuum & testimonia tua [l]. Testamentum utique pietatis, & testimonia veritatis.

I Homo in se nihilum, at in Deo magnum aliquid.

Lege homo in corde tuo, lege intra teipsum de teipso testimonia veritatis, etiam hac communi luce judicabis te indignum. Lege in corde Dei testamentum quod firmatum est in sanguine mediatoris, & invenies quàm longe aliud spe possidere, quam re tenere videris. *Quid est*, inquit [m], *homo qui magnificas eum?* Magnus utique; sed in illo; siquidem magnificatus est ab illo. Aut quomodo non magnus apud illum, cui tam magna cura est de eo? *Ipse enim cura est de nobis*, ait Apostolus Petrus [n]. Et Propheta: *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei* [o]. Plane artificiosa connexio utriusque considerationis, qua velut uno momento descendens pariter & ascendens, & se pauperem & mendicum, & Deum pro se sollicitum vidit. Angelicum est istud ascendere & descendere simul. *Videbitis*, ait [p], *Angelos ascendentes & descendentes super filium hominis.* Neque enim talis aliqua vicissitudo in eorum ascensionibus & descensionibus est, simul & mittuntur in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, & assistunt vultui majestatis: Deo misericorditer providente, ut & nobis sit consolatio; & eis tribulatio nulla. Alioquin quando æquanimiter paterentur ab illo vultu gloriæ, in quem semper prospicere desiderant, propter nos vel ad modicum separari? Denique ipsam audi in Evangelio veritatem [q]. *Angeli eorum*, ait (haud dubium quin parvulorum) *in cœlis semper vident faciem Patris*: Sic videlicet parvulorum custodiæ deputati, ut non privati ullo modo beatitudine sua. Hinc est quod Joannes sanctus civitatem *Hierusalem descendentem* vidit, stantem non potuit intueri [r]. Et adverte quòd *descendentem* dixerit, non cadentem. Cecidit enim quondam non minima pars civitatis illius, sed ea quidem minimè sancta, quippe cui gravissimus casus fuit quod totius inimica facta est sanctitatis.

Verum hanc quidem ruinam & terribilem casum Joannes videre non potuit, quia necdum erat: sed vidit Verbum quod in principio erat, vidit principium quod Apostolis loquebatur: *videbam Satanam tanquam fulgur cadentem de cœlo* [s]. Itaque pars illa quæ cecidit, à Deo reparanda est, cum implebit ruinas, & reædificabit muros Hierusalem, non tamen ex his qui ceciderunt. Hæc autem quæ descendens apparuit, jam parata erat, sicut secutus adjunxit [t]: *à Deo paratam.* Siquidem quòd

k Rom. 3. c.

l Psal. 24. b

m Iob. 7. d

n 1. Pet. 5. a

o Psal. 39. d

p Ioan. 1. g

q Matth. 18. b

r Apoc. 21. a

s Luc. 10. e

t Apoc. 21. a

quòd descendunt non cadunt Angeli sancti, divina præparatio facit, à quo nimirum hæc ipsa eis & voluntas præparata est & facultas. Unde non solum administratorios, sed & missos in ministerium quoque Apostolus testatur [u]. Quidni mittat Angelos, pro quibus & ipse à Patre voluit mitti? Quidni pro eis inclinet cœlos, pro quibus ipse quoque cœlorum rex inclinavit se, ita ut digito in terram scriberet. Domine inclina cœlos tuos parum est. Et descende. Quid ultra? Ut quibus condescendit, faciat etiam coascendere sibi. Cæterum, ut jam dixi, angelicus ascensus & descensus caret vicissitudine, nos autem modo hac, modo illac versari necesse est: quòd nec supra diutius stare liceat, nec expediat infra longius demorari. *Ascendunt*, ait [x], *usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat.* Ut quid hoc? Propterea sanè anima eorum in malis interim plus tabescit, quam delectetur in bonis, quòd hæc in re, illa vero tantum in spe videantur haberi. *Quis poterit salvus esse?* dicunt Discipuli Salvatoris [y]. Et ille: *Apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum.* Hæc tota fiducia nostra, hæc unica consolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ.

[u] Psal. 103. d

[x] Psal. 106. c

[y] Matt. 29. d

Sed de possibilitate jam certi, de volũtate quid agimus? Quis scit si est dignus amore an odio? Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit [z]? Hic jam planè fidem nobis subvenire necesse est, hic oportet succurrere veritatem: ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipsius spiritum reveletur, & spiritus eius testificans persuadeat spiritui nostro quod filii Dei sumus. Persuadeat autem vocando & justificando gratis per fidem, in quibus nimirum velut medius quidam transitus est ab æterna prædestinatione ad futuram magnificationem. Propterea sanè geminam illam considerationem, alteram quidem judicii & veritatis, alteram verò non incongruè vocari credimus fidei & pietatis.

[z] Rom. 11. d

Gemina consideratio, altera judicii & veritatis; altera fidei & pietatis.

Nec mirabile in humanis qualitatibus tam dissimilia reperiri, si soleter advertas quanta & in ipsa eius substantia convenisse videtur diversitas naturarum. Quid enim spiritu vitæ sublimius? Quid verò humilius limo terræ? Quam profecto tam discohærentium in homine cohærentiam rerum, ipsos quoq; sapientes sæculi huius arbitror non latuisse, cum hominem diffinirent, animal rationale mortale: Mirabilis siquidem copula rationis & mortis, mira societas discretionis & corruptionis. Sic nimirũ sic in moribus, sic in affectibus, sic in studiis hominum non minor, forte & amplior contrarietas invenitur: ut si totam pravitatem seorsum intuearis, ac rursum quicquid boni videtur inesse, consideres sigillatim, plenum censeas esse miraculo quod tam adversa convenerint. Inde homo nunc quidem *Bar Iona*, nunc verò *Satana* meretur audire. Nolite mirari hoc. Recolite ex Evan-

In homine quanta naturarum, morũ & affectuum diversitas.

ex Evangelio, cui dictum sit (& utrunque in veritate, nam utrumque ab ipsa veritate dictum) prius quidem, *beatus es Simon Bar Iona* [a], nec multo post [b], *vade retro Satana.* Unus ergo utrunque, etsi non utrunque ex uno. Illud enim ex Patre, istud ex homine, ipse tamen utrunque erat. Unde *Bar Iona*? Quia non caro nec sanguis, sed pater ei quod locutus est revelavit. Unde *Satanas*? Quia sapuit quæ erant hominum non quæ Dei.

a Matt. 16. c
b Ibidem. d*

Jam si utraque consideratione diligenter inspexerimus nos quid sumus, imò in una quam nihil, in altera quam magnificati, quippe pro quibus etiam solicitudinem gerat tanta maiestas, & cor suum apposuerit erga nos; puto temperata videtur gloriatio nostra, sed forsitan magis aucta est, solidata tamen, ut non in nobis, sed in Domino gloriemur, quibus nimirum in hoc solo respirare est, ut dicamus. Si decreverit salvare nos, continuo liberabimur.

Consideratio gloriationis nostræ in Deo nos ita magnificante.

Ex hoc jam in illa superiori specula vel paululum immorantes quæramus *domum Dei*, quæramus *templum*, quæramus *civitatem*, quæramus & *sponsam*. Neque enim oblitus sum, sed cum metu & reverentia dico, nos sumus. Nos inquam sumus, sed in corde Dei. Nos sumus, sed ipsius dignatione non dignitate nostra. Non usurpet quod Dei est, ut non apponat homo magnificare seipsum. Alioquin quod illius erat faciens Deus, exaltantem se humiliabit. Quòd etsi nos puerili animositate gratis salvari volumus, meritò non salvamur. Excludit miseriæ dissimulatio miserationem, nec dignatio locum habet, ubi fuerit præsumptio dignitatis; provocat verò compassionem humilis confessio passionis. Sanè hæc sola facit, ut nos ipse tanquam dives paterfamilias alat in fame, & sub eo panibus abundantes inveniamur proinde *domus* eius, cui nunquam deest alimonia vitæ. Et memento quòd domum suam domum orationis esse diffiniat [c]: quia & hoc prophetico satis videtur testimonio convenire: qui ab ipso nos, in orationibus utique, cibandos pane lachrymarū [d], & in lachrymis potum asserit accepturos. Cæterum juxta eundem Prophetam [e], sicut supra quoq; meminimus, *domum istam decet sanctitudo*, ut videlicet pœnitentiæ lachrymas puritas continentiæ comitetur, & quæ jam domus est, fiat subinde etiam *templum* Dei, *Sancti estote*, inquit [f] *quia sanctus sum Dominus Deus vester.* Et Apostolus [g]: *Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, & Spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, disperdet eum Deus.*

Homo miseriā suam non adgnoscens excludit DEI miserationem.

c Matt. 21. b
Quomodo nos simus Domus summi Patris-fam.
d Psal. 79. a
e Psal. 92. d
Et templum DEI.
f Levit. 19. a
g 1. Cor. 6. d

Nunquid tamen vel ipsa jam sanctimonia sufficit? Pax quoque necessaria est, Apostolo teste [h], qui ait: *Pacem sectamini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Hæc est quæ facit unius moris habitare fratres in unum, novam utique Regi nostro vero pacifico

*b Heb. 12. d

ædificans

Civitas quoque summi Regis.

ædificans *civitatem*, quæ & ipsa Hierusalem nominetur, quod est visio pacis. Ubi enim sine fœdere pacis, sine observantia legis, sine disciplina & regimine acephala multitudo congregata fuerit, non populus, sed turba vocatur: non est civitas, sed confusio: Babylonem exhibet, de Hierusalem habet nihil. Sed quemadmodum fieri posse videbitur, ut Rex tantus in sponsum transeat, civitas promoveatur in *sponsam*? Sola hoc potest, quæ nihil non potest charitas fortis ut mors. Quomodo non facile istam levet, quæ illum jam inclinavit? Verum hinc tibi nullatenus consulenda prior illa, quam diximus consideratio tui, hic quàm potissimum fidei magnanimitas exercet. Denique & ipse ait [i]: *Desponsavi te mihi in fide, desponsavi te in judicio & justitia* (eius, non tuam intellige) *desponsavi te in misericordia & miserationibus.* Si non fecit ille quod sponsus, si non tanquam sponsus amavit, si non zelatus est tanquam sponsus, noli acquiescere sponsam te arbitrari.

Deniq; sponsa cœlestis sponsi.

[i] Ose. 2. d

Itaque, Fratres mei, si per abundantem refectionem magni Patrisfamilias *domus* esse probamur, si *templum* DEI per sanctificationem, si *civitas* summi Regis per socialis vitæ communionem, si *Sponsa* immortalis sponsi per dilectionem, puto jam non esse quod dicere verear nostram esse solennitatem. Nec miremini quòd in terris agitur hæc celebritas, siquidem agitur & in cœlis. Nempe si (ut veritas ait [k], & non potest non esse verum) *super uno peccatore pœnitentiam agente gaudium est in cœlis etiam Angelis DEI*, non est dubium multiplex esse super tam multorum pœnitentia peccatorum. Adhuc amplius vultis audire? Etiam *gaudium Domini, fortitudo nostra* [l]. Collætemur ergo Angelis Dei, congaudeamus Deo, & in gratiarum actione præsens solennitas agatur: quia quanto nobis domestica, tanto amplius debet esse devota.

[k] Luc. 15. b

[l] Neh. 8. b

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ, SERMO VI.

DOmestica nobis celebritas dedicatio domus nostræ? magis autem domestica nostra ipsorum dedicatio. Nostra siquidem illa aspersio, nostra illa benedictio, nostra consecratio fuit; quæ per manus sanctorum celebrata Pontificum, etiam hodie anniversario reditu votivis laudibus ad memoriam revocatur. Nunquid de lapidibus cura est DEO? Non parietes dicunt, sed homines [a]: *Ipsi enim cura est de nobis.* Unus homo erat Jacob, & dormiens vidit descendentes Angelos & ascendentes. Parum est hoc, etiam Dominum Angelorum adesse restatus est dicens [b]: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Miratur enim gratiam, & dignationis magnitudinem expavescit. Quam terribilior est iste locus, quàm

[a] 1. Pet. 5. b

[b] Gen 28. d

quàm evidentius certiusque Dominus est in loco isto: ubi nimirum non modo duo aut tres, sed tam multi in ipsius congregati nomine perseverant? Nemo jam nesciat, nemo vestrum ignoret. Siquidem non accepimus spiritum mundi huius, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à DEO data sunt nobis [c]. Terribilis planè locus, & dignus omni reverentia, quem fideles viri inhabitant; quem Angeli sancti frequentant; quem sua quoque præsentia Dominus ipse dignatur.

Locorum sacrorum dignitas ob cœtum piorum, visitationem Angelorũ & ipsius Dei præsentiam.

[c] 1. Cor. 2. c

Quomodo enim tantus Patriarcha nescire potuerat quod non esset locus, ubi non esset Deus? Sed fortè aliud esse miratus est ubi ait: *Vere Dominus est in loco isto.* Ibi verè est, & verè Dominus est, ubi in eius nomine Angeli simul & homines congregantur. Licet enim in omni loco sit, qui nullo clauditur loco, signanter tamen dicimus: *Pater noster qui es in cœlis*; quòd aliter illic & proprio quodam modo præsentem se exhibeat, non quidem ipse diversus, sed diversa distinguens. Est ergo in omni loco omnia universaliter continens, omniáque disponens; sed longè tamen aliter atque aliter. Apud homines malos est præstans atque dissimulans: apud *electos* homines operans & servans: apud *superos* pascens & cubans: apud *inferos* arguens & damnans. Facit solem suum oriri etiam super malos; sed ubi malorum interim dissimulatio est, quodammodo veritas non est. Itaque si dicere licet, apud impios est in dissimulatione; apud justos in veritate; apud Angelos in felicitate; apud inferos in feritate sua. Durum vobis sonat quòd *feritate* dixi? ego verò & iram vereor & furorem. *Domine ne in furore tuo arguas me*, &c [d]. Verè, inquit, *Dominus est in loco isto.* Ubi enim pluit super justos & iniustos, *Pater* est, pater misericordiarum, expectans homines ad pœnitentiam. Ubi damnat obstinatos, *Iudex est*, & horrendũ incidere in manus Dei viventis [e]. Ubi cubat, *Sponsus* est: & beata anima quam introduxerit in cubiculũ suum.

Deus qui ubique est, quomodo alicubi dicatur esse peculariter.

[d] Psal. 6. a

[e] Heb. 10. f

Cæterum in loco isto verè Dominus est, si tamen serviamns ei in spiritu & veritate. Non enim verè Dominus erat apud eos quibus dicebat [f]: *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Testantur sacræ litteræ [g] in paradiso olim positum primum Adam, ut operaretur, & custodiret illum. Sic secundus Adam in Ecclesia Sanctorum, in congregatione suorum, in horto delieiarum (siquidem deliciæ suæ esse cum filiis hominum) ita, inquam, & ipse Dominus est in loco isto, ut operetur atque custodiat. Alioquin sicut, *nisi quia Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam* [h]: sic nihilominus nisi ipse custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Porro Angelos ascendentes & descendentes esse in loco isto, Patriarchalis ipsa visio manifestat [i]. *Ascendentes*, ut videant faciem Patris, *descendentes*, ut provideant nobis.

[f] Luc. 6. g

[g] Gen. 2. c

[h] Psal. 126. a

[i] Gen. 28. d*

nobis. Quid ergo nos quomodo hic esse debemus, in quanta reverentia stare in loco isto, ubi DEUS est operans, & servans ascendentes & descendentes? Nimirum pœnitentes & expectantes esse nos convenit. Hoc est enim obliviſci, quæ retrò sunt, ignorare, reprobare, recogitare annos illos in amaritudine animæ nostræ, ac deinceps cogitatione simul & aviditate extendere nos in anteriora. Ad hoc venimus, in hoc positi sumus. Hæc sunt quæ exiguntur à nobis, præteritorum pœnitudo peccatorum, & futurorum expectatio præmiorum.

Quanta reverentia in locis sacris versandum.

S. PATRIS BERNARDI
In Psalmum XC. *Qui habitat.*
SERMONES.
PRÆFATIO.

COnsidero labores vestros, Fratres, non sine magno miserationis affectu. Quæro consolationem quam exhibere possim; & corporalis occurrit: sed ea non prodest quicquam magis & obesse plurimum potest. Siquidem modica sementis detractio, non modicum messis est detrimentum: & si pœnitentia vestra minuatur miseratione crudeli, paulatim gemmis corona vestra privatur. Quid tamen agimus? Ubi Prophetæ farinula [a]? Siquidem mors in olla est, & mortificamini tota die in jeiuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, præter ea quæ intrinsecus sunt, contritio cordium, & multitudo tentationum. Mortificamini, sed propter eum qui mortuus est pro vobis. Quòd si abundat tribulatio vestra pro eo, abundabit consolatio vestra per eum, ut in eo delectetur anima, quæ in his renuit consolari. Apud ipsum namq; ipsa quoque tribulatio magna quædam consolatio poterit inveniri. Nonne enim certũ est supra vires humanas, ultra naturam, contra consuetudinem esse quæ sustinetis? Alius igitur portat ista, ille sine dubio qui secundum Apostolum portat omnia verbo virtutis suæ [b]. Nonne ex hoc jam suo ipsius gladio

a 4. Reg. 4.

Tribulatio pia consolatio.

b Heb. 1. a

gladio inimicus perimitur, & magnitudo tribulationis, de qua tentare solebat, ipsas magis tentationes exuperat tanquam certissimum divinæ præsentiæ argumentum? Quid enim timendum nobis, si adest qui portat omnia? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Nam & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es [c]. Quid est, quod totam molem terræ sustinet? Et universus orbis cui innititur? Nam si est aliquid quod sustineat cætera, ipsum à quo sustinetur? Non invenitur nisi virtutis verbum omnia portans. Verbo enim Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum [d].

[c] Psal. 26. a

[d] Psal. 32. b

Propterea, ut sit vobis in verbo Domini consolatio, maximè his diebus, quibus (sicut omninò dignum est) aliquatenus maior est labor vester, non erit inutile tractare vobiscum aliquid de Scripturis sanctis, quod etiam aliqui vestrum rogaverunt. Unde nobis eligendus est Psalmus ipse, de quo tentationis occasionem inimicus assumpsit*, ut inde confringantur arma maligni, unde sibi usurpare præsumpsit. Propterea nolo vos ignorare, Fratres, quoniam manifestè imitatores sunt inimici, quicunque de Scripturis sanctis aliquid non sanctè usurpant, & detinent veritatem DEI in mendacio, sicut solent quandoque nonnulli. Cavete hoc, dilectissimi, quia prorsus diabolicum est, & de parte eius se esse probant, quid id faciunt in suam ipsorum perniciem, salutaria scripta pervertere molientes. Sed non modò plus immoror, sufficit credo breviter tetigisse. Jam de ipso quem elegimus Psalmo, aliqua præstante Domino differere & explanare tentemus.

* Nam verbis *Psal.* 90. abusus est diabolus tentās Christū. *Matth.* 4. *Abuti scripturis diabolicum.*

SERMO I.

De ℣. I. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione DEI cœli commorabitur.*

QUis sit divini inhabitator adiutorii, per non inhabitantes illud melius potest agnosci. Tria siquidem eorum reperies genera. Unum non sperantium, aliud desperantium, tertium frustra sperantium. Neque enim inhabitat in adiutorio Dei qui non posuit Deum adiutorem suum, sed

Tria genera non habitantium in adiutorio Altissimi.

1. *non sperantes.*

sed confidit in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum [a]. Surdus namque ad Prophetæ vocem dicentis [b]: *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est,* & sola temporalia quærens, æmulatur in malignantibus, pacem peccatorum videns, & elongatur ab adjutorio Altissimi, quod sibi ad hæc necessarium esse non reputat. Sed quid nobis de his quæ foris sunt judicare? Timeo, Fratres, ne fortè etiam sit in nobis, qui non habitet in adjutorio Altissimi, sed confidat in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum. Forte enim fervorem habet aliquis, potens in vigiliis, in jeiuniis, in labore, & cæteris huiusmodi, aut etiam multorum (ut sibi videtur) divitias meritorum longo tempore acquisivit, & in his confidens remissior est in timore Dei, facile jam adociositates & curiositates pernicioſa quadam securitate declinat, murmurat, detrahit, dijudicatque. Qui profecto si habitaret in adiutorio DEI, attenderet utique sibi, & timeret offendere quem sibi cognosceret adhuc tam necessarium esse. Tantò siquidem amplius timere Deum, & magis sollicitus esse debuerat, quantò maiora eius munera jam percepit. Neque enim quæ habemus ab eo, servare aut tenere possumus sine eo. Nunc verò (quod non sine dolore loquimur aut videmus) sunt aliqui qui in conversionis initio satis timorati & soliciti sunt, donec initium aliquod conversionis acceperint; & cum multo magis desiderare debuerant, juxta illud. *Qui edunt me, adhuc esurient* [c]: incipiunt sic agere ac si dicant: Ut quid ei serviamus ultra, quandò jam habemus quod daturus est? O scires quam parum est quod habes, & hoc ipsum quam cito perdes, si non servaverit ille qui dedit! Hæc enim duo sunt, quæ valdè sollicitos & subjectos DEO nos reddere possunt: ut non simus de his, qui propterea non habitant in adiutorio Altissimi, quia non reputant illud sibi necessarium esse, & hi sunt qui non sperant in Domino.

a Psal. 51. b

b Esa. 53. a

Religiosi non sperantes in adiutorio Altiss. quinam.

Quo maiora DEI dona eo magis timendum.

c Eccli. 24. c

Sunt autem & alii qui & desperant, hi scilicet qui considerantes imbecillitatem propriam, deficiunt & obruuntur à pusillanimitate spiritus, habitantes in carne sua & circa infirmitatem propriam semper intenti, ut omnia quæ patiuntur, cursim enumerare parati sint. Ubi enim intenderis ingenium, valet. In adiutorio autem Dei non habitant, neque noverunt illud, quod nec assurgere valeant ut aliquando cogitent illud.

2. *Desperantes.*

3. *Frustra sperantes.*

Sunt autem alii qui sperant quidem in Domino, sed frustra, quia sic de misericordia eius sibiipsis blandiuntur, ut à peccatis suis non emendentur: vana est omnino spes ista, & hæc confundit, eo quòd charitas desit. Contra hos Propheta [d]: Maledictus, inquit, qui peccat in spe. Et alius: *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Dicturus qui sperant signanter præmisit, *super timentes eum.*

d Prophetam hunc non invenio: interim vide, *Eccli. 5. a*

e Ps. 146. b*

tes eum. Frustra siquidem sperat, qui contemptu suo gratiam à se repellit, & spem suâ prorsus evacuat. Nullus ergo horum trium habitat in adjutorio Altissimi. Primus enim habitat in meritis suis, secundus in pœnis, tertius in vitiis. Immunda habitatio tertij, anxia secundi, stulta & periculosa primi. Quid enim stultius quam habitare in domo vix adhuc inchoata? Consummâsse te putas? At cum consummaverit homo, tunc incipit. Denique ruinosa est omnino hæc habitatio, & quæ sustentari magis opus habeat, & fulciri, quàm inhabitari. Nonne vita præsens fragilis est & incerta? Simile esse necesse est quicquid fundatur in ipsa. Quis enim super fragile fundamentum, stabile credat ædificium? Periculosa habitatio eorum qui in meritis suis sperant, periculosa, quia ruinosa.

Stulta & ruinosa habitatio in meritis suis confidere.

f Eccli. 18. a

Eorum verò qui consideratione propriæ infirmitatis desperatione deiiciuntur, habitatio est anxia, & eos in tormentis diximus habitare. Quandiu enim & pœnas sustinent in quibus nocte & die conteruntur, & eis quoque quas nondum sentiunt amplius cruciantur, ut non sufficiat diei malitia sua, sed opprimuntur his quoque quæ fortasse nunquam experientur: quæ tormenta, quis infernus intolerabilior potest excogitari, præsertim quia & tanto labore premuntur, & cœlestis panis non sustentantur edulio? Hi sunt qui in adjutorio Altissimi non habitant, quia desperant. Priores autem idcirco non quærunt, quia nequaquam sibi illud necessarium sentiunt. Extremi vero propterea longè sunt, quia eo modo quærunt auxilium Dei, quo obtinere non possunt. Soli enim in adjutorio Altissimi habitant, qui id solum obtinere desiderant, id solum amittere trepidant; sedula circa illud & solicita cogitatione versantes, quæ est utique pietas, cultus Dei. Beatus planè qui sic habitat in adjutorio Altissimi: quia in protectione Dei cœli commorabitur. Quid ei nocere poterit eorum quæ sub cœlo sunt, quem Deus cœli protegere & conservare voluerit? Porro sub cœlo sunt quæcunque nocere possunt, sub cœlo sunt aereæ potestates: sub cœlo præsens seculum nequam, & caro adversus spiritum concupiscens.

Pusillanimium cruciatus & miseria.

Quinam in adjut. Altiss. habitent.

Optimè igitur dictum est, *In protectione DEI cœli commorabitur*; ut nihil eorum quæ sub cœlo sunt timere possit quisquis protectionem ejus habere meruit: sive ita dictum sit, ut ad versum sequentem oratio dependeat: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione DEI cœli commorabitur*: *Dicet Domino, susceptor meus es tu*, & sit quod dicitur, *in protectione DEI cœli commorabitur*, expositio præcedentis partis, *qui habitat in adjutorio Altissimi*: aut magis addere videatur, ut non solum adjutorium ad operandum bonum, sed protectionem quoque ad liberandum à

Nil sub cœlo timet qui Deum cœli protectorem habuit.

malo doceat esse quærendam. At verò diligenter attende, quod, *in protectione*, dicit: non in præsentia. Angelus in præsentia ejus exultat: ego utinam possim in ejus protectione morari! Ille beatus in præsentia, ego utinam in protectione sim securus! *DEI cœli*, inquit: Licet enim ubique esse non dubitetur, sic tamen in cœlo est, ut ad ejus comparationem nec esse videatur in terris. Propter quod & orantes dicimus: *Pater noster qui es in cœlis.* Sicut enim anima cum in toto quoque sit corpore, excellentius tamen & singularius est in capite, in quo sunt omnes sensus, (nam in cæteris omnibus membris vix unum exercet solum, scilicet tactum, unde quantum ad eum modum quo in capite est, cætera membra videtur quodammodo non tam inhabitare quam regere) ita si præsentiam illius cogitemus, qua beati angeli perfruuntur, videri possumus vix aliquam Dei protectionem & nomen habere. Felix tamen anima, quæ vel hanc protectionem meretur. *Dicit enim Domino, susceptor meus es tu.* Verum id quidem sermoni alteri reservamus.

Deus cur peculiariter dicatur esse in cœlo, cum sit ubique.

Sermo II.

De Vers. II. *Dicet Domino, susceptor meus es tu* &c.

„ „ „ *Qui habitat in adjutorio Altissimi*, ait Propheta, *dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum.* Dicet in gratiarum actione, Confitemini Domino misericordiæ ejus super duplici adjutorio ejus. Omnis enim qui adhuc in adjutorio habitat, non in regno; & frequenter opus habet fugere, & interdum cadit. Fugere, inquam, dum in hoc corpore sumus à facie tentationis persequentis oportet. Quòd si minus celeriter fugimus, aliquandò (ut assolet) impellimur & evertimur, sed Dominus susçipit nos. Ipse itaque refugium est, ut venientem cum stercoribus boum pigrorum lapidatorem impigri fugiamus, & evadere possimus fœdam nimis lapidationem. Ipse quoque susceptor est, ut etiam cum ceciderimus, non collidamur, quoniam supponit manum suam. Cum ergo tentationis impetum sentimus in cogitatione, statim fugiamus ad ipsum, & humiliter postulemus auxilium. Quòd si forte præocupaverit nos (ut aliquando) cum tardius, quàm oporteat, ad eum confugimus, solliciti simus ut suscipiat nos manus Domini. Homines enim aliquando cadere necesse est, dum in hoc seculo detinentur: sed alij colliduntur, alij non, quia Deus supponit manum suam. Sed quomodo eos discernere poterimus, ut segregemus juxta Domini exemplum, [a] agnos ab hœdis, justos ab injustis? Nam & *justus septies in die cadit* [b],

Fugere & cadere opus habemus, dum sumus in hoc corpore.

Antidotum contra tentationes.

[a] Matt. 25. c
[b] Prov. 24. b

Verum hoc interest inter eorum casus, quod justus suscipitur à Domino,

Domino, ideoque resurgit fortior. Injustus autem cum ceciderit, non adijciet ultra ut resurgat; imò verò aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit. Aut enim excusat, quod fecit, & hic est pudor adducens peccatum. Aut fit ei frons meretricis, & jam nec Deum timet, nec hominem reveretur, sed prædicat peccatum suum sicut Sodoma. Justus verò super manum Domini cadit, & miro quodam modo etiam ipsum ei peccatum in justitiam cooperatur: *Scimus enim quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Nonne cooperatur nobis ille casus in bonum, unde & humiliores efficimur & cautiores? Nonne Dominus cadentem illum suscipit, qui ab humilitate suscipitur? *Impulsus eversus sum ut caderem* (ait Propheta [d]) sed nihil profecit qui impulit me, *quoniam Dominus suscepit me.* Sic ergo dicet fidelis anima Domino, *susceptor meus es tu*; Possunt omnia dicere, Creator meus es tu. Possunt & animalia dicere, Pastor meus es tu. Possunt omnes homines dicere, Redemptor meus es tu. At verò *Susceptor meus es tu*, is tantum dicere potest, qui habitat in adjutorio Altissimi. Unde & addidit: *Et DEVS meus.* Cur non Deus noster? Quia in creatione, in redemptione, cæterisque communibus beneficijs est Deus omnium: sed in tentationibus suis tanquam proprium eum habent singuli electorum. Sic enim paratus est suscipere cadentem, & eripere fugientem, ut videri possit relictis omnibus aliis ei soli operam dare.

Discrimen inter piorum & impiorum casum.

[c] Rom. 8. c

[d] Psal. 117. b

Susceptorem suum vocare Deum solis competit piis.

Propterea expedit omni animæ Deum semper attendere tanquam proprium non modo adjutorem, sed etiam inspectorem. Quomodo enim negligens poterit fieri, qui intuentem se Deum nunquam desinit intueri? Aut quomodo non quasi proprium illum habere videtur, qui sic eum super se videt intentum, ut omnia interiora ejus & exteriora omni hora considerare non cesset: omnesque non solum actus, sed etiam ipsos subtilissimos animæ motus perscrutetur atque dijudicet? Hic igitur non immerito dicere potest, *DEVS meus sperabo in eum.* Et attende quòd non dixerit, speravi, aut spero: sed *sperabo.* Hoc inquit, est votum meum, hoc propositum meum, hæc intentio cordis mei. Reposita est hæc spes mea in sinu meo, & in hac perseverabo. *Sperabo in eum.* Nec desperabo, nec frustra sperabo, quia maledictus qui peccat in spe; & nihilominus qui peccat in desperatione: sed nec esse volo de his qui non sperant in Domino. *Sperabo* inquit, *in eum.* Sed jam dic nobis quo fructu, qua mercede, quo lucro? *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.* Sanè laqueum hunc, & hoc verbum, in diem alterum & sermonem, si placet alterum differamus.

Deus ut inspector noster semper cogitandus.

SERMO

Sermo III.

De Vers. III. *Deus meus sperabo in eum: quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.*

EGo utique, Fratres, in hoc verbo magna meipsius pietate compungor, & valdè misereor animæ meæ. *Ipse liberavit me de laqueo venantium.* Ergone bestiæ sumus nos? Bestiæ prorsus. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus* [a]. Bestiæ profecto sunt homines, oves errantes non habentes pastorem. Quid superbis ô homo? quid te sciolum jactas? Vide quia bestia factus es, cui venandæ laquei præparuntur. Sed qui sunt *venatores* isti? Venatores utique pessimi & nequissimi, callidissimi & crudelissimi. Venatores qui cornu non sonant, ut non audiantur, sed sagittant in occultis immaculatum. Ipsi rectores sunt tenebrarum harum, astutissimi versutia & malitia diabolicæ fraudis, ita ut sicut est ante venatorem bestia, sic ad eorum comparationem sit quilibet astutissimus hominum, præter eos duntaxat, qui cum Apostolo [b]: non ignorant cogitationes eorum, quibus in Dei sapientia datum est fraudes deprehendere malignorum. Obsecro vos novellæ plantationes Dei, vos qui nondum exercitatos habetis sensus ad discretionem boni & mali, nolite sequi cordis vestri judicium, nolite abundare in sensu vestro; ne vos tanquam rudes adhuc versutus ille venator decipiat. Nam silvestribus illis & omnino bestialibus bestiis (seculares homines loquor) apertos satis expandit laqueos, utpote quos facile capiendos esse non dubitat. Vobis autem qui tanquam prudentiores cervi serpentes necatis *, & desideratis ad fontem vivum, subtiliores occultat laqueos, & callidiora fraudis suæ argumenta conquirit. Unde, obsecro, vos humiliamini sub potenti manu Dei pastoris vestri, & acquiescite eorum consilijs, qui melius norunt venatoris illius versutias, edocti diuturno longi temporis exercitio, & crebris experimentis tam in se quam in multis.

Sed ecce quia jam venatores & bestias novimus, quisnam sit *laqueus* iste, quærendum est. Nolo ego adinvenire ex me, nec dubium aliquod tradere vobis. Ostendat nobis Apostolus laqueum istum, ipse enim venatorum illorum non ignorat cogitationes. Dic nobis, inquam, beate Paule, quis sit laqueus iste diaboli, à quo se liberatam fidelis anima congratulatur? *Qui volunt*, inquit [c], *divites fieri in hoc seculo, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli.* Ergone laqueus diaboli divitiæ sunt hujus seculi? Heu quàm paucos invenimus, qui ab hoc laqueo liberati exultent, quam multos, qui dolent quòd parum sibi videntur irretiti, &

adhuc

a Psal. 48. c. *Homo bestiis cui laquei præparantur. Qui qualesve venatores.*

b 2. Cor. 2. c.

Cautella contra dolosos hujus venatoris laqueos.

*Vide S. August. in Psal. 41. Quemad. desi. cervus.

c 1. Tim. 6. b. *Divitiæ laquei diaboli.*

adhuc quantum possunt ipsi se involvere & intricare laborant! Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis non habentem ubi caput suum reclinaret Filium hominis [d], exultate & dicite: *quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium.* Confitemini illi toto corde, tota anima, tota virtute, & ex ipsis medullis cordis gratias ei agite, dicentes: *quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium.* Et ut noveritis quam magnum sit beneficium hoc, & sciatis quæ à Deo donata sunt vobis, audite quod sequitur: *Et à verbo aspero.* O homo, vel magis bestia; laqueum non timebas? Time vel malleum. *A verbo*, inquit, *aspero.* Quod est hoc verbum, nisi illud insatiabilis gehennæ. Affer, affer, percute, dilacera, cito interfice, velociter spolia detrahe? Quid est verbum asperum nisi, *Tollatur impius ne videat gloriam Dei*? Quomodo exultant venatores capta bestia, & clamant: tolle, tolle, infige verubus, infer prunis, & male bullientibus impone lebetibus? Verbum asperum fuit quod protulit domus exasperans populus Judæorum. *Tolle, tolle: crucifige eum* [e]. Quam horribile verbum, quam asperum, quàm crudele? Vere dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Hoc verbum asperum tu sustinuisti Domine. Cur, nisi ut nos liberares à verbo aspero? Sit jam pietatis tuæ, ut non sustineamus nos, quod tu dignatus es sustinere pro nobis.

[d] Luc. 9. g

Quod verbum asperum.

[e] Joan. 19.

Respondent homines seculares cum eis suademus agere pœnitentiam, & dicunt: Durus est hic sermo. Nempe hoc est quod in Evangelio legimus [f]. Loquebatur de pœnitentia ipsa Dominus, sed in figura tanquam his quibus non erat datum nosse mysterium regni Dei. Cum audirent dicentem, *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem*, dixerunt: *Durus est hic sermo, & abierunt retrorsum.* Quid autem est manducare ejus carnem, & bibere sanguinem, nisi communicare passionibus ejus, & eam conversationem imitari, quam gessit in carne? Unde & hoc designat illibatum illud Altaris sacramentum, ubi dominicum corpus accipimus: ut sicut videtur illa panis forma in nos intrare, sic noverimus per eam quam in terris habuit conversationem, ipsum intrare in nos, ad habitandum per fidem in cordibus nostris. Cum enim justitia ingreditur, ille ingreditur qui factus est nobis à Deo Patre justitia. Sed & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo [g]. tamen adhuc multi nobis dicunt: Durus est hic sermo. Ergone durum est momentaneum hoc & leve tribulationis, quod supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis? Durum est brevissimo & levissimo labore cruciatus illos & tormenta redimere, quæ nullus terminus finiat, nullus animus sufficiat cogitare? Durum vobis videtur cum

[f] Joan. 6. f

Pœnitentiæ cohortatio sæcularibus dura sermo.

Sacramento Altaris mystica significatio.

[g]

Omnis labor & asperitas præsens lenitur cogitatione gehennæ.

tur cum dicitur: *Agite Pœnitentiam*? Erratis, sed audituri estis aliquando verbum asperum, sermonem durum, auditionem malam: *Ite maledicti in ignem æternum.* Ita dico vobis hoc timete, hoc durum reputate, & invenietis, quia jugum Domini suave est, & onus ejus leve. Si in seipso suave illud credere necdum potestis, vel hoc non ignoratis quoniam hujus comparatione suavissimum est.

h Matt. 25. d

Vos autem, Fratres mei, vos pennati, ante quorum oculos frustra jacitur rete: vos qui divitias hujus seculi penitus reliquistis, quid timeatis à verbo aspero, quoniam liberati estis à laqueo? Felix tu Idithun, pro quo Psalmi quidam inscripti sunt, qui transiliisti laqueum, ut omnino longe fieres à verbo aspero. Quibus enim dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*, quibus, inquam, dicetur; nisi his qui substantiam hujus mundi habuêre? Nunquid non valde exhilarantur ad verbum hoc corda vestra, & spirituali jucunditate replentur? Nunquid non preciosiorem ducitis paupertatem vestram thesauris seculi? Siquidem ipsa est quæ liberat vos à verbo aspero. Quomodò namque à nobis exigat Deus, quod pro ipsius amore relictum est? Et tamen etiam hoc facitis, & de labore manuum vestrarum Christus alitur & vestitur, ut nihil desit. Agite ergo gratias, exultate & dicite: *quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.* Exultate, inquam, sed adhuc interim cum tremore. Lætos vos esse volo, sed nondum securos. Gaudentes in Spiritu sancto, sed tamen paventes adhuc, & caventes à recidivo.

i Matt. 25. a *Felix & secura paupertas religiosorum.*

Quid enim vobis ultra pavendum est? Unum utique, idque gravissimum, peccatum Judæ, peccatum apostasiæ. Bene enim factum est ut pennas acciperetis sicut columbæ, & volaretis ad requiescendum. Nam in terra non erat requies, sed labor & dolor, & afflictio spiritus. Quid ergo timendum est sic volanti, nisi ne fortè cadaver vel simile aliquid in terra videat, cujus desiderio tractus videatur à venatoribus illis pessimis, & præparatis laqueis capiatur, & sint novissima hominis illius pejora prioribus? Hoc, inquam, omnino timendum est, ne quis aut corde solo, aut etiam corpore ad vomitum revertatur. Legimus enim de filijs Israel quia corde redierunt in Ægyptum. Nam corpore reverti, clausum post eorum talos rubrum mare prohibebat. Hoc est quod vehementer singulis quibusdam timendum est, ne quando forte eatenus Deum offendant, ut manifeste abijciantur & evomantur ab eo: aut si pudor neget apostasiam corporis, tepor ipse paulatim ingerat apostasiam cordis: ut videlicet in habitu religionis cor seculare gerant, & quidquid secularis consolationis invenire potuerint, amplectantur. Neque enim sumus nos Apo-

Apostasia Religiosis post relictum sæculum magis pavenda & cavenda.

k Num. 14. *Et qualis potissimum.*

stolo

stolo sanctiores, qui tamen verebatur, ne forte cum alijs prædicasset, ipse reprobus efficeretur [l]. Sed id tandiu timendnm est, donec laqueus contritus sit, donec corpus istud anima deposuerit. Nam & ipsum corpus laqueus quidam est, unde & oculus legitur animam deprædari [m]. Minimè ergò decet esse securum hominem, qui secum portat laqueum suum, imò verò bonum est magis habitare in adjutorio Altissimi, ut per eum possit laqueus evitari.

[l] 1. Cor. 7. d

[m] Thren. 3. f

Sermo IV.

De ℣. IV. *Scapulis suis obumbrabit tibi*, &c.

COnfitenti humiliter, & devotè gratias referenti, non immeritò ampliora beneficia promittuntur. Nam qui fidelis invenitur in modico, jure constituetur super multa: sicut econtrariò accipiendis indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus. Itaque devotæ illi gratiarum actioni respondet spiritus, non id solum, inquiens, faciet, sed & *scapulis suis obumbrabit tibi*. Gredo in his scapulis geminam Dei promissionem intelligendam, vitæ scilicet ejus quæ nunc est, pariter & futuræ. Si enim solum promitteret regnum, & in itinere deesset viaticum, omnino conquererentur homines & responderent: Magnum quidē est quod promittitur, sed perveniendi illuc nulla facultas datur. Propterea qui post hoc seculum vitam promisit æternam, ipse dandum etiam in hoc seculo centuplum providentissima pietate præmisit [a]. Quid jam excusationis habes, ô homo? Profectò obstructum est os loquentium iniqua. Quid plus adferet ad tentandum, nisi quia longa futura est via tua? Et si grandis tibi restat via, cur hoc timeas, cui fortis cibus datur, ne deficere possis in via? Heliæ utique cibus allatus est ab Angelo [b], quo nullus in humana consuetudine vilior invenitur, scilicet panis & aqua: tanta tamen fortitudo collata est, ut quadraginta diebus ambulans non fatigaretur nec esuriret. Vis tibi hunc cibum ab Angelis ministrari? Mirum valde, si non vis.

Gratitudo nova meretur beneficia.

[a] Matth. 19. d

Deus & magna promittit, & assequendi facultatem præstat.

[b] 3. Reg. 19. b

Quòd si cibum hunc desideras, & angelica ministeria non superba, sed humili magis ambitione requiris, audi quomodò scriptum sit de Domino [c], quia tentante Diabolo, & suadente, ut de lapidibus faceret panem, restitit & dixit: *Non in solo pane vivit homo* [d], *sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, deinde tentationibus superatis, & tentatore fugato, accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Et tu ergo, si vis habere ministerium Angelorum, fuge consolationes sæculi, & tentationibus resiste Diaboli. Renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. Cum esuris, currere suadet ad panem: at tu potius audi dicentem:

[c] Matt. 4. a

[d] Deut. 8. a

Suggestionibus Diaboli quomodò obviandum.

centem: *Non in solo pane vivit homo.* Cur enim tanta varietate distraheris, ut modo cibum, modo potum, modo vestem aut lectum, nisi pro sola corporis necessaria sustentatione requiras, qui in uno, id est, in verbo Dei potes hæc omnia invenire? Manna enim est, omnem saporem habens, & odoris delectationem; & requies est vera & syncera, suavis & salubris, jucunda & sancta.

Promissio vitæ futuræ.

Hæc promissio est vitæ præsentis. Nam promissionem futuræ quis explicet? Si expectatio justorum lætitia, & tanta lætitia, ut omne quod desideratur in sæculo, non valeat ei comparari: ipsum quod expectatur quid erit? Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te [o] Sub his itaque scapulis quatuor nobis beneficia conferuntur. Sub his enim *abscondimur*: sub his in occursu accipitrum & milvorum *protegimur*, quæ sunt aereæ potestates: sub his umbraculum salubre *refrigerat* nos, & repellit nimium solis fervorem: sub his quoque *alimur* & fovemur. Ait enim Propheta in alio psalmo [f], *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum*, id est, dum adhuc dies mali sunt, & in terra aliena sumus, quæ data est in manus impii, in qua non est regnum pacis, nec Deus pacis regnat in ea. Nam si regnat, quid est quod orantes dicimus [g]: *Adveniat regnum tuum?* Necesse igitur est abscondere interim, si quid habemus boni, quoniam thesaurum regni cœlorum, qui invenit homo, abscondit [h]. Propter quod etiam corporaliter in claustris & in sylvis abscondimur. Et si scire vultis quantum in hac absconsione lucramur, credo nullum hic esse qui si quartam partem eorum quæ facit, in sæculo actitaret, non adoraretur ut sanctus, reputaretur ut angelus: nunc autem quotidie tanquam negligens arguitur & increpatur. Parúmne hoc lucrum ducitis, quòd non reputamini sancti antequam sitis? An non timetis ne fortè hic vili mercede hac recepta, in futuro mercedem non habeatis? Necessaria est ergo hæc absconsio non solum ante oculos aliorum, sed etiam multo magis ante teipsum. Hoc enim habet dominica illa sententia [i]. *Cum feceritis omnia quæ præcipiuntur vobis, dicite, Servi inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus*: væ enim nobis si non fecissemus. Et hæc est utique magna virtus, & summa securitas, quando & pie vivis: & tamen plus attendis quæ desunt tibi, quàm quæ obtinuisse videris, oblitus quæ retro sunt, & extendens te in anteriora. Hæc igitur est absconsio, quam sub scapulis Domini præstari dixeramus; qualis forsitan absconsio fuit vel obumbratio quæ Mariæ facta est à Spiritu sancto, ad celandum videlicet tam incomprehensibile sacramentum.

o Esa. 64. a

Quatuor Dei beneficia.

f Psal. 26. b

1. *Absconsio.*

g Matt. 6. b

h Matt. 5. b

Bona nostra abscondenda. Religiosi absconditi.

i Luc. 17. c

De pro-

De protectione quoque idem ait Propheta iste [k]. *Obumbrasti super caput meum in die belli.* Sicut enim videns venientem accipitrem mater expandit alas suas, ut pulli subeant, & habeant tutum refugium: sic nobis parata, & quodammodò dilatato sinu extensa est summa illa & ineffabilis pietas Domini nostri. Unde & supra dixit: *Quoniam refugium meum es tu.* Jam verò sub ipsis quoque scapulis & umbraculum salubre & protectionem habemus. Sicut enim iste corporeus sol licet bonus sit & valde necessarius, tamen & fervor eius si temperatus non fuerit, infirmo capiti, & splendor infitmis oculis nocet, nec est solis culpa, sed infirmitatis: sic etiam sol justitiæ est. Unde & dicitur: *Noli nimium justus esse* [l]. Non quod justitia bona non sit, sed quia dum adhuc infirmi sumus, oportet ipsa bona gratiâ temperari, ne fortè elationis aut indiscretionis vitium incurramus. Quid est quòd incessanter orantes & supplicantes non possumus ad eam quam desideramus gratiæ abundantiam pervenire? Putatis quia avarus aut inops factus est Deus, impotens aut inexorabilis? Absit hoc, prorsus absit: sed ipse cognovit figmentum nostrum, & scapulis suis obumbrat nobis. Non tamen à petitione propterea cessandum est, quia etsi non dat ad satietatem, dat tamen ad sustentationem, etsi cavet nobis à fervore nimio, tamen fovet nos tanquam mater calore suo. Hoc est enim quartum quod diximus sub scapulis eius nobis præstari, ut tanquam pulli in calore materni corporis foveamur, ne foris vagantes moriamur, refrigescente nimirum charitate; quæ non diffunditur in nobis nisi per spiritum qui datur nobis. Sub his igitur pennis eius securus sperabis, ut videlicet de exhibitione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum.

2. *Protectio.*

[k] Ps. 139. b*

3. *Obumbratio.*

[l] Eccl. 7. c*

Cur Deus parcius subinde det quod homo desiderat.

4. *Nutritio seu educatio.*

SERMO V.

De ℣. *Scuto circumdabit te veritas eius.*

Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Et quis hoc dixerit, scitis; & tempus scitis;. Domini enim est verbum istud instante jam passione sua [a]. Et attendite quoniam ipse quidem erat passurus, & non Discipuli: nec tamen pro se dicebat orandum, sed pro illis. Unde ad Petrum [b]. *Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Si tantum illos oportebat timere in passione Domini, quantum nobis timendum est, Fratres, in passione nostra? Vigilate proinde & orate, ut non intretis in tentationem; quoniam undique circundati estis tentationibus. Unde & legistis [c], quia *tentatio est vita hominis super terram.* Itaque si tot tentationibus plena est vita nostra, ut non immerito

[a] Marc. 14. d

[b] Luc. 22. d

[c] Iob. 7. a

Tentatio est vita hominis. Contra eam cutum oratio.

tota ipsa tentatio debeat appellari : pervigili circunspectione opus est, & oratione, ne inducamur in eam : Unde est & illud in oratione dominica; *Et ne nos inducas in tentationem* [d]. Quia ergo undique sic circundatus es tentationibus, scuto circundabit te veritas eius ; ut quemadmodum undique bella, ita undique sint & præsidia. In quo & omnino illud manifestum est, spirituale scutum esse oportere quod circundare potest. Veritas autem circundat, quia verax qui promittit, sic exhibet ut promittit, &

c 2. Cor. 10. c

Fidelis Deus, ait Apostolus [e], *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.*

Non incongrue sanè scuto comparatur gratia divinæ protectionis, quod in superiori parte amplum & latum est, ut caput humerosque custodiat ; in inferiori vero strictius, ut minus oneret, maximè quòd graciliores sint tibiæ, nec tam facile vulnerentur ; sed nec adeo periculosum sit illis in partibus vulnerari. Sic omnino sic militibus suis Christus ad inferiora tuenda, id est, carnem, magnam ut ita dixerim, strictitatem atque penuriam rerum temporalium donat ; nec vult eos illarum multitudine prægravari, sed ut *victum & vestitum habentes*, quemadmodũ, ait Apostolus [f], *his contenti simus* : in superioribus vero ampliorem latitudinem, & abundantiam gratiæ spiritualis. Sic enim habes [g]. *Primum quærite regnum DEI & justitiam eius & omnia adjicientur vobis.* De victu utique dixit & vestitu. Unde dixerat sollicitos esse non debere. Nam & hæc ipsa Pater noster cœlestis benignissima pietate ministrat, ob duplicem scilicet causam : ne vel omnino crederemus infensum, si ista negaret, & sic desperaremus : vel illorum nimia sollicitudo, spiritualis exercitii fieret detrimentum. Sine his enim neque vivere, neque Deo servire est. Cæterum quanto strictius, tanto melius.

f 1. Tim. 6. b
*g Matt. 6. d

Deus suis rerum temporalium non affluentiam, sed sufficientiam tribuit.

Itaque *scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.* Hæ sunt quatuor tentationes quibus undique circundari necesse habemus ; circundari etiam scuto Domini, ut sit nobis à dextris & à sinistris, ante & retro. Hoc enim prænonitos vos esse volo, neminem super terram absque tentatione victurum, ut cui forte tollitur aliqua, alteram securus expectet : aut forte non securus sed pavidus magis, & sic petat ab ea liberari, ut nunquam sibi in corpore mortis huius libertatem perfectam seu requiem audeat polliceri. Qua in re consideranda est nobis tam benigna erga nos divinæ pietatis dispensatio, ut quibusdam nos tentationibus patiatur diutius occupari, ne fortè periculosiores occurrant : ab aliquis verò citius liberet, ut possimus in aliis quas nobis utiliores fore prævidet exerceri. Verum considerandum nobis est (sed non modo

Nempe super terram sine tentatione, quin una recedente, succedit alia.

Dei providẽtia in moderandis tentationibus.

modo) quæ sint istæ quatuor quas hic ponit. Credo enim quod in hoc ordine quo hic numerantur, contra eos qui convertuntur insurgunt, & velut principes sunt omnium tentationum.

SERMO VI.

De altera parte Vers. V. *Non timebis à timore nocturno.* & de Vers. VI. *A sagitta volante in die* &c.

SOlet in divinis Scripturis adversitas designari per noctem: & scimus quia adversus eos qui convertuntur, primum esse certamen de molestiis corporis consuevit. Caro enim hactenus indomita, castigari & in servitutem redigi nequaquam æquanimiter patitur, sed adhuc memor recens perditæ libertatis acrius concupiscit adversus spiritum, maximeque in his pœnis, in quibus estis vos quotidie morientes; immò verò morte affecti tota die, quæ & supra vires sunt, & ultra naturam, & contra consuetudinem vestram. Quid igitur mirum? Turbant ista maxime eos, qui necdum consueverunt, necdum satis in promptu habent recurrere ad orationes, resurgere ad meditationes sanctas, ut sic relevetur diei pondus & æstus. Necessarium plane nobis inter ipsa nostræ conversionis initia scutum Domini, ut non timeamus à timore nocturno. Bene autem dicitur non timendum *à timore nocturno*, & non dicitur à nocte, quia non ipsa afflictio tentatio est, sed magis timor ipsius. Nam & omnes laboramus, cum tamen non omnes inde tentemur: & qui tentantur, multo magis timore futuræ pœnæ, quam præsentis dolore læduntur.

Primum certamen incipientium.

Initio conversionis carnis lucta molestior.

Quia ergo timor ipse tentatio est, congrue dictum est ei qui circundatur scuto Domini, quòd à tentatione hac non timebit. Fortè impugnabitur, fortè tentabitur, fortè timebit noctem, sed non ei timor iste nocebit. Magis autem si non fuerit dominatus, tunc immaculatus erit, & emundabitur, sicut scriptum est [a], quia *territi purgabuntur*. Caminus est timor iste, sed ut examinet non exurat, veritas facit. Nocturnus planè & tenebrosus timor, sed facilè hunc radius veritatis exuperat. Ingerit enim oculis cordis *nunc* quidem peccata quæ fecimus; ut quemadmodum de se Prophetа ait [b], etiam nos in flagella parati simus, annunciantes iniquitatem nostram, & cogitantes pro peccato nostro: *nunc* verò æterna supplicia quæ meruimus, ut in eorum comparatione quæ evadimus, universa quæ patimur delicias reputemus: *nunc* quoque cœlestia præmia ad quæ tendimus, crebro videlicet memorantes, quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis [c]; *nunc* etiam ea quæ pro nobis pertulit Christus, ut crebro considerantes

a Iob. 41. c 1. *Tentatio.* Timor nocturnus; *i.e. Pusillanimitas, & timor laborum: ad hanc vincendam, valet* 1. *Recordatio peccatorum.*
b Psal. 37. c 2. *Supplicioru̇ infernalium:* 3. *Cœlestium præmiorum.*
c Rom. 8. d 4. *Passionis Christi.*

siderantes quanta sustinuit illa majestas pro inutilibus servis, erubescamus non sustinere vel parva pro nobis.

2. Tent. Proficientium; Sagitta volans in die i. e. tentatio vanæ gloriæ.

Sed fortasse prævaluit veritas, præsertim tam multiplex & usquequaque circundans non repellere modo sed etiam expellere penitus hunc timorem. Nox præcessit: ut filius lucis & diei honestè ambulans, time sagittam. Leviter volat, leviter penetrat; sed dico tibi non leve infligit vulnus, cito interficit. Nimirum sagitta hæc vana gloria est, non est unde hæc impugnet pusillanimes & remissos. Qui ferventiores esse videntur, ipsi paveant, ipsi sibi caveant in hac parte: nihilominus adhuc solliciti non deserere scutum inexpugnabile veritatis. Quid enim aliud tam contrarium vanitati? Nec sanè huic opponenda sagittæ secreta illa & quodammodo intima veritatis exigimus: semetipsam noverit anima, de se teneat veritatem. Difficile prorsus (ni fallor) homo verbis laudantium hominem in vita sua, abduci poterit altum sapere, si se intus ad lucem veritatis sollicita consideratione discutiat. Nonne enim si propriam cogitat conditionem, dicturus est sibi, *Quid superbit terra & cinis* [d]? Nonne si propriam consideres corruptionem, fateatur necesse est, quoniam non est in eo bonum? Sed & si forte aliquid habere videtur, non inveniet puto quod respondeat Apostolo dicenti; *Quid habes quod non accepisti*? Et alibi: *Qui stat videat ne cadat* [f]. Postremo si fideliter computet, facile illi erit advertere, quòd nec cum decem millibus possit occurere ei qui cum viginti milibus venit ad se, & omnes justitias suas tanquam pannum menstruatæ reputari.

Quos ea præcipue petat & feriat.

Scutum opponendum tentationi vanæ gloriæ

d Eccli. 10. a

e 1. Cor. 4. b

f 1. Cor. 10. c

Eadem quoque veritas & eis nihilominus opponenda est tentationibus quæ sequuntur. Neque enim vel sic desistit hostis antiquus, sed ad callidiora forte convertitur argumenta. Firmam probavit utroque latere turrim, non est quod vel à sinistris pusillanimitate timoris, vel à dextris eam humanis concutere laudibus, in utraque jam molitione frustratus attentet. Sed si viribus, inquit, deiicere nequeo; fortè decipere possum alicujus ingenio proditoris. Quis putas erit hic proditor? Planè cupiditas, radix iniquitas, ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrysis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. Contempsit vanam gloriam, ait quoniam vana est: forte solidius aliquid affectaret, forte honores, fortè divitias. Quantos hoc negocium perambulans in tenebris trudi fecit in tenebras exteriores, veste spolians nuptiali, & virtutum exercitia fructu pietatis evacuans? Quantos ergo pestis hæc nequiter supplantatos turpiter quoque dejecit, ut cæteri quique quos

3. Tent. Negotiũ perambulans in tenebris i. e. Ambitio subtile malum, pestis occulta &c.

Plurimos ea perdidit.

latuit

latuit occultus effossor, subitam expaveſcerent ad ruinam? Quid verò hunc fovet vermem aliud quam mentis alienatio, & oblivio veritatis? Aut quid nisi veritas hunc prodendum vestigat proditorem, & negotium arguit tenebrarum? Nimirum hæc est quæ dicit [g]: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur: se autem perdat & detrimentum sui faciat?* Et item: *Potentes*, ait [h], *potenter tormenta patientur.* Hæc est quæ sedula suggestione reducit in mentem quam sit in ambitu frivola consolatio, grave judicium, usus brevis, finis ignotus.

Antidotum tam pestilentis mali.

g Matt. 16. d

h Sap. 6. a

Hucusque tentationes Domini: quartam inimicus non præsumit afferre. Illa enim de ignorantia est, nec dubitat sapientissimum, qui sic moderabatur responsiones suas, ut in nullo unquā posset deprehendere quod quærebat. *Prima* siquidē tentatione esurienti suadebat de lapidibus panem facere: sed ille nec posse nec non posse respondens, cibum aliū prætendit dicens: *Non in solo pane vivit homo*, &c [i]. *Secunda* verò tentatione præcipitium suadebat ptomittens quia non læderetur si Filius Dei esset, & sic videns omnis civitas laudaret eum & magnificaret; & nec esse se, nec non esse respondit. *Tertia* de ambitione fuit, quandò omnia regna mundi promisit si cadens adoraret eum. Vidésne quòd ambitionis via, adoratio diaboli est, qua videlicet ad honores & gloriam mundi perveniendum suis ille adoratoribus pollicetur: *Quarta*, ut dixi, tentatione apud eum abstinuit, cuius nimirum tantam esset expertus prudentiam ex responsis.

Tribus tentationibus diabolus Christū aggressus.

i Matt. 4. a

Ambitio est adoratio diaboli.

Quid autem aduersus alios faciat quos videt omni modò diligere Iustitiam, & odisse inquitatem; Quid nisi ut iniquitatem palliet virtutis imagine? Quos enim perfectos boni noverit amatores, malum eis sub specie boni non mediocris, sed perfecti persuadere conatur; Vt cito consentiat qui magnopere diligit bonum, & facile qui currit incurrat. Hoc est igitur dæmonium non modo diurnum, sed meridianum. An non hoc timuit Maria [k], quando ad novam Angeli salutationem expavit? An non hoc insinuabat Apostolus cum diceret [l]: *Non enim ignoramus cogitationes eius.* Ipse enim Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis [m]? An non deniq; hoc ipsum metuebant Discipuli, quando videntes Dominum super mare ambulantem clamabant putantes phantasma esse? Et vide quam bene congruit quòd quarta vigilia noctis fuisse dicitur: quando contra tentationem quartam vigilasse Discipuli perhibentur. Nec verò in re manifestissima nostro arbitror opus esse eloquio, quòd videlicet sola sit veritas quæ palliatam detegit falsitatem.

4. *Tentatio Perfectorum.* Incursus & Dæmonium merid. *i. e. Astus Dæmonis ad evertēdos virtutis amantes; malum specie boni pallians.*

k Luc. 1.

l 2. Cor. 2. c

m 2. Cor. 11. c

n Matt. 14. c

Quatuor has tentationes etiam in generali statu Ecclesiæ haud difficile diligens considerator inveniet. Nónne enim timor nocturnus

exercebat novellam adhuc Ecclesiæ plantationem, quando omnis qui occiderat servos DEI, arbitrabatur se obsequium præstare Deo? Demum persecutione cessante, & die reddita, turbavit eam gravius & afflixit sagitta volans, quando exierunt aliqui de Ecclesia inflati spiritu carnis suæ, inanis & volatilis gloriæ cupidi: & volentes sibi facere nomen linguas suas magnificando, diversa & perversa dogmata fabricaverunt. At nunc quidem pax à paganis, pax ab hæreticis; sed non est pax à falsis filiis. Multiplicasti gentem Domine JESU, sed non magnificasti lætitiam: quoniam multi sunt vocati, pauci verò electi. Omnes Christiani, & omnes ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ JESU CHRISTI. Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transiere: nec in his salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant. Pro Episcopatibus & Archidiaconatibus, Abbatiis, aliisque dignitatibus impudenter hodie decertatur, ut Ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis usus dissipentur. Supereſt ut revelетur homo peccati, filius perditionis, dæmonium non modo diurnum, sed & meridianum; quod non solum transfiguratur in angelum lucis, sed extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur [o]. Nimirum insidiatur crudelius calcaneo matris Ecclesiæ; à qua dolet caput suum esse contritum. Hic planè gravissimus erit incursus, sed ab hoc quoque Eccle. siam electorum veritas liberabit, propter eos brevians dies [p], & dæmonium meridianum destruens illustratione adventus sui. Et hæc quidem dicta sunt de tentationibus istis: nam & in sermone quodam super Cantica Canticorum [q] memini me super his tractasse similiter, cum meridiani huius dæmonii mentio incidisset, ex occasione scilicet meridiani accubitus sponsi, quem sibi sponsa petierat indicari.

Quatuor tentationum genera, quibus impugnatur Ecclesia.
1. Tyrannorū.
2. Hæreticorū.
3. Falsorum filiorum, i.e. malorum Clericorum.

Ecclesiasticas dignitates & officia sacra perversè usurpantes graviter perstringit.

4. Antichristi.

o 1. Thes. 2. a
p Matt 24. b
q Serm. 30. in Cant.

SERMO VII.

De ℣. VII. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.*

IN spe vivimus, Fratres, nec deficimus in tribulatione præsenti, quòd in expectatione simus indefectibilium gaudiorum. Neque enim vana vobis hæc expectatio, aut dubia spes videtur, innixa nimirum æternæ promissionibus veritatis. Deinde etiam ex perceptione præsentium munerum firma est expectatio futurorum, & præsentis gratiæ virtus nimis credibiliter attestatur fœlicitatem promissæ gloriæ sine dubio secuturam. Nempe Dominus virtutum ipse est rex gloriæ: & in hymno [a] quoque eundem votis cantamus Patrem perennis gloriæ, Patrem potentis gratiæ;

a In Brev. fer. 2. ad Laud.

tiæ : cui & in psalmo canimus [b]. *Quia misericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.* Viriliter ergo stustineat in hoc seculo pietas colluctationem, & persecutionem quamlibet æquanimiter patiatur. Quidni tolleret omnia, quæ ad omnia valet, promissionem habens eius vitæ quæ nunc est, & futuræ? Repugnet fortiter impugnanti, quia & repugnanti propugnator aderit indefessus, & triumphanti non deerit largissimus remunerator. *Scuto*, inquit, *circundabit te veritas eius.* cc

b Psal. 83. c

Necessaria planè insuperabilis protectio veritatis, non modo interim in carne degenti, sed postmodum exeunti : & nunc quidem ob periculosos conflictus, tunc verò ob monstruosos occursus spirituum malignorum. Nempe & sanctissimam illam glorioli Martini animam voluit pars inimica nocere, & cruenta bestia sciens quod modicum jam tempus haberet, tota profecto insania malitiæ infatigabilis, non est verita prope assistere ei quoque, in quo nihil habebat. Immo verò ad ipsum etiam Regem gloriæ accedere impudentissima temeritas illa præsumpsit, sicut ipse testatur [c] : *Venit enim princeps mundi huius, & in me non invenit quicquam.* Felix anima quæ sic interim tentationum jacula scuto veritatis repulerit, ut nihil prorsus venenatum in se coalescere passa, omnino non confundatur cum loquetur inimicis suis in porta. Nil in me, funeste, reperies. Felix quem sic circundat clypeus veritatis, ut introitum quoque & exitum eius custodiat; exitum utique ab hac vita, & introitum in futuram, quo videlicet nec moliatur à tergo, nec à facie mali quippiam inimicus attentet. Siquidem omninò opus erit illic custode, opus erit duce fideli, opus erit consolatore magno propter horribiles illas visiones; non minus quam hic adiutore & propugnatore contra invisibiles tentatores.

B. Martinum moribundum tentat diabolus.

c Ioan. 14. d

Moribundis quam fideli duce & præsidio opus.

Glorificate itaque, dilectissimi, & portate interim Christum in corpore vestro, onus delectabile, suave pondus, sarcinam salutarem, etiam si premere aliquando fortè videtur; etiam si interdum latera tundit, & flagellat recalcitrantem; etiam si quando in chamo & fræno maxillas constringit & coercet omninò feliciter. Esto ut jumentum, qui Salvatorē portas, sed non penitùs & jumentum. *Homo*, inquit [d], *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quid enim tantopere vel plangit Propheta, vel arguit in homine similitudinem jumentorum, præsertim qui alio quodam loco de se loqui & dicere Deo non sine quadam congratulatione videtur [e] : *Vt jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum?* Puto, imò non puto, sed scio similitudinem aliquam jumentorum homini commendari; sed planè non eam quæ in non intelli-

Onus Christi, quamvis premere videatur, portandū.

d Psal. 48. c*

e Psal. 72. d*

Qualis similitudo jumentorum homini conveniat.

intelligendo, & insipientiæ, sed patientiæ imitatione consistat. Neque enim succensentis similiter, sed ne plangentis quidem videretur vox si dixisset, Homo cum sub onere Dei esset, non recalcitravit, ut jumentum factus est apud eum. Quis enim non illi jumento plurimum invideret, cuius in humili tergo ad commendationem ineffabilis suæ mansuetudinis dignatus est sedere Salvator: si cum illius tam precioſi oneris gestatione intelligentiam quoque tam singularis habuisset honoris? Ut jumentum igitur esto, minimè tamen jumentum, patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens; sapienter & delectabiliter cogitans tam ipsius oneris qualitatem, quàm propriam utilitatem.

B Maria à B. Ignatio appellatur Christifera.

Magnus ille Ignatius, Discipuli quem diligebat JESUS auditor Martyr noster, cuius precioſis reliquiis nostra ditata est paupertas, Mariam in pluribus, quas ad eam scripsit Epistolis, *Christiferam* consalutat. Egregius planè titulus dignitatis, & commendatio honoris immensi. Nempe cui servire regnare est; gestare hunc, non onerari est, sed ornari. Cæterum unde ei, de quo nunc loquebamur, Salvatoris asello verendum ullatenus videbatur, ne sub illa tali sarcina deficere posset in via? An verò timendus ei aut luporum incursus, aut raptorum occursus, vel præcipitium seu periculum aliquod sub tanto præside metuendum? Felix qui sic tulerit Christum, ut à Sancto sanctorum in sanctam civitatem mereatur induci. Non est omninò quod timeat, ne vel in via aliquod offendiculum, vel repulsam in janua patiatur. Illi nempe jumento viam parabant fideles populi, huic Angeli sancti: „ *quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant* „ *te in omnibus viis tuis, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Sed non sunt hæc præoccupanda modò, series magis ipsa Scripturæ expositionis ordine sequenda est.

„ *Cadent à latere*, inquit, *tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.* Hic enim versus hodie nobis tractandus est: non ignoratis. In præcedenti sanè capitulo, quod novissime tractabatur, dictum est, si recolitis, quemadmodum à quatuor quibusdam maximis equidem gravissimisque tentationibus huius vitæ protectio liberet veritatis; videlicet à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Quod igitur sequitur, *cadent à latere tuo mille &c.* futuræ magis vitæ arbitror assignandum. Unde & in principio sermonis huius meministis adhuc, ni fallor, sententiæ Apostolicæ, qua videlicet valere ad omnia pietatem, vitæ quoque eius quæ nunc est, & futuræ promissionem, habere commendat[f]. Audite ergo, & audite in lætitia cordis vestri, quod ad futuræ

[f] 1. Timoth. 4. c

futuræ vitæ promissionem, vestramque expectationem pertinere videtur. Vbi est thesaurus vester, sit & cor vestrum. Et quidem studiose audistis præsentia, non sum immemor, sed studiosius decet futura audire. Nam & pseudoprophetam (Balaam dico) recolite, qui historias nostis, & ipse, inquam, iniquus justorum mortem optabat, & novissima sua horum similia fieri precabatur. Tantus est pietatis fructus, tanta justitiæ merces, ut ne ab ipsis quidem non desiderari queat impiis & injustis. Minus tamen oblectat canticum Sion salices Babylonis, suspendenda proinde organa apud eos, lamentandum magis super flumina Babylonis, si forte persuaderi eis possit ut plangant. Hic planè cantandum est, ubi non deerunt qui tota alacritate spiritus saltent ad vocem psalterij, ad canticum Sion: & vehementia quadam sacri desiderij ad eam gestiant prævolare, dicentes: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam* [h]? Quid enim aliud exultare, quàm ex seipso saltare est? Minus sapit iis qui medio adhuc periclitantur in mari, jactantur undis, aguntur fluctibus, quamlibet favorabile sit; quod de remoti & prope jam desperati tranquillitate seu amœnitate littoris nunciatur. Sed nec ad ejusmodi pertinet animam quod hodie nobis propositum est. Neque enim talis quæpiam adhuc meretur audire: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Memento cui hæc promissio facta sit. Nempe ei qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

[g] Num. 23. b

Pietatis fructus etiam impiis desideratus.

[h] Psal. 54. b

Audiat igitur is, qui salutis portui cogitatione jam & aviditate appropinquat, qui præiactata velut quadam anchora spei suæ, terræ illi desiderabili inconvulsibiliter inhæsisse videtur, cunctis diebus quibus nunc militat, expectans donec veniat immutatio sua. Certissima sanè & præcipua propinquatio portus hujus, hæc ipsa conversatio ejus, in qua positi estis, exitus præparatio est, vocationis videlicet & justificationis divinæ. In his nempe duobus fidelis quædam constituta est connexio velut cuiusdam æternitatis ad æternitatem, id est magnificationis ad prædestinationem, quarum equidem sicut prædestinatio nullo est præcisa principio, sic & magnificatio nihilominus nullo unquam fine claudenda. Ne verò eam, quam diximus, quasi geminæ hujus æternitatis mediam connexionem, esse putes nostræ adinventionis, Apostolum audi, si non eandem tibi manifestius ipse commendat [i]: *Quos enim præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui*, quomodo putas aut quo ordine magnificabit? Si quidem quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Num à prædestinatione ad magnificationem saltu quodam pervenies repentino? Provide tibi medium pontem, aut magis ingredere jam paratum. *Quos prædestinavit*,

Prædestinationis implendæ seu exequendæ quæ media.

[i] Rom. 8. f*

navit, inquit, *hos & vocavit: quos autem vocavit, hos & justificavit. Et quos justificavit, hos & magnificavit.*

Hæc via equidem bona videtur nonnullis hominibus, sed & bona est, nihil super ejus fine timendum. Non tibi sint viæ hujus suspecta novissima, perge securus, tantò vividius, quanto certius ea jam propinquare videntur. Nempe tenes media, quomodò non novissima propinquarent? *Agite*, inquit [k], *pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Sed *regnum*, inquies, *cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Nullus mihi ad hoc nisi per medios hostium cuneos patet accessus; in itinere medio sunt gigantes, in aere volitant, obsident transitum, observant transeuntes. Attamen fiducialiter age, ne timeas. Magni sunt, multi sunt: sed *cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Cadent undique nunquam tibi deinceps in perpetuum nocituri: parum est, non appropinquaturi. Equidem videbit peccator & irascetur, sed à latere veniet: quod videlicet præveniat te misericordia Dei tui, eadem quoque nihilominus etiam misericordia subsequatur, & introitum videlicet tuum (ut quidem supra meminimus) & exitum tuum custodiens. Alioquin quid in illo tam terribili spiritualium nequitiarum occursu hûmani possent consistere sensus, quòd non intolerabili concuterentur horrore?

k Matt. 3. a

Protectio divina nobis securitatem præstat.

Quid putatis, Fratres, si vel uni alicui è tam multis principibus tenebrarum in medium vestri irruere, & in tota feritate sua ac tenebrosi enormitate corporis apparere liceret; quis illum posset vel corporis sensus sustinere vel cordis? Denique ante hos paucos dies (ipsi scitis) unum quendam ex vobis & prius dormientem, & postea excitatum, tam graviter phantasia nocturna perturbare permissa est, ut vix illa die rationis compos, vix potuerit esse securus. Etiam omnes vos pariter expavistis, cum territus ille terribilem nimis exclamasset in vocem. Erubescendum sanè, quod usque adeo fides in vobis vel dormientibus visa fuerit obdormisse, sed ad nostram sine dubio factum est admonitionem, ut tota sollicitudine meminerimus adversum quos nobis sit colluctatio, nequando scilicet aut ignari hostilis invidiæ, aut protectionis divinæ inveniamur ingrati. Ex vehementissimo siquidem proprij cruciatu livoris in tantum prorupit malitia inveterata furorem, his præsertim diebus sanctis acrius sese indicans vestra devotione torqueri. Eodem sanè tabescentis insaniæ zelo, sed licentia ampliori exeuntibus sanctis adest, non nisi à latere tamen. Neque enim vel occurrere jam à facie quasi ut vim faciat, vel à tergo repere tanquam ut decipiat, permittetur.

Dæmoni aspectu terribili cur aliquando permittatur pios terrere.

Sed irrito conatu,

Sed nec juxta iter quidem scandalũ de cætero ponet tibi; ad te enim non appropinquabit, non modo non attinget, ut feriat, sed nec accedet ut torreat.

terreat. Puto enim id verebaris, ne te forsitan gravis ad illas tam monstruosas effigies, & larvalium tantam multitudinē facierum horror invaderet, sed egregius tibi paracletus & efficacissimus aderit consolator, ipse nimirum de quo legisti [l]: *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent.* Planè ad nihilum deducetur in conspectu ejus malignus, si timentes se glorificabit. Præsente te Domine Jesu quantumlibet irruant hostes: immo non irruant, sed ruant; confluant undique, sed ut fluant, & pereant à conspectu Domini, quemadmodum fluit cera à facie ignis. Quid enim metuam deficientes, quid trementes paveam, quid verear cadentes? Et si ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala, dummodo tu mecum sis Domine Deus meus [m]. Siquidem protinus aspirabit dies, & inclinabuntur umbræ, cadent hincinde principes tenebrarum. Quos enim nunc quoque dum inter malignas eorum occultásque suggestiones per fidem adhuc non per speciem ambulamus, fides tamen victoriosa triumphat; quomodo non facilius ipsa jam tunc propalatæ cognitio veritatis evidens cum suis illis tenebrosis ferrugineisque imaginibus exsufflabit? Nec causeris forte de numero, vel ipsam saltem multitudinem verearis. Memento sanè quòd ad unum Salvatoris imperium ab obsesso jam & diu possesso unius hominis corpore dæmonum legio tota discessit, & ne ipsos quidem ausa est, nisi ab eo jussa, contingere porcos: quanto magis ipso duce quotquot fuerint undique cadent cum ingenti admiratione & confusione, dicentes [o]: *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Intrepidus itaque & omnino impavidus, magis autem gratulabundus, & laudans oculis tuis considerabis: nec sanè jam vel impugnationem sustinebis, vel furorem pavebis, sed magis retributionem peccatorum videbis.

[l] Psal. 71. b

[m] Psal. 137. b *Nulla potestas aut multitudo maligna timenda duce & protectore Christo.*

[n] Matt. 8. 1

[o] Cant. 6. a

Et quidem videntur sufficere posse hodie quæ dicta sunt, sed adhuc sanè aliquos vestrum nonnulla arbitror expectatione suspendi. Movet enim studiosiores quosque (ni fallor) quidnam sibi velit quod *à dextris* quidem *decem millia, à sinistris* verò *mille* perhibet esse casuros. Namlatus sanè quod simpliciter dicitur, non nisi siniſtrum hoc loco licere accipi puto; præsertim quòd dextrum quidem incontinenti proprio designetur ex nomine. Et quidem non sine certi ratione mysterij *à sinistris* multos sed multo plures *à dextris* casuros esse prædixisse videatur. Nisi forte quis tam hebes fuerit & insulsus, ut in eo quo dicitur *mille & decem millia* certā exprimi putet numeri taxationem, & non magis superabundantem comparationem. Nos enim sic non divinas Scripturas accipimus, sed neque Ecclesia Dei. Cadent ergò à *sinistris* quidem *mille*, à *dextris* autem *decem millia*:

Decem millia à dext. & mille à sinist. *quid signif.*

millia: quòd videlicet abundantiori malignitate & velut copiosiore manu dextris insistere partibus, dextrum latus appetere consuevissent. Quod quidem, si magnum illud Ecclesiæ corpus considerare libet, facile satis advertimus longè acrius impugnari spirituales viros ipsius Ecclesiæ, quam carnales: quæ nimirum duo, ejus latera, dextrum siniſtrumque puto non inconvenienter accipimus. Agit hoc sanè superba semper invidiosa malitia, perfectiores quosque vehementius pulsans, juxta illud: *Esca ejus electa* [p]. Et iterum: *Absorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os ejus.* Agit, inquam, etsi non sine certa divini dispensatione consilij: qui quidem nec imperfectiores, supra id quod ferre possunt, tentari permittit, faciens cum tentatione proventum: & perfectioribus non modo gloriosiores, sed numerosiores parat ex hoste triumphos. Tota ergo pariter electorum Ecclesia coronabitur, quod ex utraque parte sui legitimè certaverit, utroque nimirum cornu tam potenter interim ventilans inimicos, ut paulò post manifestius cadere videantur à latere ejus mille, & decem millia à dextris ejus. Sic nimirum olim jam quidem David perfectiore virtute probata, necdum verò propalata in Israel reprobatione Saulis, canebant in choro dicentes [q]: *Percussit Saul mille, & David decem millia.*

Dextrum & siniſtrum duo latera in corpore Eccles. i. e. spirituales.

*p. Iob. 40. c

Spirituales & perfectiores acrius impugnat Dæmon, quam sæculares & imperfectiores.

q. 1. Reg. 18. b

Sin autem ad singulos magis placet hoc referri, non vobis deest ne in hac quidem parte spiritualis intelligentiæ via dummodo propriam super hoc experientiam consulatis. Longe siquidem ampliori sollicitudine, & calliditate multiplici pars adversa vulnerare in nobis dexteram satagit quam siniſtram: nec tam corporis profecto quam cordis laborat auferre substantiam. Utramque nimirum prosperitatem humano generi invidere noscuntur, utraque eos felicitate privare contendunt, & cœlesti videlicet & terrena, sed longè amplius rore cœli, quam pinguedine terræ. An verò incongruè hæc dixerimus duo latera, quibus nimirum duplicem hominis substantiam constat inniti, vos judicate. Nam quòd spiritualia quidē bona attribuimus dexteræ, siniſtræ verò carnalia, minimè prorsus vereor arguendum? præsertim à vobis quibus semper studij est nec dexteram aliquando siniſtram, nec siniſtram dexteram reputare. Nec verò aliter vera quidem sapientia probat [r], quam ut siniſtra divitiæ & gloria, in dextera autem sit longiturnitas vitæ. Nam & hoc sanè nullatenus expedit ignorare quænam vobis vehementius instet pervicax hostium multitudo: illic nempe studiosius repugnandum, ubi gravior urget necessitas, ubi totum belli imminet pondus, & ubi colluctationis ratio universa consistit: unde vobis paratur tota aut victis ignominiosa captivitas, aut vincentibus gloria triumphalis.

Alia expos. per Dexterā, *spiritualia & cœlestia; per* Siniſtrā *corporalia & terrena intelligit, illis potius quā his infestus Dæmon.*

r. Prov. 3. b.

Denique

Sinistra pro salute dexteræ; i. e. corporalia pro spirit. exponenda.

Denique propter hoc non quidem ad insipientiam vobis, tundendum liberè adversario videmini latus exposuisse sinistrum, ut dextrum proinde tota sollicitudine conservetis. Hæc nimirum commendata à Christo, & Christianis omnibus imitanda serpentis prudentia est, ut caput solum toto (si necesse fuerit) exposito corpore tueatur. Hæc vera philosophia, hoc consilium Sapientis [r], ut omni custodia servetur cor, quia ex ipso vita procedit. Hæc denique gratia, & misericordia Dei in servos ejus, & respectus in electos illius: ut in eorum interim sinistram quidem velut dissimulans, dexteræ semper studiosus protector assistat. Hinc est quod de seipso Propheta testatur [s]: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Nunquid non & illius manum dexteram & solam eam putas dexteram tenuisse, cujus totam in facultatem pariter, & in carnem licere passus est, quicquid libere visum est inimico? *Veruntamen animam*, inquit [t], *ejus serva.* Utinam mihi semper à dextris sis, Jesu bone: utinam semper teneas manum dexteram meam. Scio enim & certus sum, quoniam nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Tondeatur interim & tundatur sinistrum latus, pulsetur injurijs, vellicetur opprobrijs: libens illud expono, dummodo à te custodiar, dummodo sis ipse protectio mea super manum dexteram meam.

[r] Prov. 4. d

[s] Psal. 15. c

[t] Job. 2. b

Mali homines, & maligni Dæmones diversimodè nobis noxij, illi in temporalibus, hi in spiritualibus bonis.

Fortè etiam mille qui à sinistris casuri sunt, homines magis intelligendi sunt quàm dæmones. Hi nimirum nobis non nisi ob temporalia quælibet adversantur, & transitoria bona, quæ quidem aut nos habere invidiosa malignitate suspirent, aut cupiditate injusta sese potius doleant non habere. Fortè enim mundi hujus conantur auferre substantiam, forte favorem hominum, forte ipsam corporum vitam. Usque huc sævire humana persecutio potest: animæ verò non habent quid faciant. Nam dæmones quidem superna nobis, & æterna potius invidere noscuntur, non tamen ut sibi cedat, quod irreparabiliter amiserunt; sed ne illuc pauper de pulvere suscitatus accedat, unde ipsi in gloria conditi irreparabiliter ceciderunt. Indignatur & livore tabescit obstinata malignitas humanam fragilitatem obtinere, quod retinere ipsa non meruit. Sed & si quando fortè cujus temporalia damna aut inferre conantur, aut gratulantur inferri; hæc eorum tota molitio est, ut jactura exterior vel eidem ipsi, vel alteri occasio sit interna: sicut è regione homines quotiens ea suadere nobis, aut quolibet modo efficere curant, unde dextera nostra lædatur, non hoc quidem principaliter agere, sed temporale aliquod cujvis proventurum, vel sibi scilicet, vel nobis, vel alteri forte cuipiam, aut detrimentum aut emolumentum exinde seu captare, seu propulsare velle videntur. Nisi forte catenus quis in dæmonem tran-

Cur dæmon tam infensus homini ad nocendum.

fierit ex homine, ut optare ullo modo possit quemlibet sibi inimicissimum hominem æterna damnatione multari.

Religiosos terrena & seculária tractantes graviter perstringit.

Quid nos miseri dormitamus à spirituali studio, quos tam multipliciter infectatur nequitia spiritualis? Et pudor est dicere, & silere prohibet vis doloris. Quantos enim invenire est, Fratres, ex his quoque qui in religionis habitu & proposito degunt perfectionis, quos terribilis illa Prophetæ sententia comprehendisse videtur [u]: *Si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni detur dextera mea.* Nempe sinistri custodiæ lateris tota sollicitudine incubantes calent admodum, sed sapientia hujus sæculi, cui abrenunciâsse debuerant: ea quoque nihilominus quam revelat caro & sanguis: quibus juxta Apostolum [x] noluisse acquiescere videbantur. Denique videas eos tam avidè lucra captare præsentia, tam seculariter transitoriis utilitatibus adgaudere, ad terrennarum damna vel minima facultatum tam pusillanimitèr turbari, tam carnaliter super his decertare, discurrere tam impudenter, tam irreligiosè sæcularibus sese implicare negotijs, ac si hoc esset tota eorum portio, hæc universa substantia. Attentius sanè agricola pauperem excolit fundum, sed cui forte nulla amplior preciosiórve sit possessio. Buccellam panis in sinu suo mendicus abscondit: quod in saccellis suis solum hoc metalli genus æruginet. Tu quid ita extremæ huic paupertati, & quidem proprij malè prodigus laboris, incumbis? Est & alia tibi possessio, & si fortè remota. Erras. Nil tam prope nos, quam quod intra nos est. At fortè non quidem longius positam, sed inutilem esse causaris, ut hic tibi quærendam magis sufficientiam putes. Falleris, ibi magis invenies, immò non invenies nisi ibi. An verò æstimas quod vel operam tuam non exigat, vel minus respondeat operanti? Aut certè in tuto credis esse locatam, nec ulla deinceps sollicitudine custodis egere? Quodlibet horum sapias, scito quòd desipias vehementer. Ibi enim quam maximè quæ seminaverit homo, hæc & metet. Sed & qui parcè seminat, parcè & metet: qui verò in benedictionibus seminaverit, de benedictionibus & metet [y], ut faciat unum tricesimum, unum sexagesimum, unum centesimum. Habes autem thesaurum istum in vasis fictilibus, si tamen adhuc habes. Puto enim jam amisisti, puto jam sublatus est, puto jam comederunt alieni robur tuum, & ignorasti, nec potes thesauro tuo cor apponere; quippe qui thesaurum ipsum non habeas. Alioquin quæso te, si tam sollicitus es, si nec minima spernis, si tam prudenter servas paleas tuas, etiam horreum tuum servare memento & custodire. Immo verò non exponas thesaurum tuum, qui sic incubas sterquilinio tuo. Forte enim illud tibi invident mille, sed istum obsident decem millia, nec minus superabundantes astu-

[u] Psal. 136. b.

[x] Gal. 5. a.

Alia religiosis possessio est eaque potius curanda utpote pretiosior, sed & majoribus expósita periculis.

[y] 1. Cor. 9. & Gal. 6. b

tes astutia, & crudelitate quam numero. *Cadent*, inquit, *à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Verte illuc oculos fidei: forte enim jam irruperunt aditus, forte jam libere diripiunt omnia, fortè jam spolia ipsa distribuunt. Quid siniſtro lateri tam male studiosus observator inhæres, nisi quod non in latere jam tibi esse, sed in facie siniſtra videntur, quod hæc provideras in conspectu tuo semper: & qui tangit hoc, non latus tetigisse putetur, sed pupillam oculi tui?

Indignum majorem esse siniſtri quam dextri curam.

Cæterum jam nunc tibi provide quisquis es dexteri negligens, siniſtri lateris cultor, ne cum hœdis locum accipias in siniſtra quam elegisti [z]. Asperum verbum est, Fratres, non immerito expaviſtis. At cavere non minus necesse est quam pavere. Et quidem Dominus meus JESUS post cætera inæstimabilis suæ erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi: quod videlicet non nisi de dextera mihi propinare vellet, non nisi in dextera locum parare refugij. Utinam ego talis merear esse columba quæ in foramine petræ habitet, & in foramine lateris dextri. Considera tamen hoc vulnus eum penitus non sensisse. Neque enim illud excipere voluit, nisi jam soporatus in morte; ut moneret te quamdiu vivis, in hujus semper lateris vigilare custodia, sed & mortuam censeri eam animam oportere, quæ quidem pernicioſa insensibilitate dissimulet in dextera sibi vulnus infligi. Meritò quidem in siniſtro latere positum esse dicitur cor hominis, quòd affectio ejus prona sit semper & proclivis in terram. Nec sanè ignorabat hoc qui miserabiliter ingemiscens: *Adhæsit*, inquit [b] *pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.* Sed ne is quidem in hoc pondere nos conditionis humanæ & gravedine cordis volebat remanere, qui sic admonens loquebatur: *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum.* Planè id suadebat, ut à siniſtro latere erigerentur ad dextrum. Secularis militia fratres, in siniſtro tantum latere clypeum portat: non imitemur, si inter eos nolumus deputari, quos huic sæculo militare constat, non Christo: *Nemo*, inquid [d], *militans Deo implicat se negotijs sæcularibus*: hoc est, scutum applicat non tam dextræ quam siniſtræ.

Lateris dextri in Christo aperti mysterium.

[z] Matt. 25. c.

[a] Eccle.

[b] Psa. 117.

[c] Thren. 3. d

[d] 2. Tim. 2. a

Attamen, Fratres, utrumque nobis latus tegendum est, si meminiſtis. *Scuto*, inquit, *circumdabit te veritas ejus.* Et Apostolus ipse [e]: *Per arma*, inquit, *justitiæ à dextris & à siniſtris.* Cæterum ipsam audi justitiam. Forte enim non eadem utrique lateri forma præscribitur. Nempe hinc quidem mandatur: *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ* [f] Inde verò præcipitur: *Nolite locum dare diabolo* [g]. Et item: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis* [h]. Audi adhuc quomodo tegas latus utrumque; *Providentes bona*, ait idem Apostolus [i], *non*

[e] 1. Cor. 6. b

[f] Rom. 12. d.
[g] Eph 4. f
[h] Iacob. 4 d
[i] 1. Cor. 8. d

tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Hæc est enim voluntas Dei, *ut benefacientes*, non modo tabescere malignorum dæmonum invidiam, verum etiam *obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Nunquid tamen in æternum erit nobis hæc protectio necessaria? Aut certe ab utroque latere hostile agmẽ instabit? Erit quando non modo non instabunt, sed nec stabunt quidem. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Si quidem nec humana malitia jam tunc habebit quid faciat: nec dæmonum millia plus verebimur, quam totidem vermium agmina vel muscarum, Haud aliter denique intuebimur eos quàm filij Israel transmisso jam mari rubro undique sui Ægyptios mortuos, sed & rotas curruum ire in profundum cernebant, ut & nos scilicet (longe tamen securius & delectabilius) cantemus Domino quod gloriose honorificatus sit, equum & ascensorem ejus deiiciens in abyssum.

Sermo VIII.

De ℣. VIII. *Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.*

Breviùs quidem vobis aliquandò, dilectissimi, loqueremur, si crebrius id liceret: quod & vos credimus nonnunquam advertere potuisse. Cæterum quotiens ipsa diei præoccupante malitia, pluribus fortè diebus molestissimum sustinuimus à vestra exhortatione & consolatione silentium, neminem vestrum reor oportere mirari, si tempus ipsum redimere cupientibus nobis, sermo rarior interdum protractior videatur: Hoc sane nobis actum sit brevi proœmio, ut hesternì pariter hodiernique sermonis, illius quidem prolixitas hujus verò brevitas excusata apud vos habeatur. Vereor siquidem minus gratam fore nonnullis vel fuisse illam, vel istam fore, aut magis utramque quàm alteram. *Scuto*, inquit, *circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno: A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.* Diximus hinc præcedentibus sermonibus, quod dignata est veritas ipsa largiri, quemadmodum scilicet fidelem animam interim quidem à tentationibus, postmodum verò à difficultatibus tueatur. Quæ tamen utraque brevius quidem in alio psalmo idem iste Propheta commendans; *In te*, inquit [a], *eripiar à tentatione, & in DEO meo transgrediar murum*; quod ipso nimirum duce, nec hic gradiens offendiculum, nec egre-

[a] Psal. 17. d

diens

diens hinc obstaculum pateretur. In altero ergo crebra ereptio, in altero plena jam & secura liberatio designatur. Nam in hoc sanè tertio quod adiungit: *Veruntamen oculis tuis considerabis*, etiam fœlicitatis non modicæ promissionem arbitror contineri. *Cadent* inquit, *à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Veruntamen oculis tuis considerabis.* Ita oro Domine, ita fiat. Cadant illi, & non cadam ego: paveant illi, & non paveam ego: confundantur illi, & non confundar ego.

Animæ immortalitas & fides resurrectionis.

Evidentius siquidem paucis hoc loco verbis & animæ mihi immortalitas commendatur, & ipsius quoque fides astruitur corporeæ resurrectionis. Nempe ruentibus illis futurus sum ipse qui videam, & ne isti quoque quibus eorum novissimam intuear retributionem oculi defuturi. Neque enim simpliciter oculis, sed *oculis* (ait) *tuis considerabis*: istis utique qui nunc languent præ inopia, & deficiunt dum speras in DEUM tuum. Et vere, Fratres, deficiunt oculi dum speramus. *Quod enim videt quis, quid sperat, Spes*, inquit [b], *quæ videtur, non est spes.* Ipsis ergo jam tunc considerabis oculis, quos modo quidem nec levare audes ad cœlum, ipsis planè qui totiens interim fluunt lachrymis ac crebris compunctionibus atteruntur. Nec enim novos tibi instaurandos putes, sed tuos utique restaurandos. Quid tamen de oculo dixerim, etsi minutissima, eminentissima tamen excellentissimáque humani corporis portione? Reposita est in sinu nostro beata spes ex promissione utique Veritatis, nec capillum quidem de capite periturum.

[b] Rom. 8. c

Forte tamen idcirco signanter visio promittitur oculorum, quòd hoc quidem summum interim animæ desiderium videatur, ut videat bona: *Credo*, inquit [d], *videre bona Domini in terra viventium.* Supremas nimirum corporis sui fenestras supernæ aperiri desiderat veritati, per speciem magis ambulare gestiens quàm per fidem. Sanè fides ex auditu, non ex visu. Denique *substantia est sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Et in fide ergo sicut & in spe deficit oculus, auris proficit sola. *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, ait Propheta [f], sed quandoque etiam oculum revelabit. Erit quando jam non dicetur [g]: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam*: sed *leva* potius *oculos tuos & contemplare.* Quid? Plane *jucunditatem & exultationem, quam thesaurizat super te Deus tuus.* Quid? Planè non ea modo quæ interim quidem etsi non videre adhuc & audire, tamen & credere potes: verum etiam quod sicut non vidit oculus, sic nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit DEUS diligentibus se [h]. Nimirum tanta capiet oculus resurrectionis, quanta, nec auditus, nec animus ipse nunc capiat. Ob hanc denique tam vehe-

[d] Psal. 26. d

[e] Heb. 11. a

[f] Isa. 50. b

[g] Psal. 44. a

[h] Isa. 64. b & 2. Cor. 2. b

mentem animæ concupiscentiam videndi scilicet quod audit & credit, alium quoque evidentissimum futuræ præconem resurrectionis, ipsorum propriam mentionem feciſſe arbitror oculorum. *Rursum*, ait [i], *circundabor pelle mea, & in carne mea vidèbo Deum salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.* Et adjecit: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

i Iob. 19. d

Forte tamen considerandum attentius quòd ait, *oculi mei*, sicut & in psalmo [k], *oculis tuis considerabis.* Nunquid enim mei esse oculi nunc videntur? Planè non mei. Nonnunquam sanè visi sunt fuisse mei, quod ipsi quoque ad eam pertinere noscantur, quam male servaturus accepit paternæ substantiæ portionem. Nempe velociter profligata est, universam citius dissipavi. Occupavit membra omnia lex peccati, libere intrabat mors per feneſtras meas, cuius nimirum factus eram servus etiam ego ipse. Miser equidem servus, non sanè homini serviens, sed immundo pecori & cœnoso. Neq; enim mercenaria saltem conditione famulabar, sed planè servili. Nisi forte mercedem quis dari putet, cui etiam cibus negatur, cibus quoque ipsa esurie pernicioſior. Cupienti siquidem porcorum siliquas nemo dabat, ut porcis viverem, nec conviverem porcis. Deinde nunquid meus tunc oculus erat, quando deprædabatur animam meam? Qua quidem necessitate demum coactus sum beneficium resignare in manu dominatoris, ut quod omnino non poteram, ipse sibi illud ab hostili tyrannide vendicaret.

k Psal. 90. b

Membra Deo semel mancipata, cave rursus usurpes.

Considerate attentius, dilectissimi, & animadvertite, in quanta potestate evaseritis Pharaonis intolerabile jugū: ut jam membra vestra non sint arma iniquitatis peccato, nec regnet ultra in mortalibus corporibus vestris. Non est hoc operis vestri, fratres, dextera Domini facit virtutem, solus hoc potest ille, qui nihil omnino non potest. Ne dixeritis, manus nostra excelsa, sed tam salubriter quam veraciter confitemini, quia Dominus facit hæc omnia. Denique nemo sibi dubitet omnimodis esse cavendum, ne fortè donec adhuc dies mali sunt, & nulla usquam securitas homini, hanc suam possessionem de manu tam pii támque providi tutoris, in periculosam pernicioſámque interim libertatem recipere velle præsumat. Quod enim æmulatur pater, pro te æmulatur: nec invidentiæ, sed providentiæ est quod sibi totam jubet manere substantiam, ne pereat tibi. Deniq; ubi ad magnam illam sanctámque civitatem perveneris, cuius fines posuit pacem, ubi nullus jam hostium timeatur incursus, non modo reddet te tibi, sed dabit insuper & seipsum. Interim sanè à voluntatibus tuis avertere, & Deo dicata membra nulla tibi temeritate usurpes, sciens quòd pietati sanctificata, non absque gravi sacrilegio in usus vanitatis,

Quod DEO semel consecratum, amplius ad humanos usus transferri non debet.

tatis, curiositatis, voluptatis, aut eiusmodi secularis operis assumantur. *Nescitis* (ait Apostolus [l]) *quod corpora vestra templum sunt spiritus sancti quem habetis à DEO, & non estis vestri?* Et item: *Corpus*, inquit, *non fornicationi.* Sed cui? Nunquid tibi? Plane sit tibi liberum, sed si eripere illud, aut ereptum saltem deinceps à fornicationis impetu vendicare propriis viribus potes. Quod si forte non potes, immo quia vere non potes, sit corpus non fornicationi, sed domino: serviátque interim sanctificationi, ne corruptioni denuo peius servire contingat. *Humanum dico* (ait Apostolus [m]) *propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Verum id quidem propter infirmitatem, ut ipse quoque præmisit. Cæterum ubi resurrexerit in virtute quod in infirmitate fuerat seminatum, nulla jam erit necessitas serviendi. Ubi & securitas libera fuerit, & secura libertas, quidni multo magis reddat eum sibi? Quidni potius libertate donet fidelem servum magnus ille paterfamilias, quandoquidem & super omnia bona sua constituet eum?

[l] 1. Cor. 6. d

[m] Rom. 6. e

Membra & corpus nostrũ, non tam nostrum quam DEI per votum at inimici per peccatum.

Jam tunc ergo oculis tuis considerabis, si tamen eos fideliter agnoveris interim esse eius, non tuos. Nam & præter eam quam diximus voti utique tam necessarii rationem, quo nimirum membra ipsa quæ tibi à peccati tyrannide vendicare omnino non posses, propriis abrenuncians voluntatibus, divino cultui mancipasti: nunquid vel modo tua esse videntur, in quibus adhuc contraria lex etsi non regnat, habitat tamen: in quibus pœna peccati, secundus equidem hostis tuus, non modo manet, sed & prævalet, & libere dominatur? Tu ne tuũ dixeris corpus quod mortuum est propter peccatum, aut animæ esse, quod animam aggravare non cessat? Plane si quis suum illud dicere cupit, non aliud convenienter dixisse videbitur, quam onus suum, quàm carcerem suum. Alioquin quonam modo tuos dixeris oculos, quos sanè (vis non vis) totiens somnus occupat, fumus turbat, exiguus pulvis saueiat, noxius humor obnubilat, dolor acerbus excruciat, vel ipsa demum novissima mors excæcat? At tunc planè tui erunt, quando omnia ista non erunt, ut vere jam tuis oculis considerare sit, quibus nimirum pro libitu deinceps utaris ad omnia tam libere quam secure. Neque enim avertendi de cætero erunt oculi ne videant vanitatem, quòd purissimam videant veritatem: multo minus intrabit per fenestras mors, quòd ipsa quoq; inimica novissima destruatur. An verò times eos è tãta plenitudine luminis, ubi singuli justi tanquã singuli soles fulgeant, aliquãdo caligaturos fore? Timendũ id planè, si non ipsos quoque oculos sicut cætera humani corporis membra resurrectio glorificaret.

Oculi quando plane nostri erunt.

Et retributionem peccatorum videbis. Hoc planè eis grave tormentum, &

tum, & magnus quidam malorum cumulus erit. Fortè enim quodcunque solatium videretur, eorum quos tam malitiosè impugnaverint, in tormentis suis, vel conscientiam latere, vel ipsos saltem declinare posse conspectus. Veruntamen etsi illis ex hac nostra consideratione immensum quoddam miseriæ pondus accedat, nobis quæ necessitas erit, quæutilitas, quæ voluptas? Quid enim modo tam irreligiosum, imò quid tam inhumanum & execrabile videretur, quam cruore quantumlibet inimicorum, quantumlibet iniquorum pascere velle oculos, & oblectare aspectus suppliciis miserorum? Attamen sicut videbit peccator & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet (prius enim benedicti vocabuntur in regnum, quàm maledicti in caminum dejiciantur ignis æterni, quo videlicet acrius doleant videntes quid amiserint) sic justi quoque videbunt & lætabuntur considerantes quid evaserint. In illa ergo tanta separatione quemadmodum hœdis agnorum divisio gravissimi livoris occasio fiet, sic electis è regione consideratio reproborum, immensa quædam materia gratiarum actionis & laudis. Unde enim justi tam magnificè gratias agerent, nisi cum illa inexcogitabili felicitate qua perfruuntur, ipsam quoque retributionem cernerent injustorum, à quibus equidem sola misericordia Redemptoris segregatos sese fidelissimè & devotissimè recordantur? Unde verò impii tanto animi furore tabescerent, nisi regnum summæ beatitudinis coram sese vidissent alios introduci, & tunc demum in illos sese fœtores, in illos horrores, in illos æterni incendii cruciatus, in illas denique immortalis mortis miserias gemerent esse damnatos? *Ibi* enim, inquit, *erit* [n] *fletus & stridor dentium.* Fletus quidem ob ignem qui non extinguitur; Stridor verò ob vermem qui non moritur. Planè fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis invidiæ, & obstinata malignitas extorquebit. Ita ergo retributionem peccatorum videbis, ne videlicet ignarus tanti periculi, ingratus aliquando Liberatori posse fieri videaris.

Quare & quomodo de visis iniquorum suppliciis sancti gaudeant.

1. Quia eadem se per misericordiam DEI evasisse vident.

n Matt. 13. f

Non solum autem, sed securitas perfecta justorum, erit visa retributio peccatorum: quo videlicet nec humanam aliquando, nec diabolicam ultra vereri malitiam possint qui nimirum cadentibus à latere suo mille, & decem millibus à dextris suis, non modo eos cadere viderint, sed & cadere in gehennam. Putas enim timere adhuc non poterant, & callidiorem cunctis animantibus serpentem habere suspectum, præsertim seductæ quondam in paradiso non immemores mulieris: nisi cum toto jam corpore suo ultricibus traditum flammis, & inter se & eum magnum planè jam chaos firmatum esse conspicerent.

2. Quia visa retributione peccatorum justi erunt planè securi.

Ter-

Tertium quoque hoc nihilominus peccatorum tibi consideratio ipsa præstabit, ut ex comparatione deformitatis eorum eminentius glorioſiusque resplendeas. Sic nimirum sibi invicem collata contraria; suæ quidem utrumque videtur suscepisse augmentum aliquod qualitatis: ut album nigro si conferas, & hoc candidius, & illud tetrius apparebit. Sed audi certius super hoc testimonium propheticum sermonem: *Lætabitur*, ait [o], *justus cum viderit vindictam. Ut quid ita? Manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Planè non inquinabit in sanguine, sed *lavabit*: Ut unde ille cruentus magis, inde ille nitidior videatur. Unde ille plus sordet, inde iste pulchrius eluceſcat.

3. Quia comparatione ſtatus tam diſſimilis illuſtrior evadit gloria juſtorum.

* o Ps. 57. b

Nullam forte ex his tribus causis humanus refugere vel modo inveniatur affectus: sed non propter aliquid horum Sapientia in eorum ridebit interitu, quod tamen sine ulla dubitatione factura est. Nempe ipsa prædicit quæ mentiri omninò non potest [p]. *Quia vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Et post pauca: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum vobis quod timebatis advenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit.* Quid ergo in insipientium interitu Sapientiæ credimus placiturum, nisi justissimam suam dispositionem, & irreprehensibilem ordinem rerum? Sanè quod Sapientiæ tunc placebit, sapientibus quoque placeat necesse est universis. Non igitur tibi durum videatur fore quod dicitur, *Oculis tuis considerabis*: quando & ridebis in eorum interitu: non quòd velut quadam immanitate crudelitas in ipsa tibi in ultione complaceat, sed quòd modus ipse pulcherrimus divinæ ordinationis ultra quam credi possit, justitiæ zelatorem & amatorem æquitatis oblectet. Ubi optimè omnia constituta, & suum cuique cessisse locum, immo, in suum quemque cessisse, plenius & perfectius illustrante veritate cognoscens: quomodo non omnia considerare, & in omnibus omnium moderatorem magnificare libebit? Pulchrè omnino Petrus Apostolus [q] *filium perditionis in locum suum abiisse* testatus est, quod in aere crepuerit medius aeriarum collega potestatum: ut pote quem veri Dei & veri pariter hominis, qui de cœlo venisset operaturus salutem in medio terræ: huius inquam proditorem, nec cœlum reciperet, nec terra sustineret.

4. Quia ord divinæ ſapientiæ & juſtitiæ plus, utpote ſapientibus & juſtis non poteſt non placere.

* p Prov. 1. c

q Act. 1. c*

Itaque oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis. Primo quidem ob tuam evasionem, secundo ob omnimodam securitatem, tertio quoque ob comparationem, quarto ob ipsius justitiæ perfectam æmulationem. Erit enim jam tunc non misericordiæ, sed judicii tempus: nec ulla omnino credenda est erga impios futura illic miseratio, ubi nec ulla speranda est correctio. Procul erit humanæ infirmitatis

Sancti nulla erga impios & damnatos com miſeratio.

ista mollities, qua tamen interim pro tempore charitas utitur ad salutem, amplissimo quodam videlicet expansæ sagenæ sinu & bonos & malos colligens pisces, id est affectus jucundos pariter & molestos. Verum hoc quidem in mari. Nam in littore solos eliget bonos, sic videlicet gaudens cum gaudentibus, ut ex hoc jam cum flentibus flere non possit. Alioquin quomodo in nobis judicabitur hic mundus, nisi huius teneræ affectionis obliti, introductique fuerimus in cellam vinariam, secundum eum qui dixit [r]: *Introibo in potentias Domini, Domine memorabor justitiæ tuæ solius?* Nec modo quidem considerare permittimur personam pauperis, aut misereri eius in judicio: sed cum molestia licet, coercendus eiusmodi pietatis affectus, & æquitatis est dictanda sententia. Quanto magis ubi nulla animi colluctatio, ubi nulla poterit subintrare molestia, oportet impleri quod dictum est [s]: *Absorpti sunt juncti petræ, judices eorum?* Absorpti planè in affectum justitiæ, & petræ soliditatem cui juncti sunt imitantes. *Juncti*, inquit, *petræ*, quam profecto solam ut sequerentur, cætera omnia reliquerunt Nempe hoc est quod interroganti Petro quidnam accepturi essent, Petra ipsa respondit [t]: *Cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Hæc quoque Propheta prænuncians ait [u]: *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui.* Tu ne putes flexibile quippiam inveniendum in judicibus junctis Petræ. *Qui adhæret DEO*, Apostolus ait [x], *unus spiritus est*: qui & petræ jungitur, lapis unus. Ad quod sanè Propheta non immerito suspirans. *Mihi*, inquit [y], *adhærere Deo bonum est.* Ita ergò absorpti sunt juncti petræ judices eorum. O familiaritatis gratiam, ô honoris culmen, ô fiduciæ privilegium, ô prærogativam securitatis perfectæ!

[r] Psal. 70. c

[s] Psal. 140. b

[t] Matt. 19. d

[u] Esa. 3. c

[x] 1. Cor. 6. d

[y] Psal. 72. d & 140. b

Dei judicium futurũ quam terribile.

Quid enim tam pavendum, quid tam plenum anxietatis, & vehementissimæ solicitudinis excogitari potest, quàm judicandum astare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto Judice sententiam? *Horrendum est* (ait Apostolus [z]) *incidere in manus Dei viventis.* Judicemur interim, Fratres, & terribilem illam expectationem præsenti studeamus declinare judicio. Non judicabit DEUS bis in idipsum [a]. Sanè, ut quorumdam peccata, sic & quorumdam studia bona manifesta sunt præcedentia ad judicium: ut illi quidem non expectantes sententiam, proprio statim pondere criminum in tartara dejiciantur: isti verò è regione paratas sibi sedes tota libertate spiritus sine ulla cunctatione conscendant. Felix paupertas voluntaria omnia relinquentium, & sequentium te Domine Jesu. Felix planè quæ tam securos, imò tam glorioso faciat in illo singulari fragore elementorum, & in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine judiciorum. Jam verò audiamus

[z] Heb. 10. f

[a] 1. Tim. 5. d

Minus tamen his qui nunc seipsos judicant.

audiamus quid ad tantas promissiones devota & fidelis anima respondeat, ne forte aut diffidere, aut secus quam oporteat fidere videatur. *Quoniam tu es*, inquit, *Domine, spes mea*. Quid tam sobriè, quid tam piè poterat dici? Sed nec aliud huic verbo videtur posse convenientius responderi, quàm quod sequitur: *Altissimum posuisti refugium tuum*. Cæterum ignoscite nobis, Fratres, hodie quoque promissæ etiam terminos brevitatis paulominus excessisse videmur.

SERMO IX.

De ℣. IX. *Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.*

ETiam, Fratres, hodie aliquid audiamus de promissione Patris, de expectatione filiorum, de fine huius nostræ peregrinationis, de mercede laboris, de fructu captivitatis. Et quidem dura omnino captivitas, non modo illa communis, quam ex ipsa jam conditione generis toleramus humanis; sed hæc quoque, qua voluntates mortificare proprias, etiam perdere proprias in hoc mundo animas festinantes, in hos tam rigidæ compedes disciplinæ, in hunc tam gravis pœnitentiæ carcerem dedimus nosmetipsos. Miseranda servitus planè, sed si coacta, sed si non spontanea videretur. Nunc verò cum voluntariè sacrificetis Deo, nec ingeratur ulla, nisi per ipsam voluntatem violentia voluntati, profecto aliquid in causa est. Illud puto aliquid, quo maius aliquid esse non potest. An verò plangendum videtur quamlibet magnum, quamlibet laboriosum, quod propter DEUM fiat? Etsi magnitudo ipsa laboris interdum fortè extorqueat compassionem, sed multò magis causæ consideratio exigit congratulationem. Quid, quòd bona omnia non modo propter eum constat fieri, sed per eum? DEUS enim est, qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate [a]. Ipse ergò auctor, ipse remunerator operis, ipse remuneratio tota: ut summum illud bonum, cuius nimirum tam perfecta est simplicitas in seipso, duplex quodammodo videatur in nobis causa bonorum, effectiva scilicet, & finalis. Benè ergò, dilectissimi, quòd in his omnibus tam multis laboribus vestris non modo subsistitis, sed etiam superatis, propter eum qui dilexit vos. An verò non per eum? Et manifestè. *Sicut enim abundant pro Christo tribulationes nostræ* (ait Apostolus [b]) *ita abundant etiam consolationes nostræ per ipsum.*

Omnia dura & aspera propter DEVM, & per eũ levia ac facilia.

[a] Philip. 2. b

[b] 2. Cor. 1, 8

Usitatus sermo, communis sermo, *propter Deum*, sed planè ubi non vacuè dicitur profundissimus sermo. Crebro sonat in ore hominum, etiam à quorum corde longe esse probatur. Omnes sibi propter DEUM præstari

Propter DEUM *vox frequens*

præstari postulant, propter DEUM flagitant sibi subveniri. Facilè quoque ipsa petuntur propter Deum, quæ tamen non sunt secundum Deum: & id sibi fieri quis obsecrat propter Deum quod non desiderat propter Deum, magis autem forte contra Deum. Cæterum vivus plane & efficax sermo, ubi non perfunctoriè, non usurpatoriè, non velut quodam usu loquendi, vel arte persuadendi; sed ex pinguedine, ut dignum est, devotionis, & pura animi intentione procedit. Nempe & mundus transit, & concupiscentia eius, nec satis utiliter posita, aut stabilita firmiter, vel cadente eo, quæ pro eo facta sunt videbuntur. Ubi enim causa ipsa deficiet, quomodo non omnia quoque quæ ei videbantur innixa; pariter evacuabuntur; Propterea denique & qui in carne seminant, de carne habent metere corruptionem: quod videlicet omnis caro fœnum, & gloria eius tamquam flos fœni [c]: & ubi fœnum aruerit, florem quoque nihilominus cadere sit necesse. Solus qui est causa, indeficiens est: nec flos fœni, sed verbum Domini manet in æternum. Denique, *cælum*, inquit [d], *& terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

in ore hominum, sed non in corde & affectu.

c Isa. 40. b

d Matt. 24. c

Prudenter itaque, dilectissimi, & utiliter elegistis propter verba labiorum eius custodire vias duras; illic seminantes, ubi ne minima quidem portio vestri seminis valeat deperire. Sanè: Qui parcè seminat, non quidem non metet, sed parcè metet [e]. Nempè, qui metit, mercedem accipit: & scimus quis promisit, ne eum quidem qui pro nomine suo calicem aquæ frigidæ dederit sitienti, mercede propria cariturum [f]. Nunquid tamen in qua mensura mensus fuerit, sibi quoque remetietur: aut in retributione æquabitur ei, qui non aquam porrigens, sed sanguinem fundens, propinatum sibi biberit calicem Salvatoris? Non est hic calix aquæ frigidæ, sed calix inebrians quam præclarus, calix vini meri, & quidem plenus mixto. Solus enim merum habuit vinum Dominus meus JESUS, qui solus perfectè mundus, & semper etiam potest facere mundum de immundo conceptum semine. Solus planè merum habuit vinum, qui nimirum & secundum divinitatem sapientia est, ubiq; attingens propter munditiam suam, & nihil inquinatum cadit in eum: & secundum humanitatem peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius: solus non debito conditionis gustavit mortem, sed suæ beneplacito voluntatis, sanè non ob propriam utilitatem, bonorum enim nostrorum non eget: sed nec tanquam retribuens nobis gratiam pro gratia, qui non aliter pro amicis mortuus est, nisi pro acquirendis, videlicet ut amicos faceret ex inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus, reconciliati sumus DEO per sanguinem Filii sui. Aut potius pro jam amicis, etsi nondum quidem amantibus, sed tamen jam amatis. In hoc est enim gratia, non quasi nos

e 2. Cor. 9. b

f Matt. 10. d

Christi mors meri fuit amoris.

dilexeri-

dilexerimus Deum, sed prior ipse dilexit nos. Vis nosse quam longe prior? *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi* (ait Apostolus [g]) *qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et post pauca: *Gratificavit*, inquit, *nos in dilecto Filio suo.* Quomodo ergo non dilecti jam tunc in illo, quando electi in illo? Quomodo non ei grati, in quo gratificati sumus? Sic ergo Christus secundum tempus quidem pro impiis mortuus est: secundum prædestinationem autem pro fratribus & amicis. g 2. Cor. 1. a

In his ergo omnibus merum est vinum ipsius equidem & solius, uti ne quispiam cæterorum præsumere audeat non esse quod sibi propheticum illud aptetur [h]: *Vinum tuum mixtum est aqua.* *Primùm*, quòd nemo interim mundus à sorde, nemo gloriari possit omnino se castum habere cor. *Deinde* quòd mortis debitum persolvant, quandoque necesse est. *Tertio* quòd ponentes pro Christo animas hoc sibi compendio vitam mercantur æternam: sed væ eis, si ipsius erubescerent testimonium. *Quartò*, quòd prærogatæ sibi & gratis exhibitæ tantæ dilectioni imparem nimis exiguámque rependant. Attamen nec hoc mixtum, qui sine mixtura est dedignatur, adeò ut fiducialiter Apostolus dicat [i], implere se *quæ desunt passionum Christi in corpore suo.* Sit ergo licet electis pariter omnibus unus idemque denarius vitæ reddendus æternæ; & in ipsa tamen sicut stella à stella differt in claritate: & alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia stellarum; sic erit & resurrectio mortuorum: & quamvis domus una, diversæ tamen in ea sunt mansiones: ut videlicet quantum quidem ad æternitatem & sufficientiam; & qui parum, non minoretur; & qui multum, non abundet: quantum verò ad eminentiam & discretionem meritorum unusquisque accipiat secundum suum laborem, ne quid omnino pereat quod in Christo sit seminatum. h Esa. 1. f

Mors nostra quam impar morti & amori Christi.

i Colos. 1. d

Hæc autem dicta sunt, Fratres, ut illius tam spiritualis responsi, quod hodie nobis considerandum est, gratia commendetur. *Quoniam tu es Domine spes mea.* Quicquid igitur agendum sit, quicquid declinandum, quicquid tolerandum, quicquid optandum, tu es Domine spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei & æstus, jejunare bis in sabbato dicat, postremò non esse sicut cæteros hominum glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Sperent in alijs alij, forte hic in scientia litterarum, hic in astutia sæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat: propter te omnia detrimenta feci; & ut stercora arbitror, quoniam tu es Domine spes mea. Speret qui vult in incerto

Totus hominis pij thesaurus spes in Deum.

certo divitiarum: ego verò ne ipsa quidem nisi abs te victui necessaria
k Matt. 6. d spero, nimirum verbo tuo confidens [k], in quo abjeci omnia. *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & omnia adjicientur vobis.* Nempe
l Psal. 9. g *tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor* [l]. Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant adversum me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversum spiritum concupiscat; in te ego sperabo.

Fratres, hoc sapere, ex fide vivere est: nec alius ex sententia dicere potest: *Quoniam tu es Domine spes mea*, nisi cui intus sit persuasum à
m Psal. 54. d spiritu, ut (quemadmodum monet Propheta [m]) jactet cogitatum suum in Domino, sciens quòd enutriendus sit ab eo, juxta illud quoque Petri
n 1. Pet. 5. c Apostoli [n]: *Omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum: ipsi enim cura est de vobis.* Ut quid enim si hæc sapimus, ut quid cunctamur abiicere omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias: & huic uni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei, tota devotione animi, toto fervore spiritus inhærere? Siquid illi impossibile, si quid vel difficile est, quære aliud in quo speres. Sed verbo omnia potest. Quid facilius dictu? Attamen hujusmodi dictum intelligas volo. Si decreverit salvare nos, continuo liberabimur: si vivificare placuerit, vita in voluntate ejus est. Si præmia æterna largiri, licet ei quod vult facere. An verò de facilitate jam non dubitas, sed ipsa tibi est suspecta voluntas? Plane & voluntatis testi-
o Ioan. 15. b monia credibilia facta sunt nimis. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [o]. Denique quando in se
p Psal. 36. g speranti desit illa majestas, quæ tam studiosè monet in se sperari? Planè non dereliquit sperantes in se. *Adjuvabit eos*, ait [p], *& eruet eos à peccatoribus; & salvabit eos.* Quare? Quibus meritis? Audi quod sequitur: *Quia speraverunt in eo.* Dulcis causa, attamen efficax, attamen irrefragabilis. Nimirum hæc est justitia, sed quæ ex fide est, non ex lege. *De quacunque tribulatione*, inquit, *clamaverint ad me, exaudiam eos.* Ecce numera tribulationes; secundum multitudinem earum consolationes ejus lætificabunt animam tuam: dummodo ad alium non convertaris; dummodo clames ad eum; dummodo speres in eum? nec humile aliquid vel terrenum, sed altissimum ponas refugium tuum: Quis speravit in eo, & confusus est? Facilius est cœlum & terram transire, quàm verbum ejus evacuari.

Sperandum in Deo omni vana spe abjectâ.

Spes in Deum efficax ratio obtinendi divini auxilii.

Altissimum, inquit, *posuisti refugium tuum.* Non accedet illuc tentator, non calumniator ascendet, non pessimus ille fratrum accusator attinget. Nempe ei dicitur hoc (recolite Psalmi primordia) ei dicitur, qui in protectione Altissimi commoratur, illuc refugiens à pusillanimitate

spiritus

spiritus & tempestate. Quæ quidem duplex necessitas fugiendi, quòd videlicet & foris pugnæ & intus timores. Minus enim fugere oporteret, si vel interior magnanimitas exteriores tumultus viriliter sustineret, vel exteriori tranquillitate pusillanimitas propria foveretur. *Altissimum*, ait, *posuisti refugium tuum.* Sæpe illuc fugiamus, Fratres, munitus est locus, nullus ibi timetur hostis. Utinam magis semper ibi manere liceret. Sed non est hoc temporis hujus. Quod modo refugium est, quandoque habitaculum erit, & habitaculum sempiternum. Interim sane etsi persistere non conceditur, frequenter tamen est recurrendum. Nempe ad omnem tribulationem, ad omnem denique cujuscunque modi necessitatem aperta est nobis urbs confugii. Sinus matris expansus est: Parata sunt foramina petræ; Patent viscera misericordiæ DEI nostri. Hoc refugium qui declinat, nihil mirum si effugere non meretur.

Ad altissimum refugium frequenter recurrendum.

Jam quidem, Fratres, quæ dicta sunt, ad expositionem versus hujus videntur posse sufficere, si dixisset Propheta: *Quoniam in te speravi*, sicut in alijs Psalmis quibusdam invenitur. Cæterum quod dicit: *Tu es Domine spes mea*: forte amplius aliquid sonat & sublimius, quod videlicet non modo in eo speret, sed eum. Convenientius siquidem spes nostra dicitur quod speramus, quàm in quo speramus. Sunt autem forte nonnulli qui à Domino obtinere temporalia seu spiritualia quælibet concupiscunt: sed perfecta charitas solum sitit quod summum est tota desiderij vehementia clamans: *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Pulchrè nobis utrumque paucis verbis hodie Hieremiæ prophetæ lectio commendavit [r]: *Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te.* Ubi sanè & ipsam numeri discretionem prudenter adverte, quòd sperantes quidem in eo pluraliter dixerit, quòd hoc videatur commune multorum: quærentem verò eum singulariter, quòd singularis sit puritatis, singularis gratiæ, singularis perfectionis non modo nil sperare nisi ab eo, sed nil quærere nisi eum. Quòd si bonus illis, quanto magis isti?

Non modo in Deo speramus, sed ipsum Deum.

q Psal. 72. d

r Thren. 3. c

Merito proinde quærenti illum animæ respondetur: *Altissimum posuisti refugium tuum.* Neque enim sic Deum sitiens anima, aut cum Petro ei in terreno monte facere tabernaculum [s], aut cum Maria deinceps eum tangere vult in terra, sed planè clamat: *Fuge Dilecte mi, assimilare capreæ hinnulóque cervorum super montes Bethel* [u]. Andivit enim dicentem [x]: *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Audivit dicentem [y]: *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem.* Et cœlestis jam nõ ignara consilij clamat cum Apostolo [z]: *Et si cognovimus Christum*

s Matt. 17. a
t Ioan. 20. d
u Cant. 8. d
x Ioan. 14. d
y Ioan. 20. d
z 2. Cor. 5. d

Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus. Super montes, inquit, Bethel, super omnem videlicet Potestatem & Principatum, super Angelos & Archangelos, Cherubim quoque & Seraphim. Neque enim alij sunt montes domus Dei, quod sonat Bethel, planè in dextera Patris, ubi jam non sit Pater major eo, in dextera Altissimi coaltissimum apprehendere concupiscens. Hæc enim est vita æterna, Fratres, ut Patrem cognoscamus verum Deum, sed & quem misit, Jesum Christum, verum nihilominus, & unum cum eo Deum, per omnia benedictum in sæcula, Amen.

Sermo X.

De ℣. X. *Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo,*

NEc nostra est, nec nova nobis, sed nota omnino sententia, in præcipuis quibusque partibus nostræ fidei; quid non sit, quàm quid sit, & sciri posse facilius, & periculosius ignorari. Idem sanè & spei non inconvenienter tribui posse videtur. Longè enim facilius mens humana tantorum experta malorum, quibus sit caritura, quàm quibus perfruitura, comprehendit. Nempe germana fidei spesque cogitatio est; ut quod illa futurum credit, hæc sibi incipiat sperare futurum. Merito proinde Apostolus *Fidem sperandarum rerum substantiam* esse diffinit [a], quòd videlicet non credita nemo sperare, non plus quàm supra inane pingere possit. Dicit ergo fides: Parata sunt magna & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus suis. Dicit spes: Mihi illa servantur. Nam tertia quidem charitas: Curro, mihi ait, ad illa. Cæterum, ut jam memini, difficile omnino, aut etiam impossibile illorum qualitatem investigare bonorum; nisi cui forte (juxta illud Apostoli [b], *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*) revelavit ipse per spiritum suum. Sanè quantumlibet perfectus in carne adhuc mortali degens (nisi enim esset hic quædam, ut ita dixerim, imperfecta perfectio, non diceret Apostolus [c]: *Quotquot perfecti sumus, idipsum sentiamus*: idipsum profecto quod præmiserat: *Non quasi jam acceperim, aut jam perfectus sim*) etiam Paulus ipse necesse est fateatur [d]. *quia nunc cognosco ex parte.* Et item: *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quod ergo homini interim noscitur capabilius, sanè pia & provida inculcatione amplius commendatur. Proprium enim est afflictorum, ut molestiis eximi, summam reputent felicitatem; & carere miseria, summam beatitudinem arbitrentur. Unde Propheta in psalmo [e]; *Convertere*, inquit, *anima mea in requiem tuam, quia*

a Heb. 11. a *Facilius intelligi mala quibus carebimus, quam bona quibus fruituri sumus.*

b 1. Cor. 2. c

c Phil. 3. c

d 1. Cor. 13. d

e Psal. 114. b*

quia Dominus benefecit tibi: nec ulla tamen collatæ munera felicitatis enumerat, sed adjungit: *Quia eripuit animam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu.* In quibus sanè verbis patenter indicat quantam sibi requiem, quantáque Domini beneficia judicet à tribulationibus & periculis liberari.

Cui profecto sententiæ illud quoque quod de psalmo nonagesimo hodie nobis tractandum est, simile invenitur, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Est autem versus ipsius quantum nos capimus, facilis intelligentia, ad quam fortè ex vobis jam aliqui prævolarint. Neque enim tam rudes estis, aut spiritualis studij tam expertes, ut non facillimè inter vos & tabernacula vestra; & rursum inter id quod malum & flagellum dicitur discernatis. Nam & Apostolum sanè audistis dicentem [f]: cum jam bonum certamen certâsset, *velocem* fore *depositionem tabernaculi sui.* Sed quid ego Apostoli verba memoro? Quasi verò ignorare possit miles tabernaculum suum, aut docendus sit exemplo alieno. Videmus sanè nonnullos tabernacula sua in turpissimæ captivitatis domicilia commutâsse, nec militare in his, sed miseram gerere servitutem. Imò verò (quod omnino ridiculum est) sic errant aliqui, & in tantam oblivionem & spiritualem phrenesim devenerunt, ut nihil sese aliud putare, quàm suum hoc exterius tabernaculum videantur. Quid enim aliud quàm non modo Dei, sed & sui ignorantiam habent, qui tanquam mortui à corde, omnem insumunt operam circa carnem, sic intendentes tabernaculo suo, ac si nunquam putent esse casurum? Veruntamen cadat necesse est, atque id quidem in brevi. An non non seipsos nescire videntur, qui sic dediti sunt carni & sanguini, ac si omninò nihil aliud quàm carnem solùm se esse reputent, sic in vano accipientes animas suas, tanquam prorsus ignorent animas se habere? *Si separaveris pretiosum à vili* (ait Dominus [g]) *tanquum os meum eris*? hoc est si solerter discreveris inter exteriorem interiorémque substantiam, ut non plus tabernaculo tuo timeas à flagello, quam tibiipsi à malo. Hoc enim malum est, unde dicitur [h]: *Declina à malo, & fac bonum.* Hoc malum quod sua quidem anima animam privat, quod separat inter te & Deum; ut eo regnante, tanquam corpus sine anima, sic sit anima sine Deo, planè mortua in semetipsa, instar unius eorum quos tanquam sine Deo in hoc seculo fuisse, Apostolus memorabat.

Perstringit eos qui neglecta anima toti sunt in carne & cute curanda.

Nec sanè dixerim, ut vel ipsam odio habeas carnem tuam. Dilige eam tanquam tibi datam in adjutorium, & ad æternæ beatitudinis consortium præparatam. Cæterum sic amet anima carnem, ut non ipsa in carnem transisse putetur, dicatúrque ei à Domino [i]: *Non permanebit spiritus meus*

f 1. Tim. 4. b

g Hier. 15. d

h Psal. 36. c

i Gen. 6. a

Caro quomodo diligenda.

tus meus in homine, qui caro est. Diligat anima carnem suam, sed multò magis suam ipsius animam servet. Amet Adam Evam suam, sed non sic amet, ut voci ejus plus obediat quam divinæ. Denique ne ipsi quidem expedit sic amari, ut videlicet cui interim caves à flagello paternæ correptionis, thesaurizes iram æternæ damnationis, *Genimina viperarum* (ait Joannes [k]) *quis demonstravit vos fugere à ventura ira? Facite dignos fructus pœnitentiæ.* Ac si evidentius loqueretur: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus: sustinete virgam corripientem, ne sentiatis malleum conterentem. Qnomodo dicunt nobis carnales homines: Crudelis est vita vestra, non parcitis carni vestræ? Esto, non parcimus semini. In quo ei magis parcere poteramus? An non melius est illi renovari & multiplicari in agro, quam in horreo putrefieri? Heu *computruerunt jumenta in stercore suo* [l]. Sic vos parcitis carni vestræ? Simus nos crudeles interim non parcendo; at vos planè parcendo crudeliores. Siquidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe, videritis vosipsi quid ignominiæ interim vestra sustineat, quid miseriæ eam maneat in futurum. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Hic duplex est stola & gemina quædam immortalitas commendatur. Unde enim nisi ex separatione animæ & corporis mors procedit? Indè est quòd mortuum corpus exanime nominatur. Unde autem separatio hæc, nisi ex flagellis præsentibus, ex qualibet doloris vehementia, ex ipsius corporis corruptione, ex pœna peccati? Merito timet proinde, & odit flagellum caro nostra: quo nimirum ab ipsius animæ tam delectabili honorabilique consortio amarum nimis divortium patiatur. Cæterum interim quidem donec renovetur, velit nolit, sustineat illud necesse est. Expedit autem sic tolerare ut prorsus evadas, & flagellum deinceps non appropinquet tabernaculo tuo.

k Matt. 3. b *Verè carnem amant, qui carnem mortificant.*

l Ioel. d 2.

Malum anima peccatum.

Jam verò (ut suprà meminimus, & incessanter convenit meminisse) vera animæ vita Deus est: & inter hæc quoque separat malum, sed malum animæ, quod non est aliud quam peccatum. Eia fratres, nugari libeat, ociositatibus indulgere delectet. Nimirum gemino hoc serpente vicino, qui duplicem nobis auferant vitam alter corporis, alter cordis: quidni securè dormiamus, nisi quod negligentia in graviori periculo, non tam securitati est quam desperationis indicium? Et quidem optandum nobis ab utroque liberari: sed cavendum sanè interim peccatum, quam peccati pœna, & eo studiosius à malo, quam à flagello declinandum, quò perniciosus & omninò infelicius sit à Deo animam, quam à corpore separari. Sanè ubi prorsus de medio factum fuerit omne peccatum, causa quidem omnino

Magis cavendum peccatũ, quam peccati supplicium.

sublata,

sublata, nec ipse quoque deinceps manebit effectus, ut quomodo accedere jam ad te malum omnino non poterit; sic ne flagellum quidem valeat appropinguare tabernaculo tuo, quòd videlicet tam longè sit ab exteriori homine quælibet pœna, quam longè fuerit culpa ab interiori. Neque enim dicit, non erit in te malum, aut flagellum in tabernaculo tuo; sed *non accedet, non appropinquabit.*

Siquidem est considerare homines in quibus peccatum non modo habitat, sed & regnat: nec jam proximum magis aut magis intimum posse esse videtur, nisi fortè cum sic dominabitur eis, ut nullo modo deinceps valet non dominari. Est autem & alios invenire, in quibus quidem adhuc manet peccatum, sed jam non dominatur aut prævalet in eis, evulsum quodammodo, necdum tamen expulsum: dejectum sed non prorsus ejectum. Constat sane ab initio non fuisse sic, sed in parentibus primis ante primam illam mandati prævaricationem non modo non regnasse peccatum, sed nec fuisse quidem. Attamen quodammodo jam tunc propè illis fuisse videtur quod tam facile persuasum est, quod tam festinanter intravit. Quid verò aliud admonebat, quam & ipsam quoque peccati pœnam etsi necdum inesse corporibus: jam tamen velut præ foribus esse, qui dixit [m]: *In quacunque die comederitis de ligno scientiæ boni & mali, morte moriemini.* Felix proinde expectatio, & beata spes nostra, quorum tam longè glorioſior futura est resurrectio, quam fuerit prima conditio: ut nec culpa omnino nec pœna, nec malum scilicet nec flagellum, aut regnet, aut habitet, aut regnare, aut habitare jam possit aliquando in animabus seu in corporibus nostris. *Non accedet* (inquit) *ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Nempe nil tam remotum, quam quod adesse ultra non potest.

Peccatum quomodo variè sit in hominibus.

[m] Gen. 2. c

Plus acquiret homo in statu gloriæ, quam habuit in statu innocentiæ.

Sed quid agimus, Fratres? Vereor deprehendi. Nempe horam hanc magnus ille & communis Abbas noster & vester non vacationi sermonum, sed operi manuum noscitur assignâsse †. Puto tamen ignoscet facilè, præsertim non immemor religiosæ fraudis illius qua Romanus olim tribus asinis ei in specu posito piè ministravit. Piè siquidem (ut legimus) Patris sui oculis furabatur horas, & quem sibi subripere ad manducandũ poterat, certis diebus Benedicto panem ferebat. Et ego quidem non dubito, Fratres pluribus qui inter vos sunt, abundantiorem spiritualiũ deliciarum suppetere copiam: sed quod vobis communico, non subripio mihi. Quinimò & securius & suavius, quicquid illud sit, quod Dominus donat, sumo vobiscũ: nec enim alimonia hæc distribuendo minuitur, sed potius augetur ministrando. Veruntamẽ quod aliquando vobis loquimur præter consuetudinem Ordinis nostri, non nostra id agimus præsumptione, sed de

† S. Bened

Humilis excusatio S. Bernardi.

voluntate venerabilium Fratrum & Coabbatum nostrorum, quid id nobis etiam injungunt, quod tamen sibi quidem passim nolunt omninò licere. Nempe aliam mihi rationem & singularem necessitatem esse noverunt. Neque enim modò loquerer vobis, si possem laborare vobiscum. Illud fortè vobis efficacius verbum foret, sed & conscientiæ meæ magis acceptum. Cæterum quando id mihi peccatis meis exigentibus, & onerosi hujus (ut ipsi scitis) tam multiplici infirmitate corporis, & ipsa quoque temporis necessitate negatur: utinam dicens & non faciens in regno Dei, vel minimus merear inveniri, Amen.

NOTA, Zelum Regulæ in viro Sancto, qui nec corporales labores detrectat, si vires corporis ferunt.

Sermo XI.

De ℣. XI. *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

Scriptum est, & veraciter scriptum [a]; quia *misericordiæ Domini, quòd consumpti non sumus, quòd non tradidit nos in manus inimicorum nostrorum.* Vigilat super nos indefessus, & pervigil ille singularis clementiæ oculus, non dormit neque dormitat qui custodit Israel. Id quidem necesse. Non enim dormit, neque dormitat qui impugnat Israel. Et sicut ipse sollicitus est nostri, & ipsi cura est de nobis: sic ille sollicitus est ut nos mactet & perdat: & una ei cura, ne forte qui aversus est revertatur. Nos autem aut non attendimus, aut minus attendimus reverentiam præsidentis, protegentis custodiam, beneficia largientis, ingrati gratiæ, imò tam multiplicibus gratiis quibus prævenit nos, & subvenit nobis. Et nunc quidem per seipsum implet splendoribus animas nostras, nunc per Angelos visitat, nunc per homines instruit, nunc etiam consolatur, & erudit per scripturas. *Quæcunque enim scripta sunt: ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus* [b]. Bene ad doctrinam, ut per patientiam speremus. Siquidem (ut alibi dictum est) *doctrina viri per patientiam noscitur*, sed & patientia probationem operatur, probatio vero spem [d]. Quid nos soli nobis non adsumus, quid soli negligimus nosipsos? An ideo dissimulandum nobis, quia undique subvenitur nobis? Imò verò propterea studiosius vigilandum. Neque enim tam magna pro nobis in cœlo pariter & in terra solicitudo gereretur, si non magna nobis incumbere necessitas videretur: non tam multiplex nobis custodia, nisi ob multiplices insidias poneretur.

Felices proinde fratres nostri qui jam liberati sunt de laqueo venantium, qui de tabernaculis militantium ad atria quiescentium transierunt, malorum timore sublato, in spe singulariter constituti. Unì istorum imò

[a] Thren. 3. c

[b] Rom. 15. a

[c] Prov. 19. c

[d] Rom. 5. a

rum imò universitati dicitur: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Sane considera non ad hominem qui secundum carnem vivit, sed ad eum qui in carne degens secundum spiritum ambulat, hanc fieri promissionem. Siquidem non est distinguere inter illum & tabernaculum illius. Confusa in eo sunt omnia tanquam in filio Babylonis. Denique huiusmodi homo etiam caro est, nec in eo spiritus manet. Ubi autem non fuerit spiritus bonus, quando deerit malum? Porrò ubi malum, flagellum quoque appropinquet, necesse est. Semper enim malùm pœna comitatur. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Magna promissio, sed unde id sperare licet? Quomodò malum & flagellum evadam, quomodò effugiam, quomodò elongabo ut non appropinquent mihi? Quo merito, qua sapientia, qua virtute? *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* In quibus omnibus viis? Quibus declinas à malo, quibus à ventura ira. Multæ sunt viæ, & genera multarum viarum: magnum profecto periculum viatori. Quàm facile in multarum occursu errabit in via sua, qui viarum discretione caruerit. Nam neque Angeli mandatum, ut in omnibus viis custodiant nos, sed in omnibus viis nostris. Sunt autem à quibus, & in quibus oporteat custodiri.

Semper malũ pœna comitatur.

Scrutemur proinde vias nostras, Fratres, etiam vias dæmonum: vias quoque beatorum spirituum, & vias Domini investigemus. Et quidem supra me est quod incipio, sed adjuvabitis orationibus vestris, ut aperiat mihi thesaurum intelligentiæ suæ, & voluntaria oris mei beneplacita faciat sibi Deus. Viæ igitur filiorum Adam in necessitate & cupiditate versantur. Ab utraque siquidem ducimur, & ab utraque trahimur: nisi quòd videmur magis urgeri necessitate, trahi cupiditate. Et necessitas quidem specialiter corpori tribuenda videtur. Nec simplex illa est, sed anfractus habens plurimos, plurimáque dispendia: nam compendia pauca admodum, si qua tamen. Quis hominum nesciat, quòd necessitas hominum revera, quàm multiplex sit? Quis sufficiat, quàm sit multiplex, explicare? Ipsa nos erudit experientia, ipsa vexatio dat intellectum. In his quisque docetur quàm necesse habeat clamare ad Dominum, non de necessitate, sed *de necessitatibus meis erue me.* Nec modo ab hac via necessitatis, sed ab ea quoque quæ cupiditatis est optabit educi, quisquis non surda aure monita Sapientis exceperit. Quid enim ille ait? *A voluntatibus tuis avertere.* Et item. *Post concupiscentias tuas non eas.* Siquidem è duobus malis longè melius est in necessitate gradi, quam in cupiditate. Multiplex illa, sed ista amplius per omnem modum, imò ultra omnem modum multiplicior invenitur. Rex cordis est ista cupiditas, propterea

Variæ viæ expenduntur.

Primò, Viæ hominum Necessitas & cupiditas.

e Psal. 24. d

f Eccl. 18. d

tantò maior, quantò anima plus est quàm corpus. Denique hæ sunt viæ quæ videntur hominibus bonæ, sed finem non habent nisi cum demergunt in profundum inferni. Si invenisti vias hominum, illud quoque considera, ne fortè de his dictum sit [g]. *Contritio & infelicitas in viis eorum*; ut sit contritio in necessitate, infelicitas in cupiditate. Quomodo in cupiditate infelicitas? id est non felicitas, ut putatur. Quid enim si cui fortè videtur in terrenarum affluentia rerum felicitas arridere cupiat? Eo ipso infelicior est, quo vehementius ipsam pro felicitate amplectitur infelicitatem, aut magis immergitur ei, & absorbetur ab ea. Væ filiis hominum ab hac felicitate falsa atque fallaci. Væ qui dicit, quia dives sum, & nullius egeo: cum sit pauper & nudus, & miser & miserabilis. Et necessitas quidem ex infirmitate carnis, cupiditas ex cordis inedia & oblivione procedit. Idcirco alienum mendicat anima, quod oblita sit comedere panem suum: propterea terrenis inhiat, quòd minimè cœlestia meditetur.

g Psal. 13. b

Nihil infelicius felicitate malorum.

Videamus & Dæmonum vias. Videamus & caveamus, videamus & fugiamus eas. Siquidem viæ illorum præsumptio & obstinatio. Scire vultis unde id sciam? Considerate eorum principem, qualis ille est, tales & domestici eius. Considerate viarum ipsius principia, si non manifeste in immanissimam statim præsumptionem prosilierit dicens [h]. *Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo.* Quam temeraria, quamque horrenda præsumptio. Nunquid non illic ceciderunt, omnes qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare propter præsumptionem: stare non potuerunt propter obstinationem: qui cecidit, non adjiciet ut resurgat. Ex hac namque spiritus vadens, ex illa non rediens est. Et mira quidem præsumptio Dæmonum, sed non minus mira obstinatio est: quòd superbia eorum semper ascendit, propterea non est illis commutatio. Quia enim converti noluerunt à via præsumptionis, inciderunt in viam obstinationis. Quam perverso & everso sunt corde filii hominum, quicunque sectentur vestigia Dæmonum, ingrediuntur Dæmonum vias? Hæc enim tota adversum nos spiritualium colluctatio nequitiarum est, ut nos seducant, ut nos inducant in vias suas, ut deducant in eis, perducant ad destinatum finem qui paratus est eis. Fuge homo præsumptionem, ne gaudeat de te inimicus tuus. Nempe in his maxime vitiis gaudet in seipso expertus quàm difficile possis ab hac tanta voragine respirare.

2. *Væ dæmonum. Præsumptio & obstinatio.*

h Isaiæ. 14.

Cave has vias ô homo.

Nolo autem ignorare vos, Fratres, quonam modo descendatur, imo cadatur, in illas. *Primus* enim, ut interim occurrit, gradus descensionis huius, dissimulatio est propriæ infirmitatis, iniquitatis, inutilitatis;

Gradus in præsumptionè & perditionè.

dum

dum sibi parcens, sibi blandiens, sibi persuadens homo aliquid se esse cum nihil sit, jam ipse se seducit. *Secundus gradus*, ignorantia sui. Ubi enim in primo gradu inutilia sibi consuerit perizomata foliorum, quid supereſt nisi ut vulnera tecta non videat, præsertim cum ad hoc solum texerit ne videret? Ex hoc tandem fit ut etiam alio revelante, vulnera non esse contendat conversus in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Atque is quidem *tertius gradus* est admodum vicinus, imo contiguus præsumptioni. Quid enim mali jam actitare vereatur, qui præsumit & defensare? Cæterum difficile hic hærebit in tenebris & lubrico, præsertim cum non desit etiam Angelus Domini malus persequens & impellens. Itaque *quartus gradus*, vel quartum potius præcipitium contemptus est; ut quemadmodum scriptura dicit [i], *Impius cum venerit in profundum malorum contemnat*. Ex hoc & deinceps magis ac magis super eum urget puteus os suum, dum videlicet eiusmodi animam contemptus tradit impœnitentiæ, impœnitentia obstinatione firmatur. Hoc est jam peccatum, quod neque in hoc seculo, neque in futuro remittitur: quia cor durum & induratum, nec timet Deum, nec hominem reveretur. Qui sic in omnibus viis suis adhæret diabolo, manifeste factus est unus spiritus cum eo. Et viæ quidem hominum quas superius demonstravimus, ipsæ sunt de quibus dicitur [k]: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana*: & quia humanum est peccare. Porro vias diabolicas à natura hominis alienas esse quis nesciat, nisi quòd in nonnullis ipsa sibi consuetudo induisse naturam videatur? Cæterum etsi quorundam hominum sit, non humanum tamen, sed diabolicum est in malo ipso perseverare.

1. *Dissimulatio propriæ infirmitatis.*
2. *Ignorantia sui.*
3. *Excusatio peccati.*
4. *Contemptus.*
i Prov. 18. a
k 1. Cor. 10. c

Quæ verò sunt sanctorum Angelorum viæ? Profecto illæ quas Unigenitus enarravit, dicens [l]: *Videbitis Angelos ascendentes & descendentes super Filium hominis*. Ascensio igitur & Descensio viæ illorum. Ascensio propter se; descensio vel potius condescensio propter nos. Sic beati illi spiritus ascendunt per contemplationem Dei, descendunt per compassionem tui, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Ascendunt ad vultum eius, descendunt ad nutum eius; quoniam Angelis suis mandavit de te. Nec tamen vel descendendo visione gloriæ fraudantur; quia semper vident faciem Patris.

Viæ Angelorum Ascensio & Descensio.
* l Ioan. 1. g

Puto & vias Domini vultis audire. Multum præsumere videor, si me illas promisero ostensurum. Legitur autem de ipso [m], *Quoniam docebit nos vias suas*. Cui etiam alteri crederet? Docuit itaque vias suas cum aperuit labia Prophetæ, ut diceret [n]. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas*. Ita ad singulos, ita ad omnes communiter venit; in misericordia scilicet & veritate. Ubi enim multa jam fuerit de miseratione præsum-

Viæ Domini misericord. & veritas.
m Psal. 24. b & Mich. 4. a
* n Ps. 24. b

præsumptio, sed oblivio veritatis, non continuo ibi DEUS. Sed neque ubi terror multus ex recordatione veritatis, nulla autem de memoria misericordiæ consolatio. Nam neque veritatem tenet qui misericordiam (ubi vere est) non agnoscit, nec vera esse sine veritate misericordia potest. Itaque ubi Misericordia & Veritas obviaverunt sibi, sese etiam justitia & pax osculantur; nec is abesse potest, cuius in pace factus est locus. Quanta audivimus & cognovimus (siquidem patres nostri annunciaverunt nobis) super hac copula tam felici Misericordiæ & Veritatis? *Misericordia tua & Veritas tua susceperunt me*, ait Propheta [o]. Et alio loco [p]: *Misericordia*, inquit, *ante oculos meos est, & complacui in veritate tua*, sed Dominus ipse de eo: *Veritas mea & misericordia mea cum ipso* [q].

Felix & jucunda copula misericordiæ & veritatis divinæ.

o Psal. 39. c
p Psal. 25. a
q Psal. 88. b

Sed considera etiam manifestos adventus Domini, quemadmodum scilicet in eo qui jam præsumptus est, misericordem teneas Salvatorem. Porrò in eo qui in fine promissus est, veracem sustineas retributorem. Nam & hinc fortè videbitur dictum [r]: *quia misericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit dominus.* Quamvis & in priore quoque adventu recordatus sit misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel: & in posteriori licet judicaturus sit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua: non tamen futurum judicium fiet sine misericordia, nisi forte ei qui non fecerit misericordiam. Hæc sunt etenim æternitatis itinera, de quibus apud Prophetam sic habes: *Incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.* Ad manum est unde id facillime probare possim. Siquidem *misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum* [t]. *Et veritas Domini manet in æternum* [u]. Ab his itineribus incurvati sunt colles mundi, superbi Dæmones, principes mundi huius, tenebrarum harum: qui viam veritatis & misericordiæ nescierunt, neque meminerunt semitarum eius. Quid illi & veritati, qui mendax est & pater eius? Denique habes manifestè de eo scriptum: *quoniam in veritate non stetit* [x]. Quam vero longè fuerit à misericordia, etiam inflicta nobis ab illo miseria nostra testatur. Quando ille unquam misericors fuit, qui homicida ab initio erat [y]? Postremo qui sibi nequam, cui bonus? Quam nequissimus ille, qui nunquam super propria iniquitate dolet, nunquam super propria damnatione compungitur? Nimirum falsa præsumptio à via veritatis extrusit, crudelis obstinatio viam misericordiæ intercluſit. Inde enim nec in se unquam assequi, nec à Domino misericordiam consequi potest. In hunc ergo modum tumidi illi colles incurvati sunt ab itineribus æternitatis, dum à viis domini (quæ quidem rectæ sunt) per anfractus suos distorta non tam itinera quàm præcipitia corruerunt. Quam vero prudentius atque utilius alii quidem colles ab his itineribus incur-

r Psal. 83. d

Iudicium futurum non erit sine misericordia.

*f Abac. 3. b

t Psal. 102. c
u Psal. 116.

x Ioan. 8. f

y Ibid.

Diabolo obstinatio viam misericordiæ intercluſit.

curvati ab his, tanquam ab eorum rectitudine dissidentes, sed quæ ipsa eos incurvaverunt itinera æternitatis. An non incurvatos jam cernere est colles mundi, dum sublimes quique ac potentes devota subjectione inclinantur ad Dominum, & eius vestigia adorant? Nunquid non incurvantur, cum ab ipsa sua pernicioſa celsitudine vanitatis & crudelitatis, ad humiles semitas convertuntur misericordiæ & veritatis?

Viæ hominis quomodo imitentur vias Domini.

Ad istas nimirum Domini vias non modo bonorum spirituum, sed etiam electorum viæ hominum diriguntur. Et primus quidem gradus misero homini emergenti de profundo vitiorum, illa est misericordia, qua miseretur Filio matris suæ, miseretur animæ suæ, proinde placens DEO. Imitatur enim qui huiusmodi est, magnum illud divinæ miserationis opus; compunctus cum eo, qui prior pro eo punctus est, moriens & ipse quodammodo pro salute sua, nec parcens sibi ipsi. Hæc miseratio prima excipit redeuntem ad cor, & hæc intra ipsa viscerum actitatur arcana. Superest ut via regia progrediatur & procedat usque ad veritatem: & quod sæpissimè commendamus vobis, cordis contritionem oris confessio comitetur. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Conversus ad cor parvulus fiat in oculis suis necesse est, sicut Veritas ait [a]: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.* Non ergo velit dissimulare, quod non valet nescire, quàm ad nihilum redactus sit. Non confundatur in lucem prodere veritatis, quod non sine miserationis affectu viderit in occulto. Sic ingreditur homo misericordiæ vias & veritatis, vias utique Domini, vias vitæ; & fructus viarum, salus est viatoris.

Cordis contritionem oris confessio comitetur.

a Matt. 18. a

Viæ Angelorum quomodo tendant ad vias Domini imitandas.

Vias quoque Angelorum ad easdem nihilominus tendere manifestum est. Cum enim ascendunt ad contemplationem, inquirunt veritatem, de qua & desiderando satiantur, & satiando desiderant. Cum verò descendunt, faciunt nobiscum misericordiam, ut custodiant nos in omnibus viis nostris. Administratorii enim Spiritus sunt missi in ministerium propter nos [b]. Plane ministri nostri, non domini nostri. Et in hoc Unigeniti formam imitantur, qui non venit ministrari, sed ministrare [c]: qui stetit inter Discipulos tanquam qui ministrat. Fructus angelicarum viarum, quod ad ipsos spectat, sua ipsorum beatitudo, & obedientia charitatis: quod autem ad nos pertinet, inde quidem obtentus divinæ gratiæ, hinc vero custodia viæ nostræ. Siquidem Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus indigentiis tuis, in omnibus desideriis tuis. Alioquin facile est tibi incurrere vias mortis, ut videlicet aut de necessitate in obstinationem, aut in præsumptionem de cupiditate prorumpas;

b Heb. 1. d

c Matt. 20. d

quæ quidem jam non hominum, sed dæmonum viæ sunt. In quo enim tam facile inveniri solent homines obstinati, quam in eo, quod aut ad necessitatem pertinere simulant, aut arbitrantur? Quicquid moneas (ait ille) ego quod possum, possum, & non ultra possum. Tu si hic sis, aliter sentias. Unde verò in præsumptionem, nisi ex quodam impetu vehementioris desiderii prosilimus?

Quomodo incurramus in vias Dæmonis.

Interim ergo mandavit Angelis suis DEUS, non quidem ut amoveant te à viis tuis, sed ut in eis ipsis te custodiant, & quasi per vias suas, vias tuas dirigant in vias ipsius. Quonam modo inquis? Nempe ut quod Angelus ex sola charitate purius agit, tu propria saltem necessitate compulsus & admonitus, descendas & condescendas exhibere proximo misericordiam: & rursum cum eodem Angelo levans desideria tua, tota animi cupiditate adscendere studeas ad summam & perpetuam veritatem. Hinc enim monemur levare corda nostra cum manibus; hinc audimus quotidie, *Sursum corda.* Hinc quoque negligentes arguimur, & dicitur nobis [e]: *Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Exoneratum enim cor & leve, levatur magis, ut quærat & diligat veritatem. Nec mireris quod in vias Domini secum nos admittere, imò & immittere non dedignentur, qui custodire dignantur in nostris. Quam felicius tamen in eis ipsi ambulant, quamque securius. Cæterum & ipsi quoque longe inferius ab eo qui Veritas ipsa, & ipsa Misericordia est, in misericordia & veritate versantur.

Angelorum ascensus & descensus quomodo imitandus.

[d] Thren. 3. c
[e] Psal. 4. a

Quam vero congruè suis quæque gradibus, sibique competentibus, disposuit DEUS. Summam rerum tenet ipse qui summus est, ipse supra quem nihil est: ultra quem nihil. Porrò Angelos sanctos non in summo quidem posuit, sed in tuto: quippe ei qui in summo stat vicinius adhærentes, ac proinde confirmatos virtute ex alto. Nam homines quidem nec in summo, nec in tuto sunt, sed in cauto. Denique & in solido sunt, id est, in terra habentes locum imum, sed non infimum, unde & possibile & necesse sit, ut sibi caveant. Dæmones autem in pendulo huius aeris vagi ventosique vagantur. Indigni siquidem cœlos conscendere, ad terram tamen descendere dedignantur. Et hodie quidem ista sufficiant, atque utinam eiusdem ipsius munere sufficientes ei gratias referre valeamus, ex quo sufficientia nostra est [f]. Non enim sufficientes sumus, vel cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, nisi ipse dederit nobis, qui dat omnibus affluenter, & est super omnia benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Dei providentia in dispositione rerum.

[f] 1. Cor. 5. b

SERMO

SERMO XII.

De ℣. XI. *Quoniam Angelis suis mandavit de te, &c.* Et de ℣. XII. *In manibus por.*

SI meministis, hesterno sermone vias Dæmonum *præsumptionem* diximus & *obstinationem*, nec tacuimus quare id diceremus. Possumus tamen, si necessarium judicatis, vias eorum via adhuc alia investigare. Nam & si omnimodis eas occultare laborent, multipliciter eos prodit Spiritus sanctus, multipliciter in scripturis sanctis declarat semitas iniquorum. Legimus siquidem de eis omnibus [a], quoniam *in circuitu impii ambulant*. Legimus de eorum principe [b], quoniam *circuit quærens quem devoret*. Quod & ipse fateri cogitur in præsentia maiestatis, ut inter filios Dei astans, & unde veniat requisitus: *Circuivi*, ait [c], *terram, & perambulavi eam*. Dicamus itaque vias eius circuitionem & circunventionem. Ista enim ad nos, illa utitur in seipso. Semper ille extollitur, sed dejicitur semper: superbia eius ascendit semper, semper humiliatur. Nunquid non circuitus iste? Qui enim in circuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed proficit nihil. Væ homini qui sequitur hunc circuitum, qui nunquam à propria voluntate recedit: si conaris avellere, paululum sequi videbitur, sed in dolo. Circuitus est, aliunde reditum parat, non ab ea penitus abducetur. Satagit undique, undique fugitat, hæret tamen semper propriæ voluntati.

a Psal. 11. b
b 1. Pet. 5.
c Iob. 1. & 2. a
Viæ Dæmonũ aliæ præter superiores. Circuitio, & circumventio.

Veruntamen si mala est circuitio propria, longè equidem peior circunventia aliena. Ea siquidẽ vel maximè Diabolum facit. Sed quomodò, Fratres, ut miserum hominem circumveniat, superbissimus ille descendit? Vide circuitum impii, etiam in hoc ipso. Oculi eius omne sublime vident: attamen ima quoq; ipsa curiosè vestigat, sed ut magis ascendat, ut vehementius intumescat, & dum conculcaverit humilem, sibi videatur ipse sublimior, sicut scriptum est [d]: *Dum superbit impius, incenditur pauper*. Quam perversè ascendentes & descendentes Angelos bonos Angelus malus æmulatur? Ascendit studio vanitatis, descendit livore malignitatis. Cuius mendax ascensio, eius crudelis descensio est: expers ille (ut heri diximus) misericordiæ & veritatis. Cæterũ si descendunt maligni ut circunveniant, gratias ei cuius mandato descenditur, & benigni Angeli ut subveniant nobis, ut costodiant nos in omnibus viis nostris, Neq; hoc solum, sed *in manibus*, inquit, *portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum*.

d Psal 9. d
Ascensio & descensio Dæmonum.

Quanta nobis, Fratres, in huius scripturæ verbis, & eruditio, & admonitio, & consolatio exhibetur? Quis in omnibus psalmis tam magnificè pusillanimes consolatur. negligentes admonet, erudit ignorantes?

Commendatio versiculi 12. è psal. præsenti.

Unde id quoque fidelibus suis providentia voluit divina præstare ut in ore ipsorum versiculi psalmi huius hoc maxime quadragesimali tempore versarentur. Nec aliunde quàm ex ipsius usurpatione Diaboli sumpta videtur occasio, ut in hoc quoque nequissimus ille servus filiis serviat vel invitus. Quid enim tam molestum ei, quid nobis esse potest tam jucundum, quàm ut etiam malum eius nobis cooperetur in bonum? *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Confiteantur & dicant inter gentes: quoniam magnificavit Dominus facere cum eis. Domine quid est homo quia innotuisti ei, aut quid apponis erga eum cor tuum? Apponis cor erga eum, geris pro eo sollicitudinem, curam illius habes. Denique ei mittis Unigenitum tuum, immittis spiritum tuum, promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cœlestibus vacet ab opera sollicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium, custodiæ nostræ deputas, nostros jubes fieri pædagogos. Parum est enim quod facis Angelos tuos spiritus, facis & angelos parvulorum. Denique Angeli eorum semper vident faciem Patris [e]. Illos utique tam felices, & tuos ad nos, & nostros ad te angelos facis.

Immensa Dei bonitas, qua nos præsidio dignatur Angelorum.

[e] Matt. 18. b

Angelis suis mandavit de te. Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis. Quid enim, quibus, de quo, quid mandavit? Studiosè consideremus, Fratres, diligenter commendemus memoriæ hoc tam grande mandatum. *Quis* enim mandavit, cuius sunt Angeli, cuius mandatis obtemperant, cuius obediunt voluntati? *Nempe Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*: nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo majestas *mandavit* Angelis, & *Angelis suis* mandavit. Illis utique sublimibus, tam beatis, tam proximis sibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus & vere domesticis Dei. *Mandavit de te.* Tu quis es? Domine, quid est homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam reputas eum? quasi vero non sit homo putredo, & filius hominis vermis. Sed *quid* putas mandavit de te? Nunquid scripsit contra te amaritudines? Nunquid ut contra folium quod vento rapitur, ostendant potentiam suam, & stipulam siccam persequantur? Nunquid ut tollant impium ne videat gloriam Dei? Mandandum istud est, non mandatum. Non recedas ab adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorare, ne de te illud quandoque mandetur. Quem enim protexerit DEUS cœli, non de eo illud mandabitur, sed pro eo. Et quod interim mandatur pro eo differtur ut sint omnia propter electos. Denique parantibus ire servis, & continuo superseminata colligere zizania cupientibus providus paterfamilias: *Sinite*, inquit [f], *usque ad*

Ingens Beneficium Angelicæ custodiæ eleganter expenditur.

Angelorum officium erga homines quod.

[f] Matt. 13. d

Messem,

messem, ne forte eradicetis simul & triticum. Quomodo igitur tandiu conservabitur interea? Hoc planè, hoc opus præsens, hoc mandatum temporis hujus.

Itaque *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te.* O triticum inter zizania, ô granum inter paleas, ô lilium inter spinas. Gratias ei, fratres, gratias ei & pro nobis pariter & pro vobis. Pretiosum depositum nobis commiserat, fructum crucis suæ, pretium Sanguinis sui. Non est contentus custodia hac tam parum utili, tam fragili, tam insufficienti. Super muros tuos Hierusalem constituit custodes. Nempe etiam ipsi qui videntur muri, aut in muro ipso columnæ, his custodibus egent, & maximè.

Reverentia Angelis debita.

Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam. Reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Caute ambula, ut videlicet cui adsunt angeli (sicut eis mandatum est) in omnibus vijs tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes. An præsentem esse dubitas quem non vides? Quid si audires, quid si tangeres, quid si olfaceres? Vide quia non solo visu rerum præsentia comprobetur. Non omnia visui subjacent, nec corporalia quidem? quanto magis spiritualia procul sunt ab omni sensu corporeo, & spiritualiter potius vestiganda? Si fidem consulas ea tibi angelicam probat præsentiam non deesse. Nec dixisse piget, quoniam fides probat; quam nimirum Apostolus [g] & argumentum non apparentium esse diffinit. Adsunt igitur, & adsunt tibi, non modo tecum, sed etiam pro te. Adsunt ut protegant, adsunt ut prosint. Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Siquidem soli ei honor & gloria. Quare ei soli? quia ipse mandavit; & omne datum optimum non nisi ab illo est [h].

[g] Heb. 11. a

Quantam Deo & ipsis quoque Angelis gratitudinem, amorem & honorem debeamus.

Veruntamen etsi ille mandavit, ipsis quoque, qui & ei ex tanta charitate obediunt, & nobis subveniunt in tanta necessitate ingratos esse non licet. Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos, honoremus eos quantum possumus, quantum debemus. Totus tamen ei reddatur & amor & honor noster, à quo tam ipsis quàm nobis est totum unde honorare possumus vel amare, unde amari honorarive meremur. Neque enim Apostolus ubi ait [i]: *Soli Deo honor & gloria*, prophetico credendus est obviare sermoni, qui sibi etiam amicos Dei nimis honorificatos esse testatur [k]. Puto autem simile esse illud verbum Apostoli, ei quod item ait [l]: *Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.*

[h] Iacob. 1. c

[i] 1. Tim. 1. d

[k] Psal. 138. c

[l] Rom. 3. c

Siquidem non hoc voluit, ut alia quælibet debita negarentur, præsertim cum idem ipse dicat [m]; *Cui honorem, honorem*: & cætera in hunc modum. Ut ergo plenius intelligas quid in utroque senserit, quidve monuerit; vide quemadmodum inter radios solis minora quælibet luminaria non videntur. Nunquid amota modo sidera arbitramur, nunquid extincta? Minimè quidem, sed ampliori claritate quodammodo tecta, interim apparere non posse. Sic ergo dilectio illa quævis debita superans, quasi sola regnare debet in nobis; ut quicquid debetur cæteris; sibi vendicet, & ex dilectione omnia faciamus. Sic divinus prævalere debet honor, & quodammodo præjudicare universis, ut solus ipse non modo præ omnibus, sed in omnibus honoretur. Idipsum sane putes, dictum etiam de amore. Quid enim extra ipsum reliquit cæteris, qui totum cor, totam animam, totam virtutem domino Deo suo in dilectione donavit? In ipso itaque, fratres, affectuose diligamus, Angelos ejus, tanquam futuros aliquando cohæredes nostros, interim vero actores & tutores à Patre positos, & præpositos nobis. Nunc enim filij Dei sumus, etsi nondum appareat quid erimus, eo quod adhuc parvuli sub tutoribus & actoribus simus, tanquam nihil interim differentes à servis.

Cæterum etsi tam parvuli sumus, & tam magna nobis, nec modo tam magna, sed & tam periculosa via restat, quid tamen sub tantis custodibus timeamus? Nec superari nec seduci, minus autem seducere possunt qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? Tantum sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cœli commoremur. Vide enim quam necessaria sit ista protectio, ista custodia in vijs tuis. *In manibus* (inquit) *portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Parum tibi videtur, quòd non sit lapis offensionis in via? Considera quæ sequuntur: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Quam necessarius pædagogus, imò etiam bajulus, præsertim parvulo inter hæc gradienti? *In manibus* (inquit) *portabunt te.* In tuis quidem viis custodient te & deducent parvulum quà potest parvulus ambulare. Cæterum non te patientur tentari supra quàm sustinere potes, sed in manibus tollent, ut pertranseas offendiculum. Quàm facilè transit, qui illis portatur manibus, quàm suaviter (juxta vulgare proverbium) natat cujus alter sustinet mentum.

Quotiens ergò gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum, in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum, & dic: *Domine, salva nos, perimus.* Non dormit neque dormitat: etsi ad tempus quan-

[m] Ibidem. b

Honor soli Deo debitus non excludit honorem SS.

Idem de Amore tenendum.

Quam necessaria nobis Angelorum protectio.

In tentationibus & tribulationibus invocandi SS. Angeli.

pus quandoque dissimulet, ne forte periculosius ab illius te manibus ipse præcipites, si te eis ignoraveris sustentatum. Spirituales enim sunt manus istæ, & auxilia utique spiritualia, quæ singulis electorum pro cujusque discriminis modo & objectæ difficultatis, tanquam lapideæ molis quantitate, ab his qui sibi deputati sunt Angelis spiritualiter & multipliciter exhibentur. Dico ego tamen aliqua ex his quæ communia magis arbitror, & paucis qui inter vos sunt inexperta. Turbatur aliquis vehementer, seu corporali quovis incommodo, seu tribulatione aliqua seculari, seu acedia spiritus, & quadam animi defectione langueſcens. Jam tentari incipit supra quàm valeat sustinere, jam impinget, & offendet in lapidem, si non fuerit qui subveniat. Quis vero est lapis iste? Ego illum intelligo lapidem offensionis, & petram scandali, in quam si offenderit quis, collidetur: super quem vero ceciderit, conteret eum [n]: Lapidem utique angularem, electum precioſum, qui est Dominus Christus. In hunc lapidem offendere, est murmurare adversus eum, scandalizari à pusillanimitate spiritus & tempestate. Itaque opus illi est angelica ope, angelica consolatione, angelicis manibus, qui jam defecit, jam propemodum offendit in lapidem. Et verè offendit in lapidem. qui murmurat & blasphemat, seipsum collidens, non eum in quem furibundus impingit.

[n] Isaiæ. 8. c

Ad lapidem languidos, & pusillanimes offendere.

Arbitror sanè velut duabus quibusdam manibus ejusmodi homines interdum ab Angelis supportari, ut quodammodo non sentientes transeant quod tantopere formidabant, nec parum mirentur postmodum tam super posteriori facilitate, quàm super difficultate priori. Vultis scire quas intelligam duas manus? Duplicem utique demonstrationem, dum videlicet hinc quidem *tribulationis* brevitas, inde æternitas *retributionis* ostenditur: aut magis pingitur, vel imprimitur cordi, ut intimo affectu sentiat, quoniam momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Quis vero istas tam bonas per bonos non credat fieri, cum certum sit, quod econtrario malæ utique fiant immissiones per angelos malos? Habetote familiares Angelos, Fratres mei, frequentate eos sedula cogitatione & devota oratione, qui semper vobis adsunt ad custodiam & consolationem.

Brevitatem tribulationis, & æternitatem retributionis velut duas esse manus, quibus ij supportentur ab Angelis.

Sermo XIII.

De ℣. XII. *In manibus portabunt te*, &c.

Possumus hunc versum qui in manibus est, videlicet, *In manibus portabunt te, &c.* non modo de præsenti consolatione dictum accipere, sed etiam

Animæ defunctorum manibus Angelorum deportantur in cœlum.

etiam de futurâ. Nempe custodiunt nos in vijs nostris Angeli sancti; sed via finita (quod est utique vita finita) in manibus tollunt. Nec enim desunt nobis testes fideles. Proximè lectum est vobis de beatissimo Patre nostro vere per omnia benedicto, quòd dum intentam oculorum aciem in splendore coruscæ lucis habere videretur, vidit Germani animam Capuani Episcopi in sphæra ignea ab Angelis in cœlum deferri. Sed quid hujusmodi testimonia requirimus? Ipsa in Evangelio Veritas de mendico & ulceroso ait [a], *quoniam portatus est ab Angelis in sinum Abrahæ.* Neque enim in illa tam nova nobis támque incognita regione ambulare ipsi possemus, præsertim cum tantus sit lapis in via. Quis lapis? qui in lapidibus olim consueverat adorari, qui lapides obtulit Domino dicens [b]: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Porrò pes tuus, affectio tua: pes animæ; quam in manibus Angeli portant, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Quomodo enim non vehementissimè turbaretur anima, si sola hinc egrederetur, si illas sine consolatione ingrederetur vias, si inter illos lapides suis pedibus graderetur?

Visio S. Benedicti.

a Luc. 16. f

b Matt. 4. a

Enim vero manifestius audi quàm necesse habeas portari in manibus alienis, nec alijs quam angelicis tamen. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Quid inter hæc faceret pes humanus? Quid humanæ affectionis inter tam terribilia monstra constaret? Nempe nequitiæ spirituales sunt, & quidem non incongruis appellationibus designatæ. Siquidem & de his dictum, quod nequaquam vobis excidisse reor: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Quis vero scire potest, an divisæ sint inter eos operationes malitiæ, ministeria iniquitatis; ut ex diversis officijs, quin potius maleficijs, vocabula quoque diversa sortiti nominentur? Alius siquidem *aspis*, alius verò *basiliscus*, alius autem *leo*, & alius quidem *draco*, quod videlicet suo quidem invisibili modo variè quoque noceat, quasi alius morsu, alius quoque visu, alius autem rugitu vel ictu, alius quidem flatu? Legi etiam de quodam genere dæmoniorum quod non ejiciatur nisi in orationibus & jejuniis [c]. Nihil poterat namque verbum Apostolicæ increpationis ad illud. Quomodo non illud *aspis* erat, illa utique de psalmo aspis surda, & obturans aures ne vocem audiat incantantis. Vis non terreri à tam terrifico monstro, vis securus post mortem ambulare super aspidem istam? Cave ne interim post eam ambules, cave ne imiteris, & non erit quod paveas in futuro.

Dæmonum ex diversis officijs vel maleficijs diversa nomina.

c Matt. 17. c

*d Psal. 57. a

Viæ Dæmonum Circuitio & Obstinatio

Enim vero vitium est cui reor ejusmodi spiritum dominari, & si vultis scire, ipsa est circuitio, à qua vobis hesterno sermone monuimus esse cavendum. Ista obstinatio est, adversus quam pridie loquebamur.

Nec

Nec enim piget quoties datur occasio, ab hac tam gravi peste præmunire vos, ut eam omnimodis fugiatis : quòd hæc quidem sit summa quædam religionis subversio, & verè juxta testimonium legislatoris *venenum aspidum insanabile* [e]. Dicitur aspis hinc alteram aurem quam pressius potest terræ infigere : inde verò alteram caudæ immissione nihilominus obturare ne audiat. Quid adhæc incantantis vox, quid sermo faciet prædicantis. Orabo pro eo, humiliabo in jejunio animam meam, baptizabor pro mortuo uberrimo quodam profluvio lachrymarum, apud quem viderim nihil humanæ incantationis quamlibet sapientiam, nihil quantamcunque admonitionis industriam prævalere. Noverit tamen vir pertinax non cœlo se se, sed solo infigere caput, quòd sapientia quæ desursum est, non modo pudica, sed & pacifica sit : hæc autem magis, ut ita dicam aspidica, nisi terrena esse non potest. Sed nec adeo obsurdesceret, nisi cauda quoque obturaret auditum. Quæ est hæc cauda ? Finis intentionis humanæ. Hæc surditas desperata, dum hinc quidem velut terræ infixus propriæ quisque inhæret voluntati ; inde velut reflectens caudam, finem aliquem meditatur, & infigit animo quod desiderat adipisci. Nolite obsecro ; Fratres, nolite obturare aures, nolite aliquando obdurare corda vestra. Inde enim tam mordax & amarus sermo invenietur in ore hominis obstinati, quòd nulla ad eum penetrare queat benevolentia monitoris. Inde aspidi virus in linguæ aculeo perseverat, quod adversus linguam incantatoris tanto se studio obturarit.

quantopere cavenda.

[e] Deut. 33. c

Obstinati & pertinaces aspidi similes.

Cum obstinatis quid seu quomodo agendum.

At basiliscus, ut ajunt, venenum in oculo gerit, pessimum animal, & præ omnibus execrabile. Nosse cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum fascinantem ? Invidiam cogitato. Quid vero invidere, nisi malum videre est ? Si non esset ille basiliscus, nunquam per eius invidiam mors intrasset in orbem terrarum. Væ homini misero, quòd invidum non prævidit. Superemus & vitium hoc dum adhuc vivimus, si post mortem volumus ministrum tantæ nequitiæ non timere. Nemo alterius bonum invido aspiciat oculo. Nempe hoc ipsum jam quod in se est, tabe sua illud inficere, & quodammodo interficere est. Qui hominem odit, homicidam illum Veritas ipsa testatur. [f] Quid & ille qui bonum odit in homine, nunquid non homicida poterit appellari ? Adhuc vivit homo, & ille jam reus est mortis eius. Adhuc ardet ignis quem Dominus Jesus misit in terram, & invidus tanquam qui spiritum extinxerit, jam damnatur. Væ vobis à dracone. Immanis est bestia, flatu igneo quicquid attigerit, necat ; non modo bestias terræ, sed & volucres cœli.

Invidiæ oculus venenatus. Basiliscus in oculo venenum gerit.

[f] 1. Ioan. 3. c.

Spiritus iracundiæ draco.

Ira est affectio naturalis, sed per abusum perniciosa.

Haud alium ego *draconem* hunc quàm spiritum iracundiæ reor. Quantos etiam sublimis ut videbatur vitæ, flatu huius draconis miserè satis adustos, turpiter in huius os ingemimus cecidisse? Quàm melius sibi ipsis iracsci potuerant ne peccarent? Nimirum affectio naturalis ira hominum est, sed abutentibus bono naturæ gravis perditio est, & miseranda pernicies. Occupemus illam, Fratres, in quibus expedit, nè forte ad inutilia illicitaque prorumpat. Sic nimirum solet amorem amor expungere, solet timor timore depelli, & *Nolite timere eos qui corpus occidunt*, ait Dominus, *animæ autem non habent quid faciant.* Et confestim, *ostendam autem*, ait, *vobis quem timeatis. Timete autem eum qui potestatem habet corpus & animam mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Ac si manifestius dicat: Hunc timete, ne illos timeatis. Repleat vos spiritus timoris domini, & timor alienus locum non habebit in vobis. Et ego vobis dico: Non autem ego, sed: veritas non ego, sed Dominus. Nolite iracsci eis quitransitoria vobis auferunt, qui convitia inferunt, qui ingerunt forte supplicia, & post hoc faciunt nihil. Ostendam autem vobis cui debeatis iracsci. Iracsimini ei quæ sola vobis nocere potest, sola facere, ut omnia illa non prosint. Vultis scire quænam illa sit: Iniquitas propria. Ita dico vobis, huic iracsimini. Nulla enim nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Qui perfectè huic iracscitur, cæteris non movetur, magis & amplectitur ea. *Ego* (inquit [h]) *in flagella paratus sum.* Sit damnum, sit convitium, sit læsio corporalis, paratus sum, & non sum turbatus: quoniam dolor meus in conspectu meo semper. Quidni exteriora omnia parvipendam in huius æstimatione doloris? *Filius* (inquit [i]) *uteri mei persequitur me, & convitianti servulo indignabor?* Cor meum dereliquit me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & damna temporalia plangam aut incommoda corporalia reputabo?

g Luc. 12. a *

Ira laudabilis & utilis quæ.

h Isa. 35. d

i 2. Reg. 16. c

Hinc nimirum non modo mansuetudo oritur cui draconis flatus non noceat, sed etiam magnanimitas, quam rugitus leonis non terreat. *Adversarius vester tanquam leo rugiens*, ait Petrus [k]. Gratias magno illi Leoni de tribu Juda: rugire iste potest, ferire non potest. Rugiat quantum vult tantum non fugiat ovis Christi. Quanta minatur, quanta exaggerat, quanta intentat? Non simus bestiæ ut nos prosternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent qui talia curiosius vestigaverunt, ad rugitum leonis nullam bestiam stare posse, ne eam quidem quæ adversus ictum eius tota animositate repugnat: & plerunque superat ferientem, quæ non sustinet rugientem. Vere bestia, vere rationis expers, qui tam pusillanimis est, ut solo timore cedat qui sola futuri exaggerationelaboris

k 1. Pet. 5. c

Leo rugitu terribilis.

ris victus, ante conflictum non telo, sed tuba prosternitur. *Nondum restitistis usq; ad sanguinem*, ait strenuus ille dux [l] qui leonis huius noverat vanum esse rugitum. Et alius quidam: *Resistite* inquit *diabolo, & fugiet à vobis* [m].

[l] Heb. 12. b
[m] Iacob. 4. b

Sermo XIV.

De ℣. XII. & XIII. *In manibus portabunt te*, &c. *super aspidem & basiliscum ambul.* &c.

AGamus, Fratres, gratias factori nostro, benefactori nostro, redemptori nostro, remuneratori nostro, aut potius spei nostræ. Ipse enim retributor, ipse retributio nostra, nec aliud jam quàm ipsum expectamus ab ipso. Primum quod nobis præstitit, nosipsi sumus. Siquidem ipse fecit nos, & non ipsi nos. Parum ne tibi videtur istud, quia te fecit? Cogita qualem te fecit. Nempe etiam secundum corpus egregiam creaturam, sed secundum animam magis, utpote imagine creatoris insignem, rationis participem, capacem beatitudinis sempiternæ. Porro secundum ambo simul præ cæteris creaturis maximè admirandam, cohærentem sibi incomprehensibili artificio, investigabili sapientia conditoris. Itaque tam magnum hoc donum, quàm magna res homo. Sed quàm gratuitum putas? Planum est, quia nihil ante promeruit, qui penitus nihil fuit. An postea sperabatur gratiam retributurus auctori? *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* [a]. Non igitur necessariam retributurus gratiam ei qui sic per omnia sibi sufficit, sed devotas relaturus gratias ei qui sic meruit, sperabatur. Quidni gratias agat? Si quis oculorum lumen, si quis usum aurium, si quis narium, si quis manuum, si quis pedem tibi præditum aliquomodo reparasse videretur, si quis sopitam quavis occasione excitasse in te rationem: quis non alius tibi vehementissime succenseret, si quandò forte beneficii huius immemorem, aut benefactori deprehendisset ingratum? Enim verò Dominus Deus tuus, ipsa etiam tibi instrumenta largitus, ex nihilo fecit hæc omnia. Nec modò fecit, sed & compegit etiam & formavit, ac suo quoque illustravit officio. Quomodo non is omni jure sibi gratias exigit ampliores?

Deo quadrifariam debemus gratiarũ actionem.

Dei in nos beneficia eleganter expendit.

1. *Beneficium Creationis.*

[a] Psal. 15. a

Nam ne hoc quidem (licet maximo) contentus munere, qui dedit ut esses, qui ante non fueras, adjecit etiam unde subsisteres, qui jam eras. Nec minus liberaliter hoc, quàm illud mirabiliter est operatus *Faciamus*, (inquit) *hominem ad imaginem & similitudinem nostram* [b]. Quid verò postea? *Et præsit piscibus maris, & bestiis terræ*, &c. Nam & cœlestia sese elementa in usus creasse tuos, ante docuerat. Nempe facta memorantur, ut essent *in signa, & tempora, & dies & annos*. Cui putas? Nulli utique nisi

2. *Beneficium conservationis*

[b] Gen. 1. c

tibi Cæteræ siquidem omnes creaturæ aut in nullo egent his omnibus, aut non intelligunt ea. Quàm copiosus in secundo hoc beneficio, quàm liberalissimus fuit. Quanta igitur largitus est ad sustentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ex hoc jam ad correptionem, quanta etiam ad delectationem. Verum hæc duo gratis, & dupliciter gratis fecit. Quid dico dupliciter gratis? Sine merito tuo, sine
c Psal. 32. b labore suo. Nempe *dixit, & facta sunt* [c]. An idcirco minus devotus, minus obnoxius, minus gratus es, quod hæc quidem sicut pro nihilo, ita de nihilo fecit? Perversi cordis est occasiones ingratitudinis vestigare. Nemo id facit nisi qui etiam gratis esset ingratus. Puto enim neutrum tibi propterea minus utile, quam quod præstanti minimè difficile fuit. Alioquin si forte quod ei laboriosum, tibi magis commodum ducis, ex te ipso tibi judicium hoc: nec te alibi illud putem quàm apud te didicisse. Sic præstares libentius ipse fratri tuo absque incommodo tuo. Verum etsi gratis præstare velles, nolles tamen ut hanc tibi ille prætenderet ingratitudinis causam.

3. *Beneficium Redemptionis.*

Cæterum ex hoc jam tertium opus tuæ redemptionis attende. Non est velamen excusationis, laboratum prorsus in ea. Gratis hoc quoque præstitum est, sed gratis quod ad te pertinet. Nam quod ad illum, plane non gratis. Salvus factus es pro nihilo, non de nihilo tamen. Quid ad hæc dormitat affectio? Imo vero mortua est illa, non dormit quæ huic beneficio non respondet, quæ se totam non effundit in gratiarum actionem, & vocem laudis. Nam & cætera duo evidentissimè tertium hoc commendant, ut in eis quoque vera fuisse dilectio comprobetur; non propterea de facili præstans quod nollet aliter, sed quod non aliter oporteret. Itaque fecit te Deus tuus, fecit tam multa propter te, facit propter
d Ioan. 1. b te & semetipsum. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis* [d]. Quid ad-
4. *Beneficium remunerationis.* huc restat? Factus est ipse tecum caro una, te quoque secum faciet spiritum unum. Non recedant hæc quatuor à corde tuo, non ab ore, non à memoria, non ab affectione. Hæc cogita semper, in his jugiter delectare. His velut quibusdam stimulis urgens sollicita animam tuam, his facibus eam inflammare curato ad redamandum eum qui tam multipliciter suum
e Ioan. 14. b tibi erga te commendat amorem, Memento sanè quod idem ait [e]: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Serva igitur mandata Creatoris tui, serva mandata benefactoris tui, redemptoris tui, remuneratoris tui.

Sed si hæc quatuor, quot sunt mandata? Omnes novimus decem esse. Itaque per quaternarium hunc decalogum legis multiplicans, veram habes quadragesimam, tenes quadragesimam spiritualem. Tantum sta in-

timore,

timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Cave serpentis astutiam, observa insidias inimici. Nempe quadruplici tentamento quadrifariam impedire conatur actionem quam exigeris gratiarum. Tentatus est in his omnibus Christus, ut veraciter ab Apostolo scriptum [f]. *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato.* Erit forte qui miretur & dicat quartam sese Domini tentationem non legisse. Verum ut ego arbitror non hoc diceret, si legisse se meminisset [g], quoniam *tentatio est vita hominis super terram.* Hoc enim qui meminit, non ea tantum triplici tentatione tentatum fuisse Dominum arbitratur, quæ facta est in jejunio deserti, in pinnaculo templi, in vertice montis. Sane in his omnibus erat manifesta tentatio. Verum illa quæ ex tunc & deinceps usque ad mortem crucis ei non defuit, etsi occultior, vehementior tamen fuit. Nec hoc quoque à proposita similitudine videtur abhorrere. Nam & tria illa beneficia quæ jam transiere, evidentissima & in lucem posita esse noscuntur. Sane quod ad spem vitæ æternæ pertinet, nondum exhibitum, nec dum propalatum est nobis. Nihil proinde mirum si sit minus aperta tentatio, ubi etiam causa tentationis occulta. Cæterum & diuturnior & validior ipsa est, quod adversus spem nostram quicquid habet malignitatis exerat inimicus.

[f] Heb. 4. d

[g] Iob. 7. a

Tentationes Domini quatuor.

Tentatio contra spē occulta sed gravissima.

Itaque primo quidem ut auctori naturæ ingratos faciat, ampliorem ingerit pro natura sollicitudinem, quemadmodum etiam ipsi Christo esurienti ausus est dicere [h]: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Quasi vero figmentum nostrum ignoret ipse qui finxit, aut non curet homines, qui cœli volucres pascit. Quam vero ingratus est ei qui propter hominem universum hunc condidit mundum, quisquis ut substantiam eius quam concupiscit obtineat, procidens non veretur adorare malignum. *Hæc omnia* (inquit) *tibi dabo si procidens adoraveris me.* Tu ne illa fecisti miser? Quomodo dabis quæ ille creavit? aut quomodo abs te speranda, quomodo tua adoratione petenda, quæ ab illo condita in illius posita sunt ditione? Jam in hoc quod ait: *Mitte te deorsum*, cave tibi quicunque es qui templi pinnaculum conscendisti. Cave tibi speculator domus Domini. Cave tibi, qui in Ecclesia Christi locum cerneris tenere sublimem. Quàm ingratus enim, imò quàm injuriosus es illi magno sacramento pietatis, si in illo quæstum æstimes pietatem. Quam infidelis ei qui ministerium hoc sanguine proprio consecravit, si eo quæras gloriam tuam, quæ nihil est; quæras quæ tua sunt, non quæ Iesu Christi? Quam indignè respondes eius dignationi, qui in dispensatione humilitatis suæ sublimē esse te fecit, cœlestia tibi sacramenta commisit, cœlestem forte & ampliorem quàm ipsis

[h] Matt. 4. a

Cautela pro Prælatis qui perverso fine occupant dignitates Ecclesiæ.

spiritibus cœlestibus tradidit potestatem. Si deorsum ipse te mittas, sapies non quæ sursum sunt, sed quæ super terram. Sed & omnis qui de virtutum eminentia, ad inanis gloriæ sese demittit & dejicit appetitum, haud dubium quin Domino virtutum, qui tanta inter nos toleravit ut nobis formam huius imprimeret sanctitatis, pro gratia contumeliam reddat.

Tentatio corporalis necessitatis Aspidi comparatur.

Consideremus diligentius, Fratres, ne fortè prima illa tentatio quæ corporalis necessitatis occasione animum turbat, aspidi debeat comparari. Hoc enim animal quodammodo violentum morsu nocet, obturat aurem ne audiat vocem incantantis. Quid vero agere nititur in hac parte tentator, nisi ut adversus consolationem fidei aurem cordis obstruat & obturet. Sed non profecit inimicus in eo, non illius præcluſit auditum qui ait [i] ? *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei,* Nam in eo quod ait: *hæc omnia tibi dabo si procidens adoraveris me*; in malum insidiantis suadibilem sibilum animadvertite draconis. Ferunt illum in arena latitantem, etiam aves volantes flatu attrahere venenato. Quam venenatus hic flatus fuit, *hæc omnia tibi dabo si procidens adoraveris me,* Verum non erat ista quælibet avis, nihil potuit draconis flatus ad illam.

[i] Matt. 4. a

Basiliſci monſtroſa natura, Matt. 6. a

De basiliſco quid dicimus? Monstruosius cæteris solo visu hominem inficere & interficere perhibetur. Ni fallor, vana gloria est. *Videte ne* (inquit) *justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis.* Ac si dicat: Cavete oculos basiliſci. Sed cui nocere dicitur basiliscus? Ei qui non viderit basiliscum. Alioquin si prior eum videas, jam non tibi nocet (ut aiunt) magis moritur ipse. Ita est fratres. Non videntes necat inanis gloria, cæcos & negligentes, qui se ei ostentant, qui se exponunt; & non potius ipsi inspiciunt, non attendunt, non discutiunt illam, non vident denique quàm sit frivola, quàm sit caduca, quàm vana, quàm inutilis. Si quis eum intueatur hoc modo, moritur basiliscus, nec jam occidit eum gloria, sed occiditur magis & occidit ei quodammodo versa in pulverem, imò redacta in nihilum. Puto autem, non est quærere quid ad inanem gloriam ea tentatio visa sit pertinere, ubi dictum est: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Ut quid enim hoc nisi ut videretur, ut laudaretur à basiliſco?

Per eam inanis gloria notatur.

Quomodò extinguenda tẽtatio vanæ gloriæ.

[l] Matt. 4. a

Et vide quomodo seipsum occcultaverit basiliscus, quasi ut non possit ante videri. *Scriptum est* (inquit) *quoniam Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te* Quid scriptum est maligne, quid scriptum est? *Angelis suis mandavit de te.* Quid mandavit? Animadvertite & videte quoniam subticuit malignus & fraudulentus, quod malignitatis suæ commenta dissolveret. Quid enim mandavit? Nempe quod in psalmo sequitur: *Ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Nunquid in præcipitiis? Qua-

Pulchrè insultat Diabolo Christum tentanti.

lis via

lis via hæc de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina; & si via, tua est, non illius. Frustra in tentationem capitis intorsisti, quod scriptum est ad corporis consolationem. Huic enim necesse est custodiri, cui timendum ne offendat ad lapidem pedem suum. Non est quòd custodiatur, cui non est quod timeatur. Quid vero taces & illud quod sequitur: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*? Te enim hæc parabola tangit. Monstruosa malignitas, monstruosis appellationibus conculcanda signatur. Nec modo ab ipso capite, sed etiam à corpore universo. Siquidem adversus Dominum post ternam confusionem hanc non jam serpentina calliditate, sed crudelitate usus est leonina, usque ad contumelias, ad flagella, ad alapas, ad mortem, & mortem crucis. Sed manifestè etiam leonem te conculcavit leo de tribu Juda. Sic & adversum nos, Fratres, ut in cæteris omnibus viderit se frustratum, toto jam furore persecutionem susciat, qualis non fuerit ab initio; ut vehementia tribulationis regnum cœleste sperantibus intercludat. Felix anima, quæ & ipsum leonem potenti virtute conculcans, violenter illud rapere prævalebit.

Ex hoc itaque, dilectissimi, tanquam super aspidem & basiliscum cautius & sollicitius ambulemus. Caveamus omnem radicem amaritudinis, ut nemo nostrum mordax inveniatur, nemo audax, vel ardens, nemo inexorabilis aut repellis. Nec vero deorsum mittamus nos, sed transcendamus & transeamus lethalem gloriæ temporalis obtutum, ut quomodò scriptum est: *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum* [m]. Conculcemus quoque leonem pariter & draconem, ut neque illius rugitus terreat, nec istius flatus inficiat. Videntur hæc quatuor monstra affectionibus æquè quatuor singula singulis incubare. Cui ergo potissimum draco insidiatur? Æstimo quia *cupiditati*, quod hanc noverit esse radicem malorum omnium, & quæ maxime cor subvertat. Inde enim etiam quasi consulens dixit [n], *hæc omnia tibi dabo*. Nam de leone quidem manifestum est, quòd nisi ad januam *timoris* terrificos non dat rugitus. Porro *tristitiæ* fores aspis observat, quod eas maxime morsibus suis pervias arbitretur. Unde & ad Christum Dominum, donec jam esurientem cerneret, non accessit. E contra sanè caveat necesse est *lætitia* basiliscum, quod eo potissimum aditu venenatos ingerere soleat radios oculorum; nec vana gloria nisi ob lætitiæ noceat vanitatem.

Illud quoque considera, an fortè virtutes quatuor, quatuor his tentationibus opponere valeamus. Leo rugiet, quis non timebit? Si quis ille fuerit, *fortis* erit. Sed frustrato leone, draco absconditur in arena, ut virulentis flatibus attrahat animam, insufflans ei quodammodò concupiscentiam

[m] Prov. 1. b

Quatuor monstra 4. affectionibus incubantia.

[n] Matt. 4. b

Quatuor virtutes totidem tentationibus oppositæ.

piscentiam terrenorum. Quis putas illius prætervitabit insidias? Nemo utique nisi *prudens*. At forte dum ad ista descendere caves, urget quis molestia: & ecce protinus aspis adest, Nam opportunum tempus sibi invenisse videtur. Quis non exasperabitur ab aspide ista? Nempe vir *temperans* & modestus, qui sciat abundare, & penuriam pati. Puto ex hac occasione fascinare te volet male blandiens oculus nequam. Quis avertet faciem suam? Profecto *justus*, qui non modo non ipse sibi accipere gloriam quæ Dei est, sed ne ab alio quidem recipere velit oblatam: si tamen ille sit justus, qui juste quod justum est exequatur, qui justitiam suam non faciat coram hominibus, qui denique etsi justus fuerit, caput non levet. Hæc enim virtus specialiter in humilitate consistit: Hæc intentionem purgat, hæc quoque meritum omne eo veracius & efficacius obtinet, quo minus arrogat sibi.

Sermo XV.

De ℣. XIV. *Quoniam in me speravit liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.*

a Matt. 11d* VEnite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos: dicit Dominus [a]. *Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Laborantes ad refectionem invitat, ad requiem provocat oneratos. Non tamen interim onus subtrahit aut laborem, magis autem onere alio, alio labore commutat; sed onere levi, suavi jugo, in quibus requies ac refectio: etsi minus appareat, tamen inveniatur. Grave onus iniquitas sedens super talentum plumbi [b]. Sub hac gemebat sarcina qui dicebat [c]: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Quod ergò onus Christi quod onus leve? Ut quidē ego sentio, onus beneficiorum, dulce onus, sed ei qui sentit, ei qui experitur. Alioquin si non invenias, si non advertas, grave omninò & periculosum. Onerosum animal homo tempore suæ mortalitatis. Si adhuc portat peccata sua, onus est grave; si jam fortè exoneratus est à peccatis, minus quidem grave; sed si sanum sapiat, non minus grande onus inveniet hanc ipsam quam diximus exonerationem. Onerat nos cum exonerat Deus: onerat beneficio cum exonerat peccato. Vox onerati [d]: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Vox onerati [e]: *Exi à me quia homo peccator sum Domine.* Vox onerati [f]: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum.* Semper (inquit) timui: sicut ante, sic post acceptam indulgentiam peccatorum. Beatus homo qui ita semper est pavidus, nec minori angitur sollicitudine, ne forte obruatur beneficiis, quàm peccatis.

b Zach. 5. c

c Ps. 37. a* *Onus peccati grave levi Christi onere commutatur.*

Onerat nos Deus beneficia, cum exonerat peccato.

d Psal. 115. a

e Luc. 5. b

f Iob. 31. c

Ad

Ad hoc siquidem divina nobis tam sedula erga nos & tam profusa beneficentia commendatur, ut sollicitemur ad gratiam, invitemur ad dilectionem. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Quid ultra potuit tibi facere & non fecit? Novi quid cogites ingenua creatura. Habes gratiam Angelis Domini, sed ad ipsum ambis Dominum Angelorum. Oras & optas, ut nunciis non contentus, ipse quoque qui loquebatur, adsit: nec te quasi per medium, sed sui oris osculo osculetur. Audisti super aspidem & basiliscum leonem pariter & draconem tibi ambulandum fore, nec super dracone ipso victoriam Michaelis & Angelorum eius ignoras. Veruntamen non Michaeli, sed Domino clamant desideria tua. *Libera me, & pone me juxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me* [g]. Hoc nempe non est modo altis, sed ipsis quoque altioribus altius captare refugium, ut ex sententia profitenti *quoniam tu es spes mea*, merito respondeatur, *altissimum posuisti refugium tuum.*

Dei dona non sine onere.

g Iob. 17. a

Non enim dedignatur esse spes miserorum miserator & misericors Dominus: non seipsum liberatorem simul & protectorem in se sperantibus exhibere recusat. *Quoniam in me speravit* (inquit) *liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Nempe, nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam [h], sive ille homo, sive etiam Angelus esset. Montes in circuitu Hierusalem, sed parùm hoc, imò nihil hoc foret, si non etiam Dominus in circuitu esset populi sui. Merito proinde in Cantico [i] sponsa describitur inventis licet vigilibus (imo ab eis magis inventa: nec enim eos ipsa quærebat) non substitisse, nec contenta fuisse vigilibus, sed percontata breviter de Dilecto, ad ipsum ocyus pervolasse. Erat enim cor eius non in vigilibus, sed in Domino fiduciam habens. Et aliter forte suadentibus aiebat [k]: *In Domino confido: quomodò dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* Minus vigilanter id observârant Corinthii, cum offensis quasi vigilibus secederent apud eos, & minimè pertransirent. *Ego quidem Cephæ, ego autem Pauli* [l], aiunt, *ego vero Apollo.* Sed quid fecerunt vigiles sobrii, vigiles circunspecti? non enim poterant sibi suscipere sponsam, qui benè eam æmulabantur, qui æmulabantur Dei æmulatione, qui despondebant uni viro virginem castam exhibere Christo. *Percusserunt me & vulneraverunt me*, ait [m]. Ut quid ita? Ni fallor, urgebant ut pertransiret, proinde inventura Dilectum. Denique etiam *tulerunt pallium meum* (inquit) haud dubium quin ut curreret expedita. Animadvertere est quàm valide percutiat, quibus sagittis Apostolus vulneret eos, qui divertisse apud vigiles videbantur. *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Et item: *Cum enim dicit quis, Ego sum Pauli; alius autem, ego sum Apollo, nonnè homines estis? Quid ergo est Apollo, quid vero Paulus? Ministri eius cui credidistis. Quoniam in me speravit,*

h Psal. 126. a *Solus DEVS spei nostræ solidum præsidium.*

i Cant. 3. a*

k Psal. 10. a

l 1. Cor. 1. b

m Cant. 5. c

n 1. Cor. 1. b

vit, liberabo eum. Non in vigilibus, non in homine, non in Angelo, sed in me (inquit) speravit: nihil boni nisi ex me, ne per ipsos expectans. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum [o]. Ex me vigiliæ hominum utiles, circa opera utique manifesta, eis nimirum custodes homines deputavi. Ex me excubiæ Angelorum observantium, secretiores motus spiritualiter sollicitantium, propulsantium suggestores iniquos. Cæterum intima sane custodia secretissimæ intentionis, non modo ex me, verum etiam per me fiat necesse est, quod illo quidem humanus nequeat, sed ne angelicus quoque oculus penetrare.

[o] Iacob. 1. c

Triplex custodia seu gubernatio nostri.

Agnoscamus triplicem hanc custodiam, Fratres, & exhibeamus nos eis quales cuique convenit exhiberi. Provideamus bona coram hominibus, coram Angelis, coram DEO. Contendamus placere omnibus per omnia; sed maxime ei qui maximus est super omnia. In conspectu Angelorum psallamus ei, ut in eis impleatur quod scriptum est [p]: *Qui timent te, videbunt me & lætabuntur: quia in verbo tuo superspe ravi.* Obediamus Præpositis nostris, qui pervigilant tanquam reddituri rationem pro animabus nostris, ut non cum tristitia hoc faciant [q]. Et quidem gratias DEO, ex cuius solo munere venit. Non est quod multum vos moveam; non est quod multum vobis timeam in hac parte. Quod enim est gaudium meum, & gloria mea, nisi prompta obeditio & irreprehensibilis conversatio vestra? Quid si certo cognoscerem ne Angelos quidem amplius aliquid in vobis cognoscere quod dedeceat, apud neminem vestrum ex anathemate Hiericco quippiam occultari, non murmurare aliquem, non detrahere in occulto, non simulatorie agere vel remisse, non ignominiosas voluere animo cogitationes, quibus solet (heu) interdum ipsa quoque pars corporis perturbari? Magnum hoc mihi gaudii incrementum, sed nondum utique plenitudo. Non enim tam magni sumus, ut possit nobis adeò esse pro minimo, ab homine judicari non posse, minus autem nihil conscios esse nobis. Cæterum si occultissimum Judicem timent etiam magni, quantum nos ad illius examinis memoriam convenit trepidare? O si mihi contingeret certum esse nil esse in omnibus nobis illum offendens oculum, qui solus perfecte novit quid sit in homine, videns in eo & quod in se ille non videt, Hoc vel maximè judicium vestigemus, Fratres, & eo amplius frequentemus in timore & tremore ipsius considerationem, quò minus comprehendere possumus investigabilem abyssum judiciorum Dei, & irrefragabilem dispositionem. Cum hoc timore spes habet meritum, cum hoc metu fructuosè speratur.

[p] Ps. 118. k

[q] Heb. 13. c

1. Erga Homines.

2. Erga Angelos.

3. Erga Deū.

Iudicium Dei præcipuè insuendum & timendum.

Timor DEI materia spei

Est autem is ipse timor firmissima quædam & efficax materia spei, si quis prudenter advertat. Siquidem maximum quoddam Dei donum timor

mor iste, & ex perceptione præsentium firma est expectatio futurorum. Postremo beneplacitum est Domino super timentes eum, & utique vita in voluntate eius, & in beneplacito eius salus æterna. *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Dulcissima liberalitas, in se sperantibus non deesse. Hoc enim totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominem salvum facit. *In te speraverunt patres nostri, speraverunt & liberasti eos, ad te clamaverunt & salvi facti sunt : in te speraverunt, & non sunt confusi* [f]. Quis enim speravit in eo & confusus est ? Sperate in eo omnis congregatio populi. Quemcunque enim locum calcaverit pes vester, vester erit. Pes vester utique spes vestra est : & quantumcunque illa processerit, obtinebit, si tamen in DEUM tota figatur, ut firma sit & non titubet. Quid timeat aspidem aut basiliscum, quid leonis rugitus, aut draconis sibilos expaveścat ?

[r] Psal. 146. b

[f] Psal. 21. a

Spei nostræ respondet DEI liberalitas.

Quoniam in me speravit, liberabo eum. Porrò liberatum quidem ne iterum egeat liberari, protegam eum & conservabo, si tamen cognoverit nomen meum, ne sibi tribuat, quod liberatus est, sed nomine meo det gloriam. *Protegam eum quoniam cognovit nomen meum.* In præsentia enim vultus glorificatio, in notitia nominis protectio exhibetur. Spes in nomine, res in facie est. Quod enim videt quis, quid sperat [t] ? Fides utique ex auditu, & ea quidem, juxta eundem Apostolum [u], *est rerum substantia sperandarum.* Protegam *eum quoniam cognovit nomen meum.* Non novit nomen eius, qui illud assumit in vanum, qui dicit ei Domine Domine, & non facit quæ dicit ipse. Non novit nomen eius, qui eum nec honorat ut patrem, nec ut Dominum timet. Non novit nomen eius, quid ad vanitates & insanias falsas convertitur. *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas* [x]. Hoc nomen cognoverat qui dicebat [y] : *Non enim est aliud nomen datum hominibus in quo oporteat salvos fieri.* Nos quoque si novimus nomen sanctum quod invocatum est super nos, desiderandum utique nobis, ut semper sanctificetur in nobis : atque ita orandum juxta doctrinam utique Salvatoris [z] ? *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.* Denique audi quid sequatur in psalmo. *Clamavit ad me, & ego exaudiam eum.* Hic fructus notitiæ nominis, clamor orationis : porro fructus clamoris, exauditio salvatoris. Quomodo enim aut non invocans exaudire poterat, aut nomen Domini nesciens invocare ? Gratias ei qui manifestavit hominibus nomen Patris, fructum salutis in eius invocatione constituens, sicut scriptum est [a] : *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

[t] Rom. 8. c

[u] Heb. 11. a

Nomen DEI nosse quid sit.

[x] Psal. 39. a

[y] Actor. 4. c

[z] Matt. 6. b

[a] Ioel. 2. g

SERMO XVI.

De ℣. XV. *Clamavit ad me, & ego exaudiam eum.* &c.

Clamavit ad me, & exaudiam eum. Hoc planè est testamentum pacis, hoc pietatis fœdus, hoc pactum misericordiæ & miserationis. *Speravit in me, liberabo eum.* Nomen meum cognovit, *protegam eum*; invocavit me, & ego exaudiam eum. Nisi enim hæc aut similia diceret, quis non diffideret? Quis gloriabitur castum se habere cor? Nunc autem apud te propitiatio est, & propter hanc legem tuam sustinui te Domine. Dulcis lex, quæ meritum exauditionis in clamore constituit postulationis. *Clamavit* (inquit) *ad me, & exaudiam eum.* Merito non exauditur qui clamare dissimulat, aut omninò non postulans, aut tepide postulans & remisse. Siquidem in Dei auribus desiderium vehemens clamor magnus: è regione autem remissa intentio, vox submissa. Quando illa penetrabit nubes? quando audietur in cœlis? Nempe ut clamandum sibi noverit homo, inter primordia suæ orationis ipsum, quem oraturus est Patrem in cœlis esse protinus admonetur, quod videlicet impetu quodam spiritus, illo sibi jaculandam esse meminerit orationem. Spiritus est Deus, & in spiritu clamet necesse est, quisquis clamorē suum ad eum desiderat pervenire. Sicut enim non faciem hominis respicit tanquam homo, sed magis intuetur cor: sic ad cordis potius vocem, quam corporis aures eius: cui merito dicitur [a]: *Deus cordis mei.* Hinc est, quod Moyses foris tacens intus auditur, dicente Domino [b]: *Quid clamas ad me?*

In Dei auribus clamat qui vehementer desiderat.

[a] Psal. 72. d

[b] Exod. 14. d

Clamavit ad me, & exaudiam eum. Non immerito. Clamorem magnum sane magnitudo necessitatis extorsit. Quid enim clamans petiit nisi consolationem, liberationem, glorificationem? Alioquin quo modo super his exauditur, si pro aliis clamat? *Exaudiam eum* ait. In quo exaudies Domine, vel in quibus? *Cum ipso sum, in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Ad magnum illud triduum quod proximè sumus celebraturi; hunc mihi ternarium arbitror referendum. Siquidem & ipse propter nos tribulationem & dolorem invenit, quando proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Veruntamen quæ de ipso erant; sicut ante mortem prædixerat [c], finem habuerunt: & sicut in morte dixit, consummata sunt: & ex tunc sabbatizavit. Nec dilata est gloria resurrectionis die tertia, summo diluculo sol justitiæ de tumulo ortus est nobis. Ita ergo fructus pariter tribulationis & veritas ereptionis in manifestatione glorificationis apparuit. Nihilominus quoque & in nobis simile quoddam triduum posse videbitur assignari. *Cum ipso sum* (ait) *in tribulatione.* Quando hoc nisi in die tribulationis nostræ, in die crucis nostræ, dum impletur quod ipse ait [d]: *In mundo quidem pressuram habebitis*: & quod

Triduū Christi patientis, quiescentis & resurgentis.

[c] Luc. 22. l.

Simile triduū hominis pii.

[d] Ioan. 16. g.

Apostolus

Apostolus eius [e] : *Omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur*? Nam liberatio plena atque perfecta ante diem sepulturæ esse non poterit, quod maneat jugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium. In hac ergo die eripiam eum (inquit) quando nihil jam ultra quod vel corpori vel animæ faciat, mundus habebit. Sane glorificatio diem ultimum manet, diem resurrectionis, quando surget in gloria quod in ignominia interim seminatur.

e 2. Tim. 3. c

Eccl. 40. a

Unde scimus quod nobiscũ sit in tribulatione? Ex eo utique quod in ipsa tribulatione nos sumus. Quis enim sustineret, quis subsisteret, quis persisteret sine eo ? Omne gaudiũ existimemus, cũ in tribulationes varias incideri-mus. Fratres mei, nõ modo quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei *f* ? sed quoniam *juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde g*. *Si ambulavero in medio umbræ mortis* (ait quidem [h]) *non timebo mala quoniam tu mecum es*. Ita ergo nobiscum est omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Quando autem nos erimus cum ipso ? Nimirum quando rapiemur obviam Christo in aêra, & sic semper cum Domino erimus. Quando apparebimus cum ipso in gloria ? Nempe cum Christus apparuerit vita nostra. Interim sanè abscondatur necesse est, ut præcedat tribulatio ereptionem, ereptio glorificationem. Vox liberati [i] . *Convertere anima mea in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi : quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Eripiam eum, & glorificabo eum*. Felix qui te interim consolatorem & adjutorem habet, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. At quam felicior quem jam eripuisti & exemisti tantis malis, quam felicior qui jam exemptus de laqueo venantium, qui jam raptus est ne malitia mutet intellectum illius, aut ne fictio decipiat animam eius. Longè tamen præ his omnibus felicissimus ille erit quem assumpseris ad teipsum, quem repleveris in bonis domus tuæ, & claritati tuæ conformaveris eum.

Unde constet Deum nobiscũ esse in tribulatione.

f Act. 14. d

g Psal. 33. d

h Psal. 22. a

i Psal. 114. d

Et nunc, filioli, clamemus in cœlum, & miserebitur nostri DEUS noster. Chamemus in cœlum : quia sub cœlo omnia labor & dolor, vanitas & afflictio spiritus. Denique pravum est cor hominis & impersecrutabile [k], proni sensus eius in malum. Non est in me bonum, hoc est in carne mea. Lex peccati in ea habitat, adversus spiritum concupiscit. Postremo & cor meum dereliquit me, & corpus mortuum est propter peccatum. Sufficit autem diei quoque malitia sua ; & est mundus ipse positus in maligno. Quam nequam in omnibus sæculum præsens, quam nequiter adversus animam sæcularia desideria militare noscuntur? Sunt & principes mundi huius tenebrarum harum, spirituales nequitiæ, aëreæ potestates & inter eas callidior cunctis animantibus serpens. Hæc ergo

k Hier. 17. b

Vitæ præsentis miseriæ & pericula.

Vbi adversus ea quærendum remedium.

sub sole omnia. Hæc omnia sub cœlo. Ad quod horum confugium facis? In quo horũ omniũ speras solatii aliquid, aliquid auxilii invenire? Si quæras intra te, aruit cor tuum, & oblivioni datum te reperis, tanquã mortuum à corde. Si infra te, corpus quod corrumpitur, aggravat animam [l]. Si circa te, etiam terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem. Quære ergo supra te; sed cautus esto ventosa agmina transilire. Quia enim omne datum optimum, & omne donum perfectum non nisi desursum esse noverunt, medium iter latrunculi obsedere. Transi ergo transi per vigiles illas nequitias, quæ tam indefesse custodiunt & observant, ne quis in illam possit evadere civitatem. Si te percusserint, si vulneraverint, dimitte eis pallium [m], quod in Ægypto olim Joseph adulteræ dereliquit: dimitte sindonem, ut cum Evangelico illo juvene [n] profugias nudus ab eis. Nunquid non solum pallium eius & sindonem dederat Deus in manus impii, in cuius facultatem & carnem dans potestatem, *verumtamen animam*, ait, *illius serva* [o]? Ita ergo sursum cor, sursum clamor, sursum desideria, sursum conversatio, sursum intentio, & omnis expectatio tua desursum sit. Clama in cœlum ut exaudiaris, & qui in cœlis est Pater mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te. Mittat interim auxilium de tribulatione, eripiat à tribulatione, glorificet in resurrectione. Magna sunt hæc, sed tu magne Domine promisisti. Ex tua promissione speramus, inde audemus dicere: Si corde clamemus pio, certe debes ex promisso [p], Amen.

l Sap. 9. d

m Gen. 39. c
n Marc. 14.

o Iob. 1. b

p in hymno Quadrag.

Sermo XVII.

De ℣. XVII. *Longitudine dierum replebo eum*, &c.

Bene nobiscum agitur, Fratres, satis competit huic tempori versus psalmi. Celebraturis proximè dominicam resurrectionem, jam nunc cuique nostrum sua promittitur, ut festivius in capite suo factum recolant membra, quod in seipsis præstolantur aliquando faciendum. Congruus finis psalmi, ubi psallenti finis promittitur tam beatus. Jucundè completur, dum in eo spondetur repletio tam jucunda. *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.* Sæpius vos admoneo, fratres, quod juxta Pauli sententiam [a] *promissionem habeat pietas vitæ eius quæ nunc est pariter & futuræ.* Unde & idem ait [b]: *Habetis nunc quidem fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Ipsa est quæ hoc loco promittitur plenitudo ipsa longitudo dierum. Quid enim tam longum quàm quod æternum est? Quid tam longum, quàm quòd nullo fine præciditur? Bonus finis vita æterna, bonus finis qui finem non habet. Et sane cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Amplectamur itaque sanctificationem, quoniam bona est, quoniam finis eius vita sine fine.

a 1. Tim. 4. a
b Rom. 6. e

Longitudo dierum hic promissa est vita æterna.

Sanctimo-

Sanctimoniam sectemur & pacem, sine qua nemo videbit Deum [e], *Longitudine*, inquit, *dierū replebo eum, & ostendam illi salutare meum*. Dextræ Dei est ista promissio, munus est dextræ quam sibi olim Sanctus porrigi optabat. *Operi*, inquit [d], *manuum tuarum porriges dexteram*: delectationes in dextera hac usq; in finem. Hanc nimirum & ille sibi porrigi optavit & obtinuit dexteram, de quo Psalmista ait [e]: *Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum & in sæculum sæculi*. Manifestius deniq; sapiens dixit [f]: *In sinistra illius divitiæ & gloria, in dextera eius longiturnitas vitæ*. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Hæc enim vita qua vivimus, magis mors est? nec simpliciter vita, sed vita mortalis. Moritur homo dicimus, quando morti certissimè appropinquat. Quid vero agimus ex quo primum incipimus vivere, nisi morti appropinquare, & incipere mori? Sed & dies qualescunque vitæ huius pauci & mali sunt, sicut sanctus patriarcha testatur [g]. Ibi verè vivitur, ubi vivida vita est & vitalis. Ibi dies boni, ubi interminabilis longitudo dierum. Gratias ei qui tam non modo fortiter, sed & suaviter disponit universa. Eorum nempè paucitas dierum finietur brevi, quorum sufficit cuique malitia sua. Ubi autem dierum bonitas, æternitas quoque non deerit.

Longitudine dierum replebo eum. Quod prius dixerat, glorificabo eum, evidentius hoc versiculo declaravit. Cui tamen non sufficeret ab eo glorificari, cuius perfecta sunt opera? Non enim tanta immensitas nisi in immensum quempiam glorificare potest. Necesse est magna sit glorificatio à magnifica gloria quæ descendit. *Voce delapsa à magnifica gloria* [h], ait Petrus. Bene magnifica gloria glorificans tam magnificè, in longitudine, in multitudine, in plenitudine claritatis. Fallax gloria, & vana est claritas, dies hominum brevis. Sapiens eiusmodi non optabit: magis loquetur ex corde ei qui intuetur cor. *Et diem hominis non desideravi: tu scis*. Ego tamen plus aliquid quàm non desiderat desidero, ut ne recipiam quidem. Scio enim cuius vox sit [k]. *Ego claritatem ab homine non accipio*. Quàm vero miseri, qui gloriam quæ abinvicem est quærimus, & nolumus eam quæ à solo est Deo. Sola siquidem ea quam solam negligimus, longitudinem habet, sola repletionem. Breves dies hominis, & dies eius tanquam flos agri sic efflorebit. *Exsiccatum est*, inquit [l], *fœnum: & cecidit flos, verbum autem Domini in æternum manet*. Verus nimirum dies qui non novit occasum, æterna veritas, vera æternitas, ac proinde vera æternaque satietas. Alioquin quomodo gloria illa replebit, quæ fallax & vana est? Denique & inanis dicitur, ut noveris te ex ea magis exinaniri posse, non posse repleri. Bonum ergo interim magis abjectio quàm elatio est, bonum magis necessitas quàm voluptas: quod cum utraque res citius transeat, altera pœnam habeat, altera sit paritura coronam.

[e] H b. 12. d ,,
,,
[d] Iob. 14. c
[e] Psal. 20. a
[f] Prov. 3. c
Vita præsens potius mors dicenda.
[g] Gen. 47. b
,,
[h] 1. Pet. 1. d
Gloria futura verè magna, præsens fallax & inanis.
[i] Ierem. 17. c
[k] Ioan. 5. g
[l] Esa. 40. b

Utilis

Tribulatio utilis & necessaria.

Utilis tribulatio, quæ probationem operatur, ducit ad gloriam. *Cum ipso sum*, inquit, *in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Agamus gratias Patri misericordiarum, qui nobiscum est in tribulatione, & in omni tribulatione nostra nos consolatur. Res enim, ut dixi, necessaria tribulatio quæ in gloriam vertitur, tristitia quæ mutatur in gaudium. Gaudium sanè longum quod nemo tollit à nobis, gaudium multiplex, gaudium plenum. Res necessaria est ista necessitas, quæ coronam parit. Non contemnamus, fratres: semen modicum est: magnus exinde fructus exurgit. Fortè insipidum, fortè acerbum est, fortè granum sinapis. Non consideremus quæ videntur: sed quæ non videntur in eo. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna [m]. Prælibemus primitias gloriæ, gloriemur in spe gloriæ magni Dei. Non solum autem, sed ut dicam expressius, gloriemur in tribulatione. In ea siquidem spes gloriæ est. Vide si non hoc ipsum docere voluit Apostolus cũ subjunxit [n]: *Quoniam tribulatio patientiam operatur*, &c. Manifestè advertere est in his verbis cum præmisisset Apostolus *gloriari in spe*: non aliud aliquid sed amplius eum addidisse dicendo: *Non solum autem, sed & gloriari in tribulationibus.* Non enim altera gloriatio commendatur, sed additur ubi spes gloriæ, ubi ipsa spei gloriatio requiratur. Siquidem in tribulatione spes gloriæ, imò & ipsa in tribulatione gloria continetur: sicut spes fructus in semine, sic & ipse fructus in semine est. In hunc modum etiam modo regnum Dei intra nos est, thesaurus ingens in fictili vase, in agro vili. Est, inquam, sed absconditum est, felix qui ibi invenerit illud. Quis ille? Nempe qui messem magis cogitaverit quàm sementem. Oculus fidei invenit hunc thesaurum, non secundum faciem judicans; sed videns quæ non apparent, sed intuens quæ non videntur. Quàm veraciter hunc thesaurum invenerat, quem volebat inveniri & ab aliis, qui dicebat [o]: *Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ, supra modum, in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis.* Non dixit remunerabitur, sed *æternum pondus gloriæ operatur in nobis.* Latet gloria, fratres mei, abscondita nobis est in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc levi pondus sublime & supra modum. Interim ergo festinemus nobis emere agrum istum: emere thesaurum istum, qui absconditus est in agro. Omne gaudium existimemus cũ in varias inciderimus tribulationes. Dicamus ex animo, dicamus ex sententia. [p] *Bonũ magis ire ad domũ luctus, quàm ad domum convivii.*

Cum ipso sum in tribulatione ait Deus: & ego aliud interim requiram quàm tribulationem? Mihi adhærere Deo bonum est [q]. Non solum autem, sed & ponere in Domino spem meam: quia *eripiam eum*, inquit, *& glorificabo eum. Cum ipso sum in tribulatione. Deliciæ*, inquit [r], *meæ esse cum filiis hominum.* Emanuel nobiscum Deus. *Ave gratia plena*, ait Angelus

In tribulatione non præsentia & apparentia sed futura & abscondita cogitanda.

In tribulatione spes gloriæ, veluti in semente.

m 2. Cor. 4. d

*n Rom. 5. a

*o 2. Cor. 4. d

p Eccl. 7. a

q Psal. 72. a

r Prov. 8. d

gelus ad MARIAM, *Dominus tecum* [s]. In plenitudine gratiæ nobiscum, in plenitudine gloriæ erimus nos cum eo. Descendit ut prope sit his qui tribulato sunt corde, ut nobiscum sit in tribulatione nostra. Erit autem quando rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus si tamen curemus interim eum habere nobiscum, ut sit comes viæ, qui patriæ redditor est futurus: imò qui tunc patria, modo sit via. Bonum mihi Domine tribulari, dum modo ipse sis mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quam esse sine te vel in cœlo. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Aurum probat fornax, & viros justos tentatio tribulationis [t]. Ibi ibi cum eis es Domine, ibi in tuo nomine congregatis medius astas, sicut olim cum tribus pueris es dignatus etiam ethnico apparere ut diceret, quia *species quarti, similis filio Dei* [u]. Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum? Sævit ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione. Si Deus nobiscum, quis contra nos? Nihilominus quoque si ille eripit, quis est qui rapiat de manu eius? Quis est qui de manu eius possit eruere? Postremo si ille glorificat, quisnam alius inglorium faciet? Si ille glorificat, quis humiliabit?

[s] Luc. 1. c.

Tribulari bonum modò Dominus nobiscum.

[t] Eccli. 27. a

[u] Dan. 3. g

Audi denique quanam gloria ipse glorificet. *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum.* Et primo quidem in eo quòd dierum nomen pluraliter posuit, non vicissitudinem aliquam, sed multitudinem voluit commendare. Alioquin si vicissitudinem suspicaris, melior est dies una in atriis Domini super millia [x]. Legimus sanctos atque perfectos viros etiam ab his diebus nostris plenos migrasse dierum: nec sanè aliud quàm virtutum plenos, plenos intelligimus gratiarum. Nimirum in hanc plenitudinem velut de die in diem, de claritate in claritatem, non quidem à suo, sed à Domini spiritu transformantur. Si ergo dies gratia dicitur, si (ut supra meminimus) etiam dies hominis, claritas quæ ab homine est; & malè nitens gloria, quam ab invicem quærimus: quomodo non magis verus dies & plenus meridies veræ gloriæ plenitudo; Quòd si dies plurimos divisiones dicimus gratiarum, quomodo non in multiplici gloria dierum intelligitur multitudo? Postremo evidentius audi sine ulla vicissitudine dies multos. *Erit lux lunæ sicut lux solis* (ait Propheta [y]) *& lux solis septempliciter sicut lux septem dierum.* Istis (ni fallor) cunctis diebus vitæ suæ psalmos suos cantare in domo Domini Rex fidelis optabat [z]. Erit enim devotos esse Deo ad singula tantæ & tam multiplicis gloriæ munera, & in omnibus semper gratias agere, quasi cunctis diebus psalmos dicere nomini eius.

[x] Psal. 73. a

Sancti hinc migrant pleni dierum

[y] Isa. 30. f

[z] Isa. 38.

Longitudine dierum replebo eum. Ac si manifestius dicat: Scio quid desideret, scio quid sitiat, quid sapiat ei. Non ei aurum vel argentum sapit,

non voluptas, non curiositas, non dignitas aliqua sæcularis. Omnia detrimentum facit, omnia aspernatur & arbitratur ut stercora. Exinanivit penitus semetipsum, nec se ex his patitur occupari, quibus novit se non posse repleri. Non ignorat ad cuius imaginem conditus sit, cuius magnitudinis capax sit: nec sustinet de modico crescere, ut de maximo minuatur. Itaque *longitudine dierum replebo eum*, quem nisi lux vera reficere, nisi æterna implere non potest. Siquidem nec longiturnitas illa terminum, nec claritas illa occasum, nec satietas illa fastidium habet. Erit enim securitas de æternitate, gloriatio de veritate, exultatio de satietate. *Et ostendam illi salutare meum.* Nimirum extunc videre merebitur quod optavit, cum sibi rex gloriæ glorioſam exhibebit Ecclesiam, non habentem maculam ob splendorem diei, sed neque rugam ob omnimodam plenitudinem sui. Alioquin ad illius fulgorem luminis sicut non impurus, sic ne turbatus quidem in aliquo animus vel inquietus assurgit. Inde est quòd nunc quoque (ut supra memini) sanctimoniam simul & pacem sectari præcipimur [a], quòd sine his nemo videat Deum. Cum ergo repleverit in bonis desiderium tuum, ut non aliud sit quod requiras, serenato penitus ex ipsa plenitudine animo, videre jam poteris serenitatem illam, illam plenitudinem majestatis similis Deo factus, quòd videas eum sicuti est: aut forte jam plenus omni gloria in semetipso, etiam foris salvationem quam operatus est Deus, & plenam majestate eius omnem terram undique circumspiciet delicioſissimus delicioſissimi seculi habitator: ad hoc quoque referri posse videbitur quod adjecit: *Et ostendam illi salutare meum.*

Qui terrena & caduca fastidit is meretur cœlestibus & æternis repleri.

[a] Heb. 12. d *Futuræ gloriæ statum.*

Alioquin accipiamus, si magis placet, etiam hoc modo, ut ipsos quos promiserat dies, in hac ostensione salutaris exponat. *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum.* Et tanquam quæreres, unde erit dies in civitate de qua legimus [b], quia non lucebit ibi sol per diem, nox enim non erit in ea: *Ostendam illi*, ait, *salutare meum*: ut quemadmodum & in illa scriptura dicitur: Lucerna eius sit agnus. *Ostendam illi salutare meum.* Non jam in fide erudiam, non jam exercebo in spe, sed specie adimplebo. *Ostendam illi salutare meum*, ostendam illi Iesum meum, ut in æternum jam videat in quē credidit, quem dilexit, quem semper optavit. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis* [d]. Ostende nobis salutare tuum, & sufficit nobis. Qui enim videt illum, videt & te: quia ipse in te, & tu in ipso. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscamus te verum Deum, & quē misisti Iesum Christum [e]. Itaque tunc dimittes servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace, cum viderint oculi mei salutare tuum, Jesum tuum, Dominum meum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

[b] Psal. 120. c

[c] Ap. 21. g

[d] Psal. 84. a

[e] Ioan. 17. a

Finis Sermonum in Psalm. XC. Qui habitat.

S. P. BER-

S PATRIS BERNARDI ABBATIS CLARÆVALLENSIS SERMONES

De Diversis.

SERMO I.

De fallacia & brevitate vitæ præsentis.

VEra omninò sententia, Fratres, quoniam *tentatio est vita hominis super terram* [a]. Siquidem fallax est, nec simpliciter fallere consuevit. Ut enim multipliciter illudat hominibus, mutat faciem, mutat vocem, modò ait, modò negat, nec erubescit: de ipsa quantitate sua diversis diversa loquitur, imò & eidem diverso tempore contraria quoque suggerit & adversa. Modò enim se brevem esse causat, modò simulat longiorem. Cum peccare delectat adhuc, gemit altius pro brevitate sua. Nec brevitas falsa, sed gemitus fallax, quod id memoret cum mœrore, unde magis oportuerat gratulari. Siquidem bonum est ei si sic agere perseverat, ut flagitiis eius quibus voluntas modum non ponit, vel necessitas finem ponat. Expedit ei qui semper anima moritur, ut corpore citius moriatur, magis autem ei bonum erat si natus non fuisset homo ille. Et ipsa denique vitæ memoria brevioris remedium magis quam incentivum debuerat esse peccati, sicut scriptum est [b]: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Quod si usque adeo regnat in te peccatum, imò usque adeo delectat te servire peccato, ut doleas tibi modicum tempus esse quo servias ei, sed eousque latam diligis viam, ut omnimodis optes si posses eam etiam facere longam; velis nolis, non longè est finis eius, sed tu fateor longè es à regno Dei, & firmissimum pepegisse videris cum morte fœdus, pactum cum inferno.

Erraverunt (ait Propheta) *in solitudine in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt.* Solitudo hæc superborum est, quia solos sese reputant, solos appetunt reputari. Literatus est? odit socium Astutus in negociis sæcularibus? neminem vellet sibi similem inveniri. Pecuniosus est? si ditescere viderit alterum, cruciatur. Fortis est aut formosus? da ei parem, & contabescit. Solitarius est, sed erroneus. Errat in solitudine sua: non enim solus habitare poterit super terram. Nec mirum quod soli-

a Iob. 7. a

Quam falsa & fallacia hominũ judicia.

Malis expedit non esse longævos.

b Eccli. 7. d *Memoria mortis frænum peccati.*

*c Ps. 106. a *Superbia impatiens consortii.*

litudini huic, *inaquoſum* additur: ut dicatur, in ſolitudine in *inaquoſo*. Sicut enim in ſolitudinibus aquæ deeſſe ſolent, & loca deſerta ſterilia quoque & arida eſſe conſueverunt, ſic ſuperbiam impœnitantia comitatur. Elatum enim cor, durum & expers eſt pietatis, ignarum compunctionis, ſiccum ab omni rore gratiæ ſpiritualis, quia ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus vero dat gratiam [a]. *Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium* (ait Propheta [c]) *pertranſibunt aquæ.* Hinc eſt quòd de ſeipſo miſerabiliter conquerens ait [f], *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Siquidem aquæ inopia non modo aridum, ſed & ſordidum facit, dum non eſt quo laveris: & humanum cor lachrymas neſciens, non modo durum, ſed & impurum eſſe neceſſe eſt. *Lavabo*, ait [g], *per ſingulas noctes lectum meum*, ut conſcientiæ maculas diluam. *Lachrymis meis ſtratum meum rigabo*, ne in me quoque fiat quod ſcriptum eſt, de ſemine quod cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem [h].

Erraverunt in ſolitudine in inaquoſo: viam civitatis habitaculi non invenerunt. Erraverunt planè in invio, & non in via. Neque enim via eſt lata via. Rectitudo quippe ad viam, latitudo ad planitatem magis quam ad viam pertinet. Solitudo in via lata eſt via: & ubi nulla eſt via, totum eſt via. Sic eſt vita expoſita vitiis, latiſſimos habens hinc inde terminos, quia nullos terminos habens. Nec vita ſane dicenda eſt, quia nimirum ſoli vivitur morti, Apoſtolo teſte, qui ait [i]: *Quia ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini.* Sic nec circuitus via, & tamen impiorum eſt via, ſicut ſcriptum eſt [k]: *In circuitu impii ambulant.* Ipſa eſt ſpacioſa via, cuius latitudinis ſpacium nullis clauditur metis, ubi nec lex eſt, nec prævaricatio. Huiuſmodi ergo filiis diffidentiæ qui totos ſeſe corporeis voluptatibus & propriis voluntatibus tradiderunt, fiducialiter fallax vita brevem ſeſe eſſe fatetur, ut carnaliter doleant quòd inſtar principis ſui* modicum tempus ſe habere cognoſcant, atque eo vehementius ad omne flagitium inardeſcant, ſicut quidam dicere referuntur [l]: *Non nos prætereat flos temporis, coronemus nos roſis antequam marceſcant. Nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra, nullus ſit expers luxuriæ noſtræ, ubique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars, & hæc eſt ſors noſtra.* Et manifeſtius: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Verum id quidem reſpondebit eis cras juſtitia ſua: nec manentem hic civitatem habent vel ipſi qui viam civitatis habitaculi non invenerunt. Sed quod eo magis peccare feſtinant, prorſus inſaniunt. Sane eiſdem ipſis ſi quando forte imminentis ſibi mortis cœperint horrere memoriam, & terribilem expectationem judicii contremiſcere, continuò vitæ huius fallacia longam ſe eſſe mentitur: ut

Impii ex vitæ brevitate, luxuriandi occaſionem ſumentes, inſaniunt.

a Iacob. 4. b
c Pſal. 103. b
f Pſal. 142. b
g Pſal. 6. b
h Matt. 13. a
i Rom. 8. c
k Pſal. 11. b
* *Diaboli: de quo Apoc. 12. deſcend. ad vos Diab. habens iram mag. ſciens quod modicum tempus habet.*
* l Sap. 2. b

ut quam paulo ante brevem esse dolebant peccato vitam, nunc eandem repentè inveniant usque adeo prolongatam, ut securè se posse putent non modicam adhuc partem consumere in peccatis, quòd reliqua longa sit, & sufficiat ad agendam pœnitentiam pro peccatis. Cæterum sicut prioribus nisi resipuerint, timor quem timent eveniet, imò gravius quam quòd verentur accidet eis, ut non modo flagitiorum tempus velociter transeat; sed & succedat tempus aut magis æternitas suppliciorum: ita & his cum dixerint pax & securitas, repentinus superveniet interitus, ut non possint nec dimidiare dies quibus sese somniant adhuc esse victuros, non illam quam sibi pollicentur dimidiationem explere dierum.

Vitam modò brevem modo longam sibi fingunt.

Vobis Fratres nec jam à tristitia veræ brevitatis, nec à fallaci consolatione simulatæ longitudinis timeo, quod certissimè jam cœperitis ire in civitatem habitationis, nec ambuletis in invio, sed in via. Vereor autem ne vobis quoque, sed aliter vita ipsa simulatione longitudinis illudere velit, non consolationem hinc afferens, sed magis inferens desolationem. Vereor, inquam, ne longiorem sibi vitam supereſse quis reputans, & grandem sibi restare autumans viam, obruatur à pusillanimitate spiritus, & labores tantos & tam diuturnos sustinere posse desperet: quasi vero non secundum multitudinem dolorum suorum in corde suo consolationes divinæ lætificent animas electorum. Et nunc quidem secundum multitudinem dolorum, dum adhuc quasi ad mensuram dantur. Cæterum post hæc, delectationes, non jam consolationes in dextera eius usque in finem. Concupiscamus illam dexteram, Fratres, quæ totos amplexabitur nos, suspiremus ad delectationes illas; ut sicut breve est omninò tempus, etiam pauci videantur nobis dies præ amoris magnitudine. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* [m]. Jucunda promissio, & votis omnibus amplectenda. Non enim astabimus quasi inanes & vacui spectatores, nec gloria quasi extrinsecus revelabitur nobis, sed in nobis. Videbimus enim Deum facie ad faciem, sed non extra nos, quia in nobis erit, utique omnia in omnibus. Nimirum plena erit gloria illa etiam omnis terra, quanto magis anima ipsa replebitur? *Replebimur* inquit [n], *in bonis domus tuæ.* Et quid dico quòd non aderit nobis gloria, sed inerit? Nunc quoque in nobis est, sed tunc revelabitur. Nunc enim filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus.

Tentatio piorum quibus tædio est longior vita ob continuos, quos secũ trahit, labores.

**m Rom. 8. d*

Remediũ eius consideratio futuræ retributionis & gloriæ.

n Psal. 64. a

Fratres mei, si non accepimus spiritum huius mundi, sed spiritum qui ex Deo est, sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Ego enim dico quoniam omnia. Et si mihi non creditis, Apostolo credite [o]: *Qui proprio, ait, filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non omnia etiam cum illo nobis donavit?* Hæc nempe potestas filiorum DEI, quam dedit his qui receperunt eum. Hæc gloria cuiusque fidelis, gloria quasi adoptati à

**o Rom. 8. f*

Patre, per eum utique cuius gloriam vidimus, gloriam quasi Unigeniti à Patre. Audi denique potestatem [p], *Omnia*, inquit, *possibilia sunt credenti.*

[p] Marc. 9. d

Homini quomodò donata omnia.

Sed adhuc multa, inquies, graviter inquietant, multa evidentius adversantur. Et miror quomodo omnia data memores, quibus ferè nulla famulantur ad votum. Servire nobis videntur aliqua sed cum labore nostro: nec nisi prius servierimus eis. Jumenta ipsa nisi fuerint à nobis nutrita, nisi domita, nisi fuerint pabulo sustentata, non adjuvant. Terra ipsa quæ debuerat nobis esse germanior, non sine sudore vultus nostri panem nobis ministrat, imò & cum coluerimus eam, spinas & tribulos germinat nobis. Et cætera omnia denique si diligenter consideremus, servitium à nobis magis exigunt quàm exhibent nobis: ut ea interim sileam quæ sunt parata nocere, ut est ignis ad exurendum: aqua ad submergendum: feræ ad lacerandum. Et hæc quidem ita se habent, sed tamen non mentitur Apostolus etiam alio loco manifestius asseverans scire se [q] *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Veruntamen solerter attēde quòd non ad libitum famulari: sed cooperari dicit ad bonum. Neque enim ad voluntatem serviunt, sed ad utilitatem: non ad voluptatem, sed ad salutem: non ad votum, sed commodum nostrum. Usque adeo siquidem in hunc modum omnia nobis cooperantur in bonum, ut inter hæc omnia etiam ea quæ nihil sunt numerentur, molestia, morbus, & ipsa mors etiam, & peccatum, quæ quidem constat naturas non esse, sed naturæ corruptiones. An vero ei peccata ipsa non cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, ferventior, solicitior, timoratior & cautior invenitur.

[q] Rom. 8. c

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Etiam morbus, mors & ipsum peccatum.

Hæ sunt erga primitiæ spiritus, hæ primitiæ regni, hæc gloriæ prælibatio, hoc potestatis initium, & arrha quædam paternæ hæreditatis. Cæterum cum venerit quòd perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, ut ad votum deinceps omnia disponātur, quòd indissolubili vinculo copulata sibi utile & jucundum separari ultra non possit. Hoc nempe erit illud æternum gloriæ pondus de quo identidem ait Apostolus: *Momentaneum*, inquit [r], *hoc & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Perge ergo murmurare & dicere: Longum est, grave est, non possum tam immania & tam diuturna portare. Apostolus *momentaneum & leve* perhibet esse quod tolerat: & certe nec dum à Judæis quinquies quadragenas una minus accepisti; nec dum nocte ac die in profundo maris fuisti, nec dum plus omnibus laborasti, postremo nec dum usque ad sanguinem restitisti. Vide ergo quam non sunt condignæ ad gloriam passiones. Quod tribulationis est, momentaneum est & leve: quod gloriæ, æternum est, & pondus etiam supra modum in sublimitate. Quid in incertum tibi dies & annos numeras? Transit hora, transit &

[r] 2. Cor. 4. d

NOTA. Labor brevis, merces perpetua. Passio momentanea, gloria æterna.

pœna;

pœna? nec accedunt sibi, sed cedunt potius & succedunt. Non sic gloria, non sic remuneratio, non sic merces ipsa laboris: nescit vicissitudinem, nescit finem, manet tota simul, & manet in æternum. *Cum dederit* (inquit [s]) *dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Sufficit enim nunc cuique diei malitia sua, nec laborem suum poterit reservare sequenti; sed omnium merces laborum in una illa die reddetur, cui altera non succedit. *Reposita est mihi corona justitiæ* (ait Apostolus [t]) *quam reddet mihi* non illis, *sed in illum diem justus judex.* Melior est enim dies una in atriis illis super millia [u]. Guttatim pœna bibitur, liquando sumitur, per minutias transit: nam in remuneratione torrens est voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen pacis. Flumen planè est, sed quod affluat, non quod fluat vel effluat. Flumen non quod transeat vel pertranseat, sed quod abundet.

[s] Psal. 93. a

[t] 2. Tim. 4. b

[u] Psal. 83. c

Æternum, inquit, *gloriæ pondus.* Non enim nobis glorioſa vestis, non glorioſa domus, sed ipsa gloria promittitur. Si quid vero illorum aut similium aliquando dicitur, figura est. Nam in veritate justorum expectatio, non aliquod lætum, sed ipsa lætitia est [x]. Gaudent in cibis, gaudent pompis, gaudent in divitiis, gaudent & in vitiis homines, sed luctus extrema occupat ejusmodi gaudiorum, quod gaudium in materia convertibili mutari necesse sit re mutata. Accenditur cereus: non purum lumen est, sed lucerna: siquidem ignis ipse propria fomenta consumit, nec nisi ipsa consumptione fovetur. Porrò deficiente materia etiam ipse deficiet: & ubi illam videris prorsus exustam, hunc quoque nihilominus extinctum esse reperies. Sicut ergò flammæ illius novissima fumus occupat & caligo, sic lætitia lætæ rei in tristitiam commutatur. Nobis autem non favum mellis, sed purissimum & liquidissimum mel reposuit Deus, ipsam plane lætitiam, vitam, gloriam, pacem, voluptatem, amœnitatem, fœlicitatem, jucunditatem & exultationem thesaurizavit nobis Dominus DEUS noster; & hæc omnia unum, ut sit participatio Hierusalem in idipsum. Et hoc unum & idipsum non nisi ipse, sicut supra meminimus, dicente Apostolo [y], quoniam erit DEUS omnia in omnibus. Hæc merces nostra, hæc corona nostra, hoc bravium nostrum, ad quod utinam sic curramus, ut comprehendamus. Fratres, nunquam prudens agricola seminandi opportunitatem reputat longiorem, quod futuræ messis desiderat ubertatem. Vestri autem dies non minus utique quàm capilli omnes numerati sunt: & sicut pilus de corpore, sic & momentum de tempore non peribit. Habentes ergo talem promissionem, charissimi, non deficiamus aut fatigemur aliquando: nec grave causemur onus Christi: quod teste ipso leve est; vel jugum, quod revera suave est: sed ad omne quod videmur portare pondus diei, æternum gloriæ pondus cogitemus. Ad quam nos sua miseratione

[x] Prov. 10. d

Breve gaudium mundanorum.

Elegans simile.

Ad gaudium piorum stabile & perpetuum.

[y] 1. Cor. 1. d & Coloss. 3. b

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ratione perducat virtutum dominus & rex gloriæ, cui interim devota humilitate clamamus; Non nobis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam ℣.

℣ Psal. 113. b

SERMO II.

De Obedientia, Patientia, & Sapientia, seu, de noscendo seipsum, quod homines sumus.

Religiosorum vocatio & vacatio.

OBsecro vos, Fratres, per communem salutem, studiose suscipite datam vobis opportunitatem operandæ salutis. Obsecro per misericordiam, pro qua tam miserabiles vos facere studuistis, facite ad quod venistis, ad quod ascendistis de fluminibus Babylonis. *Super flumina Babylonis* (ait Propheta [a]) *illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Nulla vobis hic nutriendorum liberorum cura, nulla sollicitudo quomodò placeatis uxoribus: non de nundinis, non de negociis sæcularibus, non de ipso victu & vestitu necesse est cogitare. Procul à vobis magna quidem ex parte diei malitia, & sollicitudo vitæ. Sic abscondit vos Deus in abscondito tabernaculi sui. Vacate itaque, dilectissimi, & videte, quoniam ipse est Deus [b]. Verum ut hoc quandoque possitis, curandum est vobis prius ut videatis quid estis vos, & juxta eiusdem Prophetæ [c] vocem, *sciant gentes quoniam homines sunt.* Huic duplici considerationi tota hæc vestra vocatio tribuatur, sicut sanctus orabat †: *Deus noverim me, noverim te.* Quomodo enim natus sibi videtur homo, si labores fugitans & dolores? Aut quomodo scit se esse hominem, qui ad id paratus non est ad quod natus? *Homo*, inquit [d], *natus ad laborem.* Nam ad laborem natum se dubitet, qui non natus est in dolore. Sed dolorem parturientis, clamor: laborem, prolis fletus indicat & vagitus. *Quoniam tu laborem & dolorem considerasti*, ait Propheta [e]: Labor in actionibus: dolor in passionibus est. Proinde qui se noverat hominem, ad utrumque paratus supplici confessione dicebat [f]: *Paratum cor meum Deus: paratum cor meum.* Et geminam hanc præparationem evidentius exprimens, de actione quidem. *Paratus sum* (ait [g]) *& non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* De passione verò: *Ego*, inquit [h], *in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.*

a Psal. 136.

b Psal. 145. a

c Psal. 9. g

† S. Augustin.

d Iob. 5. b

Homo natus ad laborem & dolorem.

e Psal. 9. g

f Psal. 55. a

g Ps. 118. b

h Psal. 37. d

Nemo sane in hac misera vita geminam hanc vexationem se evadere glorietur. Nemo quippe ex omnibus filiis Adæ sine labore hic vivit, nemo sine dolore. Est qui declinat aliquos, sed incidit procul dubio in graviores. *In labore*, inquit [i], *hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Non tamen continuo sine labore sunt, aut minime flagellantur. Denique *propterea*, inquit, *tenuit eos superbia.* Gravis equidem labor. *Operti sunt iniquitate & impietate sua*, gravibus plane flagellis. Siquidem non est gaudere impiis, dicit Dominus [k]. Quòd enim

In hac vita nemo sine labore, vel dolore.

i Psal. 72. a

Etsi quidem bruto stupore insensibiles.

k Isa. 57. d

nec

nec laboris anxietatem, nec flagelli sentiunt læsionem, ipsa jam insensibilitas vehementiam indicat passionis. Sudat pauper in opere foris sed nunquid minus anxie dives intus in ipsa sua cogitatione laborat? Aperit iste os suum in oscitatione, aperit ille in eructatione, & interdum ille gravius fastidio quàm iste inedia cruciatur. Postremo velint nolint, non modo homines, sed etiam dæmones & faciunt & patiuntur quod providentia summa disposuit.

Cæterum nec leprosa obedientia, nec canina patientia commendatur. Inde est quòd non simpliciter petimus *ut fiat voluntas Domini*, quam in omnibus & per omnia fieri certissime constat, (voluntati enim eius quis resistit?) sed ut fiat *sicut in cœlo, & in terra.* Quam nimirum adiectionem duabus quoque præcedentibus petitionibus nihilominus reor aptandam, ut patrem nostrum qui in cœlis est exoremus, quatenus *& nomen eius sanctificetur, & regnum eius adveniat, & voluntas fiat.* Hæc omnia *sicut in cœlo, sic & in terra*: alioquin ubi non sanctificatur nomen eius? Ubi jam regnum eius non venit, quando in nomine Jesu omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium & infernorum [m]? *Scio te quia es sanctus DEI*, ait etiam ipse malignus [n]. At longe aliter & dissimili prorsus affectione nomen istud sanctificatur in cœlis, ubi tam inenarrabili jucunditate clamatur [o], *sanctus, sanctus, sanctus, Dominus DEVS Sabaoth.* Sic & regnat non in terra solum, verum etiam in gehenna, imperium habens vitæ & mortis. Sed omnino dissimiliter regnat in his qui inviti serviunt, & qui voluntarie famulantur.

[l] Matt. 6. b

[m] Phil. 2. b
[n] Marc. 1. c

[o] Isa. 6. b

Bonus cibus *Obedientia*, de qua nimirum & ipse Dominus ait [p]: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei.* Et Propheta [q]: *Labores* (ait) *manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Bonus cibus *Patientia* pauperum, quæ non peribit in finem, panis lachrymarum, panis doloris. Veruntamen utrique necessarium est condimentum, sine quo uterque insipidus non modo non reficiat, sed gustatus afferat mortem. Durissimus equidem cibus uterque, fratres, & nisi aliquod tertium saporabile apponatur, utique mors in olla. Quid vero tam saporabile quàm *Sapientia*? Nempe lignum vitæ est, quod & ipsas aquas Marath per Moysen dulcoravit [r]. Farinula est, quæ pulmentum prophetarum per Helisæum saporavit [s]. Ignis est, qui semper ardere præcipitur in altari [t]. Oleum est, ob cuius inopiam virginibus fatuis ostium clauditur nuptiarum [u]. Sal est, quod nulli sacrificio deesse jubetur [x]. Inde est quod insulsos homines dicimus, quos intelligi volumus minime sapientes. Et Dominus sal in nobis habere præcipit [y]. Apostolus quoque omnem nostrum sermonem sale monet esse conditum [z].

[p] Ioan. 4. d
[q] Ps. 127. a
Obed. & Patientia bonum cibus: condimentum utriusque Sapientia.

[r] Exod. 15. d
[s] 4. Reg. 4. d
[t] Levit. 6. c
[u] Matt. 25. a
[x] Levit. 2. d

[y] Matt. 9. d & 14. g
[z] Coloss. 4. b

Puto tamen hanc ipsam, quam Obedientiæ & Patientiæ tertiam addi

volumus, Sapientiam nihil ominus triplicem inveniri, ut noſtrum hoc condimentum velut tribus quibuſdam herbis conficiatur. Opus eſt ut *juſtitia* ſit in intentione, *hilaritas* in operatione, *humilitas* in reputatione. Inſipida namque DEO & inſulſa quodammodo noſtra *obedientia* ſeu etiam *patientia* eſt, niſi omnium quæ vel agimus vel patimur, ipſe ſit cauſa: quia & quicquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei: & non ſiquid patimur, ſed ſi quid propter juſtitiam patimur, beati. Oportet autem puſillanimitatem quoque & triſtitiam in omnibus quæ agenda ſunt vel toleranda, caveri: quia *hilarem datorem diligit Deus* [a]. Denique hilaritas ipſa & devota voluntas ad eam, quam ſupra diximus, præparationem ſpecialiter noſcitur pertinere. Porro elationem ſuper omnia fugere neceſſe eſt. Quiſquis enim altum ſapit & opus eius & patientia vanum ſapit: nec gravior ullus ſapor, aut magis contrarius eſt veritati. Videſne quam ſit utile homini ſcire ſe hominem, ut proinde ſit paratus ad mandatorum obedientiam, & tolerantiam flagellorum, ac deinceps ſtudeat, ut qui nec laborem interim poteſt effugere nec dolorem, ſic ſaltem laboret & doleat, ut hæc ſibi in cibos tranſeant ſalutares? *Siquidem melior eſt obedientia quàm victimæ, & melior eſt patiens viro forti* [b]. Inobedientia eſt cauſa mortis, omnes experimur, omnes morimur propter eam. Impatientia, animæ perditio eſt, dicente Domino [c]: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Nihil ominus autem *ſapientia* quoque quam diximus, neceſſaria eſt ad ſalutem. Siquidem non ſolum propter inobedientiam quibus obedientia defuit, aut propter impatientiam qui patientia caruerunt; ſed & qui non habuerunt ſapientiam, propter ſuam inſipientiam perierunt.

Sapientia triplex.
Juſtitia in intentione.
Hilaritas in operatione.
a 2. Cor. 9. b
Humilitas in reputatione
b Eccl. 4. b
c Luc. 21. d

Et hæc quidem ut ſciant homines quoniam homines ſunt, actionibus jam & paſſionibus deputati. Erat quando in actione & meditatione poſitus erat homo, ſine paſſione habens actionem, habens etiam ſine labore meditationem. Dico autē quando poſitus eſt in paradiſum, ut operaretur & cuſtodiret. Verum hinc quoque ſe non caderet, erat aliquando promovendus, ut ſola jam frueretur contemplatione: ſicut & ex hoc inferiori gradu quem modo tenet, niſi reſurgere ſatagat, in infimum eſt quandoque caſurus; videlicet, ut in ſola jam paſſione verſetur, quòd nec opus nec ratio, ſed tantum paſſio apud inferos ſit. Felix quidem cuius animam corpus non aggravabat, quia nec corrumpebatur. Sed longè felicior, ſi ad hoc perveniſſet, ut minoratus actu, plenius perfectiusque perciperet ſapientiam, gratis diligens corpus, tanquam in nullo indigens corpore. Eſſet enim hic pulcherrimus ordo, & erit adhuc quando erit. Neque enim aliquatenus deſperandum, ut videlicet ſicut anima DEO, ſic animæ caro dicere videretur. *Quoniam bonorum meorum non eges,*

Conditio hominis in ſtatu naturæ integræ.

adimple-

adimplebis me lætitia (ait) *cum vultu tuo* [d]. Inde plenitudo, inde satietas, cum apparuerit gloria tua. Nam quod de corporum reformatione, & conformatione claritati corporis eius expectamus, ex abundanti quodammodo & mensuræ superefluentia erit: ut feliciter quidem in ipsius glorificatione, sed non principaliter gaudeamus. *Vxor*, inquit, *tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.* Honorabitur caro, sed juxta mensuram, non in medio domus habitans, sed seorsum; nec in facie nobis, sed in latere constituta. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ* [f]. Nimirum opera etiam ipsa non deerunt, sed quæ nunc fiunt, non quæ fient tunc: sicut scriptum est [g]: *Opera enim illorum sequuntur illos.* Verum etsi gratulemur & agamus gratias DEO super his quæ ipsius adjutorio gessimus, non primum tamen eis locum dabimus, sed in circuitu locabuntur.

d Psal. 15.a

Status futuræ gloriæ post resurrectionem corporum.

e Psal. 127.a

f Ibidem.

g Apoc. 14.c

Nunc vero in regione corporum habitantes, corporibus sumus obnoxii, & ex quo dissipaverunt legem Domini parentes nostri, non modo faciendi tempus est, sed etiam patiendi, & omnium nostrum amplius labor & dolor. Durus equidem cibus est, hordeacus panis, sed offenso rege, pulsus palatio miles quamlibet dedicatus, ad unum forte quem solum habet servulum divertere opus habebit: ibi fovere latebras, & insolita capere prandia: apud eum regales delicias pultibus rusticanis, ac nobiles stratus sterquilinio mutare servuli, juxta illud propheticæ lamentationis *h*: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Ibique hoc maxime Prophera deplorat, oblitas propriæ conditionis ingenuas creaturas tantam dissimulare miseriam: nec modo non reputare quod tolerant, sed tanquam bona magna complecti quæ paulo minus extrema sunt mala. Propterea siquidem & de seipso ait [i]: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.*

Status naturæ corruptæ.

*h Thren. 4.d

i Ibidem.

Gemamus nos sub hoc onere, Fratres, & præsentes deploremus ærumnas: frequenter quisque nostrum in vocem piæ querimoniæ erumpat & clamet [k]: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Studeamus etiam furari aliquando nosmetipsos, & à pessimis occupationibus istis surripere vel ad horam: jaculari animos, vibrare corda in id quod sursum est, & quod quanto naturalius, tanto suavius est. Hoc enim est quod dicitur [l]: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* Neque enim est oculorum visio ista, sed cordium, cum Dominus dicat [m]: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Proprium hoc cordis bonum: nec servili ad hoc indiget instrumento: proprius enim animæ cibus est: de quo Propheta [n]: *Aruit*, inquit, *cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Sanè quod dicimus, dictu facilius nihil est, in comparatione dicimus operum: quòd longè sit volubilior lingua, quàm dextera, & levius

Quid facto opus ad remedium & levamen præsentis miseriæ.

*k Rom. 7.d

*l Psal. 45.b

m Matt. 5.b

n Psal. 101.a

hæc ad verbum, quàm ad actum illa moveatur. Alioquin & dictu & actu cogitatus facilior est, quòd in eo quidem suo ipsius ore loquatur anima, suis videat oculis, suis manibus operetur. Quamvis & hic interdum laborare eam necesse est etiam in gemitu suo, & intra proprium quoque cubile compungi. Siquidem usque adeò vita nostra inferno appropinquavit, qui solius utique passionis est locus, ut & actionem passio, imò & ipsam quoque cogitationem actio & passio pariter occuparint. Nonne enim nobis quodammodo passivæ sunt actiones, & in cogitationibus etiam dolor & labor? Heu vitula Ephraim docta diligere triturам, assueta jugo, ignara quietis [o]. Quando veniam & apparebo ante faciem DEI? Quando cessabunt hæc omnia, & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, neque labor ullus? Quando inebriabit animam ubertas Domus DEI, & torrens ille indeficiens voluptatis divinæ? Quando totam sibi eam serenissimi contemplatio luminis vendicabit? Filioli, concupiscamus in atria Domini: crebro suspiremus illuc. Patria nostra ipsa est, odoremus * saltem & à longe salutemus eam, Amen.

o Ose. 10.

Suspirium ad Patriam.

* *al.* adoremus.

SERO III.

De Cantico Ezechiæ Regis,

Ego dixi in dimidio dierum meorum, Isa. 38.

VIri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos [a], perseverantes in sua vetustate usque ad mortem; & hoc quia non timent Dominum. Verum qui timore Dei initiatur ad sapientiam, is continuo dimidiat dies suos, exclamans præ timore: *Vadam ad portas inferi.* Cuius utique inferi metu cum cœperit quiescere à malis, incipit de bonis quærere consolationem, quia necesse est in alterutro consolari. Est autem bona consolatio de spe salutis æternæ, in quam sublatis peccatis quæ separabant inter ipsum & Deum, per Dei gratiam reviviscit & hilarescit. In quo cum cœperit proficere, h. e. piè vivere in Christo, necesse est (teste scriptura [b]) persecutionem patiatur: ut recens gaudium vertatur in mœrorem, & dulcedo boni vix summis (ut ita dicam) labiis attacta, in amaritudinem commutetur, ita ut libeat dicere [c]: *versa est cithara mea in luctum, & cantatio mea in ploratione.* Plorat ergo amarius amissam dulcedinem, quàm prius fleverat admissam peccatorum amaritudinem: & hoc tam diu facit, donec Deo miserante consolatio redit. Qua denuo redeunte, cognoscit eam quam passus est tentationem probationem fuisse, non desolationem: porro probationem fuisse ad eruditionem, non ad destructionem, sicut scriptum est [d]: *Visitas eum diluculo, & subito probas illum.* Unde & cognito suo de tentatione profectio, non tantum non refugit: sed etiam tentari

a Psal. 54. d

b 2. Tim. 3. c

c Iob. 10. d

Pii tententur desolatione.

Neque id sine fructu & commodo.

d Ibidem.

tentari appetit, *proba me*, inquiens [e], *& tenta me*. Crebris itaque huiusmodi vicissitudinibus inter gratiæ visitationem, & tentationis probationem, in schola virtutum proficiens, faciente utique visitatione ne deficiat, tentationi ne superbiat: & tali tandem exercitio mundato oculo interiori, statim adest lex, cui fideliter inhærere cupiens; sed corpore pressus non prævalens, ad seipsum nolens dolensque resilit. Gustato tamen aliquatenus quàm dulcis est Dominus, eius etiam cum ad sua redierit, in cordis palato saporem retinet, quo fit, ut jam ipsum, non ipsius quæcunque bona desideret. Et hæc est charitas non quærens quæ sua sunt: hæc facit filium non quærentem sua, sed patrem diligentem. Timor quippe faceret servum in sua commenda declinantem, spes mercenarium sua lucra sectantem.

[e] Psal. 25. a *Vicissitudine tentationis & desolationis in schola virtutũ proficimus.*

Syncera charitas servientiũ DEO.

Per hos proculdubio gradus Ezechias transiit, & innotuit transituris. *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi* [f]. Ac si diceret: „ Cum deposita imagine terrestris hominis, imaginem cœlestis vellem portare, cœpi à timore, ut præscriptum est. Concipiens exclamavi, vadam ad portas inferi. Quo tamen timore nequaquam desperans, quæsivi residuum annorum meorum, ut jam mihi vivere inciperem, qui contra me vixeram usque adhuc. Quæsivi autem ab illo qui dixit [g]: *Sine me nihil potestis facere.* Neque enim ad ipsum sine ipso non dicam reverti, sed nec converti quidem poteram: utpote spiritus vadens & non rediens [h]. Quæsivi ergo residuum annorum meorum. Quo accepto (non enim negat qui incitat ad quærendum) statim veram experior sententiam Sapientis, qui ait: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, præpara animam tuam ad tentationem.* Tentationibus itaque cum urgeret, & spes recens quam conceperam salutis, mihi jam jamque intercludi videretur: *dixi, non videbo Dominum Deum in terra viventium*: quod utique in abundantia præsumpseram. Dixi enim in abundantia mea, non movebor in æternum, non attendens quòd in voluntate tua, non in potestate mea præstitisti decori meo virtutem. Quamobrem avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus, nequaquam jam visurus Dominum Deum, id est patrem in terra viventium. *Non aspiciam hominem ultra*, videlicet filium, de quo dictum est [k]: *Et homo est, & quis cognovit eum?* Sed *nec habitatorem quietis*, id est Spiritum sanctum, de quo scriptum est: *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum?*

[f] Esa. 38. a

[g] Ioan. 15. a

[h] Psal. 77. c

[i] Eccli. 2. a

„

„

[k] Hier. 17. d

[l] Esa. 66. a

Addidit quoque, *Generatio mea ablata est & convoluta est à me.* Hoc est „ bonorum operum proles, quam ex timore cœperam parturire, ut de anima nostra possit dici, *& quæ multos habebat filios, infirmata est. Ablata est* „ autem pia hæc soboles, *& convoluta est à me quasi tabernaculum pastorum*: „ ad tempus utique credita, non tradita in æternum. Item adjecit. *Præ-* „

cisa est velut à texente vita mea: ut discerem profectus vitæ meæ non in mea, sed in manu omnipotentis, sicut tela in manu texentis: quandoquidem *dum adhuc ordirer*, hoc est statim in initio *succidit me*, quatenus eodem pene tempore & dederit & tulerit quod donarat. Sed si defecit virtus mea, non tamen dereliquit me, ne qui cœperat, non posse perficere videretur. Quid multa? In veritate mox comperi, quia virtus in infirmitate perficitur [m], & ajo. Bonum mihi quia humiliasti me. Cognovi enim, quia *de mane usque ad vesperam fineis me*, id est consummabis me. Non in solo mane visitationis, aut tantum in vespera tentationis, sed in utroque simul erit perfectio mea. Stultus ego, qui tantum *sperabam usque ad mane*, cum David dicat [n]: *A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.* Et quoniam pusillus in spe, *quasi leo sic contrivit omnia ossa mea*: robur omne videlicet, de quo adhuc sub tutela gratiæ futurorum improvidus confidebam. Contrivit autem quis, nisi adversarius noster diabolus, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret [o]? Tu ergo Domine ex hac contritione humiliatum & probatum *de mane usque ad vesperam finies me*, quoniam & factum est mane & vespere dies unus.

m 2. Cor. 12. c

n Psal. 129. b

o 1. Pet. 5. b

Deus semper laudandus & in prosperis, & in adversis.

Quamobrem ego ut didici, benedicam Dominum in omni tempore, hoc est mane & vespere: non sicut ille qui confitebitur tibi cum beneficeris ei [p]: non sicut illi qui ad tempus credunt [q], & in tempore tentationis recedunt, sed dicam cum sanctis: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus*? Et in mane quidem *sicut pullus hirundinis sic clamabo*, in vespere autem *meditabor ut columba*, quatenus & cum gratiæ matutinum arriserit, in modum hirundinis exultans & clamitans gratias agam pro visitatione: & cum vespera ingruerit, non deerit sacrificium vespertinum, cum instar columbæ gemens, lachrymas fundam in tribulatione. Sic enim deserviet tempus utrumque Deo, cum & ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Mœrens mœrebo in vespera, quo lætus fruar matutino. Placet utrumque Deo, & peccator compunctus, & justus devotus: cui è regione displicet tam ingratus justus quàm peccator securus. Aut certè *sicut pullus hirundinis* hac illacque discurrens, Marthæ me officiis mancipabo, hilarem datorem me exhibens omni necessitatem patienti: & *meditabor ut columba*; gemendo utique quod obitat, dum, quod restat, intueor. Hoc autem faciam mane & vespere, hoc est prius & posterius, juxta quod in typum utriusque vitæ dictum est Laban [s]. *Non est consuetudinis ut minores ante tradamus ad nuptias* quanquam indifferenter de altera ad alteram transeatur. Quod significare Iob puto ubi ait [t]: *Si dormiero, dico, quando surgam? & rursum expectabo vesperam.* Quiescens quippe in vespera contemplationis, manè desiderabat quo surgeret ad actionem: rursumque negotiis fatigatus, expectabat vesperam, libenter repetens qcia contemplationis. Potest

p Psal. 48. d

q Luc. 8. b

r Iob. 2. c

Iustus ingratus, & peccator securus, ambo displicent DEO.

s Gen. 29. c,

t Iob. 7. a

Vicissitudo actionis & contemplationis.

Potest & per garrulam aviculam, cantus simul psallentium in Ecclesia; & per gementem columbam privata orationum suspiria designari. Sed mediam sententiam magis velle videtur sequens versiculus. *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelso,* Sive enim dicatur, attenuati, hoc est subtiles facti, pro assiduitate suspiciendi in excelso, videlicet sublimia atque excelsa contemplandi: sive intelligatur, attenuati, id est reverberati, & à suo quodammodo acumine imminuti, juxta illud [u]: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* Et rursum [x]: *Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus.* Sive ergo illo, sive hoc modo accipiatur, non aliud quàm contemplatio designatur. Cæterum posterior expositio sequentibus magis convenire videtur. Ait enim. *Domine vim patior.* Quasi dicat: Domine non sponte, sed invitus retrahor & arceor à tui contemplatione: quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem [y]: *Responde* ergo tu, ô conditor, *pro me,* qui nosti naturæ conditionem. Aut si peccata mea hoc faciunt, nec est culpa naturæ, sed meæ pessimæ consuetudinis, etiam sic nihilominus responde pro me, affigens peccata cruci, & sanguine tuo delens, ut non sit quod me impediat contemplantem. *Nam quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?* Ad quem me videlicet alium vertam, aut quis alius respondebit pro me, cum ipse, non alius hanc mihi difficultatem, imò impossibilitatem imposuerit, dando super me illam sententiam: *In sudore vultus tui comedes panem tuum?* [z]

Quod si non *fecerit,* legitur: sed, *fecerim;* arguit se quòd quasi culpam in auctorem retorserit, cum de natura causatus est, & totũ sibi imputat & suis peccatis, dicens, *quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim?* h.e. id quod patior, peccando meruerim. Quamobrem unum est quod facere possum. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Nempe non sum dignus ut valeam te recogitare cum dulcedine, faciam quod possum, cogitabo meipsum in amaritudine animæ meæ. Lucem habitas in accessibilem, nec queo diu infirmam mentis aciem radio tui fulgoris infigere, & ob hoc confusus redeo ad consuetas & familiares mihi tenebras vitæ meæ pristinæ: non quidem in eis iterum jacendo cum mortifera delectatione, sed puniendo eas, & recogitando in amaritudine animæ meæ. Oportebat quidem, si fieri posset revivere me (ut ita loquar) denuo quod male vixi: sed quia hoc non possum, saltem recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, faciam recogitando quod reoperando non possum. Recogitabo autem tibi: quia tibi soli peccavi, ut in quo ego me condemno, tu justificeris, & vincas misericordia, cum de me judicabis. Jam quidem & ante cogitaveram ea, sed quia non satis punita sunt quæ me adhuc impedire possunt. rursum redeo ad ea recogitanda in amaritudine

[u] Psal. 118. b
[x] Psa. 76. a
[y] Sapi. 9. d
[z] Gen. 3. d

Alia Expos. juxta aliam Lectionem.

Damna vitæ prioris si non reoperando, saltem recogitando corrigenda.

ne animæ meæ, quousque ita penitus extirpata sint, ut jam impedire non possint.

Nec infructuosum (ut arbitror) erit hoc studium. Nempe *si sic vivitur*, imò quia sic vivitur, non quidem carne, sed spiritu, *& in talibus vita spiritus mei*: hoc est tam in mei consideratione, quàm in tui contemplatione, magis ac magis corripies me, & vivificabis me. Siquidem corripior, cum me cogitando compungor: reviviſco cum te sublevatus utcunque intueor. Itaque ostendendo me mihi corripies, ostendendo te vivificabis. Porrò vivifices necesse est: quia *ecce in pace amaritudo mea amarissima*, Amaram passus sum amaritudinem pro peccatis in principio conversionis, unde exclamavi, *vadam ad portas inferi*: amariorem pro terroribus in profectu *conversationis*, quando dixi: *Non videbo Dominum Deum in terra viventium*. Sed ecce jam peccatis pœnitentia punitis, & sopitis terroribus, quæ impugnare solebant, in hac tamen pace amarissimam sustineo amaritudinem pro defectu contemplationis. Verum qui & mihi peccata miserando donasti, & tentationes juvando superasti, etiam nunc, ô Domine, reddes mihi lætitiam salutaris tui. Hoc quippe est quod ait: *Tu autem eruisti animam meam ut non periret*: in conflictu videlicet vitiorum, sive in impetu tentationum: *projecisti post tergum tuum omnia peccata mea*, secundum multitudinem miserationum tuarum.

Nec immeritò. Neque enim *infernus confitebitur tibi*, quo utique ego pene descenderam, cum irruentibus pulsaret tentationibus: quippe quia nisi Deus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea [a]. Sed *neque mors laudabit te*, qua nimirum aliquando detinebar, dum adhuc jacerem mortuus in peccatis. *Nec expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam*: qui scilicet post gustatam dulcedinem contemplationis in lacum descendunt desperationis. *Mors* siquidem est jacenti in peccatis ante conversionem: *infernus* succumbenti tentationibus post acceptam remissionem: *lacus* vero desperanti post expertam contemplationem. Nam quanto quis ad altiora profecerit, tanto gravius si corruerit collidi-tur, quando ruit. *Non* itaque *infernus confitebitur tibi*, hoc est qui jam quidem sunt conversi, sed tentationibus superantur. *Neque mors laudabit te*, Hi utique qui necdum conversi sunt aut confessi, lætantur potius cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis [b]. A mortuo quippe quasi qui non sit, perit confessio [c]. Nec *expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam*: quos de fastigio divinæ contemplationis in lacum propriæ diffidentiæ forte devolvi contigerit. Quod proculdubio fit, cum nimia quis tristitia post acceptam tantam lætitiam absorbetur. At vero *vivens vivens ipse confitebitur tibi*. Est qui vivens carne, mortuus est spiritu: & est qui mortuus carne, nihilominus mortuus est spiritu, sed horum neuter laudabit

[a] Psal. 93. b.

[b] Prov. 2. c

[c] Eccl. 17. d.

Vivens carne & spiritu Deum laudat.

bitte, aut confitebitur tibi. Cæterum vivens vivens ipse confitebitur tibi. Qui videlicet non tantum carne, sed & spiritu vivit, ipse confitebitur tibi, *sicut & ego hodie* hac me duplici vita tuo munere vivere confido. Sequitur. "

Pater filiis notam faciet veritatem tuam. Non revelatur servo veritas quia servus nescit quid faciat dominus eius [d]. Sed nec mercenarius rapitur ad contemplandam veritatem, qui propriam quærit utilitatem. Filio autem pater notam faciet veritatem suam, quem audit dicentem: *Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu Pater.* Revelatur itaque servo Dei potestas, mercenario felicitas, filio veritas: non quòd in Deo ista discreta sint cui idem posse, quod felicem & veracem esse: sed quòd à creatura creator pro diversis eiusdem creaturæ affectibus, diversis sentiatur respectibus. Cum sancto enim sanctus, & cum perverso erit perversus [f]. Audi denique vocem filii: *Domine salvum me fac.* Quare? forte ne ardeat in inferno, forte ne fraudetur præmio? Non, inquit, sed *psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.* Non, inquit, quæro salutem, ut pœnas vitem, aut in cœlo regnem: sed ut te in æternum cum illis laudem, de quibus scriptum est [g]: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Servus dicit. *Vadam ad portas inferi.* Mercenarius. *Non videbo Dominum Deum in terra viventium.* Filius. *Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.* Cui simile est illud [h]: *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino.* Et qui timet ire ad portas inferi, & qui Deum cupit videre propter quietem sui, uterque profecto quærit quæ sua sunt. Porro qui psalmos cantare desiderat in domo Domini, non sua vel pericula fugit, vel lucra appetit, sed illum procul dubio diligit, quem laudare gestit cunctis diebus vitæ suæ. Laudatur non immeritò in æternum, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

" "

d Ioan. 15. c

e Matt. 26. d

f Psal. 17. d

g Psal. 83. d

h Psal. 117. c

Sermo IV.

*De * quærendo Deo, & triplici vinculo, quo cohæremus DEO.*

* *al.* De triplici cohærentia, vinculorũ &c.

NOn hic stamus tota die ociosi. Scimus enim & quid quærimus & quis est qui nos conduxit. DEUM quærimus, DEUM expectamus. Non est parva res, nec parvi animi, cum illa quæ singulari pietatis nomine gloriatur, sæpius sese queratur esse frustratam, dicens [a]: *Quæsivi illum, & non inveni.* Est enim sicut amabilis, ita etiam admirabilis: quia cum non quæritur invenitur, & non invenitur cum quæritur. Si nati essemus ex quo factus est homo super terram, & usque ad centum millia annorum vita nostra extenderetur, non esset tamen condigna quæsitio huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.

a Cant. 5. b

Ecce nunc tempus quærendi, ecce nunc dies inveniendi præ manibus sunt.
[b] Isa. 55. b *Quærite*, inquit [b], *Dominum dum inveniri potest: invocate eum dum prope est.* Erit tempus quando non erit locus, cum ille fons miserationis interminabili siccabitur siccitate. [c] Ioan. 14. f *Quæretis me*, inquit [c], *& non invenietis.* Bonus es Domine animæ quærenti te. Si quærenti, quanto magis invenienti? Si tam dulcis est memoria, qualis erit præsentia? Si mel & lac dulce est sub lingua, quid erit supra linguam?

Hinc probate vos, Fratres, si in via estis, si non exorbitatis. [d] Psal. 104. a *Quinam censendi quærere DEVM.* *Lætetur*, inquit [d], *cor quærentium Dominum.* Si gaudetis ad labores, si inoffenso, si indefesso pede curritis viam mandatorum Dei: si quotidie utriusque hominis status recentior est ad proficiendum & perficiendum, quàm ad incipiendum, profecto quæritis faciem eius semper. Quò ergo abiit dilectus ex dilecto, & quæremus eum? Ubi est? Quid dixi miser? Sed ubi non est? Altior est cœlo, inferno profundior, latior terra, mari diffusior. Nusquam est, & ubique est, quia nec abest ulli, nec ullo capitur loco. Ipse hic est, sed ego hic non sum. *Deus ubique, homo nullibi.* Quàm verisimilius videretur, ut tu hic non esses, & ego hic essem Domine? Sed ego nec hic, nec alibi sum, quia *ad nihilum redactus sum, & nescivi* [e]. [e] Psal. 72. d Verè ad nihilum, id est ad peccatum, & nescivi: quia non fui ibi, cum primus parens meus devoravit me morsu amarissimo. Hinc est quod corde confractus & corpore, diffluo in voluptates, in amaritudines, habens innatam culpam, pœnam cognatam, totus fluidus & enervis. [f] Exod. 3. d Ille autem qui idem ipse est, qui dicit *f*: *Ego sum qui sum*, veraciter est, cui est esse quod est.

Quæ ergo participatio, quæ conventio illius qui non est, ad illum qui est? Quomodo possunt tam diversa conjungi? [g] Psal. 72. b *Tria vincula, seu triplex modus quo adstringimur DEO.* *Mihi* (ait Sanctus *g*) *adhærere DEO bonum est*: immediate ei conjungi non possumus, sed per medium aliquod poterit fieri fortassis ista coniunctio. Et ne diutius vos protraham, tria sunt vincula quibus ei astringimur: & sic tria, ut sola cum solis istis vel istorum similibus omne quod ligatur, ligetur. Et primum accipite funes. Secundum *clavos* ligneos vel ferreos. Tertium *gluten*. Primum astringit fortiter & durè: secundum fortius & durius: tertium suaviter & secure. Fune quodammodò alligatus est redemptori, si quis fortè dum vehementiori tentatione turbatur, proponit sibi honestatis intuitum, memoriam promissionis, & hoc interim se fune retinet, ne propositum penitus abrumpatur. Durum profectò vinculum & molestum, sed & periculosum nimis, & quod diu tenere non possit. Siquidem putrescunt funes, & pudoris vinculum aut obliviscimur, aut abrumpimus cito. *1. Funibus id est, Pudore.*

Est autem qui clavis configitur Domino maiestatis, quem timor DEI ligat, qui non expaveſcit ad vultus hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum. Et hic quidem peccare non metuit, sed ardere. *2. Clavis id est, Timore.*

Durius

Durius tamen & fortius primo imprimitur, quia cum ille vacillet in proposito, iste propositum non amittit. *Tertius* vero glutine ei conglutinatur, id est charitate, qui tam suaviter quàm secure ligatus adhærens DEO, unus spiritus est cum eo. Iste est, qui quæcunque undecunque, sive quæ facit, sive quæ ei fiunt, ad suum commodum revocat & retorquet. Beatus huiusmodi homo, & abundanti spiritus influens maiestate, qui suavis & unctus portat omnes, & neminem onerat ipse: qui terribilius & horribilius ipsa gehenna judicat in re levissima vultum omnipotentis scienter offendere. Hic est fratrum amator & populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo, & pro civitate sancta Hierusalem [h]. *Glutino bonum est*, ait Esaias [i]. Bonum est revera & jucundum, quia alia duo (ne mala dixerim) comparatione istius gravia & importabilia sunt. Sed ille misericors oculus qui novit figmentum nostrum, neminem salvandorum dimittit in primo, sed provehit ad secundum: & nec ibi deserens, de secundo perducit ad tertium. Primò siquidem quia pudet deserere, æstuantes vix sustinemus ad horam, secundò jam timentes & sperantes proficimus, tertiò perficimur amantes. Sic igitur duobus præcedentibus, timore pariter & pudore exclusis, in solius amoris reclinatorio commoramur.

3. *Glutine i. e. Amore.*

h 2. Mac. 15. c
i Esa. 41. b

Isque perfectissimus modus quo alligamur Deo.

Ita & Christus prius quidem ligatur, secundò crucifigitur, tertiò glutinosa aromatum inunctione linitur: non quod opus haberet corpus illud huiusmodi aromatibus solidari, quod dissolvi omnino non poterat, aut videre corruptionem: sed qui propter nos Judæorum sputa sustinuit, propter nos quoque fidelium non est dedignatus unguenta. Et attende, quòd vix unius diei spatio in funibus & clavis moratus, cum unctione victor, qui victurus perenniter, resurrexit. Sic & dilectos in duobus prædictis non diutius patitur immorari, sed ungit eos unctione misericordiæ suæ, ut crucifixi mundo, & mundus illis, jam resurgant in novitate spiritus, & dicant [k]: *Quis nos separabit à charitate DEI?* Hoc glutine agglutinavit nos sibi ille divinus intuitus à constitutione mundi, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Scimus enim quia qui *natus est ex Deo, non peccat, quia generatio cœlestis servat eum* [l]. Generatio cœlestis est æterna prædestinatio, qua DEUS prævidit nos conformes fieri imaginis filii sui. Ex his nullus peccat: id est in peccato perseverat: quia novit Dominus qui sunt eius, & propositum Dei manet immobile. Et si horrendorum criminum nota David inuritur, etsi Maria Magdalena septem dæmoniis cumulatur, etsi princeps Apostolorum in profundum negationis submergitur: non est tamen qui de manu Dei possit eruere. *Quos enim prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit* [m]. Nónne huic adhærere DEO bonum est? Quærite, fratres, quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper. Quærite Dominum,

Triplex ille ligandi modus in Christo adumbratus.

k Rom. 8. g

*l 1. Ioan. 5. d *Quomodo qui natus est ex Deo, non peccet.*

m Rom 8. g

n Psal. 21. c

& vivet anima vestra. *Et anima mea*, inquit, *illi vivet* [n], quæ mundo mortua est. Quæ enim mundo vivit, non illi vivit. Sic ergo quæramus eum,

o Psal. 25. b

ut & semper quæramus, & cum venerit quærere nos, dicatur de nobis [o]. *Hæc est generatio quærentium Deum, quærentium faciem Dei Iacob.* Sicque aperiantur portæ æternales, & introeat Rex gloriæ, & nos cum illo, qui est DEUS benedictus in sæcula, AMEN.

SERMO V.

Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras, Psal. 16.

a Ioan. 6. f

LEgimus in Evangelio [a], quòd prædicante Domino, & sub mysterio edendi corporis sui, discipulos ad communicandum passionibus suis admonente, dixerint quidam: *Durus est hic sermo*: & ex hoc jam non fuerint cum eo. Interrogati vero discipuli an & ipsi vellent abire: *Domine*, inquiunt, *ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Ita dico vobis, Fratres, usque hodie quibusdam manifestum est, quoniam verba quæ loquitur Jesus, spiritus & vita sunt; & propterea sequuntur illum: aliis dura videntur, & miseram alibi quærunt consolationem. Sapientia siquidem in plateis clamitat, in lata videlicet & spacioſa via quæ ducit ad mortem, ut revocet ambulantes per eam. Denique *quadraginta annis*, inquit [b], *proximus fui generationi huic, & dixi, semper hi errant corde.* Habes & in alio psalmo [c]. *Semel locutus est Deus.* Semel utique quia semper: una enim, & non interpolata, sed continua & perpetua locutio est.

Verba IESV aliis dulcia sunt, aliis dura.

b Psal. 94. b

*c Ps. 61. c

Revocat autem peccatores ad cor, de cordis errore redarguit, pro eo quod ibi habitet ipse, ibique loquatur, faciens nimirum quod docuit per Prophetam dicentem [d]: *Loquimini ad cor Hierusalem.* Nam Babylon quoniam terra est, nec potest sustinere universos sermones eius, elongatur à corde, & in carne magis ambulat, tanquam mortua à corde: imò tanquam columba seducta non habens cor. Vult enim lætari cum malefecerit, & exultare in rebus pessimis, audiensque vocem Domini huiusmodi gaudia nullatenus approbantem, sed detestantem, sed arguentem, sed condemnantem, fugit & abscondit se in similitudine prævaricatoris. Adæ. Sed heu me, quàm vile operimentum quæris misera anima, quàm inutile quæris operimentũ? Folia enim sunt quæ intexis, folia, inquam, quæ nil tibi caloris præbeant, nil habeant soliditatis. Orto deniq; sole arescent, & ventus urens disperget illa, tu vero nuda & misera remanebis. Tunc ergo nihil opertum quod non reveletur, quoniam veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Non erit jam quo lateas misera. Frustra dices montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos: quoniam nudam & apertam oportebit te stare ante tribunal Christi, ut audias vocem judicii, quæ vocem consilii contempsisti.

d Isa. 40. a

Homines impii & terreni, non nisi carnis gaudia & bona captant.

Qui modo respuunt vocem consilii, tandem audient vocem judicii.

Ecce

Ecce enim quid loquitur DEUS: *Agite*, inquit [e], *pœnitentiam*: & dissimulant multi & continent aures suas, & dicunt durus est hic sermo. Non sic impii, non sic dissimulare poteritis, cum sonabit asperum illud verbum, & auditio mala: *Ite maledicti in ignem æternum* [f]. e Matt. 4. a f Matt. 25 d

Videtis, fratres, quàm salubriter admoneat nos Propheta & ut si vocem eius audierimus hodie, non obduremus corda nostra. Eadem enim pene verba & in Evangelio legitis, & in Propheta. Ait enim Dominus in Evangelio [h]: *Oves meæ vocem meam audiunt*. Et sanctus David in psalmo: *Populus*, inquit [i], *eius* (haud dubium quin Domini) *& oves pascuæ eius: hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Utilius namque & multò salubrius est hodie audire eum consulentem, consolantem, admonentem, docentem, & ut multum arguentem, increpantem, corripientem: quàm in die illa tam amara, tam lugubri, tam tenebrosa audire illum judicantem, indignantem, ulciscentem, sævientem, condemnantem. Bonum, inquam, mihi, ut humilier, ut corripiat me justus in misericordia, & increpet me, quàm ut oleum peccatoris impinguet caput meum [k], ne fortè terra inveniar, quam percutiat virga oris sui, quando vasa figuli virga ferrea conterentur. Bonum mihi propter verba labiorum eius cum Propheta [l] custodire vias duras, quàm pariter cum impio interfici spiritu labiorum eius. g Psal. 94. b h Ioan. 10. b i Psal. 94. b* k Psal. 140. c l Psal. 16. b*

Multis dura nunc videtur pœnitentia, sed durior erit tandem iudicis sententia.

Nunc autem si quid amaritudinis sentio in voce eius, non sine dulcedine est: quoniam cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur: imò vero & ipsa indignatio non aliunde quàm de misericordia est. Quos enim amat, arguit & castigat [m], & flagellat omnem filium quem recipit: visitans in virga iniquitates eius, & in verberibus peccata ipsius: misericordiam autem suam non dispergit ab eo. Propterea qui prudentes sunt, non operiunt vulnera sua, sed detegunt, & confitentur Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius; & sic vinum reprehensionis infundit, ut non desit oleum consolationis. Propterea, inquam, sapiens apprehendit disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & jam secundum multitudinem iræ suæ non quærat, sed recedat zelus eius ab ipso. Inde est enim quod sapientis cor ubi tristitia, cor vero stultorum ubi lætitia [n]; sed tristitia illius convertetur in gaudium, & extrema gaudii illorum luctus occupabit.

Amaritudo vocis divinæ mixta dulcedine.

m Hebr. 12. a *Dei castigatio conditur misericordiâ.*

n Eccli. 7. d *Sapiens non horret aspera aut tristitia.*

Audi denique Abacuch Prophetam, quomodo dominicam non dissimulet increpationem, sed sedula ac sollicita circa eam cogitatione versetur. Ait enim [o]: *Super custodiam meam stabo, & figam gradum in munitionem: ut videam quid dicat mihi, & quid respondeam ad arguentem me.* Et nos ergo, Fratres, obsecro super custodiam nostram stemus, quoniam tempus militiæ est. Nec in sterquilinio huius miseri corporis, sed in corde ubi Christus habitat,

o Abac. 2. a

habitat, in judicio & consilio rationis sit conversatio nostra: sane ut non in ipsa habeamus fiduciam, nec fragili innitamur custodiæ, sed figamus gradum in munitionem, firmissimæ petræ Christo totis viribus innitentes, sicut scriptum est [p]: *Qui statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.* Sic ergo constituti & stabiliti jam contemplemur, ut videamus quid dicat nobis, & quid respondeamus ad arguentem nos. Primus enim contemplationis gradus iste est, dilectissimi, ut incessanter consideremus quid velit Dominus, quid placeat ei, quid acceptum sit coram ipso.

Primus gradus contemplationis, considerare quid velit Dominus.

Et quoniam in multis offendimus omnes, & fortitudo nostra in illius rectitudinem voluntatis offendit, nec conjungi ei aut coaptari potest: humiliemur sub potenti manu DEI altissimi, & omninò solliciti simus miserabiles nos exhibere in oculis misericordiæ eius, dicentes [q]: *Sana me Domine & sanabor, salvum me fac & salvus ero.* Et illud [r]: *Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.* Postquam enim in huiusmodi cogitationibus mundatus est oculus cordis, jam non in spiritu nostro cum amaritudine, sed in divino magis spiritu cum multa delectatione versamur: nec jam consideramus, quæ sit voluntas DEI in nobis, sed quæ sit in seipsa. Vita enim in voluntate eius, ut hoc nobis in omnibus utilius atque omninò commodius esse non dubitemus, quod eius congruit voluntati. Et propterea quàm solicitè conservare volumus vitam animæ nostræ, tam soliciti simus quoad possumus ab ea non deviare. Deinde cum jam in spirituali exercitio aliquatenus profecerimus ducem sequentes spiritum, qui scrutatur etiam alta DEI, cogitemus quàm suavis sit Dominus, quàm bonus in semetipso, orantes cum Propheta [s], ut videamus voluntatem Domini, & visitemus jam non cor nostrum, sed templum eius, & cum eodem Propheta [t] nihilominus dicentes: *Ad meipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui.* In his enim duobus tota spiritualis conversatio summa versatur, ut in nostra consideratione turbemur, & contristemur ad salutem, in divina respiremus: ut de gaudio Spiritus sancti habeamus consolationem, & hinc timorem & humilitatem, indè verò spem concipiamus & charitatem.

[p] Psal. 39. a

[q] Hier. 17. b

[r] Psal. 40. a

Secundus, quam suavis sit Dominus.

[s] Psal. 26. b

[t] Psal. 41. b

SERMO VI.

De * verbis Psal. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, &c.* Psal. 33.

* *alias*, De cute, carne, ossibus animæ.

BEatus David in Psalmo de justis loquitur, dicens: *Multæ tribulationes justorum, sed de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Quod nemo dictum esse de corporeis ossibus arbitretur, præsertim cum tot beatorum Martyrum ossa

Psal. 33.

confracta

confracta sint manibus hominum impiorum, & contrita dentibus bestiarum. Sed miranda prorsus & miseranda humanarum conditio animarum, quæ licet tam multa foris ingenii vivacitate percipiant, nulla tamen perspicacitate semetipsas, sicut sunt, nosse aut cogitare sufficiant; sed egeant omninò figuris & ænigmatibus quibusdam corporearum similitudinum, ut ex visibilibus & exterioribus possint vel aliquatenus invisibilia atque interna conjicere. Ponamus itaque velut quandam animæ *cutem* cogitationem, *carnem* affectionem, ut consequenter *os* eius intentionem possimus accipere. Sic enim erit in *ossis* integritate animæ vita, in *carnis* incorruptione sanitas, in *cutis* specie pulchritudo. Quæ sunt ergo tribulationes justorum, nisi quòd interdum decoloratur *cutis*, cum videlicet inutilis cogitatio in corde versatur? nonnunquam vero etiam *caro* vulneratur, quando scilicet ab hoc usque cogitatio pernicioſa procedit, ut delectatione corrumpatur affectio. Nam *ossa* quidem justorum omninò integra atque illæsa custodiuntur à Domino, ut nunquam frangatur propositum cordis eorum, nunquam salubris intentia conteratur: ut videlicet concupiscentiæ titillanti etiam detur assensus. Sicut enim peccati cogitatio decolorat, affectio vulnerat; sic consensus omnino animam necat.

Anima quomodo dignoscat seipsam.

Cutis, caro & ossa animæ.

Caveamus ergo, dilectissimi, cogitationes inutiles, ut animarum nostrarum facies decora permaneat: ut obliti quæ retro sunt, id est populum nostrum, & domum patris nostri, concupiscat rex speciem nostram. Exeamus de terra nostra, ut non comprehendat nos cogitatio spectans ad voluptatem carnis. Exeamus & de cognatione nostra, id est à cogitationibus curiositatis, quæ nimirum cum in sensibus corporeis habitet, carnali utique cognata est voluptati. Exeamus etiam de domo patris nostri, ut fugiamus cogitationes superbiæ & vanitatis. Eramus nos aliquando sicut & cæteri filii iræ, eramus & nos ex patre diabolo, qui nimirum rex est super omnes filios superbiæ, & in montibus elationis sedem sibi atque habitaculum infelicissimum præparavit. Quòd si fortè aliquando talis aliqua cogitatio mentem subierit, tota sollicitudine laboremus citius abluere & eradere sordem, qua nos maculari conspicimus, clamantes cum Propheta ac dicentes [a]: *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.* Jam vero si quando forte per incuriam & negligentiam nostram transierit cogitatio inutilis etiam in affectum cordis, scientes quoniam non macula est jam sed plaga, tota festinatione ad auxilium Spiritus, qui adjuvat infirmitatem nostram, recurramus, clamantes illud de psalmo, & dicentes: *Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi* [b]. Humanæ enim sunt tentationes istæ, nec ex toto caveri possunt quandiu in hoc corpore mortis peregrinamur à Domi-

Cogitationes inutiles i. e. voluptatis, curiositatis & vanitatis fugiendæ.

[a] Psal. 5. a

Quam vigilanter & sollicite resistendum cogitationibus.

[b] Psal. 40. a

Domino. Nemo tamen parvi pendat aut dissimulet ista, quoniam etsi non mortifera sunt, certè periculosa.

Ex consensio & deliberatione delinquere, est animæ ossa frangere, & vitam perdere.

Intentionem verò & propositum mentis ea sollicitudine custodiamus, fratres, qua vitam animarum nostrarum volumus custodire, quoniam istud omninò est peccatum ad mortem, cum ex consensu & deliberatione delinquimus, proprio iudicio condemnati. Nec ideò sanè id dixerim, ut desperet si quis fortè delicti huius sibi conscius est: sed ut expaveſcat præcipitium, & qui cecidit, adjiciat citius ut resurgat. Noverit enim excidisse se à justitia, quicunque eiusmodi est. Cuius os confractum est & comminutum, noverit præcisum se à corpore Christi: de quo nimirum legitur: *Os non comminuetis ex eo.* Unde & in passione sua licet plagis virgarum in livorem decolorata sit cutis, ut livore eius nos sanaremur, licet clavis vulnerata sit caro, & lancea latus eius apertum, ut sanguine eius redimeremur: os tamen non est comminutum ex eo. Propterea & sanctus David: *Non est,* inquit [d] *occultatum os meum à te quod fecisti in occulto.* Et in alio psalmo [e]: *Ossa,* inquit, *mea ut cremium aruerunt.* Quod tunc fit, cum omnem delectationem boni prorsus amisisse videtur anima, solamque sibi aridæ intentionis fortitudinem reservasse. Et vide ne fortè tale aliquid etiam beatus Job pateretur cum diceret [f]: *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum:* ut videlicet corrupta affectione vix solam sibi intentionem spiritualis cogitatio vendicaret.

c Exod 12.g

d Psal. 138.c
e Psal. 101.a

f Iob. 19. c

Sermo VII.

De verbis Apostoli: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*; seu, *De triplici gloria.*

a 1.Cor. 1.d
b Esa. 42.b
c Luc. 2.b
d Psal. 113.b

Desiderium gloriæ innatum homini.

Qui gloriatur, in Domino glorietur [a]. Noverat Apostolus gloriam propriam esse Creatoris, non creaturæ, secundum illud: *Gloriam meam alteri non dabo* [b]: &, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* [c]. Itemque [d], *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Sed consideravit rationalem creaturam adeò affectare gloriam, ut aut vix, aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit: quippè quæ ad imaginem facta est creatoris. Propterea secundum datam sibi à DEO sapientiam, saluberrimum adinvenit consilium, dicens: Quandoquidem persuaderi nobis non potest non gloriari; saltem qui gloriatur, in Domino glorietur. Et considera quantum superexcedit Pauli philosophia philosophiam sapientium mundi huius, quæ nimirum stultitia est apud Deum [e]. Cum enim nonnullos viderent philosophi alienis delectari laudibus, & gloriam ab invicem quærere: qui inter eos fuère præcipui, prudenter adverterunt vanam esse huiusce modi gloriam & penitus contemnendam. Sed considerantes deinde ac studiosius inquirentes quænam appetenda esset

e Ebr. 3.d

Philosophi gloria lau-

gloria

gloria sapienti, hic jam plane evanuerunt in cogitationibus suis, propriam cuique sufficere gloriam arbitrantes : quasi vero anima quæ à semetipsa esse non potest, à se possit esse beata. Sicut ergo cupidi laudis alienæ tota sollicitudine operam dabant ea operari quæ mirarentur homines & laudarent, sic isti sola ea judicabant sectanda esse, quæ interior arbiter animus approbaret.

disque avidi, sed differenter.

Et hæc quidem summa philosophia sapientium huius mundi est, ipsa quoque minus habens, licet propinquior veritati. Unde & utramque gloriam sublimi veritatis contemplatione transcendens Apostolus : *Qui gloriatur*, inquit *f*, non in altero, non in se, sed *in Domino glorietur* : Et eam quæ veritati videbatur esse vicinior, maiori proinde redarguens sollicitudine, & condemnans certo judicio veritatis : *Non enim*, inquit *g*, *qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Ut quid enim aut de alterius hominis, aut de meo ipsius judicio sollicitus sum, cuius nec vituperio reprobus, nec laude probatus inveniar? Fratres, si me ante vestrum oporteret tribunal astare, meritò super vestris laudibus gloriarer. Quòd si vel meo ipsius essem judicandus examine, jure meo ipsius testimonio contentus, propriis laudibus delectarer : nunc autem cum nec vestro nec meo, sed Dei sim judicio præsentandus : quantæ insipientiæ, imò & insaniæ est, aut in vestro me, aut in meo ipsius testimonio gloriari : præsertim cum ipse sit cuius oculis omnia nuda sunt & aperta, & cui nequaquam opus sit, ut quis ei testimonium perhibeat de homine? Merito proinde Apostolus ipse, vanæ & fallacis gloriæ reprobator, *Mihi*, inquit *h*, *pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die* : sed neque me ipsum judico. *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum : qui autem iudicat me, Dominus est.* In quibus verbis illud quoque diligenter considerandum est, quòd alienum quidem judicium pro minimo habens, suum quoque nequaquam sequeretur, qamvis non illud adeo pro minimo judicaret habendum. Nemo enim scit hominum quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est *i*, ut comparatione interioris testimonii, exterius omnino pro nihilo sit habendum. Quid enim mihi cum eorum laudibus quibus ignotus sum? Quod si vel ipse qui in homine est spiritus, omnia quæ hominis sunt nosse posset, profecto sufficeret testimonium eius. Nunc autem pravum est cor hominis, & imperscrutabile *k* etiam sibiipsi, adeò ut præsentia quoque magna ex parte ignoret, futura vero sua omnino nosse non possit : quia aliquatenus novit præsentia, si non reprehendat nos conscientia nostra, non quidem gloriam, sed *fiduciam habemus ad eum*, sicut beatus Joannes ait *l*. Cum autem veritatis ipsius quam nihil latet, sententiam de nobis tenere meruerimus, in ea planè securius poterimus gloriari.

Gloriandum, non alterius, aut suiipsius testimonio: cũ Dei solius obnoxii simus iudicio.

Alienis laudibus quam parum fidendum.

f 1. Cor. 1. d

g 2. Cor. 10. d

*h 1. Cor. 4. a

i 1. Cor. 2. c

k Ierem. 17. b

l Ioan. 2. & 3. d.

m 1. Cor. 1. a. Interim vero *nolite ante tempus judicare* (ait Apostolus [m]) *donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum.* Illa enim perfecta omninò erit & secura gloriatio, cum erit unicuique laus à DEO. Nunc quoque licet non plenariè, licet non sine timore & sollicitudine multa, aliquatenus tamen in Domino gloriamur, testimonium perhibente Spiritu sancto spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Hinc enim verè possumus gloriari, quod tantum habemus Patrem, quod maiestati ineffabili cura est de nobis. Unde & Propheta: *Domine,* inquit [n], *quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Itaque qui gloriatur, jam non in meritis suis glorietur. Quid enim habet quod non acceperit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi non acceperit? In eo ergò à quo accepit, glorietur, non quasi ipse magnus sit, sed quia magnificet eum Deus: hoc est, ut in illis quæ acceperit, non quasi ea non acceperit, sed quasi qui ea acceperit, glorietur. Neque enim ait Apostolus, si autem accepisti, quid gloriaris? sed, *quid gloriaris,* inquit [p], *quasi non acceperis?* ut non prohibeat, sed doceat gloriari.

Quatenus in hac vita gloriari liceat.

n Iob. 7. d

o 1. Cor. 4. b

p 2. Co. 10. d

Sed quid sibi vult quod ait, *non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat?* Quis est enim quem in hoc sæculo commendat Deus? Quomodo commendabit veritas eum qui adhuc reprehensibilis invenitur? Deniq; *ego,* inquit [q], *quos amo arguo & castigo.* Hæccine commendatio est tota? Prorsus quantum mihi videtur, ipsa est. Quæ est enim melior & efficacior commendatio, quam divinæ erga nos testatio charitatis? Testimonium verò amoris eius nullum credibilius, nullum certius in hac vita, quam quod desiderat Propheta, ubi ait [r]: *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me.* Hæc namque increpatio, qua jugiter nobis suggerit in occulto spiritus veritatis quid desit nobis; superbiam, negligentiam, ingratitudinemq; repellit. Quo triplici vitio omne paulominus religiosorum hominum genus periculosè laborat, pro eo quod minus attenta cordis aure percipiant, quid intus loquatur is, qui neminem palpat, spiritus veritatis. Quod nonnullis exinde provenit (nisi fallor) quòd propriæ gloriæ cupidi, nulla ratione quiescere possunt, cum in seipsis penitus nihil inveniunt unde possint aliquatenus gloriari. Perfecta autem & secura gloriatio est, cum veremur omnia opera nostra, sicut testatur beatus Job de seipso [s], & cũ Esaia propheta [t] omnes justitias nostras non aliud quàm pannum menstruatæ reputandas esse cognoscimus. Nihilominus tamen confidimus etiam & gloriamur in Domino, cuius misericordia tanta est super nos, ut à gravioribus quidem, & quæ ad mortẽ peccata sunt custodiat nos, & tam benigne ipsa imperfectionis nostræ delicta & conversationis impuritatem nobis manifestare, & agnitam condonare dignetur, quatenus in humilitate & sollicitudine & gratiarum actione firmiter radicati, jam non in nobis, sed in Domino gloriemur.

Deus quomodò hominem commendet.

q Apoc. 3. d

r Psal. 14. b

Divina correptio quid in nobis operetur.

Religiosi triplici vitio magis obnoxii.

s Iob. 9. d

t Esa. 64. b

SERMO VIII.

De diversis affectionibus, vel statibus, quibus anima est sub DEO.

QUod diversis nominibus Deum nunc quidem Patrem, nunc Magistrũ vocemus, aut Dominum, non illius simplicissimæ & omninò invariabilis naturæ diversitas ulla in causa est; sed affectionum nostrarũ multiplex variatio secundum diversos profectus animæ vel defectus. Videntur enim quædã animæ sub *patre familias* agere, quædã sub *Domino*, quædam sub *magistro*, quædam quoq; sub *patre*, & nonnullæ cum *sponso*, ut cum proficientibus proficere, cum immutatis mutari videatur & ipse, quia juxta Prophetam [a] mutat quidem creaturas, & mutabuntur, licet idem ipse sit, & anni eius non deficiant. Denique quid in alio psalmo idem Propheta ad ipsum loquatur attende: *Cum sancto*, inquit [b], *sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris*: atque ut magis miremur, *& cum perverso perverteris*. Et quemadmodum sic mutetur, imò sic mutet immutabilis ipse, secutus adiungit: *Quoniam tu populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis.*

Quinque gradus seu status hominum sub DEO.

[a] Psl. 101. d

[b] Psal. 17. d

At vero quoniam non prius quod spirituale, sed prius quod animale, deinde quod spirituale: videntur mihi quatuor interdum conversionem nostram præcedere status; unus sub nobis ipsis, tres sub principe mundi huius. Est enim anima sub seipsa, cum propriam sequitur voluntatem, libertate pernicioſa gaudens. Hic est filius ille prodigus, qui portionem paternæ substantiæ, quæ se contingebat, accepit [c]: ingenium scilicet, memoriam, vires corporis, cæteraque similia bona naturæ: quibus non ad divinam, sed ad suam uteretur voluntatem, essetque tanquàm sine Deo in hoc sæculo. Est autem interim homo sub se, cum propriæ satisfaciens voluntati, necdum tamen possidetur à vitiis & peccatis: quoniam qui facit peccatum, jam non sui ipsius servus est, sed peccati. Jam tunc ergo proficiscitur in regionem longinquam, qui prius quidem separatus erat, sed necdum elongatus à patre. Accepta siquidem portione substantiæ factus est sui juris, & quamvis recessit ab auctore, proximus tamen fuit quandiu ab opere non recessit. Hoc autem tandiu fit, dum licita quidem, sed non expedientia pro sua sequitur voluntate. Ad postquàm recesserit, & à seipso declinans, scilicet in peccatum, tunc jam in longinquam vere proficiscitur regionem: quoniam ab eo qui summè & singulariter est, nihil longius eo quod nullo modo est: nihilque remotum magis ab eo, à quo, & per quem, & in quo sunt omnia, quàm peccatum, quod nihil est inter omnia.

Status 4. conversionem nostram præcedunt.

1. *Animæ sub seipsa.*

[c] Luc. 15. c*

Parabolæ de filio prodigo tropologica expositio.

Porro justum divinæ ultionis judicium est, ut fugitivum patris filium alter sibi usurpet in servum. Unde & profectus in regionem longinquam

uni civium legitur adhæsisse : quem ego non alium, quam unum ex malignis spiritibus intelligendum puto : qui pro eo quòd obstinatione irreparabili peccant, & transierunt in affectum malitiæ & nequitiæ, jam non sunt hospites & advenæ, sed quasi cives & inhabitatores peccati. Quid est autem quod civi dicitur adhæsisse paupер adolescens & peregrinus, nisi quod factus est subditus illi? Denique quemadmodum adhæsit, sequentia manifestant. Sic enim habes : *Adhæsit uni civium regionis illius : & misit eum in villam suam pascere porcos.* Et nota, quòd famis necessitate civi maligno dicitur adhæsisse, sicut Israel tempore famis descendisse legitur in Ægyptum [e]. Periculosa plane & pernicioſa esuries, quæ liberos addicat miseræ servituti, subjiciat operibus luti & lateris, porcis associet, imò & servos faciat esse porcorum. Unde autem egestas tanta ei qui dives advenerat, collectis nimirum omnibus quæ de paterna substantia in suam acceperat portionem? Ex eo sine dubio quod præmissum est dissipasse bona sua vivendo luxuriosè cum meretricibus: *propterea*, inquit, *cœpit egere.*

d Luc. 15.

e Gen. 24. a

Porro meretrices istas concupiscentias carnis intellige, cum quibus luxuriosè vivendo dissipat bona naturæ, dum eis abutitur ad voluptatem. Hinc, ut jam diximus, egestas succedit pernicioſa (teste scriptura [f]) quod non satietur oculus visu, nec auris impleatur auditu. Mittitur ergo pascere porcos, corporeos scilicet sensus, qui volutabro luti & spurcitiis oblectantur. Et vide ne forte hi sunt porci, quos eiecti ab homine maligni spiritus intrant. Eiectum enim à rationali nostro, id est, mente, peccatum sensibus corporis hæret, Apostolo teste [g], quòd mente consentiat legi Dei, carne vero legi peccati, quæ est in membris nostris. Undè & in alio loco [h], *Scio* inquit, *quod non est in me bonum, hoc est in carne mea.* Quid tamen agendum est, cum sic eiecti ab homine, porcos inhabitant spurci spiritus, nisi quærenda remedia lachymarum, & currendum ad aquas, quarum abuntia male vivida radix peccati suffocetur in eis? Quamvis hæc omnimoda peccati extinctio, fini potius reservata videtur.

f Eccles. 1. f

g Rom. 7. d

h Ibidem.

Secundus status hominum sub Principe tenebrarum: isque triplex.

Hæc ex cursu quodam sunt dicta, ut proinde manifestius assignarem quonam modo eum quem sub semetipso reperit, sibi malignus subjiciat, tanquàm fortis armatus intrans & possidens atrium, in quo pauper & debilis inventus est habitator. Veruntamen tripliciter mihi videntur homines esse sub principe tenebrarum. *Primum* quidem nec volentes, nec nolentes, quod convenit his, qui necdum habent voluntatis usum, sunt tamen vasa iræ propter originale peccatum, donec alligato forti vasa eius diripiat fortior, per sacramentum adveniens, verus utique Moyses, qui in aqua venit, nec in aqua solum, sed in aqua & sanguine. *Secundò* modo volentes, cum jam voluntarie peccant. *Tertio* quoquo modo nolentes, cum jam resipisce-

resipiscere vellent, nisi quod peccati consuetudine miserabiliter obligati, justo Dei judicio qui in sordibus sunt sordescunt adhuc. In quo tertio statu laborasse videtur prodigus ille filius, & vere prodigus nimis, qui non modò dissiparat sua, sed & semetipsum subjecerat, miseræ servituti, infelix venundatus sub peccato, cum ad se reversus ait [i]. *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* Si quis expertus est in semetipso, facile credo in his verbis animum miserabilem recognoscet. Quis enim peccati consuetudine obligatus non se felicem reputaret, si datum ei esset tanquàm unum ex his quos in sæculo tepidos videt, viventes sine crimine, minimè tamen quærentes quæ sursum sunt, sed quæ super terram? *Quanti*, inquit, *mercenarii in domo patris mei abundant panibus*, id est, consolantur in innocentia sua, & fruuntur propriæ conscientiæ bono; ego autem hic fame pereo, id est, insatiabilibus crucior peccatorum desideriis, affectibus vitiorum? Potest tamen intelligi, quòd non fame panis, nec siti aquæ: sed fame & siti divini verbi, quam & Judææ Prophetа minatur [k], sese perhibeat laborare. Et hæc dixerim, non quòd ita sit, sed quòd ita sentiat miser humiliatus sub peccato. Neque enim gloriantur conscientiæ testimonio, quorum sæcularis & mercenaria intentio est, sed peccator compunctus reputat sanctissimum, quacunque ex causa alterum videat innocentem. *Fac me*, inquit, *sicut unum ex mercenariis tuis.*

[i] Luc. 15. d

[k] Amos. 8. d

Ecce hic jam primus est status, quo sub DEO cœperunt esse homines, qui tanquam mercenarii sub patrefamilias vivunt. Hi sunt, quos in sæculo videmus aut nullo aut exiguo desiderio æternorum velut sub mercede servire Deo, & ab eo terrena petere quæ desiderant. Jam vero secundo statu incipit esse sub *Domino*, qui tanquàm servus carcerem timet, & metuit ne subigatur pœnis. In quo sane statu conversio est, exitusque à sæculo, & introitus vitæ: unde & legis [l]: *Principium sapientiæ timor Domini.* Et alius quidam Propheta: *A timore*, inquit [m], *tuo concepimus & parturivimus spiritum salutis.* Huic gradui tertius admodum proximus & quasi permixtus est, eorum scilicet, qui parvuli adhuc in Christo lac concupiscunt, tanquam sub magistro & pædagogo viventes. Id namque convenit maximè novitiis, qui nimirum si forte in consolationibus meditationis sanctæ, lachrymarum, psalmodiæ & cæterorum huiusmodi cœperint delectari quasi puriliter timent ne magistrum offendant, ne vapulent, ne fraudentur munusculis, quibus solet eos eruditor ille benignissimus allicere. Hi sunt, qui providebant Dominum in conspectu suo semper; & commoventur si vel ad horam abesse contigerit: nec jam serviliter timent supplicia, sed tanquàm parvuli metuunt plagas virgarum, apprehendentes disciplinâ magistri, nequâdo irascatur, & pereant de via justa; ne devotionis

Primus status hominis sub DEO tanquã patrefam.

Secundus status hominum sub Deo uti domino.

[l] Eccli. 1. b

[m] Esaiæ. 26. a

Tertius status sub DEO ut magistro seu pædagogo: isque novitiis ferè proprius.

Novitiorum indoles.

gratia subtrahatur, & molesta eis omnia fiant, laborent tædio quodam, & quasi vapulent intus in anima, in amaritudine scilicet cogitationum. Hæc enim verbera, quibus castigat suos parvulos Deus, quæ melius experimento dignoscimus quam sermone. Unde & ipse Dominus loquitur per Prophetam: *Si dereliquerint filii eius legem meam, & visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.*

n Psal. 88, c

In his itaque primordiis, & quasi infantili ætate sic vicissim sibi succedunt timor Domini, & disciplina magistri, ut nunc in isto, nunc in statu illo sese inveniat quisquis sollicitus fuerit diligenter hoc observare. Inde est, quod novellæ adhuc Ecclesiæ loquens, simul utriusque nominis meminit, dicens o: *Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim.* Agnoscant hic locum suum novitii nostri, ut solliciti sint de cætero sedulò magis circa ista versari: ante omnia siquidem timor eis necessarius est, quo nimirum peccata possint præterita delere, cavere futura. *Timor* enim *Domini* (ut ait scriptura p) *expellit peccatum*, sive quod jam admissum est, sive quod tentat intrare. Expellit sane illud quidem pœnitendo, hoc resistendo. Sed quoniam arcta & ardua est via quæ ducit ad vitam: ceu parvulis in Christo pædagogus vobis, ô filii, ac nutricius necessarius est, qui doceat, deducat, foveat vos, & tanquam alludat parvulis, ac blanditiis quibusdam consoletur ne pereat ætas infirma. Propterea non ego, sed magis Ecclesiæ Princeps & Pastor vos admonet q: *Quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite*, ita sane ut in eo nequaquam permaneatis, sed in eo crescatis in salutem. Quod alia quædam scriptura manifestius exprimens loquitur sic r: *Gaudete gaudio omnes qui lugebatis super eam* (haud dubium quin Hierusalem, de ea siquidem loquebatur) *ut potemini*, ait, *à lacte, & satiemini ab uberibus consolationis eius, & cùm avulsi fueritis à lacte, epulemini ab introitu gloriæ eius.*

o Ioan. 13, b

Pædagogus parvulis seu novitiis necessarius.

p Eccli. 1. c*

q 1. Pet. 2. a

r Esa 66. d

Ipse est enim status filii jam robustæ ætatis, qui sub patre vivit, nec lacte jam potatur, sed vescitur solido cibo, oblitus sanè quæ retro sunt, in quibus servilis oculus in amaritudine morabatur: sed ne ipsa quidem præsentia considerans, nec parvas parvulorum consolationes captans, magis extendens se in anteriora, ad palmam supernæ vocationis, & introitum futuræ beatitudinis, expectans beatam spem & adventum gloriæ magni Dei. Evacuavit enim quæ erant parvuli, nec circa eiusmodi suaves quidem, sed non perennes consolationes hactenus occupatur. Sed quia jam profecit in virum perfectum, in his quæ patris sunt oportet eum esse, suspirare ad hæreditatem, sedulaque circa eam meditatione versari. Nunquid enim mercenarium eum quis æstimet, qui paternæ inhiat hæreditati, eamque toto affectu expetit & expectat, quam nimirum filii mercedem esse, non mercenarii Propheta testatur? *Cum dederit*, inquit

4. *Status hominis sub Deo uti Patre.*

A lacte parvulorum aspirandum ad solidum cibum perfectorum.

quit [f], *dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini: filii merces fructus ventris.*

f Psal. 126. a

Invenitur tamen alter gradus sublimior, & affectus dignior isto, cum penitus castificato corde nihil aliud à DEO quærit, quam ipsum DEUM. Crebro siquidem didicit experimento, quoniam bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum, ita ut jam ex affectu cordis atq; sententia clamet illud de psalmo [t]: *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Neque enim suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quicquam tanquam privato sui ipsius amore desiderat anima quæ eiusmodi est: sed tota pergit in Deum, unicumque ei ac perfectum desiderium est, ut introducat eam rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur. Unde & jugiter revelata facie, quoad potest, cœlestis sponsi gloriam speculando, in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquàm à Domini spiritu. Ex hoc planè audire meretur [u]: *Tota pulchra es amica mea.* Audet & ipsa loqui: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Atque in huiusmodi felicissima & jucundissima confabulatione delectatur glorioſa cum sponso.

5. *Status hominis sub Deo tanquã sponso.*

*t Ps. 72. d

u Cant. 4. d

SERMO IX.

De verbis Psalmi: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* [a]. Psal. 84. b

INvisibilia Dei (Apostolo teste [b]) *à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Et est velut communis quidam liber & catena alligatus, (ut assolet) sensibilis mundus iste, ut in eo sapientiam Dei legat quicunque voluerit. Erit tamen cum cœlum plicabitur sicut liber, in quo utique deinceps legere habeat necesse, quoniam erunt omnes docibiles Dei [c]: & quemadmodum creatura cœli, sic & creatura mundi jam non per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem Deum videbit, & sapientiam eius ad liquidum contemplabitur in seipsa. Interim verò opus habet humana anima velut quodam vehiculo creaturæ, ut ad cognitionem Creatoris assurgat: cum econtra longè beatius perfecti iúsque angelica natura in creatore notitiam habeat creaturæ, ad quam nimirum excellentiam licet ad modicum rapta fuisse videtur anima illa beata †, quæ collectum sub uno solis radio mundum universum conspexit, de quo miraculo beatus Papa Gregorius in libro dialogorum scribens: *Videnti*, inquit, *creatorem angusta est omnis creatura.* Felices proinde qui satiantur ex adipe frumenti, nec opus habent sugere mel de petra, oleúmque de saxo durissimo, qui videlicet invisibilia Dei non in invisibilibus rimando perquirunt, sed in ipsis ad liquidum intellecta conspiciunt. Verum, ut jam diximus, angelicæ felicitatis illud est, non fragilitatis humanæ. Quæ-

*b Rom. 1. c

Mundus liber, in quo Dei sapientia legitur.

c Ioan. 6. c

Ad cognitionem creatoris ascendit anima vehiculo creaturæ.

† S. Benedicti. *S. Gregor.* lib. 2. Dial. cap. 35.

Homo inter creaturas sub sole Deo propinquior.

Quæramus igitur per ea saltem quæ facta sunt, intellectum invisibilium Dei: quæ si in cæteris creaturis intellecta conspicit anima, necesse est ut longè amplius conspiciat, & intelligat multò subtilius in creatura quæ facta est ad imaginem creatoris, hoc est in seipsa. Nullus Deo vicinior gradus inter omnes quæ sub sole habitant creaturas, quam anima humana: ut

d Psal. 83. b

meritò Propheta dicat ad ipsum [d]: *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.* Et post pauca: *Ibunt*, inquit, *de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Propterea incessanter hortamur vos, fratres, ut ambuletis via cordis, & sit anima vestra in manibus vestris semper, ut audiatis quid loquatur in vobis Deus, *quoniam loquetur pacem.*

e Psal. 84.

Quibus loquetur pacem? Utique *in plebem suam, & in sanctos suos* [e]. Quæ est plebs, aut qui sunt sancti? Ipsi nimirum qui convertuntur ad cor. Unde & sequitur: *& in eos qui convertuntur ad cor.*

Nos tamen in his verbis tria solemus intelligere hominum genera, quibus solis Deus loquitur pacem, sicut & Propheta alius tres tantum prævidit sanandos, Noe, Danielem, & Job [f]: contrario quidem ordine, sed eosdem ordines exprimens, continentium scilicet, prælatorum, & conjugatorum: si tamen *continentes* à carnalibus illecebris ad ea quæ cordis sunt, id est ad spiritualia desideria convertantur; unde & Daniel *vir desideriorum* ab Angelo nominatur [g]: & *prælati* prodesse magis studeant, quàm præesse, quoniam ipsos maxime decet sanctitudo, unde & in psalmo *sancti* specialiter appellantur [h]: & *conjugati* mandata non transgrediantur, ut merito plebs Domini, & oves pascuæ eius debeant nominari.

f Ezech. 14. c
Tria hominũ genera, quibus Deus loquitur pacem. Continentes: Prælati, & Coniungati.
g Dan. 10. b
h Psal. 84.

Imò vero & in nobis ipsis (quoniam inde est nobis amplior sollicitudo) tres istos ordines assignare solemus; plebem quidem intelligentes *officiales fratres*, qui exterioribus & quasi popularibus negociis occupantur. At vero qui convertuntur ad cor, ipsi sunt *claustrales*, quos nulla impedit occupatio, sed liberè vacant, ut videant quoniam suavis est Dominus. Super utrumque parietem Deus loquitur pacem, quoniam idem est ad quod tendunt, licet non eadem via. Est psalterium jucundum cum cithara, nec minus jucundus est sonus citharæ quam psalterii, licet hæc ab inferioribus reddat sonum, illud à superioribus. Veruntamen optimam partem elegit Maria, licet non minoris fortasse meriti sit apud Deum humilis conversatio Marthæ: sed de electione Maria laudatur, quoniam illa quidem omninò (quod ad nos spectat) eligenda: hæc vero si injungitur, patienter est toleranda.

Tres ordines in ipsis religiosis; Officiales, Claustrales, Prælati.

Jam quod interponitur, *super sanctos suos*: ad prælatos pertinet, quibus nimirum utraque vita necessaria est. Et ipsorum est utrisque providere, & copulare sibi parietes è diverso venientes: quoniam angularis lapidis (qui est CHRISTUS JESUS) vicarii constituti sunt. Nec dubium,

Prælatis utraq; vita, & Mariæ &

quin

quin longe periculosior cæteris eorum sit administratio. Tamen si bene administraverint, gradum bonum sibi acquirent, & maiorem abundantiam, & superefluentem mensuram accipient pacis, ut de eis merito dicatur: *Quoniam super sanctos pacem loquitur Deus.* An vero dubitet quis quos dixerit sanctos? Audiam Esaiam. *Vos*, inquit [i], *sancti Domini vocabimini ministri Dei nostri.* Proposueram exemplum aliquod dare, quemadmodum ex sua ipsius consideratione ad spiritualem intelligentiam assurgere humanus debet animus, sed necesse est in diem alterum & sermonem alterum differre.

Marthæ necessaria.

i Isaiæ. 60. c

SERMO X.

De vita animæ & quinque sensibus eiusdem, seu, Quomodò anima ex sui ipsius consideratione ad spiritualem intelligentiam ascendere debeat.

MAgna est, dico vobis, charissimi, & nimium inexcusabilis negligentia nostra, qui cogitationibus ociosis vacantes tempus amittimus, quibus nimirum nec penetrandæ nubes, nec maria transfretanda, ut salubres inveniamus cogitationes, sed prope est (ut ait Moyses [a]) verbum in ore nostro & in corde nostro: & infinitas in nobismetipsis utilium cogitationum occasiones & seminaria possumus invenire. Denique si tam inerudita & negligens fuerit anima, ut nec interiora sua sufficiat perscrutari, attendat ea, quæ foris agit palam & manifeste, & in ipsis quoq; si diligenter quæsierit, inveniet sapientiam. Ecce enim scriptum est [b]: *Da occasionem sapienti, & sapientior erit.* Considera, ô anima, quid impendas corpori tuo, & invenies sine dubio, quòd vitam ei sensumq; ministras, & vitam quidem in toto corpore invenies uniformem, verbi gratia. Neq; enim aliter vivit oculus quam articus. Sensum vero non ita. Quære ergo, ut tibi quoq; anima tua (quæ est sine dubio Deus tuus) similia largiatur. Neq; enim vivere dicenda est anima, quæ veritatis non habet cognitionem, sed adhuc mortua est in semetipsa, quemadmodum & ea sine sensu, quæ necdum habet dilectionem. Est ergo animæ *vita* veritas, *sensus* charitas. Nec mireris, quòd interdum animæ impiorum notitiam habent veritatis, quæ tamen expertes sunt charitatis, quando & in corporibus nonnullis vitam reperis sine sensu, ut sunt arbores cæteraq; similia, animata quidem, sed animatione, non anima: quemadmodum & animæ iniquorum veritatis habent notitiam naturali ratione, quæ tamen interdum adjuvatur à gratia, cum nullatenus sane animetur ab ea. In his autem quibus & cognitionem veritatis, & dilectionem anima spiritualis infundit, non exteriori quolibet modo, sed tanquam anima ipsorum cui adhærentes unus spiritus fiunt cum ea, in his, inquam, indivisa est cognitio veritatis, secundum quod dictum est de vita corporis. Eadem enim cognitione & minima & maxima comprehendit.

a Deut. 30. c & Rom. 10. b

Sanctas cogitationes non procul petere necesse est.

b Prov. 9. b

Animæ vita veritas, sensus charitas.

Non omne vivens sensu præditum.

Amor secundum 5. sensus corporis quintuplex.

Porrò dilectionem quidem si diligenter advertas, variam, & fortassis secundum quinque sensus corporis quinquepertitam poteris invenire. Est enim *amor pius*, quo *parentes* diligimus. Est *amor jucundus*, quo *socios* diligimus. Est & erga omnes homines *amor justus*, erga inimicos *amor violentus*, erga Deum *sanctus* sive devotus. In his omnibus si diligenter attendis, proprium erga singulos, & omnino diversum ab aliis modum invenies.

1. Amor pius erga parentes comparatur Tactui.

Denique si considerare curiosius delectat, non immerito fortasse videbitur *primus*, id est, parentum amor *tactui* convenire, quod hic sensus sola proxima & corpori juncta percipiat, quemadmodum amor ille nullis exhibetur, nisi proximis carnis nostræ. Sed nec illud quidem discrepat à ratione similitudinis, quod hic solus è sensibus per corpus diffunditur universum,

2. Amor jucundus erga socios respondet Gustui.

quoniam & amor ille naturalis est omni carni, adeo ut ipsa animalia bruta & diligant fœtus suos, & diligantur ab eis. *Amor* quoque *socialis* videre liceat, quam proprie dicatur *gustui* convenire, ob maiorem profecto dulcedinem, & quoniam hic sensus solus est, quo magis eget humana vita. Nec video qua ratione vivere dicendus est saltem hac communi vita, qui non

3. Amor generalis erga omnes assimilatur Odoratui.

eos diligit inter quos vivit. *Amor* autem *generalis*, quo videlicet omnes homines diliguntur, *odoratus* habet similitudinem, in eo utique quòd hic sensus jam remotiora percipiat, & quòd non ex toto carnalis delectationis expers, eo tamen tenuiorem eam habeat quo diffusiorem. *Auditus* autem

4. Amor violentus erga inimicos confertur Auditui.

multò magis remotiora capit, nec inter homines ab amante quisque remotior est, quam non amans. Denique cum in cæteris sensibus nonnulla canis ipsius oblectatio sit, & magis ad carnem pertinere videantur, auditus penè totus exit à carne, & ei dilectioni non immeritò convenire videtur, cuius tota causa obedientia est: quam pertinere ad auditum satis evidens est, cum cæterarum unde diximus dilectionum nonnulla à carne sumatur occasio.

5. Amor sanctus erga Deum, convenit Visui.

Porrò *visus* quidem in eo sibi vendicat amoris divini similitudinem, quod cæteris omnibus excellentior & singularis cuiusdam naturæ, perspicacior quoque cæteris invenitur, & discernit multo remotiora. Denique *odoratus* quidem & *auditus* videntur utique remota sentire, sed ad se magis quem sentiant aerem creduntur attrahere. *Visus* autem non ita, sed magis ipse exire videtur, & ad remota procedere. Sic & in dilectionibus est. Quodammodo enim attrahimus proximos, quos tanquàm nosipsos diligimus. Attrahimus & inimicos, quos ad hoc diligimus, ut sint & ipsi sicut nos, id est, ut sint amici. Deum vero si, ut dignum est, tota virtute, tota anima, toto corde diligimus, ipsi magis in eum pergimus, & tota festinatione in eum qui ineffabiliter super nos, properamus.

Ordo dignitatis & utilitatis.

Jam vero & id manifestum est, quoniam in corporis sensibus visus quidem cæteris omnibus, auditus reliquis tribus dignior, odoratusque &

gustum

gustum & tactũ etsi non utilitate, dignitate tamen superare videtur, & gustus tactui superexcellere: quod manifestat etiam dispositio ipsa membrorum. Oculis siquidem in summitate locatis, aures inferiores esse quis nesciat? Sic & auribus nares, & fauces naribus, ipsi quoque faucibus manus pariter & reliquas corporis partes ad quas pertinet tactus, subesse manifestum est. Secundum ergo hunc modum & in sensibus animæ considerare licet alterum altero digniorem: quod quia facile jam potestis advertere, brevitatis causa prætereo. Illud quoque vestræ nihilominus diligentiæ considerandum relinquo, quòd quemadmodum artus corporis cadere necesse est, quam cito desierit eos anima vegetare, sic & eas quas diximus affectiones, quæ sunt velut quædam animæ membra, sine anima ipsius animæ (quæ Deus est) cadere omnino necesse est, quatenus videlicet aut ex toto non diligatur quod diligendum est; aut non diligatur ad quod debet, aut quomodò debet. Sunt enim qui parentes carnaliter tantum diligunt, & ipsi quopue confitentur Domino cum benefecerit eis. Sed huiusmodi dilectio aut omninò vocanda dilectio non est, aut caduca est, aut decidens in terrena.

tùs in sensibus corporis.

Sic & in sensibus animæ.

Sine amore DEI cæteri amores caduci.

SERMO XI.

De duplici Baptismo, & de relinquenda propria voluntate.

SCitis, Fratres (firmissimè enim tenetis catholicam veritatem) quod in baptismate abrenunciantes Diabolo Pater cœlestis adoptet, & in regnum Filii claritatis suæ de potestate transferat tenebrarum. Nimirum ipsa est stola prima, quam verè cito proferre ministros paternus jubet affectus, non oris petitionem, non desiderium cordis expectans, sed & ipsum intellectum præveniens in benedictionibus dulcedinis. Quotquot enim baptizati sumus in CHRISTO JESU, Christum induimus [a]. De quo & alius clamat testis & ipse fidelis [b], quia *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Nec vero inanis est aut infirma potestas, quia nimirum certi sumus continuo & nos, quoniam neque mors, neque vita, neque virtutes, neque angeli, neque altitudo, neque profundum poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in CHRISTO JESU [c]. Sed attende quanta enumeravit Apostolus (eius enim verba sunt) minimè tamen adjiciens, *nec nosipsi.* Nimirum hæc est libertas, qua Christus nos liberavit, ut nulla penitus creatura avellere nos, aut vim facere possit. Soli id deserere possumus propria voluntate abstracti, & illecti à propria concupiscentia. Præter hanc enim nihil est quod timeamus. Denique donec voluntatis usum, & facultatem deliberandi renatus quisque recipiat, à charitate DEI separarari omninò non potest. Securus interim degit sub protectione & advocatione Domini DEI sui, non est quod vereatur ex omni-

a Galat. 3. d
b Ioan. 1. b
c Rom. 8. g

Nulla creatura nos per vim à Charitate potest avellere, sola propria voluntas id potest.

ex omnibus. At ubi sanè discretionis annos ingrediens redditur sibi, cæterorum utique violentiam nec tunc quidem formidare necesse est, sed ab ea quæ dormit in sinu, caveat, propria scilicet voluntate. Erit fortè peccatum in fortibus, sed appetitus eius sub eo est, tantum ipse aperire renuat, consentire recuset.

Primi parentes, non coacti, sed decepti; id est, non necessitate, sed voluntate peccarũt.

Denique primos parentes non ursus aut leo, sed potius serpens, callidior utique, non fortior cæteris animantibus suppplantavit. Nec mulierem vir, sed mulier virum. Serpens ô Eva, decepit te, decepit profecto, non impulit aut coegit. Mulier tibi, ô Adam, de ligno dedit, sed offerendo utique non violentiam inferendo. Neque enim potestate illius, sed tua factum est voluntate, ut eius voci plus obedieris quam divinæ. Cæterum si ille sibi non præcavit ignarus, nos saltem nobis tot exemplis prænoniti caveamus. Imò verò quoniam periclitati sumus & nos miserabiliter in hac parte, de cætero jam remedium aliquod tantis providere malis sollicitè studeamus. Quando enim fortis ille armatus, quem fortior superveniens alligavit, atrium illud olim suum valuit violentia aliqua obtinere ? Sed vacuum sibique insipienter expositum domicilium reperit, & cum aliis septem nequioribus, non fortioribus ingrediens, non irruens, libere habitavit. Quis vero illum admisit, nisi propria voluntas ? Ipsa est quæ in potestatem tenebrarũ denuo rediit, quæ nos iterum subdidit mortis imperio.

Propria voluntas hominem subjecit diabolo.

Veni Domine Jesu etiam nunc. Jesu bone ejice iterum fortiter, quem nos insipienter admisimus. Tunc enim vere liberi erimus etiam nunc, si nos liberaveris. Irritum fecimns fœdus primum, tibi peccavimus Domine, Satanæ & operibus eius obligantes denuò nosmetipsos, jugo iniquitatis colla ultronea submittentes, & subjicientes nos miseræ servituti. Itaq; Fratres mei, rebaptizari nos convenit; secundum fœdus inire necesse est; opus est professione secunda; nec jam sufficit abrenunciare Diabolo & operibus eius, mundo pariter abrenunciandum est & propriæ voluntati. Ille enim seduxit, ille tradidit nos. In priori nimirum baptismate, quando nihil nobis adhuc voluntas nostra nocuerat, satis fuerat abrenunciare Diabolo, cuius profecto invidia peccatum pariter & mors per unum ingrediens, in omnes homines pertransivit. Cæterum postquàm mundi fallentis illecebras, & infidelitatem propriæ voluntatis manifestè sumus experti, de cætero jam in secundo (ut ita dixerim) conversionis nostræ baptismate meritò prorsus & non ad insipientiam nobis, non resarcire tantummodo fœdus primum, sed etiam roborare solliciti, ipsis quoq; affectibus pariter abrenunciamus. Studeamus proinde, dilectissimi, immaculatos nos ab hoc sæculo custodire, scientes quoniam religio munda & immaculata coram Deo hæc est. Caveamus autem è propria voluntate tanquàm à vipera pessima & nequissima, & quæ sola deinceps damnare possit animas nostras.

Diabolo ab renunciare non sufficit.

Propria voluntas vipera pessima.

Sermo

SERMO XII.

* In illud Eccli. *Memorare novissima tua &c.*

* Al. *de primordiis, mediis & novissimis.*

Fili memorare novissima tua, & in æternum non peccabis a. Recole primordia, attende media, memorare novissima tua. Hæc pudorem adducunt, ista dolorem ingerunt, illa metum incutiunt. Cogita *unde veneris*, & erubesce *ubi sis*, & ingemisce *quo vadas*, & contremisce. Vide ne adjicias adhuc ignorare, ne forte super te veniat terribilis illa comminatio, qua sponsus intonat dicens b: *Si ignoras te, ô pulchra inter mulieres, egredere & abi post greges sodalium tuorum.* Primo siquidem cum in honore esses, ô homo, non intellexisti, unde comparatus es jumentis insipientibus, & similis factus es illis. Jam si nec vexatio intellectum dederit auditui, etiam post greges abibis, illis nihil mali sentientibus, malis expositus universis. Agnosce ergò primordia tua, & erubesce comparatum te esse jumentis: memorare novissima tua, & time ne abeas etiam post jumenta. Erubesce, inquam, quòd pro consortio Angelorum, consortium sortitus es pecorum, non modò in necessitatibus corporis, sed etiam in affectibus cordis. Cum jumentis partiris cibum terræ, quia panem angelicum, panem fastidisti cœlestem. Non solum autem, sed etiam quod peius est, in recto corpore curua est anima: & in corpore manet humanæ animæ similitudo, in anima vero bestiali similitudine mutata est similitudo Dei.

a Eccli. 7. d

b Cant. 1. d *Primò vide unde sis.*

* c Ps. 48. c

Homo similis & socius factus jumentis.

An non confunderis sursum caput habere, qui sursum cor non habes? corpore rectus stare, qui corde repis in terra? An non repere est in terra carnem sapere, carnalia desiderare, carnalia quærere? Veruntamen quia ad imaginem & similitudinem Dei creatus es, si perdidisti similitudinem, similis factus jumentis, sed in imagine pertransisti. Ergo si in sublimi positus non intellexisti quoniam limus esses, noli infixus in limo profundi ignorare quia imago Dei es, & erubesce quòd peregrinam ei superduxeris similitudinem. Memor nobilitatis tuæ, pudeat te tantæ dejectionis. Ne ignores pulchritudinem tuam, ut de fœditate amplius confundaris. Hæc est juxta Salomonem c *confusio adducens gloriam*, quando à tanta gloria cecidisse confunderis. Eras enim aliquando gloria & honore coronatus, constitutus super opera manuum Domini, incola paradisi, Angelorum civis, & domesticus Domini Sabaoth. Hinc dejecisti teipsum in has interiores tenebras, unde ad exteriores quoque & palpabiles tenebras ejiciendus eris aliquando, si non caves. Ab ista, inquam, gloria filiorum Dei deposuisti temetipsum, à felici illa & dulcissima patria, ab horto voluptatis exulem te fecisti.

Turpe hominis sursum caput habere, cor deorsum.

c Eccli. 4. c

Ecce unde venisti: vis nosse quo deveniste? In locum utique afflictionis. Siquidem vita tua inferno appropinquavit. Quid enim hic nisi

Secundò vide ubi sis.

labor, & dolor, & afflictio spiritus? Sed nunc ita contigit tibi, ac si puer in carcere natus sit, & in carcere sit nutritus, & quia nunquam viderit lucem, miretur super tristitia & anxietate matris suæ. Illa enim scit unde doleat, & quia novit bona, graviora sunt ei mala, & recordatione pacis amaritudo eius amarissima est. Tibi magna bona videntur minora mala, & præ maioribus compedibus quibus assuetus es, minores annulos requiem putas. Comedere appetis, quia fames te cruciat. Utrumque labor est. Sed quia fames gravior magis, comedere nescis esse laborem. Denique postquàm fames depulsa fuerit, vide si non gravius ducis comedere, quam esurie. Sic se habent universa sub sole, ut nihil sit in eis vere jucundum, sed ab uno semper transire velit homo ad aliud, solaque vicissitudine relevetur utcunque, ac si prosiliat ab aqua in ignem, & inde rursus in aquam resiliat, utpote qui neutrum ferre possit. Omnis siquidem laboris remedium, alterius laboris initium est. Nemo in hoc seculo nequam quod vult habere potest, quandoquidem nec justus justitia satiatur, nec voluptuosus voluptate, nec curiositate curiosus, nec ambitiosus inani gloria. Ecce unde doleas, si nondum insensibilis factus es. Ecce unde doleas, quod in exilio positus es, in deserto moraris, & in tenebris ambulas, & in lubrico, & in sudore vultus tui vesceris pane tuo. An non in amaritudine moratur oculus tuus, quotiens ista considerat & deplorat pariter cum propheta; *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* [d]?

Simile.

Simile elegans.

Nihil sub sole verè incundum & ad satiandum hominem sufficiens.

d Psal. 119. a

Habes jam primordia, habes etiam media: sed novissima quæ sunt? Nam de eis dicitur [e], quod eorum memor non peccabis. Ipsa sunt mors judicium, gehenna. Quid horribilius morte? quid judicio terribilius? Nam gehenna nihil potest intolerabilius cogitari. Quid metuet si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur? O homo, si pudorē perdideras ad nobilem creaturam pertinentem; si dolorem non sentiebas afflictionis, quod est etiam carnalium; vel timorem non omittas, quoniam ille est etiam jumentorum. Oneramus asinum & fatigamus in laboribus plurimis, & non curat, quia asinus est. At si in ignem impellere, si in foveam præcipitare velis, cavet quantum potest, quia vitam diligit, & mortem timet. An non tibi ergò justum videtur, ut qui modò jumentis insensibilior fuerit, post jumenta ipsa compellatur abire, & in tormentis positus locum teneat posteriorem? Time ergo, ô homo, quod in *morte* separandus es à bonis omnibus huius corporis, & tam dulce carnis & animæ vinculum amarissimo secandum divortio erit. Time quod in terribili *judicio* ei præsentandus es, in cuius manus horrendum est incidere [f]: & eo examinante quem nihil latet: si quidē inventa fuerit in te iniquitas, alienandus ab universitate quietis & gloriæ, & segregandus à numero beatorum. Time quod in *gehenna* cruciatibus æternis & immensis exponendus es, in sorte diaboli & angelorum

e Eccli. 7. d

Tertiò vide quò vadas.

Memor novissimorum non peccabis.

f Heb. 10. f

Mors, judicium & gehenna timenda.

rum eius, in igne æterno, qui præparatus est eis. Hic ergo *timor initium sapientiæ* dicitur [g], non pudor, non dolor : quia neuter eorum sic initiat ad sapientiam, neuter tantam habet efficaciam. Unde est quod non dicitur *memorare* primordia, aut media, sed *novissima*, & non peccabis. Validior enim est & vehementior spiritus timoris ad resistendum peccato, quam pudor & dolor : quia pudor de multitudine, & dolor de qualicunque huius mundi consolatione capit solatium, timor verò non invenit unde consoletur. Nam in morte non magnum, non parvum aliquid de bonis huius mundi tecum delaturus es : in judicio nec fallere nec resistere possibile erit : in gehenna penitus nulla consolatio, sed perpetuum væ, ululatus, & fletus & stridor dentium.

g Psal. 110. b & Eccli. 1. c

Timor efficacius peccato resistit, quam pudor aut dolor.

Sermo XIII.*

* *Alias*; de triplici misericordia, & 4. miserationibus.

In illud Psal. *Miserere mei Deus sec. magnam misericordiã tuam.* Ps. 50.

Sicut sunt peccata minima, sunt mediocria, sunt & magna : sic est misericordia parva, mediocris & magna. Magnus ergò peccator magna misericordia opus habet; ut ubi abundavit delictum, superabundet & gratia. Parvam misericordiam dico expectationem, qua non statim punit peccantem, sed expectat ad pœnitentiam. Parvam autem non in se, sed ad comparationem aliarum. Alioquin magna planè, magna omninò misericordia, expectatio Domini. Nam peccantem Angelum omnino non expectavit, sed præcipitavit : hominem quoq; peccantem non distulit, sed protinus expulit de paradiso. Nunc jam expectat, dissimulat, sustinet decem annis, viginti, usq; ad senectutem & senium. Et si consideremus quanta & quam plurima peccata quotidie fiunt, nonne levia reputamus illa, quæ tam continuo damnationis excepere sententiam ? Nihil proinde mirum, si ipsius quoq; Prophetæ [b] pene moti sunt pedes, pene gressus effusi, quoniã zelabat super iniquos pacem peccatorũ videns : si peccatores ipsi dicunt, quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso? Sed hæc est gratia crucis Christi & virtus. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat* [c]. Quantũ vero mihi videtur, vox Christi resurgentis est ista : Ac si dicat, velit nolit Judæus, vivo ego. Nolo mortẽ peccatoris, qui mori volui pro peccatoribus. Volo ut fructuosa sit mors mea, & copiosa per eã redemptio.

Misericordia Dei parva, mediocris, & magna.

Parva, qua expectat peccantem, tardius ad pœnã.

b Psal. 72. a

c Ezech. 18. g

Hanc ergo misericordiam Domini qua tardat ferire, paratus ignoscere; parva non quidem in seipsa, sed aliarum comparatione nominavi, quia hæc siquidem sola fuerit, nullatenus sufficit ad salutẽ, imò verò judicium damnationis accumulat, ut dicat [d] : *hæc fecisti, & tacui.* Apostolum proinde audiamus more suo terribiliter intonantem. *An divitias bonitatis eius,* inquit, (haud dubium quin Dei) *& longanimitatis contemnis ? Ignoras quoniam patientia DEI ad pœnitentiam te adducit ? Tu autem secundum duritiam*

Longanimitas Dei culpam peccatoris non respicientis cumulat.

d Psal. 49. d

* e Rom. 2. a

duritiam tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ. Thesaurizas, inquit, tibi thesauros iræ pro prærogatis thesauris misericordiæ quos contemnis, & evacuas in te misericordiam DEI. Sed secundum quid; *Secundum duritiam tuam*, ait, *& cor impœnitens*. Quis autem scindet duritiam istam, nisi qui passione sua petras scidit? Quis dabit cor pœnitens, nisi à quo est omne datum optimum?

Altera misericordia mediocris, qua DEVS dat pœnitentiam.

Hæc est secunda misericordia omnino maior priore, quæ facit ne prima sit infructuosa, & convertatur in damnationem mortis, dando scilicet pœnitentiam, sine qua expectatio non modo non prodest, sed obest plurimum. Et hæc quidem in levibus peccatis potest sufficere, quoniâ in his à quibus abstinere non possumus dum gestamus corpus peccati, ad salutem sufficere potest pœnitentia quotidiana. At in gravioribus quidem, & quæ peccata ad mortem sunt, opus est non modo pœnitentia, verum etiam continentia. Difficilis prorsus res, & soli divinæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati jugum à cervicibus excutere: quoniam qui facit peccatum, servus est peccati, nec est jam liberari nisi in manu forti.

Tertia misericordia magna, qua dat continentiam.

Hæc est magna misericordia magnis necessaria peccatoribus, de qua dicitur: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam & secundum multitudinem miserationum tuarum, &c* [f], De quatuor filiabus magnæ misericordiæ dictum est, quæ sunt immissio amaritudinis, subtractio opportunitatis, virtus resistendi, & sanitas affectionis. Quandoque enim ei qui peccato quovis obligatus tenetur, pie immittit Dominus amaritudines quasdam, quæ mentem occupant hominis, & expellunt pernicioſam delectationem peccati. Quandóque subtrahit opportunitatem, nec tentari patitur infirmitatem. Quandoque virtutem donat resistendi, quod maius est, ut scilicet tentationem sentiens viriliter agat, & non consentiat. Quandoque affectionem sanat, quod perfectissimum est, & in quo prorsus tentatio tollitur; ut non solum non consentiatur ei, sed nec sentiatur quidem.

[f] Psal. 50. a 4. *Filiæ seu effecta magnæ misericordiæ.*

Sermo XIV.

In illud Sap. *Sapientia vincit malitiam. Attingit ergo à fine, &c.*
Seu, *De septem Donis Spir. S. contra septem vitia.*

Septiformis spiritus adversus septem peccati gradus.

Sapientia vincit malitiam [a], dum Satanam conterit Dei virtus, & Dei sapientia Christus. *Attingit ergo à fine usque ad finem fortiter*, in cœlo quidem dejiciendo superbum, in mundo superando malignum, in inferno spoliando avarum. *Et disposuit omnia suaviter*, in cœlo stantes angelos confirmando, in mundo venundatos redimendo, in inferno captivos liberando. Aut si melius placet, accipiamus hoc modo. Ordinata procedit acie adversus septem peccati gradus Spiritus septiformis. Et primus

[a] Sap. 7. d* & Sap. 8. a

1. *Sp. Timoris contra negligentiam.*

contra

contra negligentiam *timor* exurgit, nimirum ipse est quo concutitur anima, discutitur conscientia, excutitur sopor lethalis, incutitur sollicitudo. Denique *qui timet Deum, nihil negligit* [b], sed veretur omnia opera sua.

1. *Spr. Timoris contra negligentiam.*

b Eccle. 7. c.

Cæterum ut gravior sit conflictus, squama squamæ jungitur, & comitantia sunt in humano corde negligentia sui & curiositas cæterorũ. Triplex enim (ut ait Sapiens) incommodum ejicit de domo inhabitantem: *fumus, stillicidium, mala uxor*. Quando vero hæc deerunt negligenti? Propria quidem qui negligit, fumum non abigit, uxorem non corrigit, tectum non reficit. Fumant peccata nullo misericordiæ studio, nullis lachrymarum undis extincta, & fumus ille teterrimus & intolerabilis. Malignatur voluntas ipso neglectu quotidiè deterior semetipsa. Stillat superni judicis indignatio ex defectu utique charitatis, quæ sola operit multitudinem peccatorum. Egrediatur utique foras necesse est, & curiosius exteriora consideret, qui sic interna despicit, præterita non respicit, præsentia non inspicit, futura non prospicit. Evidenter proindè curiositati *pietas* adversatur, & quem illa à corde evocat, ista revocat. Nimirum pietas illa est cultus Dei, & in corde colitur, qui in corde cognoscitur habitare. Parit autem curiositas experientiam mali, ut facile, qui per multa vagatur, offendat; facilè cadat in laqueum, facilè inveniat quod perniciosè delectet. Confligit sanè adversus hanc *scientia* Spiritus, docens eligere bonum, & reprobare malum; docens quid pernicioſum sit, quidvè expediat experiri.

c Prov. 27. c.

2. *Spiritus pietatis contra curiositatem.*

3. *Spir. scientiæ contra experientiam mali.*

Veruntamen in multis jam in concupiscentiam experientia transire videtur. Habes ergo hos gradus in Dina filia Iacob, quam nimirum ad videndum alienigenas mulieres egressam, Emor filius Sichem rapuisse, corrupisse, ac deinde tristem blanditijs deleniſse legitur, ita ut illius animæ anima ejus adhæserit. Dico autem in concupiscentiam, & ut Propheta meminit [c], in affectum cordis transisse hominem qui legem sprevit, honestatem abjecit, valefecit pudori: timorem Domini penitus transiliit, soloque vehitur appetitu, sequitur concupiscentiam solam, sola trahitur voluptate, & est apud eum pro ratione voluntas. Contra hanc igitur concupiscentiam mali dimicat *fortitudo*: neque enim ulla jam nisi in manu fortiliberatio est. Indîcat sibi homo jejunia, corpus castiget & subjiciat servituti, ne forte jam de radice colubri egrediatur regulus, de concupiscentia consuetudo. Quemadmodum enim misera nimium & miserabilis humana fragilitas sine pruritu concupiscentiæ, aut impetu desiderij sola consuetudine ipsa ad illicita trahatur, utinam omnibus liceat ignorare. Nimirum peccatum faciens, servus est peccati, servus plane diaboli, ad prava quæque prout ducitur sequens, à quo nimirum captivus tenetur ad ipsius voluntatem [f].

d Gen. 34. a

e Psal. 72. a

4. *Spiritus fortitudinis contra concupiscentiam.*

Vis & noxa malæ consuetudinis.

f Ioan. 8. d.

Est autem consuetudo hæc gravis quædam & pernicioſa catena, solvenda

venda utiq; facilius, quam rumpenda: ut hic maximè vulgare illud proverbium videatur usurpari, industriam violentiam potiorem: ut quemadmodum vis vi repellitur, & fervore spiritus fervor extinguatur desideriorum, ut maligni artem arte deludas, & consuetudini *consilium* opponas. Alioquin si fortè violentiam quæras & castigationem corporis speres consuetudini prævalere, timendum omnino est ne sit pernicioſus labor, & prius ipsa substantia deficiat quam inolita concupiscentia, præsertim quòd altera quædam natura sit ipsa consuetudo. Necessarium itaque est consilium vel ab ipso magni consilii Angelo ministratum, vel ab homine aliquo spirituali qui cogitationes Satanæ spiritualiaque remedia non ignoret. Subtrahenda nobis occasio est, & opportunitas fugienda peccati. Legimus, Fratres in eremo fornicationis spiritu quempiam impugnatum, laudabili prorsus industriâ à Patre curatum. Advocans enim senior fratrem alterum secretò, jussit ut eundem lacesseret injuriis, & prior ipse quasi accepta ab eo injuria quereretur. Anxiabatur ille, & confusus vehementer, sic in brevi oblitus est pristinæ tentationis, ut quærenti de ea non sine admiratione plurima responderet: Papæ! vivere non liceret; & fornicari libeat?

5. Spiritus Consilii adversus pravam consuetudinem. Occasionis fuga.

Exemp. Eremitæ fornicationis spiritu liberati.

Sed fortè nedum venit cui victoria reposita est, quem triumphus manet, cui corona debetur, & contemptus ex consuetudine prodit, ut tantò liberius, quantò desperatius peccans, totas jam concupiscentiæ laxet habenas, toto impetu feratur in præceps, sicut scriptum est: *Peccator cum venerit in profundum malorum contemnit.* Hunc ergo contemptum necesse est ut spiritus *intellectus* impugnet, illuminans tenebras cordis, & lucem divinæ misericordiæ, & copiosæ miserationis infundens. Intelligentia nempe divinis & altissimis rebus attribuenda est, quas quidem ratio humana nullatenus, difficile autem vel fides ipsa comprehendere possit, ut est illud [b]; *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.*

g Prov. 18. a

6 Spiritus intellectus contra contemptum.

b Rom. 5. d

Iam si contemptus perstiterit, accedere necesse est & malitiam, ut quam potest consolationem desperatus miser admittat, & cui non est pars in bonis, lætetur vel in malis, lætetur cum malefecerit, & exultet in rebus pessimis. Ex his ergo solum hoc remedium est, ut ipsa adversus malitiam *sapientia* congrediatur, propriaque dextera prælietur, quæ succumbere omninò non novit. Quando enim liberetur qui in habitationem descendit, nisi præveniatur in benedictionibus supernæ dulcedinis, ut clavum clavo expellat, & pestiferam dulcedinem vitiorum jucunditas spiritualis unctionis excludat?

7. Sapientiæ Sp. contra malitiam.

Attingit ergò à fine usque ad finem fortiter sapientia victrix eradicando singula vitia, singulasque inserendo virtutes. Excutitur siquidem *negligentia*, ut timoris spiritus repleat mentem abiicitur *curiositas*, ut succedat pietas; *experientia mali* fugatur, apponiturque scientia. Sic &con-

Anacephaleosis.

cupis-

cupiscentiæ prævalet fortitudo, & consilium *consuetudinem* amputat, & intellectus vigens *contemptum* amovet, & disparente omnino *malitia*, sapientia regnat. Qua quidem triumphante de cætero miseram illam animam quam perniciosè negligentia soporaverat, peius excitaverat curiositas, attraxerat experientia, tenuerat concupiscentia, ligaverat consuetudo, contemptus in carcerem truserat, malitia jugulaverat: timor suscitat; pietas blandè demulcet; scientia quid actum sit indicans, dolorem apponit; quod suum est, fortitudo erigit, consilium solvit, intellectus educit de carcere, sapientia mensam ponit, refocillat esurientem, & salutaribus reparat alimentis.

Sermo XV.

De eo quod scriptum est: *Beatus homo qui invenit sapientiam, & qui affluit prudentia.* Prov. 3. b.

Quid in hoc mundo agimus, Fratres, aut quid facimus de hoc mundo? Si salvari contendimus à præsenti sæculo nequam, quid adhuc de hoc mundo decernimus? Si exire volumus, quid compedes nostros nobiscum trahere laboramus? Ponamus aureos esse, sed multò melius est sine his liberari, quàm eorum occasione teneri. Non æstimemus precium, sed impedimentum consideremus, ne præter ipsam, quæ dura satis reputanda est, conditionis necessitatem, etiam cupiditatis visco inhærere hic incipiamus, & inanis sollicitudinis nexibus irretiri. Quid enim in compedibus faciat quis, percunctari fortè minus congruum judicetur, quod videlicet ad patiendum magis, quàm ad aliquid faciendum soleant homines compediri: & actionis impedimenta compedes sunt adminicula passionis. Agendum tamen nobis aliquid in hoc mundo, agenda utique pœnitentia, sed ad passionem hæc potius, quàm ad actionem videbitur pertinere. Nihilominus tamen agendum hic nobis aliquid: non quidem de hoc mundo, sed in hoc mundo. Cum enim legatur [a] Adam in loco voluptatis ab initio positus, ut operaretur, quis sanum sapiens, filios ejus in loco afflictionis ad feriandum positos arbitretur? Operemur ergo, sed cibum qui non perit: operemur opus salutis nostræ. Operemur in vinea Domini ut denarium diurnum accipere mereamur. Operemur in sapientia quæ dicit [b]: *Qui operantur in me, non peccabunt.* Ager enim est mundus: ait Veritas [c]. Fodiamus, in eo thesaurus absconditus latet; effodiamus eum. Ipsa est enim sapientia quæ trahitur de occultis. Omnes eam quærimus: omnes concupiscimus eam.

Mundi compedes quantumvis aureæ relinquendi.

a Gen. 2. c

b Eccli. 24. c.
c Matt. 13. f

Sed frustra quærit, qui in lectulo suo quærit: neq; enim in terra suaviter viventium invenitur. Lectulus est, & ibi gigantem quæris? Tuus est, & ibi speras invenire eum, qui diversoria semper ignorat? *Si quæritis*, inquit [d], *converti-*

Sapientia ubi invenienda.
d Isa. 21. c

convertimini & venite. Quæris unde? A lectulo tuo. Quæris unde convertaris? *A voluntatibus, inquit, tuis avertere.* Et si in voluntatibus meis non invenio: ubi, inquis, invenio sapientiam? Vehementer enim eam considerat anima mea: nec invenisse sufficiet si contigerit invenire: nisi mensuram bonam & confertam & coagitatam, & supereffluentem ponam in sinum meũ. Merito quidem. *Beatus enim homo qui invenit sapientiam: & qui affluit prudentia.* Quære ergo dum inveniri potest: & dum prope est, invoca illam. Vis audire, quam prope sit [f]? *Prope est verbum in corde tuo & in ore tuo,* tantum illud recto si quæsieris corde. Erige cor, surge de lectulo tuo, ut non frustra audias admonentem *sursum habere cor.* Sic enim invenies corde sapientiam: ore affluës prudentia; sed affluere, non effluere vel evomere cura.

e Ibid. 18. d.

f Deut. 30. e & Rom. 10. b

Nimirum mel invenisti si invenisti sapientiam, tantum ne multum comedas: ne satiatus evomas illud. Sic comede ut semper esurias. Nam ipsa dicit [g]: *Qui me edunt, adhuc esurient;* Noli multum reputare quod habes, noli satiari ne evomas: & hoc ipsum quod videris habere, auferatur à te: quippe qui ante tempus quærere destitisti. Neque enim dum potest inveniri, dum prope est: ab inquisitione vel invocatione cessandum est. Aliter quoq; *sicut qui mel comedit multum* (ut ait idem Salomon [h]) *non est ei bonũ: ita qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Quid tu Pilate seorsum interrogas Dominum, ut tibi susurret in aure, quid sit Veritas? Multum est ad te: non dabitur sanctum cani: nec margarita porco. Quære potius fidei gustum; satietatem intelligentiæ interim ne requiras. Merito, Fratres, reverberata acie protinus resilivit: & responsum non sustinens, egressus est ad Judæos, qui ambulare cœperat in magnis & mirabilibus super se, quid esset Veritas percontatus [i].

g Eccli. 24. c *Satietas melius, id est, sapientiæ cavenda.*

h Prov. 25. d *Arcana Dei non curiosè scrutanda.*

i Ioan. 18. g

Quocirca quæramus sapientiam in corde: & sapientiam quæ est ex fide: quemadmodum Apostolus ait [k]: *Non plus sapere quam oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem.* Sobria siquidem sapientia est in pœnitudine peccatorum præteritorum: in contemptu præsentium commodorum: in desiderio futurorum præmiorũ. Invenisti plane sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas: si huius sæculi desiderabilia parvi pendas: si æternã beatitudinẽ toto desiderio concupiscas. Invenisti sapientiam, si tibi horum singula sapiunt prout sunt, ut hæc quidem amara & omnino fugienda, ista quoq; velut caduca & transitoria continenda; illa vero ut perfecta bona totis appetenda desideriis, intimo quodam animi sapore dijudices & discernas. Atq; hæc quidem sobria est sapientia, & vomitum nescit, ubi & timoris frigus ex recordatione peccatorum, & charitatis fervor ex appetitu divinarum promissionũ, tepiditatẽ amovet earum quæ nunc sunt pessimarum occupationum: ut nec evomas sapientiam; nec evomaris ab ea. Sicut enim beatus homo qui

k Ro. 12. a*

Sapientia sobria consistit in pœnitudine peccat. in contemptu terren. & in desiderio futurorum.

invenit

invenit sapientiam; sic etiam *beatus vir*, vel beatior etiam, *qui morabitur in sapientia* [m]: fortè enim hoc ad affluentiam spectat.

m Eccl. 14. c. *Sapientia in ore.*

Sane in his tribus ore affluit sapientia vel prudentia, si sit in ore, confessio propriæ iniquitatis: si gratiarum actio & vox laudis, si etiam sermo ædificationis. Nimirum *corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem* [n]: atq; in principio quidem sermonis justus accusator est sui [o]. Nam in medio magnificare Dominum: in tertio quoque (si eatenus affluit sapientia) ædificare proximum debet. An verò & in opere affluendum est sapientia? Est maximè. Quæramus ergò & in opere triplicem affluentiam: nam & olim dictum est à sapiente quodam, quod sapientia tripliciter describeretur. Itaque si vos melius non habetis, puto ego, quod ad opus pertinet, copiosè satis affluere sapientia, quicunque inter vos continenter, patienter & obedienter conversatur, tantum ut fideliter *obedientia* propriam mortificet voluntatem, humilis *continentia* carnalem pariter & sæcularem amputet voluptatem, hilaris *patientia* utramque simul, & corporalem scilicet & mundialem viriliter sustineat adversitatem.

n Rom. 10. b *In corde.*
o Prov. 18. c

Sermo XVI.

De triplici genere bonorum, & vigilantia super cogitationibus.

I. *Religiosos à malis cogitationibus quàm alienos esse oporteat.*

Et propensius studium, & cura vigilantior nostris esset cogitationibus adhibenda, Fratres mei, nostris inquam, quibus tam sanctarum meditationum assiduè materia ministratur: nocte enim & nobis prophetiæ & evangelicæ, sed & apostolicæ voces canuntur & leguntur, quæ & pœnam minantur inferni, & gloriam regni pollicentur. Unde ergò nobis tam vanæ, tam noxiæ, tam obscœnæ cogitationes, quæ nunc immunditia & elevatione, nunc superbia & ambitione, cæterisque passionibus extorquent nos, ut vix aliquando in serenitatem sanctarum cogitationum respiremus? Væ nobis à torpore & tepore cordis nostri, qui permittimus nos his vanitatibus occupari, & non magis ex instanti transilimus in bona Domini, sive in naturalia, sive in spiritualia, seu etiam in æterna. Et quidem naturalia bona magna, spiritualia maiora, sed maxima sunt æterna. Inprimis reparamur, in secundis exercitamur, extendimur & beatificamur in tertiis. Si non potes oculum meditationis in illam sublimitatem æternalium bonorum infigere, quia distantia sunt, & omnem sensum exuperant: in bonis gratiæ, quæ sunt in exercitio virtutum, visum reflecte, ut videas quam puræ conscientiæ, quam liberæ frontis sit versari & conversari in castitate & charitate, in patientia & humilitate cæterisque virtutibus, quæ amabilem Deo, placabilem & imitabilem hominibus reddunt. Quòd si & hæc nimis sublimia sunt, & transgredientia infirmitatem tuam, demitte oculos tuos in bona naturæ, quæ tibi tam familiaria esse debent, quantum tu familiaris es tibi. Necsic

Triplicia bona Naturalia, Spiritualia, Æterna.

In his meditandis mens occupanda.

dicimus bona naturæ, quasi gratiæ non sint, sed ideo quòd ipsi naturæ quodammodo ingenita & complantata fuerunt antequam fieret peccatum, illud quod non solum personam infecit, sed etiam naturam. Ex tunc non ita nobis ad manum proveniſſe monstratur propter vulnus inflictum, cum tamen nos illa in nobis & circa nos esse tam rationibus, quàm affectionibus plerumque sentiamus. Et quia nos ex anima & corpore consistimus, juxta vocem Apostoli [a]: ab animali parte, id est à bonis corporis incipiamus, ut non sit prius quod spirituale est, sed quod animale.

a 1. Cor. 12.

1. *Bona corporis.*

Voluptas insidiatur sanitati, idque perquam subtiliter. lege S. August. l. 10. confess. c. 13.

Sunt autem omnia bona corporis, & quæ ei solummodo debemus, sanitas. Nihil autem ei ultra dandum est vel quærendum, sed hoc termino ligandum, & frenandum est, cum fructus ejus nullus sit & mors finis illius. Sed hic fovea est, quæ nolo vos lateat. Insidiatur enim voluptas sanitati, & tam subtili malignitate prosequitur, ut vix eam quis vel possit cavere, vel noverit. Quòd si voluptati seruitur, non sanitati, hoc jam de natura non est, sed sub natura, quæ morti manus dat cum magistram constituit voluptatem. Inde etiam est quod multi ad tam bestiales & rebelles impetus descenderunt, (vel ut dicam verius) ceciderunt, ut voluptatem præferant sanitati, & illis ipsis sæpissimè volutentur, quæ sciunt difficiles & acutissimas subsequi passiones. Sicut autem corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas: quia turbato oculo non videbitur Deus: & cor humanum ad hoc factum est, ut suum videat Creatorem. Si vero sanitati corporis sollicita est providenda custodia, puritati cordis tantò sollicitior est impendenda, quantò pars ista dignior illâ esse convincitur. Hic tamen simpliciter accipimus puritatem, ut videlicet omnia quæ agimus, purè & humiliter confiteamur Domino in oratione, homini in confessione, & dicamus [b]: *Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.*

Puritas cordis magis curanda, quam sanitas corporis.

b Psal. 31. b

Proximo debemus pacem.

Sanctis imitationem.

Defunctis compassionem & orationem.

Et quia sociale animal sumus, ex his quæ in nobis sunt, ad ea, quæ circa nos sunt, transeamus: ut si fieri potest, quod ex nobis est pacem habeamus cum omnibus hominibus. Hæc enim est lex naturalis societatis, ut omnia quæcunque nobis fieri nolumus, aliis non faciamus: & quæ nobis fieri volumus, aliis impendere studeamus. Sicut ergo debemus sanitatem corpori, puritatem cordi: sic & fratri pacem. Jam hinc transeundum est ad sanctorem animas, quæ de huius mortalitatis carcere ad cœlorum gaudia volaverunt. His profecto debemus imitationem; quia similes fuere nobis passibiles, & notas nobis fecerunt vias vitæ, quas tam infatigabiliter, quam interminabiliter tenuerunt. Sed illis qui non in tanta sanctitate seu perfecta pœnitentia exierunt, compassionem debemus & orationem propter similis naturæ consortium, ut pius pater auferat scoriam eorum, & in beneficia flagella commutet, & sic tandem reconsignet ad beatæ gaudia civitatis. Si

enim

enim tauri cum taurum mortuũ invenerint, plorant, mugiunt, & quasi quibusdam debitis humanitatis obsequiis fraterna funera prosequuntur: quid debet homo homini, quem & ratio docet, & trahit affectio? Sicut ergo sanctis animabus imitationem, sic minus sanctis compassionem debemus, illinc exemplum, hinc gemitum haurientes.

A SS. Angelis quærendum auxilium.

A sanctis verò Angelis auxilium quærendum est, & occultis suspiriis, & frequentia lachrymarum: ut illi supereminenti maiestati preces nostras offerant, & referant gratiâ, quia administratorii spiritus sunt, missi propter nos, ut hæreditatem capiamus salutis [c]. Ab illo autem rerum omnium Domino pietas quærenda est, ut ille cujus natura bonitas, cui propriũ est misereri semper & parcere, non respiciat multitudinem iniquitatum nostrarũ, sed secundum multitudinem miserationum suarum misereatur nostri. Ipsi enim nos & amorem debemus, & subjectionem cum omni reverentia & humilitate. Amorẽ, quia fecit nos, & benefecit nobis: subjectionem, quia super nos est, & hoc præcipit nobis, terribilis in consiliis super filios hominum. Ita ergo & sanitatem corpori, puritatẽ cordi, pacem fratri, imitationem sanctis, compassionem mortuis debemus: auxilium ab Angelo, pietatem à Deo postulemus. Ex arca naturalium bonorum habere debemus & quærere, ut sciamus quia cum hæc quæ omnia mandata sunt, & data naturæ fecerimus, servi inutiles sumus: quæ debuimus facere, fecimus. Aut vix enim aut nunquam invenitur aliquod præceptũ datum hominibus, quod transeat terminos possibilitatemq; naturæ. In his autem bonis, sicut prædiximus, reparamur, & quasi quodammodo restituimur in antiqvũ, dum ad ingenitam naturæ suavitatem revertimur, dũ etiam nobis & his quì circa nos sunt, & eis qui supra nos sunt, debitum rerũ ordinem exhibemus. Et hæc quidem pro bonis naturalibus.

c Heb. 1. d

A Deo pietas & misericordia.

Deo debemus amorem & subjectionem.

Bona spiritualia.

Spiritualia autem bona in quibus exercemur, ut ad æterna tendamus, ipsa eadem sunt: sed alia, quia alio intuitu considerata, cum plurimis tamen aliis quæ longum est enumerare. Illa enim juxta naturam, hæc supra naturam esse noscuntur. Nam & in spirituali exercitio non sanitatem debemus *corpori*, sed servitutem, sed afflictionem, sed laborem, juxta vocem illius spiritualis & summè spiritualis hominis qui dicebat [d]: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Nec istam tantum cordi puritatem debemus, ut purè & humiliter confiteamur peccata nostra, sed ut in intentione, cogitatione & opere hanc circumspectionem exhibeamus, ut & vita nostra sit fructuosa, & fama gloriosa, non quæ fructificet sibi, sed Deo: non quæ glorificet se, sed Patrem suum qui in cœlis est. Pacem quoque non solum *fratribus* exhibendam dicimus in via ista, sed cum his qui oderunt pacem, esse pacificum, portare omnes, & à nemine velle portari. Confitemur etiam non modò compassionem *mortuis* & orationem, sed in spe etiam congratulationem adhibendam: quia etsi contristandum est, quòd in locis purgatoriis patiuntur,

d 1. Cor. 9. P

Quid corpori debeamus in ta spirituali

Quid proximis.

Quid defunctis.

tiuntur, multò amplius collætandum, quod prope est, ut abstergat Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & jam non sit neque luctus neq; clamor, sed nec ullus dolor, quæ prima abierunt. *Sanctis* verò animabus non jam imitationem, nec à sanctis Angelis tantummodo quærere debemus auxilium, sed ardenter desiderare conspectum eorum, & esse cum illis, & videre quæ sint illæ columnæ cœli quæ sustinent orbem terrarum, in quibus tutilat & relucet tantum, & tam excellens divinitatis insigne. *In Domino* autem non solum pietas quærenda est, sed in eum tota affectio dirigenda, ut diligamus nos propter ipsum, & suspiciamus quæ sit illa majestas, quæ cuncta faciat, cuncta contineat, & in quam desiderant rationabiles creaturæ prospicere.

Quid Beatis, & Angelis.

Quid Deo.

Hæ sunt semitæ spiritualis exercitii, in quibus religiosa mens & dilatatur & delectatur, eorum quæ sunt retro oblita, & ad anteriora, id est, æterna bona se extendens, sequitur ad palmam supernæ vocationis. Nunquid non supra naturam beatus iste Andreas Apostolus, cujus solennitas præ manibus est, transilierat, qui dicebat: *O bona crux, diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te!* Alterati hominis est ista vox, & qui de bonis naturæ ad gratiæ bona surrexerat: ut non solum gloriaretur in spe, sed & in tribulationibus, & gaudens iret à conspectu concilii, quod dignus esset pro nomine Jesu contumeliam pati. Non modo enim patienter, sed & libenter, verum & ardenter ad tormenta sicut ad ornamenta, ad pœnas sicut ad delicias properabat.

S. Andreæ Apostoli elogium & vox crucem suspirantis.

Porro quidem æterna bona illa bona sunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, & quæ nunquam exeunt ab illa patria; quæ nescit nisi gaudium & jubilationem. Ibi nihil deest, ecce abundantia qua impleatur humana cupiditas. Quæ est ista copia, ubi nihil quod nolis sit, totum sit quod velis? *Fiat pax* (ait Propheta [e] ad Jerusalem) *in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* In illis, inquam, turribus, quæ juxta Prophetam alium *f* gemmis ædificabuntur, ubi adipe frumenti, non cortice sacramenti satiabit nos Deus. Quòd si nihil deerit nobis, aliquid autem non latuerit, nunquid erit gloria consummata? Ideò nihil latebit nos, & ecce sapientia qua curiositas hominis satietur. O sapientia, qua tunc omnia quæ in cœlo & quæ in terra sunt, perfectissimè cognoscemus, in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes. Non metuam suspiciones, non timebo consilia, qua civitas illa (juxta Joannem *g*) purissimo vitro similis erit, sicut per vitrum lucidissimè cernimus, sic aliorum conscientias clarissimè videamus. Quid si & nihil defuerit, & nihil latuerit, maneat autem timor & anxietas amittendi? Ideo nihil terret, & ecce potentia qua humana infirmitas roboretur. *Qui posuit*, inquit [h], *fines tuos pacem, & confortavit seras portarum tuarum*, ita ut nullus inimicus intret, nullus exire possit amicus. Ubi ergo summa

3. *Bona æterna.*

e Psal. 121. b

f Apoc. 12. *Abundantia bonorum in cœlo.*

g Apoc. 21. f

h Psal. 147. *Beatitudo status omnium bono-*

summa abundantia, summa sapientia, summa potentia est, puto quod nihil desit plenitudini beatitudinis, quantum spectat ad summam felicitatis humanæ. Hæc sunt bona naturæ, gratiæ, gloriæ, bona humanitatis, bona virtutis, bona æternitatis. Hæc cogitemus, hæc ruminemus, fratres, & juxta præceptum legis revocemus ruminationem, quia sic vivitur, & in talibus vita spiritus nostri. Sic enim cogitatio sancta servabit nos, ut dicamus cum Sancto [k]: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, Domine adjutor meus, & redemptor meus.*

rum aggregatione perfectus.

[i] Levit. 11. a

[k] Ibid. 18. d

Sermo XVII.

De triplici custodia: Manus, Linguæ, & Cordis.

OMnes nobis causamur deesse gratiam, sed justius forsitan ipsa sibi queritur gratia deesse nonnullos. Nempè res cordis est gratia devotionis ista quam quærimus, & hoc munere ipse se fraudat, qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere. Cæterum unde illi cura *cordis*, cui ne ipsa quidem adhuc *oris* circumspectio, seu *manus* custodia subest? Non sibi deesse miretur consummationem, qui nec initium apprehendit; sed ne is quoque qui initium jam tenere videtur, si ad medium non pervenit. Magnum est homini sæculari mundas habere manus; monacho non est magnum, sed planè magnum ei malum esse probatur, ne ipsarum quidem contagia declinare. Imò vero & in ipsis quoque manibus longè amplior munditia & justitia abundantior à nobis exigitur, quàm ab illis. Nimirum illis dicitur [a]: *Fugite fornicationem*, & [b] *qui furabatur, jam non furetur*: cæteraque similia: quæ qui fecerint, regnum non consequentur. Nunquid & nobis ab hujusmodi contagiis operum, & tam gravi manuum contaminatione timendum est? Sed quo nitidiores manus, eò gravius quoque minor in eis nævus offendit; & sicut preciosam vestem exigua quævis macula turpius decolorat: nobis ad immunditiam minima quælibet inobedientia sufficit, nec jam nævus est, sed gravis macula, si in actionibus nostris vel minorum residet negligentia mandatorum. Hæc igitur operum diligentia servandorum, initia nostræ conversationis exercet: dum adhuc quidem modicum, sed tamen jam lumen in nobis est, nisi fortè magnum se putant habere lumen, quibus veritas ait: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite quia servi inutiles sumus: quæ debuimus facere, fecimus.* Sed hoc, inquies, propter humilitatem monuit esse dicendum. Planè propter humilitatem: sed nunquid contra veritatem? Cæterum si circa factorum quoque custodiam invenimur adhuc negligentiores: nemo sapiens eum liquare culicem moneat, qui utinam non glutiat vel camelum.

Gratia non tam nobis deest, quàm nos gratiæ.

Prima cura sit manuum, id est operum.

A Religiosis maior exigitur justitia & integritas, quàm à sæcularibus.

[a] 1. Cor. 6. b

[b] Ephe. 4. c.

In Religiosis minimus etiam nævus graviter offendit.

[c] Luc. 17. c

At si jam manus mundatæ fuerint (nec sic quidem continuò ad cor

Secunda cura linguæ seu verborum.

cor transitur) labiis sanè mundandis secundum studium & media sollicitudo debetur. Quod si dixeris, rarus est qui sermones suos in judicio disponere videatur: vel ex hoc disces, quàm sit rara perfectio, cum nec perfectum inveneris omnibus esse commune. Quis sanè numeret quantas modicum linguæ membrum contrahat sordes; quàm multiplex in labiis incircumcisis immunditia coaguletur; quàm sit gravis pernicies oris incircumspecti? Est enim lingua dissoluta in sermonibus ociosis, est lingua impudica, est & magniloqua; quarum prima lasciviæ, sequens arrogantiæ famulatur. Est etiam lingua dolosa, & item lingua maledica, quarum altera in falsiloquam & adulatoriam subdividitur: altera verò nunc in facie contumelias irrogat, nunc detrahit in occulto. Quod si de omni vel ocioso verbo quodcunque locuti fuerint homines, Deo sunt reddituri rationem in die judicii [d]: quantò districtius de verbo mendaci, mordaci & injurioso, de elato vel lascivo, de adulatorio aut detractorio judicabuntur?

Linguæ neglectæ varia vitia & damna.

d Matt. 12. c.*

Quàm vera sententia, fratres, in multiloquio non effugiendum peccatum [e]! Ut enim præteream cætera, si propterea est ociosum verbum, quod nullam rationabilem causam habeat, quam rationem de eo reddere poterimus, quod est præter rationem? Nemo vestrum fratres, parvi æstimet tempus, quod in verbis consumitur ociosis. Siquidem tempus acceptabile est, & dies salutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens quid amittat. Libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat. O donec prætereat, ô donec pertranseat tempus. Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio conditoris indulget. Donec transeat tempus, quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem; properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem; excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. Sic nimirum, sic agricolæ, cum diu desiderata affuerit opportunitas seminandi, sic vinitores, cum expectatum tépus putationis advenerit, invenisse occupationes, & quasi irreprehensibiliter sine opere diem transegisse lætantur. Sic instantibus nundinis institores nectere moras, occasiones quærere solent, ne quem forte sibi ex eis quæstum provenire contingat. Sic denique pauperes mendicantes, cum multis clamoribus evocatus tandem affuerit eleemosynarum distributor, diverticula captant, & concurrentibus sociis vacuos ambiunt occupare recessus, & fovere latebras in angulis platearum.

e Prov. 10. c *Verbum otiosum quodnam sit.*

Iactura temporis in verbis otiosis quanti æstimanda.

O verba notanda.

Tempus salutis curandæ opportunum non negligendum.

Utinam tamen vel solum tempus vitæ amitteretur in verbis, sed multi in his etiam vitam amittere comprobantur: nec modo ipsi amittere, sed adimere quoque & hoc fratribus suis. An non amittunt vitam detractores Deo odibiles, odibiles vitæ? Fugit vita quos odit; & quos vita fugit,

mori

mori necesse est. An non & ipse moritur, qui venenum bibit, quod ei malesuada detractoris lingua propinat? Siquidem furtim ei dilectionis vita subtrahitur: & dum nescit, paulatim in eo fraterna charitas refrigescit. Auditurus est forsitan ipse quoque cui detrahitur: undique enim verba volant, & multorum prius ora sermo pertransiens, difficile fieri potest quin singulorum creverit linguis, & quasi jam provectus referatur ad eum ad cujus spectat offensam. Itaque scandalizabitur audiens, & tabescet, eóque facilius extinguetur in eo charitas, quo amplius ante vivere videbat. *Si inimicus*, ait [f], *meus maledixisset mihi, sustinuissem utique*: & quidem cavet sibi prudens auditor, cavet ipse si non desipit, qui sibi noverit esse detractum: ille ne veneno inficiatur, iste ne scandalo perturbetur. Sed quod in se est tamen, lingua maledica, & illius percutiens conscientiam, & istius vulnerans charitatem, secum pariter utrumque perimit. Nunquid non vipera est lingua ista? Ferocissima planè, nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Nunquid non lancea est ista lingua? Profecto, & acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. *Lingua* (inquit [g]) *eorum gladius acutus.* Gladius equidem anceps, imò triceps est lingua detractoris.

Detractionis vitium quàm detestabile.

[f] Psal. 54 b *Detractor unico ictu tres perimit.*

[g] Psal. 56. a *Lingua detractoris gladius triceps.*

Nec vero ejusmodi linguam ipso etiam mucrone quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro, nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit: seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis & pedibus consummatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim hujus quod nunc pungitur & transfoditur, corporis sui vitam illius vitæ corporis prætulisset, nunquam illud pro isto mortis injuriæ, crucis ignominiæ tradidisset. Et dicimus: Levis res sermo, tenera, mollis, & exigua caro lingua hominis: quis sapiens magnipendat? Levis quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat: leviter transit, sed graviter urit: leviter penetrat animum, sed non leviter exit: profertur leviter, sed non leviter revocatur: facile volat, atque ideo facilè violat charitatem. Vilis res est musca moriens, sed exterminat oleum suavitatis [h]. Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest: substantia quidem infirmum atque exiguum, sed usu magnum & validum invenitur. Modicum membrum est, sed nisi caveas, magnum malum. Tenuis est & lata, aptissimum vacuandis cordibus instrumentum, sicut multorum mihi inter vos conscientias arbitror attestari, nisi forte omnes tam perfecti simus, ut nunquam nobis post longas confabulationes inventa sit mens quodammodo vacua, meditatio minus devota, sicca magis affectio, & holocaustum orationis non adeò pingue propter verba, sive quæ diximus, sive etiam quæ audivimus, verba tamen.

Spinis, & clavis Christi crudelior.

[h] Eccle. 10. a *A modico membro maxima mala.*

Devotionis & orationis pestis ab incuria linguæ.

Facilè enim lingua labitur, nec minus facilè illabitur cordi, ita ut multis inter loquendū minus profuerit, quòd propriam cohibuerint, dum non caverint alienam. Utilis est frater qui tibi loquitur, sapiens est, religiosus ac timens Deum, plus dico, angelus est, & angelus lucis: etiam sic cave tibi ne audias unde lædaris. Nec personam tibi velim suspectam esse, sed linguam, præsertim in sermocinatione communi. Bona quidem columbæ simplicitas, sed in hac parte quoque serpentis astutiam non omittas. Maria ne angelicum quidem verbum sine discussione præteriens, *cogitabat qualis esset ista salutatio* [i]. Tu quoque qui crebris experimentis saltem solerter advertisti quantum noceant verba, non desipies, si sollicitus fueris, (quandoquidem interesse necesse est collocutioni) non modo ori circunspectionem, sed & auri nihilominus adhibere cautelam. Non miremini, quòd huic gradui proficientium diutius immoremur: plures siquidem inter vos proficientes esse credimus, quàm perfectos.

NOTA. Quam sollicita & vigili custodia adversus noxas linguæ opus.

i Luc. 1. c. *

Fortè tamen nimii videamur in suggillatione verborum. Sed mentote quoniam lingua est, quæ contra vitia linguæ loquitur, ut in eo vel maximè haberi debeat excusata, quòd nec sibi parcat, & adversus propria quoque sui ipsius pericula muniat audientes. Ventus est sermo, sed non semper est ventus urens. *Surge* (inquit [k]) *aquilo, veni auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Est quoque magna nihilominus sermonis utilitas, & frequenter in lingua fructus preciosissimus reperitur. Nempè iusti vita ex fide est, & fides ex auditu, auditus per verbum Dei. Quomodo enim vivet quis, nisi crediderit? Quomodo credet, nisi audierit? Quomodo audiet, nisi annuncietur ei? Sanè propterea maiorem ei diligentiam, & diligentiorem custodiam convenit exhiberi, quòd sit iuxta scripturam [l] *mors & vita in manibus linguæ.* Alioquin si sola inesset vita, nec circumcisio quidem ei, sed sola mors, etiam abscisio deberetur. Nunc vero ponenda nobis ori nostro custodia, & ostium circumstantiæ labiis, ut nec vitalem ædificationem clausura damnet æterna, nec lethalis pernicies liberum sortiatur egressum. Vigilemus itaque super opera nostra, fratres, ne vel omittamus quod præceptum, vel quod prohibitum est committamus. Hortatur nos ad hipertitam hanc custodiam Propheta cum dicit [m]: *Declina à malo, & fac bonum.* Vigilemus nihilominus super verba nostra, ne in eis vel offendere Deum, vel proximo nocere contingat. Felix siquidem quem in omni confabulatione duplex timor ille sollicitat, & duorum consideratio stimulat auditorum: primum quidem divinæ maiestatis, in cuius manus incidere prorsus horrendum: dehinc fraternæ infirmitatis, cui nihilominus perfacile est offendiculum.

k Cant. 4. d *Linguæ bonæ magna utilitas.*

l Prov. 18. b

m Psal. 36. a *In omni colloquio duo auditores cogitandi.*

Tertia cura eaque præcipua cordis.

Puto tamen ne eum quidem qui in verbo cavet offensionem, perfectum adhuc dici oportere, nisi forsitan comparatione prioris qui tantum

tantum super opera vigilabat. Nam & veritas in Evangelio de vigilantibus servis & adventum Domini præstolantibus loquens: *Si* (inquit [n]) *in tertia vigilia venerit, & ita invenerit: beati sunt servi illi.* Quod nequaquam de prima, sed nec de secunda dictum quidem reperies. Est autem vigilia hæc super cor, cui sane *omnem* jam *custodiam* exhibere Sapiens monet [o]: nimirum *quia ex ipso vita procedit.* Et tamen etiam hanc constare arbitror specialiter in duobus: ut videlicet super affectionum pariter & cogitationum suarum greges mens sollicita vigilanter intendat. Et bene huic datur omnis custodia, à quo cæteras quoque duas procedere constat: nisi forte (quod absit) simulationis gerantur studio & pietatis habeant speciem, non virtutem. Sicut enim fontis vena scaturiens, nisi fossas ante repleverit adiacentes, nec refluere, nec se dare, nec in altum sese tollere prævalebit, quòd videlicet alias occupetur: sic humanus animus donec eas quas prædiximus manus & linguæ custodias solerter impleat: nec ad perfectam sui ipsius poterit reflecti curam, nec jucunda devotionis tranquillitate frui, nec in sublimem divinæ contemplationis proficere gradum. Eia, fratres, si supernæ visitationis gratiam quærimus, sic quæramus. si spirituales consolationes desideramus percipere, sic petamus: si cœlum nobis aperiri cupimus, sic pulsemus. Hoc denique triplici modo vigilemus, si ad nuptias volumus intrare cum nostro sponso Jesu Christo Domino, qui est benedictus in secula. Amen.

[n] Luc. 12. a

[o] Prov. 4. d * *Custodia cordis in affectionum cura consistit.*

Elegans simile.

Custodia cordis sine cura manus & linguæ constare nequit.

Sermo XVIII.

De verbis Apostoli; *Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium in Spiritu sancto* [a].

[a] Rom. 14. c

Quid prætergredimur viam, qui ad gaudium properamus? Est quidem gaudium de regno Dei, sed non præmium est. Est gaudium de regno Dei, sed non gaudium carnale, non gaudium sæculare, non gaudium, cuius extrema luctus occupat, sed in quod magis tristitia vertitur; non denique gaudium eorum qui lætantur cum malefecerint, & exultatio quæ in rebus pessimis est, sed gaudium in Spiritu sancto. Unde autem hoc gaudium interim, nisi de justitia & pace procedit? Ipsa ergo procedant tanquam cellulæ mellis, ut facilè adhuc labilem liquorem suavitatis solidior possit materia continere. Erit quando iam ipso simplici melle fruemur, & gaudium nostrum plenum & purum erit, ut non modò in spiritu, sed de ipso quoque spiritu gaudeamus. Erit quando omnimodis erit gaudium spirituale, ut nullis iam corporeis occasionibus excitetur, non operibus misericordiæ, non lachrymis pœnitentiæ, non exercitatione iustitiæ, non probatione patientiæ, sed ipsa magis præsentia Spiritus, in quem desiderant etiam Angeli prospicere. Interim sanè velut salis loco sapientia mihi cæ-

Gaudii sancti descriptio.

Sapiens quis.

tera condit, tanquam non sit & ipsa cibus. Interim priùs quàm comedam, suspiro, & nec tunc quidem permittor, ut glutiam salivam meam. Est enim sapiens, cui quæque res sapiunt prout sunt. Cui vero ipsa jam in se prout est sapientia sapit, is non modo sapiens, sed etiam beatus est. Nempe hoc est videre Deum sicuti est, atque hic quidem fluminis impetus lætificans civitatem DEI, hic torrens voluptatis, hæc denique ubertas inebrians.

Nunc verò Domine vinum non habent: deficit enim in his interim nuptiis vinum, vinum utique carnalis illecebræ, & concupiscentiæ sæcularis. *Fel draconum*, inquit, *vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Semper nobis hoc vinum deficiat, fratres mei, quia non est hoc vinum bonum. Bonum vinum non ex vinea impuritatis, sed ex hydria purificationis hauritur. Bonum vinum non ex uva Gomorrhæ conficitur, sed ex aqua Judææ. *Servasti*, inquit [c], *bonum vinum usque adhuc.* Nam optimum quidem vinum servat etiam adhuc, quod videlicet non ex aqua conficiendum, sed exprimendum magis ex botro illo magno terræ promissionis, qui interim in vecte portatur, dum secundum carnem novimus Christum, & hunc crucifixum. Nunquid non illi vinum defecerat qui dicebat [d]: *Renuit consolari anima mea*? Sed & vinum aqua factum gustasse visus est, cum subjunxit: *Memor fui Dei, & delectatus sum*: Quid enim faciet in præsentia, qui in sola memoria delectatur? Sic & Apostoli planè vinum aqua factum gustaverunt, quando *ibant gaudentes à conspectu concilii; quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati* [e]. Quomodo non vinum ex aqua, gaudium de contumelia? Nimirum implebatur jam promissio Veritatis, quæ ad eos facta erat hoc modo [f]: *Tristitia vestra convertetur in gaudium*: hoc est, aqua vestra vertetur in vinum. Miraris quòd in vinum aqua mutatur? etiam transit in panem, nisi fortè oblitus es comedere panem tuum, eum de quo legisti [g]: *Cibabis nos pane lachrymarum & potum dabis nobis in lachrymis in mensura.* Denique audi mensuram. *Erant*, ait [h], *lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum.* Si verus Judæus es, non carne, sed spiritu; sex annis servies, in septimo liber egredieris: in sex hydriis purificaberis, sex diebus operaberis, in sex tribulationibus liberaberis, in septima non tanget te malum. Non solum autem liberaberis in eis, sed & vinum bibes ex eis, ubi cœperis juxta Apostolum gloriari non solum in spe, sed etiam in tribulationibus.

b Deut. 32. c
Vinum carnalis illecebræ.

* *c* Ioan. 2. b

Vinum bonum sanctæ voluptatis.

* *d* Psal. 76. a

) Act. 5. g

' Ioan. 16. d

' Psal. 79. a
' Ioan. 2. b

Rom. 5. a

Gaudium duplex in hac vita.

Hoc enim est duplex interim gaudium, quod habes in Spiritu sancto, de memoria futurorum bonorum, & malorum præsentium tolerantia. Nil quippe in his carnale sapit, nil sæculare, nil vanum, sed spiritus veritatis & cœlestis sapientia est, cujus in utraque suavitas prælibatur. *Gaudete in Domino semper*, ait Apostolus [k], *iterum dico gaudete.* Et duplicis hujus gaudii

Philip. 4. a

materiam

materiam secutus adjunxit: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus prope est.* Quid modestia, nisi mansuetudo & patientia est? Gaudeamus ergo de his quæ expectamus, quoniam Dominus prope est. Iterum gaudeamus de his quæ sustinemus, ut modestia nostra omnibus nota sit. Nimirum tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit [o].

o Rom. 5. a

Sanè ut idoneus fiat animus geminæ huic spirituali lætitiæ capessendæ: duo æquè ad justitiam exercendam, duo nihilominus ad conservandam pacem necesse est præmittantur, quæ quidem utraque copiosius nobis Scriptura sacra commendat. Siquidem justitiæ exercitatio in his duobus mandatis tota pendere videtur, ut quod sibi quis fieri non vult, alii non faciat [l], sicut ad gentes missa epistola continet Apostolorum; & quemadmodum ad eosdem Apostolus dicit: *Quæcunque volumus ut nobis faciant homines, & nos faciamus illis.* Cæterum quoniam in multis offendimus omnes, impossibile est in hoc loco & tempore scandalorum, (neque enim adhuc venerunt Angeli, qui de regno Dei tollant omnia scandala, sed nec sumus in illa beata civitate, cujus fines pacem posuit Deus) propterea impossibile hic & modo pacem inter nos conservari, nisi & is qui in aliquo fortè offendit proximum, animosam elationem; & qui offensus est, nihilominus caveat inexorabilem obstinationem.

Ad justitiam exercendam duo necessaria.

l Tob. 4. c. & Matth. 7. b. & Luc. 6. c

Ad pacem itidem duo.

Studeamus itaq; fratres mei, & humiles ad satisfaciendum his qui aliquid habent adversum nos, & ad remittendum his qui offenderunt nos, faciles inveniri: quia non solũ mutuæ inter nos pacis conservatio constat in his duobus, sed ne ipsa quoq; divina fine his propitiatio poterit obtineri, quòd nec munus ab eo recipiat, qui non prius ierit ut fratri reconcilietur, & dimissum etiam ab eo delictum strictius exigat, qui conservo suo debitum nõ remittit. Jam si manent in nobis justitia, pax & gaudium in Spiritu sancto, tria hæc; non quasi securi simus pro eo quod regnũ Dei intra nos est, sed eo magis in timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur, scientes nimirum quòd hunc tantum thesaurum adhuc in vasis fictilibus habeamus.

m Matt. 5. d

SERMO XIX.

De iisdem verbis Apost. *Non est regnum Dei esca & potus.*

SOlet Apostolus Paulus in verbis esse brevis, in sententiis copiosus. Non ignoravit hoc ille tam eloquentiæ, quàm sapientiæ dotibus approbatus, qui singula Pauli verba tonitrua judicabat. Tam signanter enim universa depromit, & sic intonat spiritu & virtute, ut in serie ordinem, in sensu plenitudinem, in utroque connexionem mirabiliter ostendat. *Non est* (inquit [a]) *regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Quid ad hæc dicitis vos gulosi & luxuriosi, quorum

S. Hieron.

a Rom. 14. c

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum Deus venter est, quorum omnis usus aut in ventre, aut sub ventre
b Iacob. 5. a est, qui (ut ait Iacobus Apostolus) *in luxuriis enutristis corda & corpora vestra*? Audite, audite, *quia esca ventri, & venter escis, Deus autem hunc &*
c 2. Cor. 6. c *has destruet* [c]. Væ vobis qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis vitulum de armento, & bibitis vinum defe-
d Amos. 6. d *Contra luxum & delicias hominum carnalium.* catum, & primis ungimini unguentis [d]. Filii hominum usquequo gravi corde, quia corpore pingui, ut quid diligitis vanitatem, & veritatem negligitis? Pinguedo carnis, deliciæ corporis, saturitas ventris, aut ante mortem vos deserent, aut vos in morte illas relinquetis: *quoniam* (inquit Sanctus [e]) *cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos* [f]. Quàm bene sicut oves? quia detracto vellere mundialium divitiarum, durè pressèque detonsi, sempiternis nudi deputabuntur incendiis. *Mors depascet eos*: quia semper morientur ad vitam, & semper vivent ad mortem. Ergo hic caro vermibus, illic anima ignibus deputatur: donec rursus infelici collegio colligati, tormentis pœnalibus socientur, qui socij fuerunt in vitiis.

e Psal. 48. d
f Ibid. c. *.

O delicate, qui deliciis & divitiis circumfusus atque confusus, confusionem expectas & mortem, *non est regnum Dei esca & potus*, non purpura & byssus, quia dives ille utroque circumfluus, in puncto ad inferna descendit [g]. Quid ergo? *Sed justitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Attendis & intendis quia gaudium in fine est? Sic fatui filii Adam & præcipiti saltu justitiam transilientes & pacem, rem finalem in principium convertere & pervertere vultis? Nemo enim est qui gaudere non velit. Non stabit & non erit istud, quia sicut non est pax impiis, sic nec gaudere impiis, dicit Dominus [h]. Non sic impii, non sic. Prius est justitiam facere, inquirere pacem, & persequi eam, & sic demum apprehendere gaudium; imò à gaudio comprehendi. Sic angelicus ille conventus prius justitiam fecit, cum stetit in veritate, & veritatis deseruit desertorem. Post hæc, illa pace firmati sunt, quæ exuperat omnem sensum: quia cum diversis honoris primatibus ambiantur, nullus qui murmuret, qui invideat nullus. Lauda tu Hierusalem Dominum, lauda Deum Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos
i Psal. 147. a pacem [i]. Lauda & laudes replica, quia munitissimis vectibus & inconvulsibilibus seris clausæ sunt portæ tuæ, nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, benedicti filii tui in te, omni benedictione spirituali in cœlestibus cum Christo. Iam non est timor in finibus tuis, quia posuit fines tuos pacem: nullæ tibi tentationes, nulla sese cogitationum turma confundit, quia versipellis ille & tortor longèest à muris tuis & à filiis tuis. Et ille qui
k Psal. 121. a idemest, omnia in identitate consolidat atque coniungit. *Cuius participatio*, inquit [k], *in idipsum.* Hoc jam tertio hauriunt aquas in gaudio de

g Luc. 16. d *Carnales ordine præposterο gaudium quærunt.*

h Esa. 48. d *Prius est justitiam facere quam apprehendere gaudium.*

Gaudium

fontibus

fontibus Salvatoris, & nudis (ut ita dicam) oculis divinitatis intuentur essentiam, nulla corporeorum phantasmatum imaginatione decepti. Ecce gaudium in fine, sed sine fine. *Solidum & perpetuum in fine.*

Miseri nos, qui ab illa felici regione repulsi in hanc descendimus, imò cecidimus vanitatem. *Filii Sion* (ait Propheta [l] *inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea*? Filii Sion, illius videlicet speculativæ civitatis, quam ædificavit Dominus, ut videatur in gloria sua: filii supernæ Hierusalem, quæ libera est mater nostra: inclyti per dignitatem conditionis, amicti auro primo per divinitatis imaginem. Quomodo ergo ex his nos quidem reputati sumus in vasa testea, in hæc lutea & fragilia corpora degeneravimus? Exhibent enim Angeli, Fratres charissimi, justitiam Deo, pacem inter se, gaudium sibi. Sic & tu homo noli prius rapere quod tuum est, & justitiam quam Deo, & pacem quam proximo debes, contemnere. Iustitia virtus est qua redditur unicuique quod suum est. Tu non solum justitiam, sed multas & multiplices justitias debes creatori. *Iustus* enim *Dominus, & justitias dilexit.* [m]. *Iustitia tua sicut montes Dei* [n]. Bene sicut montes, quia plures cumulos miserationum suarum ingessit tibi. [l] Thren. 4. a. *Iustitiam debemus Deo, pacem proximo.* [m] Psal. 10. a. [n] Psal. 35. d.

Et prius quidem te cum cæteris, & inter cætera creavit, non sine magna prærogativa dignitatis. Dixit enim de omnibus, & facta sunt. Post hæc vehementissimo tui amore inflammata majestas illa redemit te. Nunquid verbi facilitate? Non. Sed triginta annis operatus est salutem tuam in medio terræ, affixus cruci, addictus morti, ludibriis deputatus. Deus tuus factus est frater tuus, non Angelorum frater, quia nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Commune quidem habes quòd factus es; quòd frater es, speciale. Adjecit adhuc erga nos specialius quoddá, quòd de lata nos & spacioſa via quæ ducit ad mortem, digito suo traxit, & posuit in consilio justorum & congregatione. Quid ultra debuit facere, & non fecit? Cuius vel saxeum pectus tanta & talis à tanto & tali collata beneficiorum multitudo non emolliat? Quicquid igitur es, quicquid potes, debes creanti, redimenti, vocanti. *Dei erga nos beneficia; in Creatione, Redemptione, Vocatione.*

Sed cum justitiam feceris, fac & pacem. Quandiu enim sumus in hoc vase testeo, & fragilitate complexionis humanæ, non possumus inveniri scádalorum prorsus immunes. Si igitur recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adversum te, sis humilis ad veniam petendam: si tu habes adversus illum, sis facilis ad dandam: & omnia membra erunt in pace. Si enim ad duo ista charitatem & humilitatem paratissimi, non poterimus dissensionem sentire. *Discite* (inquit [o]) *à me, quia mitis sum & humilis corde*: mitis, quòd pertinet ad charitatem, quia charitas patiens est, benigna est: humilis, quod ad ipsam verbi spectat proprietatem. Sic *Pax quam debemus proximo nutrienda charitate & humilitate.* Matt. 11. d.

procedentibus erit gaudium in Spiritu sancto. Loquar quod expertus novit, inexpertus ignorat: animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Nunquid non plerunque orantibus nobis omnia viscerum succutiuntur occulta ad memoriam gaudii illius quod est in Hierusalem, quæ sursum est, quæ est mater nostra, & lachrymarum unda vultus meditantium superfundit? O si duraret! *Si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non*
[p] Psal. 136.a *proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ* [p]. Verè principio lætitiæ, quia finis illic repositus est.

Aspiratio ad cœlestem Patriam.

Quando conscindes saccum meum, Domine Iesu, & circumdabis me lætitia, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar? Principium gaudii illius quod hic quandoque sentimus, stilla est, guttula est, de flumine illo est descendens, cuius impetus lætificat civitatem Dei. Quandoque veniet tempus, ut perennibus gaudiis nos in ipso divinitatis fonte profundius immergamur, ubi unda undam sine intercapedine & interpolatione continuet. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Quando transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei? Quando sicut audivimus, sic videbimus in civitate Domini virtutum? Eia igitur, fratres, huic felici
[q] Matt. 26.c ternario fideliter insistamus, & semper simus memores verbi illius [q]: *Amice ad quid venisti?* Quia non ad hoc venimus, ut simulatoria specie regem interficiamus, sed ei serviamus, qui est benedictus in sæcula.

Sermo XX.

De verbis Domini: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur* [a].

[a] Luc. 18.c

Hominum 4. gradus.

Si consideramus diligenter, Fratres, gradus hominum quatuor invenimus: Dico autem summam felicitatem *in cœlo* ad quam suspiramus: mediam infelicitatem *in paradiso* unde cecidimus, itemque mediam infelicitatem in *hoc mundo* pro qua gemimus: & *in inferno* extremam infelicitatem, quam merito formidamus. Brevius tamen dicere possum, vitam & umbram vitæ: umbram mortis, & mortem. Itaque nec in summo, nec in imo positi timemus descendere, ascendere cupimus, eò magis anxii, quo videmur viciniores infimis quàm supremis; & ecce dicitur nobis, quia *omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

Humilitatis & exaltationis mira connexio.

" Quidnam sibi vult cancellata hæc connexio exaltationis & humiliationis?
" Itane parum est Domine, quòd in veritate tua humiliasti nos, quia adhuc exigis, ut apponat homo humiliare seipsum? Et quidem restat adhuc quo possimus humiliari; sed qui illò ceciderit, jam non adjiciet, ut resurgat; qui humiliatus fuerit illuc, frustra speret exaltationem: si-

quidem

quidem humiliasti nos in loco afflictionis, & operuit nos umbra mortis. Vsque adeo vita nostra inferno appropinquavit, quo nos humiliabimus ultra? Quæ utilitas in sanguine nostro, si descenderimus in corruptionem? Sane nihil aliud infra nos est, quàm irreparabilis illa corruptio; post umbram mortis non restat nisi mors, post locum afflictionis solus supereſt locus mortis: *Qui se* (inquit) *humiliat, exaltabitur.* Si dixisset, qui humiliatus fuerit, exaltabitur: exultassem utique, tanquam certissimè humiliatus, & vehementer. Nunc vero cum dicat, *qui se humiliat, exaltabitur*: angustiæ mihi sunt undique, nec ignoro quid eligam, sed quid agam. Exaltari cupio, quia summopere id necessarium. Siquidem neque hic manentem habeo civitatem, nec bonum esset hic manere, etiam si liceret. Porrò inferius adhuc ire, perire est. Iam enim locum teneo inferiorem, & qui solum habeat intra se infimum, hoc est infernum: si me illuc humiliavero, non est spes exaltationis: si me non humiliavero, identidem desperatio est exaltationis: quia *qui se humiliaverit, exaltabitur*, & is tantum. Si hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, & ab exaltatione repulsus, nec sic effugiam manus mortis. Sed hoc difficile patet, saltem quod præmissum est consideremus.

Humiliatio quædam ad infernum.

Omnis qui se exaltat, ait, *humiliabitur.* Quem enim veritas humiliat, ipse quomodo se exaltat? Neque hic dicimus quò, sed quomodo: quia non locus videtur deesse, sed virtus. Non, inquam, deest homini quo exaltare se possit, sed deest omnino quî possit. Est quidem voluntas multa, sed nulla facultas. Nempe velint nolint homines, communis totius Adæ, totius humani generis vox est *b*: *In veritate tua humiliasti me.* Quisquis autem in veritate humiliatur, veraciter humiliatur, nec nisi fallaciter exaltatur. Quid est autem falso exaltari, nisi vere non exaltari? Gratias ei, quia non dixit, omni qui se exaltaverit, exaltabitur. Quomodo enim conaremur in vanum exaltari, si id arbitraremur, quando ne ipsa quidem nunc desperatio proficiendi, appetitum cohibet exaltandi? Et forte hoc est quod ait: *Qui se exaltat, humiliabitur*, nec pertinet ad effectum qui nullus est, sed affectum qui stultus est.

Humiliatio veritatis, quæ.

b Psal. 114.k

Quantos enim videmus humiliatos, sed non humiles: percussos, sed non dolentes: curatos quidem à Domino, sed ne ipsa curatione sanatos? Hi sunt qui sub sentibus esse delicias computant, dissimulantes peccata quæ actitant, lubricum in quo titubant, tenebras quibus caligant, laqueos inter quos ambulant, locum afflictionis quem inhabitant, corpus mortis quod gestant, jugum grave quod tolerant, graviorem conscientiam quam occultant, gravissimam sententiam quam expectant. Talis ille erat, cui Ioannes in Apocalypsi scribere jubebatur *c*: *Dicis, quia dives sum, & nullius egeo; & nescis quia tu es pauper, & miser, & miserabilis,*

Multi humiliati, sed non humiles.

Apoc. 3.d

& cæcus & nudus. Nec mirum si sit vana & mendax exaltatio filiorum hominum : siquidem vani sunt & mendaces. Humiliat eos veritas, exaltat vanitas. Et dilexerunt magis tenebras quàm lucem, amplectentes exaltantem se vanitatem, & quærentes mendacium. Porro contra veritatem quæ se humiliat, votis & studiis quibus possunt, dissimulationibus & conatibus frivolis recalcitrantes. Fecimusne aliquid ?

Quomodo homo humiliet seipsum.

Puto quia invenimus etiam quomodo humiliat homo seipsum. Dico autem ut adhæreat humilianti se veritati, nec dissimulet, sed cooperetur ei devoto pietatis affectu. Proinde cavebo deinceps quam sollicitè potero duritiam cordis, sentiam & plangam dolorem meum, ne si forte insensibile fuerit, sit etiam insanabile vulnus meum. Ero vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus, ne veniat anima mea in consortio eorum, de quibus veritas ait [d] : *Percussi eos, non doluerunt.* Et item [e] : *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Gravis curatio humiliatio hæc, sed gravior morbus superbia est, quæ utinam sic curetur, ut sanetur hac cura. Consentiam itaque adversario meo, acquiescam judici meo, cedam denique urgenti aculeo, ne bis pugnat. Tale enim reor esse quod Dominus ait : *Omnis qui se exaltat, humiliabitur : & qui se humiliat, exaltabitur.* Ac si dicat : Quisquis contra stimulum recalcitrat, duplo pungetur : parcetur autem ei, qui senserit & dederit locum iræ.

d Hier. 5. a
e Hier. 51. a

Sermo XXI.

De verbis Libri Sapientiæ : *Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum : honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius* [a].

a Sap. 10. a
b Prov. 18. c
c Rom. 1. b
d Prov. 28. a

Est *justus* [b], qui in principio sermonis accusator est sui, & est *justus* [c], qui ex fide vivit, & est *justus* [d] qui absque terrore est. Et primus quidem bonus, qui accedit ad viam : secundus melior, quia currit per viam : tertius optimus, quia jam appropinquat ad finem viæ. Hic tamen accipiamus primum, quem velocius invenimus. Hunc deduxit Dominus, & non alius, quia ipsius est de via iniquitatis ad viam veritatis reducere, & deducere per eam, *per vias* (inquit) *rectas.* Viæ Domini, viæ rectæ, viæ pulchræ, viæ plenæ, viæ planæ. Rectæ sine errore, quia ducunt ad vitam. Pulchræ sine sorde, quia docent munditiam. Plenæ multitudine, quia totus jam mundus est intra Christi sagenam. Planæ sine difficultate, quia donant suavitatem. Jugum enim ejus suave est, & onus eius leve [e]. *Et ostendit illi regnum Dei.* Regnum Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur. Conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in justificatione, in glori-

e Matt. 11.

glorificatione percipitur. Unde est illud [f] : *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei.* Sic enim ait Apostolus [g] : *Quos prædestinavit, hos & vocavit : & quos vocavit, illos & justificavit : quos autem justificavit, illos & magnificavit.* In prædestinatione est gratia, in vocatione potentia, in justificatione lætitia, in magnificatione est gloria.

f Matt. 25. d

g Rom. 8. f

Et dedit illi scientiam sanctorum. Scientia sanctorum est hic temporaliter cruciari & delectari in æternum. Et in contrarium scientia malorum relabitur. Alia est scientia *mundi* quæ docet vanitatem, & alia scientia *carnis* quæ docet voluptatem. Illa tanquam pater, ista tanquam mater nobis est. Sicut enim mater filio suo semper optat quietem, & omnem prorsus laborem claudit à filio suo : sic caro incrassata, impinguata, dilatata recalcitrat, nec minimis saltem digitis patitur se contingi. Et sicut pater vult filium suum huc illúcque discurrere, ut addiscat unde aliquandò magnificetur : sic & mundus vult hominem multis laboribus intricari, ut habeat unde superbiat, unde infletur & desipiat de vanitate in idipsum. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, id est propriæ voluntatis, quæ quasi radix est, duæ filiæ sunt, *vanitas & voluptas*, clamantes : affer, affer. Hæ nunquam satiantur, nunquá dicunt, sufficit. Si quis has plene in se contriverit, non immerito sibi illam vocem poterit coaptare : *Quoniam* (inquit [h]) *pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.*

Scientia sanctorum quæ. Alia scientia mundi, alia carnis. Illa instar patris, hæc matris.

Propriæ voluntatis duæ filiæ, Vanitas & voluptas.

h Psal. 26. d

Honestavit illum in laboribus. Nonne nos & in ipsis laboribus nostris honestamur, cum omnia quæ facimus, ad unitatis vinculum adunamus, ut non in nobis sit pondus & pondus, mensura & mensura, quia utrumque abominabile est ante Deum ? Nonne & hæc utilitas, hæc deformitas, hæc semicinctia honorantur & adorantur à principibus terræ ? Væ nobis, si exultaverimus, nisi in Christo & pro Christo : væ nobis, si vendibilem obtulerimus paupertatem. *Et complevit labores illius,* vel illic in perseverantia, ut usque in finem justitiam non relinquat ; vel illic in gloria, ut gaudeat in æternum. Felix utraque completio, cum & hic moritur justus plenus dierum, & illic oritur in plenitudine dierum, utrobique plenus, & hic gratia, & illic gloria, quia gratiam & gloriam dabit Dominus.

i Psal. 83.

Sermo XXII.

De quadruplici debito.

INvia estis, Fratres, quæ ducit ad vitam : in via recta & impolluta, quæ ducit ad civitatem sanctam Hierusalem illam, quæ libera est, quæ sursum est, quæ est mater nostra. Arduus quidem ascensus ejus, utpotè per ipsam montis summitatem incisus ; sed via compendiosior laboris magnitudinem vel temperat, vel excludit. Vos autem tam felici facilitate, quàm facili felicitate viam istam, non solum

Arduus ad supernam civitatem ascensus.

itis, sed curritis: quia exonerati estis & accincti, nihil ponderis super dorsa portantes. Non sic aliqui, non sic, qui quadrigas & quadrigalia onera pertrahentes montis circuitum ambire decernunt, & plerunque per devexa montis præcipitantur, ut vix finem inveniant viæ suæ. Felices igitur vos, qui vos & vestra sine omni exceptiuncula reliquistis, per ipsum montis verticem iter facitis ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Illi vero qui quamvis Ægyptum fugerint, tamen ad quæque Ægyptia tenerrimè resuspirant, vitam civitatis habitaculi non invenerunt: sed voluntatum suarum gravissimis sarcinis prægravati, vel sub onere, vel cum onere cadunt, ut vix ad cursum perveniant destinatum.

Exonerati ad ascensum expediti.

Religiosi vitæ Apostolicæ sectatores.

Quid enim est (gratias illi, cuius gratia hoc totum factum est) quòd vita vestra vitam Apostolicam repræsentet? Illi reliquerunt omnia, & in schola Salvatoris sub eius præsentia congregati hauserunt aquas in gaudio de fonte Salvatoris, ipsum vitæ fontem in ipso fonte bibentes. Beati oculi qui viderunt. Nunquid non & vos non in præsentia, sed in absentia ipsius; non ad verba oris eius, sed ad vocem nunciorum ejus, simile aliquid fecistis? Defendite vobis hanc prærogativam, quòd illi ad visum & ad verbum, vos ad auditum & nuncium credidistis. Sic state in Domino, charissimi, ut quemadmodum illi in fame & siti, in frigore & nuditate, in laboribus & jejuniis & vigiliis & cæteris observantiis justitiæ viam regiam tenuerunt: sic & vos etsi non eorum meritis, tamen exercitiis aliquatenus coæquati dicatis Domino Deo vestro, cum veneritis ante thronum gloriæ ipsius [n]: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* In veritate dico vobis, quia in veritate estis, in via recta, in via sancta quæ perducat ad Sanctum Sanctorum. Mentior (quod ad consolationem vestram dico) si non ex manibus hujus peccatoris, monachorum, novitiorum & conversorum animæ ad cœlestia gaudia volaverunt, tam liberæ quàm liberatæ de carcere nostræ mortalitatis. Si quæritis unde id sciam, scitote quia certissima mihi signa inde facta sunt & ostensa.

Psal. 89. d

Tota, è manibus viri sancti animas Monachorum ad cœlum evolasse.

Non est igitur quod vobis vel pro vobis timeam à viribus Satanæ & ministrorum ejus, cum noverim illius fortitudinem per redemptoris vulnera traductam & deductam ad nihilum. In spiritu enim fortitudinis fortem fortior ille contrivit, portas æreas & vectes ferreos confringens. A versutiis & astutiis illius formido mihi est pro vobis, in quibus partim sublimitate naturæ, partim experientia temporum sub tot annorum millibus eruditus, fragilitatem humanæ naturæ quaquaversum se verterit non ignorat. Sic ille insatiabilis homicida primis parentibus nostris non ursos, non leones, non fortia terræ animalia delegavit; sed tortuosum & callidum serpentem, qui per sinuosa volumina nunc caput cauda, nunc caudam capite tegere consuevit. Denique & *serpens* non fortior erat, sed *callidior cunctis animantibus*

Fortitudo Satanæ non timenda, sed versutiæ.

Primos parentes calliditate cepit.

mantibus terræ, ait Scriptura [c]. Unde & ab interrogatione incepit, mentem mulieris explorans, sciens ingenio non viribus laborandum: *Cur præcepit vobis Dominus Deus* (inquiens) *ne comederetis de ligno scientiæ boni & mali?* *Quæ respondit: Ne forte moriamur.* Quod Deus pro certo posuerat, dicens: *Quacunque die comederitis, morte moriemini:* ista sub dubio supponit, *ne forte* (inquiens) *si comederimus moriamur.* Et audi ingenium malitiamque serpentis. *Nequaquam* (inquit [c]) *moriemini.* Deus affirmat, mulier dubitat, Satan negat.

[b] Gen. 3. b

[c] Ibidem.

Sic & ego timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic & sensus vestri corrumpantur à castitate quæ est in Christo Jesu. Putasne aliquis in vobis est cui dicat in cogitationibus suis: Cur præcepit vobis Deus ut istam regulam teneretis? Secundum enim impetum spirituum vestrorum huic tepido remissiorem, illi ferventi vitam arctiorem proponit, hoc solum expetens & expectans, ut quoquo modo tollat eum à consilio justorum & congregatione. Profecto spiritus ille qui tibi hoc suggerit, spiritus mendax est, spiritus potestatem habens, qui tibi invidet locum tuum. Unde & Sapiens hujus rei non ignarus: *Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit*, ait [d]: *locum tuum non dimiseris.* Absit enim, ut spiritus veritatis, qui te huc adduxit, te reducere velit: quia non est in ore ejus, est, & non: sed est in illo, est: sicut irrefragabilis auctoritas testatur. *Nemo* (ait Apostolus) *loquens in spiritu Dei dicit anathema IESV* [f]. Jesus *salvator*, sive salus; anathema, *separatio* interpretatur. Qui vero tibi separationem à salute submurmurat: nec Dei spiritus est, nec à Deo: quia Spiritus sanctus non dispergere, sed colligere venit: qui semper revocat dispersos Israel in terram suam.

Observa & cave technas Satanæ.

[d] Eccles. 10.

[f] 1. Cor. 12. a

Quid? Vitam fortiorem aliquis quærat? Dico vobis quia ista fortissima est, & quæ ex omni parte, si dissimulare nolueris, primæ illi scholæ Salvatoris pro sua possibilitate respondeat. An audes ad molliorem vel cogitando descendere? O si cognovisses & tu, quàm multa & quàm multis debeas! Videres quàm nihil sit quod facis, quàm nec inter minima numerandum ad comparationem debitorum tuorum. Vis scire quæ & quibus debeas? *Primo* Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro vita tua: & cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Quid tibi dirum vel durum esse poterit, cum recordatus fueris, quia ille in forma Dei, in die æternitatis suæ, in splendoribus sanctorum ante Luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Dei: venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (ut dicitur) usque ad cubitos in limo profundi? Quid non suave tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, & rememoraberis primum quidem illarum infantilium necessitatum, deinde laborum quos pertulit in prædicando: fatigationum in discurrendo:

Vita religiosa Apostolica respondet.

Quam multa & quam multis homo debeat.

1. *Debet omnem vitam suam Christo ut redemptori.*

Christi nos redimentis beneficia immensa.

rendo: tentationum in jejunando: vigiliarum in orando: lachrymarum in compatiendo: insidiarum in colloquendo: postremo periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium: quæ in salutem nostri generis triginta & tribus annis operatus & passus est in medio terræ? O quàm indebita miseratio: quàm gratuita & sic probata dilectio: quàm inopinata dignatio: quàm stupenda dulcedo: quàm invicta mansuetudo: regem gloriæ pro despicatissimo vernaculo, imò vermiculo crucifigi? Quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic simile? Vix enim pro justo quis moritur: ipse pro injustis & inimicis mortuus est, eligens exulare à cœlis, ut nos reportaret ad cœlos: amicus dulcis, consiliarius prudens, adjutor fortis.

Sed quam iis impar homo!

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Nonne si conferrentur in me omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies sæculi, & labores omnium hominum qui fuerunt, qui sunt, & qui erunt, nihil esset ad comparationem corporis illius, quod spectabile & stupendum est virtutibus etiam supernis in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus sacramentorum? Vides igitur, quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltata est vita illa à vita nostra: quæ tamen posita est pro vita nostra. Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita & vita nostra nullam habet ad vitam illius proportionem, cum illa dignior, ista miserior esse non possit. Nec me putes rem exaggerare sermonibus: quia hic deficit omnis lingua, nec sufficit oculus vel ad intuendum tantæ dignationis arcanum. Cum ergo ei donavero quicquid sum, quicquid possum: nonne istud sic est sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imo minutissima, corpus & animam, vel potius unum minutum, voluntatem meam: & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se totum me comparavit? Alioquin si illam retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericordiæ Dei nostri, & audeo perfodere illud fortissimum propugnaculum quod custodit Israel, & illius sanguinis non guttas, sed undas à quinque partibus corporis in meum pretium detorquere. O generatio perversa, & infideles filii, quid facietis in die calamitatis de longè venientis? ad cujus fugietis auxilium?

Nam finiti ad infinitum nulla proportio.

Voluntas ad minimum Deo danda.

Sed nunquid huic soli debitor sum, cui vix parum aliquid retribuere possum? Exigunt à me præterita peccata mea futuram vitam meam, ut faciam fructus dignos pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et ad hæc quis idoneus? Peccavi super numerum arenæ maris: & multiplicata sunt peccata mea, & non sum dignus videre

2. Peccatis recogitandis & exhiandis homo vitam suam debet.

altitudi-

altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ: quoniam irritavi iram tuam, & malum coram te feci: *Circumdederunt me mala quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem &*. Quod ergo sine numero est, quomodo numerabo? Quomodo satisfaciam cum cogar reddere debitum usque ad novissimum quadrantem? Sed & delicta quis intelligit? Ait illa cœlestis fistula Ambrosius*: Facilius inveni eos, qui innocentiam servaverunt, quàm qui congruam egerunt pœnitentiam. Sed & quantumlibet pœniteat, quantumlibet se afflictet & maceret *propter nomen tuum*, non propter meum meritum *propitiaberis peccato meo Domine* (ait justus) *multum est enim* [h]. Cum ergo quicquid vivis, quicquid sapis, quicquid habes, quicquid potes, huic uni rei dedicaveris, nunquid aliquid est, vel inter aliqua computandum? Paulo ante vitam tuam pro vita sua Christo reddideras: & nunc iterum eam totam præcedentium exigit recordatio peccatorum. Nunquid (ut vulgo dicitur) de una filia duos generos statuisti facere?

g Psal. 39. c *Facilius servare innocentiam, quam congruam agere pœnitentiam.* *Lib. 2. de Pœnit. cap. 10. tom. 4.

h Psal. 24. c

Quid si tertium tibi debitorem ostendam, qui non minus acriter quàm veraciter vendicat eam sibi? Puto quòd & tu possidere desideras civitatem, de qua dicitur [i]: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Gloriam illam quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, regnum omnium sæculorum, vivere in æternum, in perpetuas hæreditates. Credo quod velis esse æqualis Angelis Dei in cœlo, esse etiam hæres Dei, cohæres Christi, & in plateis supernæ Sion melos angelicum auscultare, videre quicquid illud sit, cum Christus tradiderit regnum Deo Patri, & erit Deus omnia in omnibus: postremo esse similis Deo, & videre enim sicuti est. Nec dubito quin & concupiscas suspicere, & umbras declinantes, & diem aspirantem, cum illuxerit illa solennis dies, & nubila rerum excusserit: quando jam non inclinabitur dies, sed erit æterna meridies: quando erit plenitudo fervoris & lucis, solis statio, tenebrarum exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio. Nonne ad hoc emendum, totum te, & quæcunque, & undecunque contrahere poteris, dare oportebit? Et cum universa compleveris, non tamen putes esse condignas passiones huius temporis, vel corporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. An sic impudens es, vel imprudens, ut minutum tuum, quod sibi tam Christi vita, quam peccati pœnitentia certatim rapiunt, etiam ad hoc conquirendum vel audeas numerare?

3. *Homo totam vitam suam cœlo comparando debet.*

i Psal. 86. a

Quid dices, si & quartum debitorem in medium adduxero, qui sibi etiam jure primatus sui superiores tres cedere velit? Ecce in januis est qui fecit cœlum & terram, & creator tuus est, tu creatura: tu servus, ille Dominus; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes, illi præcipue Domino qui & te fecit, & benefecit

4. *Homo se totum Deo debet, ut auctori omnium.*

tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis viribus serviendum: ne fortè indignationis oculo te respiciat, & despiciat & conterat in æternum & in seculum seculi. Non arbitror autem quòd te tanta raptet insania, ut & hic minutum tuum nominare, nedum numerare præsumas. Expone ergo mihi cui horum quatuor proponas reddere quod debes: cum unusquisque tam internus quàm externus exactor sit, ut te possit singulariter suffocare.

Eia Domine vim patior: responde pro me: In manus tuas commendo minutum meum: tu persolve omnibus, tu ab omnibus libera, quia tu es Deus, & non homo: & quod hominibus impossibile est, possibile est tibi. Quod habui, & feci. Domine habe me excusatum, quia imperfectum meum viderunt oculi tui. Quis ergo amplius grunniet dicens: Nimium laboramus, nimium jejunamus: nimium vigilamus: cum nec millesimæ, imò nec minimæ parti debitorum suorumvaleat respondere. Hæc est fortasse, fratres, illa vera vestra quadragesima, non exterior, sed interior, quæ non corticem sacramenti, sed adipem frumenti contineat. Si enim unicuique istorum quatuor & pro se, & per se omnem decalogi perfectionem debetis: profecto decem quater ducta quadragesimam vestram faciunt: quem custodire vos oporteat omnibus diebus vitæ vestræ. Et ipse qui vos congregavit in loco isto, vitam vestram conservet in opere sancto: ut cum ipse apparuerit vita vestra, & vos appareatis cum ipso in gloria.

Immeritò de præsentis vitæ laboribus quærimur.

Sermo XXIII.

In illud Apost. *Si Spiritu vivimus*, &c.

De discretione spirituum *.

* *Al.* De septem spiritib.

MAgister Gentium Paulus ex occasione ipsius spiritualis naturæ qua vivimus, ad spiritualem conversationem excitans discipulos, ait: *Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.* Ac si dicat: Si caro non prodest quicquam, sed spiritus est qui vivificat ipsam; separare oportet preciosum à vili, & digniorem præponere partem, ut secundum spiritum ambulemus, non secundum carnem. Ad spiritum enim debet fieri conversio carnis, ut serviat ipsa, & non serviatur ei, ut dicat spiritus servo suo, veni, & veniat: fac hoc, & faciat illud. Sic enim erit uxor nostra sicut vitis abundans, & salvabitur per generationem filiorum, qui sunt opera bona, si fuerit ipsa quidem in lateribus domus nostræ, id est in abscondito & humili loco: anima vero resideat in medio tanquam domina, tanquam paterfamiliâs, tanquam judex; ut fiat quod scriptum est: *Anima mea in manibus meis semper* [b]. Maledictus enim spiritus ille, qui partem suam deteriorem facit. Maledictus homo, qui pascit sterilem, & viduæ non benefacit. Denique,

a Galat. 5. a

Caro serviat spiritui, non econtra.

b Psal. 118. c

ut testa-

ut testatur idem Apostolus [c] : *Si secundum carnem vixerimus, moriemur* : quoniam qui in carne ambulant, Deo placere non possunt : & qui seminant in carne, de carne metent corruptionem. *Si autem spiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus* : quoniam qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt, & qui seminant in spiritu, de spiritu metent vitam æternam.

c Rom. 8. c

Prudenter proinde, fratres, & non ad insipientiam nobis spiritualem elegimus vitam, castigare scilicet corpus, & servituti subjicere, & DEUM qui spiritus est, adorare in spiritu & veritate. Sed quia spirituum diversa sunt genera, necessaria est nobis eorum discretio, præsertim cum ab Apostolo [d] didicerimus, non omni spiritui esse credendum : videri enim potest minus eruditis, & qui parum exercitatos habent sensus, omnem cogitationem non alterius quàm ipsius humani spiritus esse sermonem : quod non ita esse & certa fidei veritas probat, & divinarum testimonia scripturarum. *Audiam* (inquit Propheta [e]) non quid ego loquar, sed *quid loquatur in me Dominus Deus.* Et alius Propheta : *Angelus*, inquit, *qui loquebatur in me*, &c. Et in psalmo didicimus fieri *immissiones* etiam *per angelos malos* [g]. Unde & timet Apostolus [h], ne sicut serpens decepit Evam astutia sua; sic & discipulorum, quibus loquitur, corda decipiantur, ab eo utique cujus ipse Paulus astutias non ignorat [i]. Unde & dicit [k] : *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Esse tamen *spiritum carnis* non bonum, manifestè idem Apostolus indicat [l] ubi *inflatos spiritu carnis suæ* quosdam esse testatur. Et esse etiam *spiritus hujus mundi* declarat ubi gloriatur in Domino pro se pariter, & pro discipulis suis, non quòd eum acceperint : *sed spiritum qui à DEO est, ut sciamus* (inquit) *quæ à Deo donata sunt nobis* [m].

Spirituum diversa genera.
d 1. Joan. 4. a
e Psal 84. b
Spiritus DEI.
f Zach. 1. c
g Psal. 77. c
h 2. Cor. 11. a
Spiritus Satanæ.
i 2. Cor. 2. c
k Eph. 6. b
Spiritus carnis.
l Coloss. 2. c
Spiritus hujus mundi.
m 1. Cor. 2. c

Sunt ergo hi duo satellites maligni illius principis tenebrarum : ut dominetur spiritus nequitiæ spiritui carnis, & spiritui hujus mundi. Quisquis ergo ex his tribus spiritibus spiritui nostro loquatur : ne credamus ei, quoniam sanguinem sitiunt, non quidem corporum, sed quod gravius est, animarum. Sed quoniam spiritualis omnium natura est, à sermonibus eorum cognoscemus eos : & quis spiritus sit qui loquatur, ipsa suggestio declarabit. Semper enim spiritus carnis mollia, spiritus mundi vana, spiritus malitiæ semper amara loquitur. Quotiens ergo importunè (ut assolet) carnalis cogitatio mentem pulsat : verbi gratia, cum de potu, de cibo, de somno, cæterisque similibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes, humano quodam inardescimus desiderio ; certum sit nobis *spiritum carnis* esse qui loquitur : & tanquam adversarium repellamus eum, dicentes [n] ; *Vade retro Satana, quoniam non sapis ea quæ DEI sunt* : sed magis

Spiritus unde discernendi.

Spiritus carnis quibus indiciis se prodat.

n Matt. 8. d

gis sapientia tua inimica est Deo. Cum autem non de illecebris carnis, sed de ambitione sæculi, de jactantia & arrogantia, cæterisque similibus cogitatio vana versatur in cordibus nostris, *spiritus mundi est* qui loquitur, longè pernicioſior hostis, & majori sollicitudine repellendus. Interdum vero satellitibus istis terga vertentibus, *princeps ipse* habens iram magnam tanquam leo rugiens insurgit adversus nos; cum videlicet non ad voluptatem carnis, aut sæculi vanitatem, sed ad iram, ad impatientiam, ad invidiam, ad amaritudinem animi provocamur: importunè ingerendo, si quid minus amicabiliter minúsve discretè factum videtur aut dictum: si qua denique aut in signo aut in opere quolibet data videtur indignationis occasio, materia suspicionis. Huic ergo cogitationi, non aliter quàm ipsi diabolo resistendum est: nec aliter ab ea, quàm ab ipsa perditione cavendum. Scriptum est enim [o]: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Item spiritus mundi, & ipse Spiritus malignus.

[o] Luc. 21. d

Fit tamen aliquando, ut spiritus noster à quolibet horum trium crebrò superatus, & servus addictus illi in suam ipsius perniciem (heu) vices illius agat, ut jam sine omni alterius spiritus suggestione ipsa ex se anima, aut voluptuosas, aut vanas, aut amaras pariat cogitationes. Iam verò non facile arbitror posse discerni, quando noster ipse loquitur spiritus, quandóve loquentem alterum audiat quemlibet è tribus illis. Sed quid refert quicunque loquatur, dum unum & idem sit quod loquuntur? Quid refert loquentis nosse personam, dum constat pernicioſum esse quod loquitur? Si inimicus est, resiste viriliter inimico: si tuus ipse spiritus est, argue eum, & miserabiliter plange, quòd in tantam miseriam, & tam miserabilem devenerit servitutem.

Spiritus noster quandoque malis spiritibus conspirat.

Quotiens vero super castigando corpore, humiliando corde, servanda unitate, & charitate fratribus exhibenda, seu cæteris virtutibus acquirendis, conservandis, amplificandis, salubris cogitatio in mente versatur, divinus sine dubio spiritus est qui loquitur, aut per seipsum sanè, aut per Angelum suum. Et quemadmodum de humano aut maligno spiritu dictum, sic & de angelico, & de divino. Nec facile est quis loquatur discernere, nec ignorare periculoſum: præsertim cum certum sit Angelum bonum nunquam loqui ex semetipso, sed Deum esse qui loquitur in ipso.

Spiritus DEI unde cognoscatur.

Studioſius igitur deinceps consideremus, quonam modo malignorum illorum spirituum suggestiones audire: imò quanta indignatione abjicere debeamus, avertentes aures nostras, ne audiamus sanguinem, & sapientiam quam revelat caro & sanguis: parvulos quoque Babylonis, cogitatus scilicet mundanos ab ipso initio tenentes, & allidentes ad petram: ipsum etiam malignum cum tentationibus suis à conspectu cordis nostri abiicientes, & deducentes ad nihilum. Eas verò cogitationes, quæ justi-

Suggestiones malæ quam sollicitè repellendæ.

tiæ

tiæ & veritatis nos admonent, tota devotione suscipientes, divinæ dignationi gratiam habeamus: nec aliquando tantæ benignitatis inveniamur ingrati, scientes quoniam ipse est qui loquitur justitiam: ipse enim cujus sermo veritas est. Quantæ enim temeritatis, imò quantæ insaniæ est, si fortè dum alloquitur nos Dominus majestatis, nos insensati avertamus aurem, & ad nescio quas ineptias convertamur? Quanta est hæc injuria, & quàm graviter vindicanda, cum vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur creatorem universitatis? Quanta verò & quàm ineffabilis divinæ dignatio bonitatis, quæ quotidie conspicit nos infelices avertentes aures, obdurantes corda, & nihilominus clamat ad nos, & jugiter clamitat in plateis? Verè in plateis, quia in latitudine charitatis. Ecce enim bonorum meorum non eges Domine: & tamen dicis, convertimini filii hominum. Et iterum clamitas [p]: *Revertere revertere Sunamitis, revertere revertere, ut intueamur te.*

Divinæ inspirationes quam diligenter & reverenter observandæ.

p Cant. 6. b

Propterea obsecro vos, dilectissimi, qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei: audientes jugiter quid loquatur in vobis Dominus Deus, quoniam loquitur pacem. Felix & beata anima, quæ venas susurri divini percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuelis [q]: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Hic ego hodiernus sermo finem accipiat, ut etiam tacentibus nobis Deum intus audiamus loquentem & suadentem de regno suo, tantò utilius, quantò subtilius per internam inspirationem. Si qua tamen adhuc de audienda hac Domini voce ipse suggesserit, alio sermone tractabimus, ne præsertim in tam utili ac spirituali materia mentes vestras longitudine sermonis oneremus.

q 1. Reg. 3. b

Sermo XXIV.

De multiplici utilitate Verbi Dei.

Beati qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud. Luc. 11. d

TEnetis, credo, quemadmodum hesterno sermone de ea, quæ nobis admodum necessaria est, discretione spirituum admonuerimus sollicitudinem vestram: ut contra venenatos serpentis antiqui sibilos, contra mortiferos Sirenæ cantus, aures cordis jugiter obturare studeatis, ut nec *spiritum* carnis loquentem mollia, nec *spiritum* mundi vana suggerentem, nec *spiritum nequitiæ* audiatis immittentem amaritudines, & scandala seminantem. Sed huius spiritus astutias nosse necesse est, huius cogitationes non expedit ignorare. Interdum enim transfigurat se malignus ille & nequam spiritus in angelum lucis [a], ut virtutis simulatione plus noceat. Sed & tunc quoque si diligenter advertimus, nonnunquam nisi amaritudinis, & discordiæ seminaria spargit. Suadet enim nonnullis singularia jejunia quædam, unde cæteri scandalizentur; non quia jejunium diligat, sed quia scandalo

a 2. Cor. 11. a

delectetur, Multa quoque in hunc modum solet afferre, quæ tamen à divina sapientia facile discernantur, si apostolicam illam beati Iacobi diffinitionem præ oculis habeamus, qui divinam describens sapientiam ait [b], *Sapientia quæ à Deo est, primum quidem pudica est, deinde pacifica.* Omnem ergo cogitationem, in qua hæc duo non concurrunt, à Dei sapientia alienam esse non dubites. Eam ergo quæ pudica videtur, nec ad vitia trahit apertè, sed virtutis prætendit imaginem, tunc demum à Deo noveris esse, si pacifica sit, si prælati tui atque spiritualium fratrum approbatur judicio: quoniam non faciet Dominus Deus verbum, quod non revelaverit servis suis.

b Iacob. 3. d

Sapientia quæ à Deo est, unde noscenda.

Quanta vero devotione, quanta humilitate, quanta sollicitudine cogitatio salubris non aliter quàm divinæ dignationis sermo suscipi debeat & hesterno sermone partim jam diximus, & hodierno nihilominus aliquanto latius persuadere conabimur. *Beati* enim *qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud.* Vultis nosse [c] quàm beati? Primum quidem sonans in auribus animæ vox divina conturbat, terret, diiudicátque: sed continuò si benè adverteris, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noster est, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies, resurrectio quoque & consummatio nostra. Nec mireris, quod verbum Dei jam nunc inveniatur omnia in omnibus esse, quantum spectat ad justificationem, siquidem & futurum est omnia in omnibus ad glorificationem. Audiat & illud peccator, & conturbabitur venter ejus: à voce illa carnalis anima contremiscet. Omnia namque cordis secreta rimatur atque dijudicat sermo vivus & efficax, cordium atque cogitationum perscrutator. Unde & licet mortuus in peccato, si audieris vocem Filii Dei, vives. Sermo enim quem loquitur, spiritus & vita est. Si cor tuum induratum est, memento scripturæ dicentis [d]: *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea.* Et item [e]: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Si tepidus es, & evomi jam formidas, non discedas ab eloquio Domini, & inflammabit te; quia eloquium ejus ignitum valde. Quod si tenebras ignorantiæ plangis, diligenter audi, quid loquatur in te Dominus Deus, & erit lucerna pedibus tuis verbum Domini, & lumen semitis tuis.

c Luc. 11. d.

Verbi Dei mira vis & multiplex utilitas.

d Psal. 147. c

e Cant. 5. a

At fortassis tantò amplius doles, quantò clarius peccata etiam minima illuminatus agnoscis: sed sanctificabit te Pater in veritate, quæ est utique sermo eius, ut inter Apostolos audire merearis: *Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis* [f]. Iam verò cum laveris manus tuas, ecce paravit in conspectu tuo mensam, ut non de solo pane vivas, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei, & in fortitudine cibi illius curras viam mandatorum eius. Ubi si consistunt adversum te castra, & prælium tentationis insurgit, arripe gladium spiritus, quod est verbum Dei, & in

f Ioan. 15. a

eo

eo facile triumphabis. Quòd si forte (ut est certaminis consuetudo) contigerit aliquando vulnerari, immittet verbum suum, & sanabit te, & eripiet te de interitionibus tuis, ut in te quoque impleatur quod ait Centurio, cuius fides tam magnifice commendatur [g]: *Domine* (inquit) *dic tantum verbo, & sanabitur puer meus.* Sed etsi titubas adhuc, confitere & clama [h]. *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei*: & in verbis suis confirmabit te: ut experimento discas, quoniam verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

g Matt. 8. a

h Psal. 72. a

In his atque hujusmodi persevera, in talibus jugiter exercere, donec jam dicat spiritus, ut requiescas à laboribus tuis. In hoc verbo quiesces dulciter, ac suaviter soporaberis, donec veniet hora, cum omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent. Sed quò? Alii quidem in judicium, alii vero in vitam æternam. Et quis scit si est dignus amore vel odio? Tunc maxime memor esto verbi tui servo tuo Domine, in quo mihi spem dedisti, ut ab auditione mala non timeam: sed beata magis auditio perducat ad visionem, cum dices [i]: *Venite benedicti patris mei*, &c. *Quicunque enim confitebitur me coram hominibus*, ait ipse [k], *hunc & ego confitebor in conspectu patris mei* & Angelorum sanctorum: quod nobis conferre dignetur ipse qui constitutus est judex vivorum & mortuorum. Amen.

i Matt. 25. d

k Luc. 12, a

Sermo XXV.

De verbis Apost. *Volo primum fieri obsecrationes, orationes, &c.* 1. Tim. 2. a.

Alias, De quatuor modis orandi; Obsecratione, Oratione, Postulatione & Gratiarum actione.

Ubi de Reverentia tempore orationis necessaria eleganter disserit.

Quatuor mihi videntur orandi modos exprimere Apostoli verba dicentis [a]: *Volo primum fieri obsecrationes*: deinde *orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Sunt enim quos adhuc peccati conscientia terret & cruciat, nondum accepta resistendi virtute, tunc scilicet cum primum ipsos in peccatorum cœno jacentes spiritus veritatis irradiat, & excitans erubescere facit, & timere Deum dum vident immanitatem criminum, meritorum exiguitatem, & velut ardentem coram se gehennam expaveścentes, quoniam in seipsis boni nil inveniunt, aliundè apprehendunt unde tegantur. Sicut enim quòd non sit tutum in conspectu Domini Dei sui vacuos apparere contra legis præceptum [b], & multo minus id præsumere plenis stercore manibus audent. Quia ergo timent, & meritò timent per seipsos accedere, studeant quasi per alios supplicare. Tale est illud orationis genus, quo solemus uti dicentes: *Sancte Petre ora pro nobis.* & similia. Maximè verò illud *obsecratio* est manifesta; *Per passionem*

a 1. Tim. 2.

1. *Obsecrationem tribuit infernis conscientiis, & terrore peccati consternatis.*

b Exod. 23. b & 34. c

Sancti nostri

nem tuam libera nos Domine: & cætera in hunc modum. Tale enim videtur, ac si latro deprehensus, & jam vicinus suspendio, quando penitus desperat, nec invenit in se unde veniam deprecetur, extendens brachia dicat: quia sic passus est Christus; ut eorum à quibus tenetur, animos moveat ad pietatem.

Credo ego de talibus dici posse, quia *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* [c]. Vim faciebat regno cœlorum *Publicanus ille* [d], qui dum non auderet oculos ad cœlos levare, ipsum cœlum ad se potuit inclinare. Simile aliquid *mulier illa* egisse videtur [e], quæ profluvium sanguinis habens, dum timeret ad Christum accedere, fecit ab eo virtutem exire. Furtim enim tetigit fimbriam, & curata est ab infirmitate: unde & dedignantis quodam modo verbum videtur quod de ea Dominus ait [e]: *Quis me tetigit?* Et addidit: *Sensi à me exire virtutem.* Non credo quòd sit inter nos quispiam, sed forte nonnulli in sæculari habitu, vel conversione potuerunt aliquando experiri quid loquor, ut inviti fluxum sanguinis paterentur, ejus inquam sanguinis qui regnum Dei non possidebit [f]. Etenim qui facit peccatum, servus est peccati [g]: nec sua se poterit continere virtute, etiam cum volet. Huic ergo minimè expedit per seipsum ad Christum accedere, sed tangere, si quam invenerit ejus fimbriam, hoc est eum considerare hominem quem humiliorem viderit, & extremum in Ecclesia, quæ est vestis Christi: eum, inquam, qui elegit abjectus esse in domo Dei, oportet considerare quoniam is verè est fimbria posita in ora vestimenti, ad quam utique spiritualis unguenti descendens à capite copia tota decurrit. Hunc si beneficiis aliquibus seu prece humili, aut confessione pura tetigerit, ut affectum ejus erga se moveat ad compatiendum sibi, habeat fidem, & sine dubitatione sanabitur. Illud tamen noverit fimbria, non à se, sed à Christo exiisse virtutem, qui & tangi se protestatur in fimbria. Expressi nunc vobis quantum potui quale sit, & cui animæ necessarium genus obsecrationis.

c Matt. 11. b
d Luc. 18. b c
e Matt. 9. c
e Ibid.
f 1. Cor. 25. f
g Ioan. 8. d
Peccatori non expedit per seipsum accedere ad Christum.

2. *Orationem attribuit Pœnitentibus.*

At vero jam continendi virtute accepta securus accedit, qui sibi conscius fuerit pro delictis præteritis veniam quærens & *oratione* utens, quæ nostri oris est ratio, quando jam ore suo loquitur cum Deo suo. Hinc illud est, quòd Maria Magdalena [h], quanquam non minus humilis hæmorrhoissa illa: non sic tamen veretur accedere, sed rigat lachrymis pedes, capillis tergit, ungit unguento, osculatur ore devoto. Unde satis liquet, quòd omnino jam proposuerat in corde suo à peccato deinceps abstinere: & quasi profluvium stabat. Quod si jam consecutus es & tu, primum est ut ipsi Domino in oratione loquens, recogites annos tuos in amaritudine animæ tuæ.

h Luc. 7. f

3. *Postulationē assignat jam recepti in gratiam.*

Dehinc postquam in lamentis pœnitentiæ aliquandiu perseverans, hilaritatem quandam & fiduciam conceperis indulgentiæ, accede jam ad postulationes: ut securè tanquam receptus in gratiam Domini, tibi & conser-

vis

vis tuis audeas peteres quod oportet. At fortassis requiras, unde aut quomodò nosse poteris, utrum hanc consecutus sis indulgentiam. Sic nimirum conservandæ humilitatis gratiâ, divina solet pietas ordinare: ut quantò quis plus proficit, eò minus se reputet profeciisse. Nam & usque ad supremum exercitii spiritualis gradum si quis eousque pervenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquetur, & ut vix sibi primum videatur adeptus. Attamen scio quòd hodie lectum sit in Evangelio, dixerat Iesus paralytico [i]: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: & reputatum est ei ad blasphemiam. At ille, cui nimirum cogitatio hominis confitetur: *Quid* (inquit) *cogitatis mala in cordibus vestris*? Blasphemare me blasphematis, & quasi ad excusandum vim visibilis curationis virtutem mihi invisibilem usurpare. Sed ego vos potius blasphemos esse convinco, signo probans visibili invisibilem potestatem. *Vt sciatis* (inquit) *quia potestatem habet filius hominis in terra dimittendi peccata, tunc ait paralitico*: *Surge, tolle lectum tuum, & ambula*. Et tu ergo si jam surgis desiderio supernorum, si grabatum tollis, corpus scilicet à terrenis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiscentiis ejus: sed magis ipsa, ut dignum est, regat illud, & ferat quo non vult: si demum ambulas, quæ retrò sunt oblivisceris, & ad ea quæ ante sunt te extendens desiderio & proposito proficiendi, curatum te esse non dubites. Neque enim surgere poterat, si non aliquatenus onus esset alleviatum, & nec grabatum tollere, nisi exoneratus magis, quia nec ambulare in fervore conversationis cum peccatorum gravi mole possibile est.

Humilitas Proficientium alitur sensu experientiâ imperfectionum.

Signa & indicia curationis, seu remissionis peccatorum.

[i] Matt. 9. a

Propter quod fiducialiter jam postulare potest qui ejusmodi est, tantum caveat ne fortè aut postulet non postulanda, aut minus postulet quæ à Deo sunt postulanda; aut ea tepidè quærat, quæ toto affectu, & omni tempore sunt quærenda. *Petiti & non accipitis* (ait Jacobus [k]) *eo quòd malè petatis, utpote in concupiscentiis vestris*. Sic agit omnis qui terrena quærit ultra necessitatem, qui mundialem gloriam sectatur aut voluptatem. Tale est etiam quod solent seculares homines mortem inimicorum in orationibus postulare, cæteraque similia quæ non oportet. At vero temporalia si defuerint, petenda quidem sunt, quantum necessitas humana requirit: sed juxta beati Gregorii sententiam, non sunt hæc nimium requirenda. In quo genere etiam illa spiritualia sunt, sine quibus nihilominus salus constare potest, ut sermo scientiæ, gratia curationum, omniaque de quibus certum non habemus quid expediat nobis: utpote si te fatiget tentatio, supplicandum quidem pro ea ut auferatur à te, sed non nimis obnixè, quoniam in talibus meminisse semper oportet apostolicæ illius sententiæ [l]: *Nos enim quid oremus sicut oportet nescimus*; & Deo magis committere, quàm temerè aliquid apud nos definire.

Modus rectè postulandi.

[k] Iacob. 4. a

Temporalia & gratiæ gratis datæ sub conditione petenda.

[l] Rom. 8. c

At gratia gratum faciens, & gloria aterna simpliciter & absolute.

Hæc autem sunt toto affectu, & omni tempore postulanda, hæc sunt pro quibus incessanter & quàm obnixè poterunt, ad Deum clament desideria tua, ut habeas gratiam ejus bonam, & placere possis in oculis pietatis ipsius, & in eo vivas, moriaris in ipso, ut gloriam ejus videre, & ipso frui in perpetuum merearis. De his enim dictum est [m]: *Sine intermissione orate.* Unde & Propheta [n]: *Exquisivit, inquit, te facies mea. faciem tuam Domine requiram.* Et alibi [o]. *Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

m Luc. 18. a
n Psal. 26. c
o Psal. 26. b

4. Genus orationis, Gratiarum actio.

Porrò ad quartum genus orationis, quod est *gratiarum actio*, perpaucos attingere credo: & quo rarius, eo preciosius est. Multam enim prorsus gratiam inveniet apud Deum, quem juxta promissionem [p] suam exaudit antequam invocetur: & testimonium reddet spiritui eius spirirus quem habet ex Deo, quoniam exauditum est desiderium ejus, ita ut certus, jam nõ orare, sed gratias agere possit. Sic enim habes in Lazari resuscitatione, ubi Dominus, licet prius nihil orasset: *Pater*, inquit [q], *gratias ago tibi quia audisti me.* Prima igitur, id est, *obsecratio* verecundo fiat affectu. Secunda, quam propriè diximus *orationem*, affectu puro: videlicet non dissimulemus peccata, non nos palpemus: scientes quòd sic quisque invenit gratiam apud Deum, si inventus fuerit durus judex in semetipsum. Tertia, id est, *postulatio* amplum quærit affectum, & fiduciæ latitudinem, sicut scriptum est [r]: *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Credo enim propterea dictum [s]: *Quemcunque locum calcaverit pes vester, vester erit*, quod tantum impetrabimus, quantum porrexerimus pedem fidei. Quarta quæ est *gratiarum actio*, ipsa debet esse devotione plenissima, & deliciis affluens.

p Isa. 65. d
q Ioan. 11. c
r Iacob. 1. a
s Iosue. 1. a

Jam verò de reverentia Orationis, in eo quod lectum est in capitulo ipsius Regulæ, vos modò sollicitavit auctoritas †, ex cujus occasione aliqua de oratione dicenda putavi. Illud tamen breviter dico, nonnullos (ut arbitror) experiri interdum in oratione ariditatem & hebetudinem quandam mentis, ut solis orantes labiis non satis attendant neque quid dicant, neque cui loquantur, pro eo quòd velut ex consuetudine quadam cum minus digna reverentia & sollicitudine accesserunt. Quid enim aliud cogitare debet frater intrans ad orationem, quam propheticum illud [t]: *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei?* Omnino siquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cœlestem, illam utique curiam, in qua rex regum stellato sedet solio, circundante innumerabili & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Unde & ipse qui viderat, quia majorem numerum non invenit: *millia*, ait, *millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei* [u]. Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens & repens ranuncula vilis? Quam tremebundus, quam supplex, quam denique humilis

† Regul. S. Bened. c. 19.

Quanta cum reverentia in oratione versandum.

t Psal. 41. a*

u Dan. 7. c

milis & sollicitus, & toto intentus animo majestati gloriæ, in præsentia Angelorum, in concilio justorum & congregatione assistere poterit miser homuncio ?

In cunctis igitur actionibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed præcipuè in oratione. Etenim sicut in Regula nostra legimus †, licet hora omni & omni loco oculi Domini super nos speculentur, maximè tamen in oratione. Licet enim semper videamur, sed nunc etiam præsentamus & ostendimus nos quasi facie ad faciem cum Deo loquentis. Porrò quamvis ubique sit Deus, in cœlo tamen orandus est, ibique orationis tempore cogitandus ? ut mens nostra non oratorii tecto, non aeris spatio, non ipsa retardetur nubium densitate, juxta eam formam quæ nobis à Christo tradita est, ubi ait x : *Sic orabitis : Pater noster qui es in cœlis.* Cœlum enim quadam prærogativâ etiam sedes sive thronus Dei vocatur : quia ad eam comparationem, qua Deum in cœlis Angeli sancti & Electorum animæ vident, nos miseri & peregrini super terram vix solum nomen habere videmur. Sic igitur oret qui orat, tanquam assumptus & præsentatus ei, qui sedet super excelsum thronum in Angelis qui minimè ceciderunt, & elevatum in hominibus quos suscitavit de pulvere inopes, & erexit de stercore pauperes : sic, inquam, semetipsum consideret, & sic attendat, tanquam præsentatum Domino majestatis, ut dicat cum Abraham : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis* y. Et quia tuo præcepto commonitus, tua institutione formatus, id præsumo Domine fons pietatis.

† Reg. S. Ben. cap. 19. *Ad orationem præcipuè opus vigilantia animi.*

x Matt. 6. b & Luc. 11. *Mens orationis tempore in cœlum dirigenda.*

y Gen. 18. d

Sermo XXVI.

De voluntate nostra divinæ voluntati subjicienda.

Audistis nunc ex Regula nostra, Fratres, de humilitate sententiam †, cui ego quotiens legitur, toto animo intentos vos esse volo. Insipiens est enim & insanus, quicunque in aliis vitæ meritis, quicunque in alia religione seu sapientia, nisi in sola humilitate confidit. Apud Dominum, Fratres, jus habere non possumus, quoniam in multis offendimus omnes : sed nec fallere eum ; ipse enim novit abscondita cordis, quantò magis opera manifesta ? utique nec resistere viribus, quoniam omnipotens est. Quid ergo restat, nisi ad humilitatis remedia tota mente confugere, & quicquid in aliis minus habemus, de ea supplere ? Sed ô mira vanitas, ô mira fatuitas cordis nostri, cujus elationem perfectè reprimere, cujus cervicosos motus omninò domare, humilitatis materia tanta non sufficit, quin superbiat adhuc terra & cinis.

† cap. 7. Regulæ S. Ben.

Porrò totius humilitatis summa in eo videtur consistere, si voluntas

nostra divinæ (ut dignum est) subjecta sit voluntati, sicut ait Propheta [a]: *Nonne DEO subiecta erit anima mea?* Scio quidem creaturã omnem, velit nolit, subiectam esse creatori. Sed à creatura rationali voluntaria subiectio quæritur, ut voluntariè sacrificet Domino, & confiteatur nomini eius: non quia terribile & sanctum, non quia omnipotens, sed quia bonum est. At verò subiectionem istam triplicem esse necesse est, ut quod certum est Deum velle, id nos velimus omnino: & quod certum est eum nolle, similiter execremur & nos. Quod autem incertum est utrum velit aut nolit, neque velimus ex toto, neque penitus non velimus. Hic certè, fratres, in hoc medio totum periculum est religiosorum, dum infeliciter blandimur nobis, & palpantes seducimus nosmetipsos. Huic accedit, ut dissimulemus Domini quærere voluntatem, dum & nostram facere, & aliquam de ignorantia habere volumus excusationem. Quis enim est ille tam infelix monachus, qui id nolle audeat, quod certus est Deum velle: aut quod certus est eum nolle, id velle præsumat? Sed in medio periculum est his qui jam egressi de seculo, in loco conversionis habitant tanquam in paradiso voluptatis: sicut in medio paradisi lignum transgressionis positum erat, in quo prævaricati sunt parentes primi, lignum scientiæ boni & mali, non tantum boni, vel mali solius, sed boni & mali.

Propterea rogo vos, Fratres, diligenter attendite, quia nihil mihi occurrit quod utilius possitis audire. Ubi certa est Dei voluntas, omnino nostra sequatur, in his videlicet de quibus certum aliquid in scripturis invenimus, aut ipse spiritus manifestè clamat in cordibus nostris quid sentiendum sit, ut est charitas, humilitas, castitas, obedientia: hæc approbemus indubitanter & appetamus, quæ placere Deo scimus indubitanter. Sed & ea omnimodis odisse debemus, de quibus certum est quod oderit ea Deus, ut est apostasia, fornicatio, iniquitas, impatientia. In his vero rebus de quibus nihil certi possumus invenire, nihil certum voluntas nostra definiat, pendeat inter utrumque, aut saltem neutri parti nimis inhæreat, cogitans semper ne fortè altera pars Deo magis placeat, & parati simus voluntatem eius sequi, in quamcunque partem eam cognoverimus inclinari. Nemo super his quæ certa sunt hæsitet, nemo dubia pro certis admittat, nemo sibi in dubiis judicium vendicet, præcipitétve sententiam, & experiemur quod scriptum est: *Pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non est illis scandalum* [b]. Unde enim sunt scandala, undè turbatio, nisi quòd propriam sequimur voluntatem, & temerè quod volumus in corde nostro definientes, si quomodo id prohiberi contingat aut impediri; continuò etiam in impatientiam, in murmurationem, in scandalum proni sumus, non attendentes quoniam omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti: & qui nobis casus videtur, sermo quidem

[a] Psal. 61. a

Summa humilitatis in subiectione voluntatis.

Subiectio ista triplex.

Vtilis doctrina de voluntate DEI amplectenda.

Quid agendum ubi incerta est Dei voluntas.

Indifferentia voluntatis commendatur.

[b] Psal. 118. x

Damna propriæ voluntatis.

dem Dei est, suam nobis indicans voluntatem? At quicunque nihil certum de huiusmodi in corde posuerit: in quamcunque partem postea convertatur, scandalizari non poterit. Aut si quis facere cogitat unde mandatum certum non habet, si voluntatem suam suspensam tenuerit donec prælatum interroget, & ab eo quærat Domini voluntatem, cui vice ipsius obedit, non turbabitur quicquid ei præcipiatur: quoniam pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non est illis scandalum.

Voluntatis seu potius concupiscentiæ plena subiectio impossibilis in hoc mortali corpore

Porrò quod dixi, voluntatem suspensam teneat, aut voluntatem suam divinæ subiiciat voluntati, non de concupiscentiis desideriorum, non de affectionibus dico. Illud enim impossibile est, dum adhuc in hoc peccati corpore, in hoc corpore mortis anima detinetur. Quid enim esset aliud quam vita æterna, tota affectione divinam in omnibus sequi voluntatem? Sed consensum nostrum necesse est divinæ subiicere voluntati, si pacem æternam, & pacem desideramus habere præsentem, sicut scriptum est. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Domine* (ait Propheta [d]) *in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die.* Alius enim ambulat in lumine vultus sui, sollicitus facere suam voluntatem, & beneplacitum cordis sui considerans. Alius ambulat in lumine vultus humani, in eo semper intentus quid hominibus placeat, quid mundus judicet: de quo Propheta loquitur [e]: *Diem hominis non concupivi, Domine tu scis. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum* [f]; Nam qui timorem Dei semper habet præ oculis, viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ [g]. *Venite ad me,* inquit [h], *omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*; quos vestræ seu alienæ voluntatis dura premit servitus: *& invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Quanto enim benignior & dulcior est divina clementia quolibet homine, tanto suavius esse manifestum est jugum eius cæteris omnibus. Propterea homines sibi ipsis aut aliis hominibus placere studentes, confusi sunt: sed qui in lumine vultus tui ambulant Domine, id solum cogitantes, quomodo tuam faciant voluntatem, & toto corde contendentes placere tibi; nunc quidem in nomine tuo exultabunt, & nõ erit illis scandalum. Demum in justitia tua exultabunt, quando exuentes infirmitates suas, & intrantes potentias Domini memorabuntur justitiæ tuæ solius, ut eam tunc teneant sine labore. quam modo sequi laborant.

c Ioan. 14. c
d Psal. 88. c
e Hier. 17. b
f Psal. 13. b
g Prov. 3. c
h Matt. 11. d

Servitus DEI suavior omni servitute, quãto Deus suavior omni homine.

Sermo XXVII.

Contra Vitium Ingratitudinis.

Magna est super nos, dilectissimi, magna valde misericordia Dei nostri, quos tam ineffabili spiritus sui virtute, tam inæstimabili

Beneficium vocationis religiosæ quanti faciendũ.

dono gratiæ suæ eripuit à vana nostra conversatione huius sæculi, in quo eramus aliquando tanquam sine Deo, aut certè (quod execrabilius est) etiam contra Deum, non ignorantiam habentes, sed contemptum : cuius vitæ aut potius mortis (anima enim quæ peccaverat, ipsa moriebatur) utinam frequenter in oculis cordis nostri tetra versetur imago; quanta videlicet cæcitas, quanta perversitas illa fuerit, ut sedula meditatione pensantes miseriæ pondus : etsi non tam perfectè sicut est, aliquatenus tamen æstimare possimus liberatricis misericordiæ quantitatem. Iam verò si quis ex vobis diligenter considerare non negligat, non modò unde erutus, sed ubi sit constitutus, non solum quid evaserit, sed & quid acceperit : non tantum unde revocatus sit, sed etiam quo vocatus : inveniet sine dubio cumulum huius misericordiæ omnino mensuræ prioris excedere quantitatem. Neque enim fecit taliter omni nationi, ut non solum judicia, sed & consilia sua manifestaret eis: sed omnino magnificavit facere nobiscum, non solum in servos assumens, sed eligens in amicos. Neque enim nos eligimus eum, sed ipse elegit nos, ut eamus & fructum afferamus : fructum inquam, non solum non peremptorium, quod ad judicium pertinens, notum sit etiam servis : sed nec periturũ quidem, quod de consilio est, & reveletur amicis.

Religiosus consideret unde & quò vocatus sit.

In hoc siquidem positi sumus, ut non peccato serviamus : Ipse enim est peremptorius labor : nec sæculo quoque, quemadmodum hi quos videmus subditos curis terrenis, etsi non culpis ; corporalibus officiis, etsi non flagitiis implicatos, & in ea quæ præterit huius mundi figura pro sua suorũmque præsenti sustentatione laborantes, quorum utique labor etsi non ad damnationem, minimè tamen pertinet ad salutem, ita ut etsi conservaverint fundamentum, detrimentum tamen patiantur, pereuntibus quæ superædificaverant, ipsi verò salvi sint, sic tamen quasi per ignem. Nobis autem quid dicitur? Quod consilium datur amicis ? *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* [a] . Nec cessamus ab operando hoc cibo etiam cùm terrenis fortè occupamur operibus, aut obedientia dictante, aut fraternæ charitatis intuitu, quoniam dissimilis nobis intentio est ab his, quorum laborem periturum esse prædiximus. Dissimili proinde radice inhærens labor similis non similiter habet perire, quoniam radicatus est in ea quæ nunquam perit æternitate.

Discrimen inter orporares sæcularium & Religiosorum labores.

[a] Ioan. 6. c

Denique si fortè non quidem illicita, nec tamen expedientia sectantes, priori forsitan fornicatione relicta, stetissemus in conjugii castitate, non capientes quod de cœlibi vita datum novimus esse consilium *b*, sed à rapinis & fraudibus abstinentes, licitè propriis rebus uteremur, necdum tamen ad perfectionem evangelicam attingentes : sicut scriptum est [c] : *Si vis esse perfectus, vade & vende omnia quæ habes, & veni, sequere me*, &c. Hoc ipsum quantæ pietatis esset, si à tantis criminibus in quibus multi ex vobis involuti

Matt. 19. b

Matt. 19. c

voluti solum in se responsum mortis, & judicium certæ damnationis haberent, datum esset vel in inferiori aliquo respirare gradu? Prodigus certè filius ad filiorum numerum aspirare timebat [d], beatum se reputans, si forte vel in mercenariorum numero recipi mereretur: minimè tamen sufficere potuit paternæ pietati, nisi tamen copiosam ei misericordiam exhiberet, cui posset & ipse qui nunquam à patre discesserat senior filius invidere. Sic & nos, dilectissimi, abundanter effusa super nos misericordia Dei nostri; de filiis iræ & diffidentiæ non solum ad electorum recepit numerum, sed vocavit ad collegium perfectorum. Nam & si fortè aliquorum negligentia ad perfectionem non assurgit, ipsi viderint quid excusationis possint afferre, quoniam apostolicam omnes nos vitam professi sumus, apostolicæ professioni nomina dedimus universi. Quod sanè non de ea gloria sanctitatis dixerim, quam non sibi tantum, sed universo orbi suscipere meruerunt, sicut scriptum est [e]: *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam*, sed de eorum potius professione qua pro omnibus Petrus loquitur, dicens: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te* [f].

[d] Luc. 15. d

[e] Psal. 71. a

[f] Matt. 19. c

Sed jam omnino movet, fratres mei, quid sibi velit quod minus erga nos liberalis nunc divina clementia videatur, ut quibus tanta contulit non rogantibus, non desiderantibus, immò & fortasse recusantibus: nunc orantibus, obsecrantibus, postulantibus sæpissimè, immò continuè, videatur multa minora negare. Quid enim putamus charissimi? Abbreviata est manus Domini, an fortè thesauri gratiæ defecerunt? Quid, inquam, putamus, utrum voluntas mutata sit, an immutata facultas? Neutrum sanè de eo æstimare licet, neutrum fas est credere de omnipotenti & immutabili majestate. Quid sibi vult ergo, quod incessanter orantes, obsecrantes, postulantes non exaudit, quibus tantam & tam gratuitam misericordiam prærogavit? Nam si respondeat quis quod Apostolo Paulo responsum est [g], sufficere nobis gratiam Dei: planè omnino fallitur, cum pro ea quam maximè universæ orationes, obsecrationes, & postulationes nostræ fiant, ne ambulemus in magnis, aut in mirabilibus super nos, orantes nobis dari *humilitatem*, quanta decet non dico sanctos, sed monachos peccatores: obsecrantes *patientiam* nobis tribui, quanta non dico in martyribus inventa est, sed professioni nostræ necessaria est: postulantes *charitatem*, quantam non dico angelis, sed patribus, qui fuêre homines similes nobis passibiles, etiam & peccatores, divino munere collatam agnovimus ex testimonio Scripturarum.

NOTA. Cur Deus pleraque licet ardenter postulantibus non largiatur

[g] 2. Cor. 12. b

Væ generationi huic miseræ ab imperfectione sua, cui sufficere videtur insufficientia, immò inopia tanta. Quis enim ad perfectionem illam quam Scripturæ tradunt, vel aspirare videtur? Non sine causa sanè, cum sint nobis eadem cum patribus conversionis initia, dispar valde conversationis

Religiosos in studio perfectionis languidos perstringit.

tionis profectus invenitur, adeo ut cum eos profeciſſe de die in diem & curſum conſummaſſe legamus, apud nos magnus æſtimaretur, ſi quis vel ipſa converſionis ſuæ primordia conſervaret, ut non minus humilis aut timoratus, non minus ſolicitus & circumſpectus, non minus fervens ſpiritu, non minus patiens ac manſuetus in medio quam in initio videretur. Quantos enim videmus quaſi oblitos ſui, & peccatorum ſuorum, Dei quoque & beneficiorum ejus immemores, ſic non redimere, ſed amittere tempus, ut de moribus & affectionibus ſuis vix ultima apud ipſos mentio fiat? Quid iſtos aliud agere dixerim, qui ſcurrilitates, detractiones, jactantiæ & impatientiæ verba non reputant, facilè contriſtant proximos, immò ſpiritum Dei qui in eis eſt, puſillorum ſcandala parvipendunt, ad increpationem aliorum aut negligentia quadam dormitare videntur, aut iracundiæ facibus inflammantur, & cum his quaſi gens quæ fecerit juſtitiam, accedunt liberè ad Eccleſiam, pſallunt cum aliis, ſed non ſpiritu neque mente, orationis tempore neſcio quas ineptias meditantur, & ne ipſo quidem tremendo Angelis participare verentur Dominici Corporis ſacramento: quid, inquam, iſtos aliud agere dixerim, quam ſecuros jam de gratia Domini ſui, fiducialiter de ea quam longo tempore promeruerint familiaritate præſumere? Hoc nempe eſt quod vulgari proverbio dicitur: Familiaris dominus fatuum nutrit ſervum. Sed ubi eſt, dilectiſſimi, quod totiens canitis [b]: *Quoniam advena ego ſum apud te & peregrinus, ſicut omnes patres mei*? Heu heu, non invenitur qui redeat & agat gratias Deo, niſi alienigena. *Nonne decem mundati ſunt, & novem ubi ſunt*? Meminiſtis credo verba Salvatoris hæc eſſe, novem illorum ingratitudinem arguentis *i*. Bene ſiquidem oraſſe, obſecraſſe, poſtulaſſe leguntur, qui levaverunt vocem, dicentes: *Ieſu fili David miſerere nobis*. Sed defuit eis quarta quam adjecit Apoſtolus [k] gratiarum actio, quandò nec redierunt nec egerunt gratias Deo.

Not. ſeu indicia tepidorum Religioſorum.

[b] Pſal. 38. c

[i] Luc. 17. d

[k] 1. Tim. 2. a

Pauci pro beneficiis grati.

NOTA. Clementiæ eſt, ingratis negare beneficium.

Multos quoque videmus uſque hodie ſatis importunè petentes quod ſibi deeſſe cognoverint: ſed paucos admodum novimus, qui dignas ſuper acceptis beneficiis gratias agere videantur. Nec reprehenſibile quod inſtanter petimus, ſed planè petitioni negat effectum, quòd invenimur ingrati. Et fortè hoc etiam clementiæ eſſe videtur, ingratis negare quod poſtulant, ne contingat nobis, ut tantò gravius de ingratitudine judicemur, quantò magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur extitiſſe. Ergo miſericordiæ res eſt in hac parte ſubtrahere miſericordiam, quemadmodum iræ & indignationis, miſericordiam exhibere, eam ſanè de qua per Prophetam ipſe Pater miſericordiarum loquitur, dicens: [l] *Miſereamur impio, & non diſcet facere juſtitiam*. Quam multos enim videmus & plangimus Fratres, qui, dummodò maneat habitus & tonſura, ſalva ſibi omnia arbitran-

[l] Iſa. 26. b

arbitrantur ? non considerantes miseri quemadmodum ingratitudinis vermis interiora corrodens, ob hoc tantum corticem quem vident transforare dissimulet, ne fortè recogitent & erubescant, ipsaque verecundia emendentur. Qui sic interdum in nonnullis consumpta esse interiora universa præsumit, ut non vereatur ad ea quoque quæ foris apparent, venenatum ducere caput: nisi fortè, quos videmus manifestè apostatare à Deo, repente fieri pessimos arbitramur: & non magis paulatim defeciisse, cum comederint alieni robur eorum, & nescierunt. Vides ergò non omnibus prodesse, quòd à lepra sæculari conversationis, cujus peccata manifesta sunt, emundantur: sed nonnullis peius in occulto ingratitudinis ulcus oriri, quod tantò periculosius sit, quantò interius. Et benè Salvator hinc in Evangelio [m] *novem illos ubi sunt quærit*, quoniam longè est à peccatoribus salus. Sic enim & primum hominem post peccatum ubi sit interrogat [n]: & in judicio nescire sese profitebitur operarios iniquitatis [o], cum legamus in psalmo [p]: *Quoniam novit Dominus viam justorum, & iter impiorum peribit.* Nec sine causa in novenario inventi sunt qui non redeunt ad Salvatorem, in quo nimirum numero quaternario quinarius jungitur, & est non bona mixtio corporeæ sensualitatis, & evangelicæ traditionis. Quod tunc fieri solet, cum sic volumus quatuor Evangeliis obedire, ut quinq; corporis sensus pariter oblectare velimus.

Religiosis quam noxia ingratitudo & tepiditas.

q Luc. 17. d *

n Gen 3. b
o Luc. 13. f
p Psal. 1. b

Felix autem *Samaritanus* ille, qui cognovit se nihil habere, quod non accepisset, idcircò servavit depositum, & cum gratiarum actione ad Dominum est reversus [q]. Felix qui ad singula dona gratiæ redit ad eum in quo est plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora adhuc accipere mereamur. Omnino enim sola nos à profectu conversationis impedit ingratitudo nostra, dum quodammodò amissum reputans dator, quod ingratus accepit, cavet sibi de cætero ne tantò plura amitteret, quantò plura conferret ingrato. Felix proinde, qui se alienigenam reputans, etiam pro quibusque minimis beneficiis non minimas refert grates, gratuitum esse non dubitans, neque dissimulans quod alieno impenditur & ignoto. Nos autem miseri & miserabiles, cum in initio adhuc alienos nos æstimamus, timorati satis, satis devoti & humiles invenimur, tam facile postmodum obliviscimur, quam gratuitum sit quicquid accepimus, & præsumentes non bene quasi de familiaritate Dei, nequaquam advertimus quod mereamur audire: quoniam inimici Domini domestici ejus. Tantò enim facilius nunc offendimus eum, quantò ea gravius quæ à nobis committuntur, judicanda noverimus esse: cum in psalmo legamus [r]: *quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.* Obsecro itaque, Fratres mei, humiliemur magis ac magis sub potenti manu Dei, & ab hoc tam maximo,

Nova beneficia veterum gratitudo meretur.

q Luc. 17. d *

Ingratitudo claudit manum benefactoris.

r Psal. 54. b

tam nequissimo vitio ingratitudinis longe fieri studeamus: ut tota devotione in gratiarum actione versantes, conciliemus nobis gratiam Dei nostri, quæ sola potest salvare animas nostras. Nec verbo tantum vel lingua, sed opere & veritate exhibeamus nos gratos: quia gratiarum actionem magis, quam dilectionem à nobis exigit dator gratiarum Dominus Deus noster qui est benedictus in secula, Amen.

Sermo XXVIII.

De eo quod legitur in Job, *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Job. 5. c

DIgnum valdè est & omnino exigit ratio æquitatis, ut quibus à constitutione mundi regnum paratur, ipsi etiam sese regno parare non negligant, ne parato regno inveniantur forsitan, qui regnaturi fuerant imparati. Sic enim legimus de cœna quadam [a], dicente Domino: *Quoniam quidem cœna parata est, sed qui vocati erant non fuerunt digni.* Quærimus ergo quemadmodum regno parato parari debeant reges futuri. Et si piè quærimus, cum Propheta utique dicere non audemus [b]: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur,* inquit, *sine macula.* Sed hæc, inquies, præparatio soli Christo convenire videtur. Nemo enim cæterorum omnium *mundus à sorde, nec infans cujus est vita unius diei super terram* [c]. Itaque solus intrabit, qui solus agnus est sine macula, solus argui non potuit de peccato, quod non ab eo factum est, nec in eo inventum. Solus planè summus pontifex meus nec in patre nec in matre contaminatus est, ut lex dicit [d]: patrem quippe sed Deum, matrem quoque sed Virginem habens: unde & solus ingreditur sancta sanctorum, & nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo [e].

a Matt. 22. a

b Psal. 14. a
Cœlum solis patet immaculatis.

c Job. 15. b
At nemo hominum sine macula, nisi solus Christus.

d Levit. 21. a

e Ioan. 3. b
At tamen Christus, ut caput nostrum, nõ intrabit sine membris, sed conformibus.

Quid ergo nos? Itane continuo desperabimus? Immò verò sperabimus, & hinc maximè. Licet enim solus sed profecto totus intrabit, & os non comminuetur ex eo, non sine membris caput invenitur in regno, si tamen membra fuerint conformia sibi, & cohærentia capiti suo. Conformia sanè moribus, cohærentia fide. Habet enim conformationem quantum potest, habet & cohærentiam ipsa etiam minor ætas, dum & similitudini mortis ejus mersione illa triplici complantatur, & fidem in involucro quodam recipit, quod necdum capax sit evolutæ. Benignus est nimirum Spiritus sapientiæ, & quem traducta culpa ligaverat, indulta justitia solvit. Sed non ita deinceps liberabit maledictum à labiis suis. *Voluntariè enim peccanti post agnitam gratiam non relinquitur hostia pro peccato* [f]. Sed neque sic liberabit à suis, quomodo ab alienis labiis maledictum. Maledictio, Fratres, gravis est macula, & scimus quoniam non quod intrat in os coinqui-

Infantes, quomodo conformentur Christo.

f Heb. 10. c

coinquinat hominem, sed quod de ore egreditur g. Inde ergo macula, inde maledictio a labiis suis, sed non semper à propriis. Neque enim de corpore vel corde proprio originalis in parvulum culpa procedit, cui non modo consensus, sed ne ullus quidem interim potest sensus esse peccati. Quomodo tamen maledictum à labiis suis non liberat spiritus, aut voluntariè peccantibus non relinquitur hostia, nisi quia non illi denuo crucifigitur Christus, nec complantatur iterum similitudini mortis ejus per baptismum? Propria jam eo lachrymarum unda exigitur, propriam bajulare crucem, propria mortificare membra, & propriam immolare hostiam necesse est. Sine causa aliter diceret, credo propriis labiis expietur oportet propriorum maledictio labiorum: per multas enim tribulationes in regnũ Dei intrare necesse est h; & nemo nisi per tribulationes ingreditur, aut proprias, aut alienas.

g Matt 15. b

Adulti non nisi propria pœnitentia expiantur.

h Act. 14. d

Sola nimirum secundi Adæ tribulatio purgat, quos contaminavit offensio sola prioris, non quòd propria cuiquam sufficere possit satisfactio. Quid enim est universa pœnitentia nostra, nisi quòd si non compatimur, omninò non possumus conregnare? Quod enim in nobis minus est, ipse supplet: modicum tamen illud quodcunque nostrum est, non patitur reservari. Quòd si fidei cohærentia sine morum conformitate nequaquam salvat adultos, longè minùs salvare poterunt opera sine fide. Facilius enim membrũ inhærens capiti si deforme est reformatur, quàm divulsum quamlibet simile copuletur. Et ipsum tamen quod deforme est, aut conforme fieri imagini filii sui & capitis sui, aut certè tandem avelli ab eo, necesse est anathema esse à Christo, ne in illa plenitudine corporis ejus inveniatur quippiam indecorum.

Fides sine operibus non salvat.

Ubi ergò macula propria, propria quoque purgatio jure requiritur: & si contaminatio multiplex, opus est etiam tribulatione multiplici. Unde enim tribulatio, nisi dum resistitur contaminationi, concupiscentiæ repugnatur? Quid verò in homine purum ab hac macula, immune ab hoc contagio poterit inveniri? Ab intus manat, de corde exit pestiferum virus, ac deinceps corpus occupat universum, mentem desideriis afficit, membra illecebris inficit. Inde pruritus aurium, oculorum petulantia, inde olfaciendi voluptas, inde in faucibus tam inordinata delectatio, inde in universo corpore mollitiei sensus, & libido pernicioſa tangendi, inde intus in anima ebrietas illa desideriorum, & fornax quædam ambitionis, avaritiæ, invidiæ, contumaciæ, nequitiæ, & omnium denique vitiorum affectibus vehementer accensa. Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus habere videtur, tot patitur tribulationes, tot sustinet tentationes vir justus. Et quemadmodũ ambulans quis in carne, sensuum voluptate delectatur delicias computat esse sub sentibus: sic & omnis qui in spiritu seminare desiderat,

Concupiscentia omnium vitiorum & malorũ scaturigo.

Differentia carnalium & spiritualium.

siderat, spinas & tribulos quos propria terra ex maledicto utique germinat, potius eradicare quam propagare contendit, quippe qui convertitur in ærumna sua, quotiens configitur spina.

Huic ergo tam multifariæ pesti, per singula quæque resistere, quàm multiplex tribulatio? A planta pedis usque ad verticem non est sanitas in me, totum infecit concupiscentia, lex peccati in membris omnibus invenitur, undique per fenestras mors intrare contendit, & intus fomes totius nequitiæ periculosius sævit, crudelius malignatur. Minimè tamen in hac tam multiplici lucta deficiendum, aut desperatione cedendum est. Licet enim abundent tribulationes pro Christo, sed abundant & consolationes per ipsũ. Denique audi consolationem: Peccatum in foribus est, nisi ipse aperias, nõ intrabit. Appetitus in corde prurit, sed sub te est [i], nisi sponte cesseris, nil nocebit. Audi consolationem. Consensum cohibe, ne prævaleant hæc, & immaculatus eris, ut sine macula ingrediaris & ipse ad habitandũ in tabernaculo, & requiescendum in monte sancto Domini Dei tui. Si tui non fuerint dominati, tunc immaculatus eris, & emundaberis à delicto maximo. Maximum planè delictum, quod interiorem & exteriorem hominem occupat universum. Audi adhuc consolationem: *In sex*, inquit [k], *tribulationibus liberaberis, & in septima non tanget te malum.* Si puer Hebræus es sex annis serviens, liber egredieris in septimo. Sex tibi tribulationes sunt contra desideria cordis, & quinque pertitam sensualitatis corporeæ voluptatem: sed in his sex liberaberis à septima, non quidem ne veniat, sed ne lædat, ne noceat, ne tangat te malum. Veniet quidem mors: ipsa enim est septima tribulatio: sed somnus erit dilectis Domini, & ecce hæreditas ejus. Erit janua vitæ, erit initium refrigerii, erit sancti illius montis scala, & ingressus in locum tabernaculi admirabilis, quod fixit Deus & non homo. In septima itaque non tanget te malum. Malum utique triplex, quod eos manet in septima, qui in sex tribulationibus dissimulant perfectè interim liberari, nec in sex hydriis purificantur ad liquidum, ut exhibeantur in nuptiis sponsi non habentes maculam neque rugam. Manet enim eos horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu gloriæ magni Dei.

Nemo peccat nisi volens.

[i] Gen. 4. a

[k] Iob. 5. a

Mors pius non damnũ adfert, sed lucrum.

Unde nobis ista dissimulatio est, Fratres mei? Unde hæc tam perniciosa tepiditas, unde hæc securitas maledicta? Quid seducimus miseri nosmetipsos? Forsitan jam divites facti sumus, forsitan jam regnamus. Nonne ostium domus nostræ horribiles spiritus illi obsident. Nonne exitum nostrũ larvales illæ facies præstolantur? Quis ille pavor erit, ô anima mea, cum dimissis omnibus quorum tibi est tam jucunda præsentia, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam penitus regionem, occurrantia tibi catervatim ruere teterrima illa monstra videbis? Quis tibi in die tantæ necessitatis occurret? Quis tuebitur à rugientibus

Ad excutiendũ torporem, & excitandum fervorem novissimorum, seu Horror mortis.

præpa-

præparatis ad escam? quis consolabitur? quis deducet? Filioli mei, memoremur hæc novissima nostra, ne peccemus. Nam & per ignem nobis transeundum est, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Ibi enim aurum nostrum vertetur in scoriam, ibi revelabitur universa impuritas, ibi veritas ipsa accepto tempore quod nobis interim datum contemnimus, justitias judicabit. Quid verò illic omnes justitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ reputabuntur? Quicquid nunc parvipendendo transimus, palpando tegimus, dissimulando negligimus, quanto illic cruciatu vindex flamma consumet? Utinam magis nunc daret quis capiti meo aquas, & oculis meis fontem lachrymarum! fortè enim non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lachryma diluisset. *Cruciatus ignis purgatorii.*

Jam verò post ignem illum putas residuum aliquid invenietur in nobis? Aut tantum erit ut audeamus illud vultui majestatis offerre; aut eius sic astare conspectui? Quis ille pudor erit, quæve confusio, post tanta beneficia, tam tepidos, tam imperfectos, tam vacuos apparere ante faciem Dei nostri? Fugiebat Adam [l] ut absconderetur ab eo, post unius utique pomi vetiti gustum, quid nos post tanta flagitia, post tanta facinora præsumemus? Quando ab hac confusione purgabitur oculus cordis; cui nunc operam dare negligimus, ut irreverberata acie veri illius solis radios valeat imueri? Sicut fluit cera à facie ignis, sic peribunt peccatores à facie Dei [m]: Ingrediatur utique putredo in ossibus meis, & subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis hujus septimæ, & in ea non tangat me malum. Malum hoc triplex, horroris, doloris, & pudoris. Felix siquidem anima, quæ fiducialiter inimicis suis loquetur in porta: Quid hic astas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies*. Felicior, cujus opus non arserit, quem superædificasse aurum, argentum, lapides preciosos, examen illud inveniet. Felicissimus, qui sine ulla nube confusionis revelata penitus facie, gloriam Domini speculando, in eandem imaginem transformabitur, & similis erit illi, videns eum sicuti est, utique super omnia Deus benedictus & laudabilis, & gloriosus in secula seculorum, Amen. *Pudor judicii.*

l Gen. 3. b

m Psal. 67. a

* *Ita S. Martinus jam mori vicinus* teste Sulpitio.

SERMO XXIX.

De triplici Dilectione Dei.*

* *alias*, De diligendo Deo

NOlite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Omnia enim quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum & ambitio spiritus, quæ non sunt ex Patre [a]. Quid ergo? Sunt aliqua ex Patre, quibus nobis ista recompensentur. Sunt utique omnino dulciora his & amabiliora, sed hæc non creduntur servis, multo minus inimicis. Quisquis vetò amicus voluerit esse hujus mundi, inimicus Dei constituetur. Amicis creditur consilium, quibus dicitur [b]: *Quia omnia quæcunque audivi à Patre*

a 1. Ioan. 2.

b Ioan. 15. b

à Patre meo, nota feci vobis. Exponit beatus Gregorius, quia amor ipse, notitia est. Est ergo triplex amor, qui tria illa excludat quæ non sunt ex Patre. Et propterea credo ter interrogatur Petrus [c], *amas me, amas me, amas me?* Sed & fortè hæc sunt de quibus in lege præcipitur [d], *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua*, id est, diliges dulciter sive affectuosè, diliges prudenter, diliges fortiter. Siquidem amor cordis simile quiddam habet carnalis amoris. Nam affectiones, propriæ cordis esse dicuntur. Anima verò aliquanto jam superius sonat, unde & meritò dicitur sedes sapientiæ, ut meritò videatur illi attribuendum prudenter diligere Deum.

Amor triplex.

Dulcis, Prudens Fortis.

Sane ad affectuosum illum quem dicimus cordis amorem plurimum valet Incarnationis Christi cogitatio, sed & totius dispensationis quam gessit in carne, & maximè Passionis. Videns enim Deus homines omninò carnales effectos, tantam eis dulcedinem exhibuit in carne, ut durissimi cordis sit quisquis eum toto affectu non diligat. Volens siquidem nobilem creaturam hominem recuperare, si, inquit, invitum coêgero, asinum habeo, non hominem, quoniam quidem non libens veniet nec spontaneus, ut possit dicere [e]: *Voluntariè sacrificabo tibi.* Nunquid asinis dabo regnum meum? Nunquid de bobus cura est Deo? Ut ergo habeam voluntarium, terrebo eum, si fortè convertatur & vivat. Et comminatus est acerbiora quæ excogitari possunt, tenebras æternas, vermes immortales, ignem inextinguibilem. Cum autem nec sic homo revocaretur, ait: Non solum timidus, sed etiam cupidus est, promittam ei quod potissimum desiderabile videatur. Desiderant homines aurum & argentum & similia, & super hæc omnia vitam desiderant. Manifestum est hoc & valde manifestum. Si inquit, tantopere desiderant miseram hanc laboriosam vitam & momentaneam, quantum diligent vitam quietam, æternam, beatam? Promisit itaque vitam æternam, promisit quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Incarnationis & Passionis Christi meditatio, incentivum maximum amoris.

Videns autem quod nihil proficeret, unum, inquit, restat adhuc. Inest homini non solum timor & cupiditas, sed & amor, nec quicquam in eo vehementius ad trahendum. Venit igitur in carne, & tam amabilem se exhibuit, ut illam nobis impenderet charitatem, qua maiorem nemo habet, ut animam suam daret pro nobis. Quisquis sane nec ob hoc quidem converti voluerit, non merito audiet *f*: *Quid debui facere tibi, & non feci?* Et verè in nullo sic commendat Deus charitatem suam, quomodo in mysterio Incarnationis eius & Passionis: in nullo sic revelatur eius pietas, in nullo sic apparet benignitas, quomodo in humanitate, Apostolo teste, qui ait *g*: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* Nam potentia quidem occultata est, quoniam in infirmitate venit. Unde

Dei charitas in Incarnatione & Passione præcipuè eluxit.

[c] Ioan. 21. c
[d] Deut. 6. a*
[e] Psal. 52. b
[f] Isa. 5. a.
[g] ad Tit. 3. b
[h] Abac. 3. a

Abacuch

Abacuch [b]: *Abscondita est*, inquit, *fortitudo eius*, haud dubium quin in cruce cuius *cornua in manibus* eius. Sapientia quoque abscondita est & incarnata. Placuit enim ei per stultitiam verbi salvos facere credentes. Nonne quodammodo stultum se fecerat, qui tradidit in mortem animam suam, & tulit peccata multorum, & quæ non rapuit, tunc exsolvebat? Nonne ebrius erat vino charitatis, & immemor sui contra Petri consilium dicentis *i*: *Propitius esto tibi*? Itaque abscondita est fortitudo, maximeque velata & incarnata sapientia: sed benignitas non potuit amplius declarari, nec abundantius exprimi, non evidentius commendari.

i Marc. 8. d

Amor dulcis seu affectuosus excludit concupiscentiam carnis.

Porro id quidem ad affectuosum cordis amorem diximus pertinere. Nam videre est homines sic affectos erga huiusmodi, ut vix sine lachrymis audiant vel recordentur. Hic ergo amor contra concupiscentiam carnis est. Quid enim dulce sit ei in carne, cui tanta dulcedo est in Christi passione? Verum hæc dulcedo falli potest, si desit prudentia, & jam difficile caveri poterit in melle venenum. Necesse est igitur adesse prudentiam, qua diligenter interiora mysteria investigare possimus, ut parati simus omni poscenti reddere rationem. Hic amor prudens excludit curiositatem. Siquidem animus his intentus, temporalium non poterit esse curiosus, dicens cum Propheta [k]: *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est.*

Amor prudens curiositatem.

k Psal. 18. n

Amor fortis ambitionem.

Tertium est, ut fortiter quisque diligat, quatenus sicut falli non potest, ita nec cogi possit, paratus omnia pati propter justitiam. Quis autem nesciat eum qui rex cœli sit, terrena regna & honores non ambire, sed magis abiicere? Porro *beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* [l]. Itaque de his tribus nunc Petrus interrogatur, quia prius inventus fuerat minus habens. Audiens enim primo de passione Domini ferre non potuit, tanquam dulciter diligens, sed *absit*, inquit, *à te*, utpote insipienter amans. Unde & audire meruit. *Vade retro satana, quoniam non sapis ea quæ Dei sunt* [m]. Simile aliquid in Apostolis erat, quibus dicebatur [*n]. *Si diligeritis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem.* Immò verò quia diligunt, dolent. Et diligunt & non diligunt: diligunt dulciter, sed non sapienter. Nocte verò ipsa qua tradendus erat Dominus, & dulciter & prudenter diligebat Petrus, cum diceret [o]: *Tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire*: sed non diligebat fortiter: quoniam qui cecidit, stabili non erat ille gradu. Nondum venerat virtus ex alto, qua accepta non negavit, sed libera voce usus, *Vos*, inquit, *judicate utrum Deo magis obedire oporteat, an hominibus* [p*]. An non congrue de dilectione requiritur, qui pascendo præponitur gregi? Ille enim præesse debet aliis, qui vino charitatis ebriatus æstuat immemor sui ut non quærat quæ sua sunt, sed magis quæ Iesu Christi. Et nota quia requisitus Petrus [q] an diligat plus his, tantum respondit se diligere, non audens

l Matt. 5. a

m Marc. 8. d

*n Ioan. 14. d

o Luc. 22. d

p Actor. 5. e

q Ioan. 21. d

Quis dignus præesse.

dens affirmare quod prius se dixisse temerè confundebatur : & fortasse propterea contristatus est. Dixerat enim prius : *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego.*

r Matt. 14. c

Sermo XXX.

De verbis Apost. *Si quis ædificaverit super fundam, hoc lignum, fœnum, stipulam, &c. ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* 1. Cor. 3. c.*

* al. De ligno, fœno & stipula.

Nusquam securitas.

NUsquam est securitas, Fratres, neque in cœlo, neque in paradiso, multò minus in mundo. *In cœlo* enim cecidit Angelus sub præsentia divinitatis : Adam in *paradiso* de loco voluptatis : Iudas *in mundo* de schola Salvatoris. Hæc idcirco dixerim ne quis sibi de loco isto blandiatur, quia dicitur, locus iste sanctus est : quia non locus homines, sed homines locum sanctificant. Sunt enim etiam inter nos tria genera hominum, ipsaque satis incongrua & ordini, & homini qui hanc viam ingressus est. Sunt enim qui bene inceperunt, sed statim defecerunt. Et sunt qui nunquam inceperunt, sed in sua mollitie permanserunt & permanent. Et sunt qui rapiuntur spiritu levitatis, tardi ad audiendum, veloces ad loquendum, paratissimi cursim enumerare quod faciunt, si quid faciunt tamen. Nunquid vel istos repellet Deus ? Non, si in fundamento permanserint, sed salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Per quem ignem ? Dicit Apostolus [a] : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis ædificaverit super fundamentum hoc lignum, fœnum, stipulam, detrimentum patietur : Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Fundamentum Christus est, lignum fragile est, fœnum molle, stipula levis. *Lignum* sunt, qui fortiter inceperunt, sed facti non renodantur. *Fœnum* sunt, qui fugienda mollitie tepefacti, nec summitate digiti (ut dicitur) labores arduos attingere volunt. *Stipula* sunt, qui levitatis motibus exsufflari, nunquam in eodem statu permanent.

Tria hominũ genera : fragiles, mollis, leves.

a 1. Cor. 3. c

Comparantur ligno, fœno, stipulæ.

Et timendum quidem est de istis, sed non desperandum : quia si in fundamento Christum habuerint, hoc est in hac via vitam finierint, salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Ignis tria habet, fumum, lucem, ardorem. Sumus excitat lachrymas, lux illuminat, ardor adurit. Ita & qui ejusmodi est, *fumum*, hoc est amaritudinem in mente habere debet, quia tepidus est, quia remissus est, quia levis, quia ordinem quantum in se est subruit & perturbat. Sed & *lucem* in ore, ut qualis est in mente, talem se in confessione & dicat & plangat, ut & linguam acuat conscientia, & conscientiam arguat lingua. Necesse est quoque ut *ardorem* sentiat in corpore, id est, pœnitentiæ tribulationem, etsi non multimodam, aliquam tamen. Putas quia sic compunctos corde, ore confessos, corpore fatigatos abiiciet, qui

Quid illi ad salutem facto opus.

omnes

omnes homines vult salvos fieri, & neminem vult perire? Sunt & alii qui ædificant super fundamentum hoc, aurum, argentum, & lapides precioſos, qui vehementer incipiunt, vehementius proficiunt, vehementiſſimè perficiunt, non attendentes quid caro poſſit, ſed quid ſpiritus velit.

Sermo XXXI.

De ſollicita cura cogitationum.

ADmonet nos beatus Benedictus (Fratres) ſollicitos eſſe circa cogitationes noſtras †, Sapientis utique conſilium ſequens, qui *omni cuſtodia cor cuſtodire* ſuadet [a], *quoniam ex ipſo vita procedit.* Tria igitur occurrunt genera cogitationum, à quibus multa ſollicitudine cavere neceſſe ſit eos qui convertuntur ad cor, & dignum Deo in ſemetipſis templum exhibere feſtinant. Sunt enim nonnullæ interdum cogitationes penitus ocioſæ, & ad rem non pertinentes; quas tam facilè abjicere quam recipere facilè poſſit anima, dummodo ſic ſecum habitans in corde ſuo, & adſiſtens dominatori univerſæ terræ.

† Reg. cap. 7.
a Prov. 4. d

Tria cogitationum genera cavenda.
1. *Otioſæ.*

Sunt & aliæ cogitationes violentæ magis & fortius adhærentes, quæ videlicet ad neceſſitates naturæ pertinent, & quaſi ex eodem adſumptæ limo, de quo & nos facti ſumus, ſi paululum inſederint, avelli nequeunt ſine læſione & difficultate. Sæpe enim ſic afficit nos cogitatio carnalis de cibo, de potu ſive veſtimento, ut vix eradicari queat de cordibus noſtris: quod non aliundè eſt, niſi quòd & ipſa limoſa & viſcoſa quodammodo, limoſam nihilominus & glutinoſam invenerit terram. Non ſine cauſa enim dictum eſt, hominem plaſmatum non de terra qualibet, ſed de limo [b]. Vide enim quàm limoſum ſit corpus, quod ipſi quoque ſpiritui tam fortiter & penè indiſſolubiliter inhæret, ut vix cum multa afflictione poſſit aliquandò ſeparari. Quid ergo agendum cum limoſa illa cogitatio mentem ſubierit? Planè exclamandum nobis eſt cum ſancto Jacob [c] atque dicendum: *Ruben primogenitus meus non creſcas; aſcendiſti enim cubile patris tui.* Ruben enim & carnalis atque ſanguinea hujuſmodi concupiſcentia eſt: quæ tunc cubile noſtrum aſcendit, cum non ſolum memoriam tangit cogitatione, ſed & ipſum voluntatis ſtratum ingreditur & polluit prava delectatione. Bene autem primogenitus noſter dicitur appetitus ille carnalis, qui ab ipſo nimirum initio vitæ noſtræ in nobis pullulat, cum cætera vitia proceſſu temporis ex malitia mundi hujus variiſque occaſionibus contrahantur. Oportet ergo reprimere, quem extinguere non poſſumus appetitum: ut quam cito cubile noſtrum ingreditur, creſcere eum nullatenus patiamur, ſed ſub nobis ſit, quemadmodum dicit Scriptura [d]: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*

2. *Limoſæ i.e. corporis neceſſaria cõcernentes.*

b Gen. 2. a

c Gen. 49. a*

Quomodo cogitationibus de cura corporis obviandum.

d Gen. 4. a

3. Cogitationes fœdæ & immundæ.

Jam verò tertium cogitationum genus immundum nimis ac fœtidum est, quod nec admittere quidem ulla ratione debemus, sed à longè præsentire fœtorem, & tota virtute repellere, toto animo propulsare, & conversi statim ad gemitus, lachrymis atque suspiriis invocantes Spiritum, qui adjuvet infirmitatem nostram. Sic nimirum confusus abscedens non tam facile deinceps simile aliquid viriliter resistentibus nobis malignus hostis offerre vel afferre præsumet. Dico autem cogitationes illas immundas penitus ac fœtidas, quæ ad luxuriam, ad invidiam & vanam gloriam pertinent, cæteraque vitia detestanda. Oportet enim si mundas conservare volumus animas nostras, adhuc longè agentibus cogitationibus huiuscemodi multa cum indignatione occurrere, & exsufflare à nobis, ut nullus eis detur accessus. Et primum quidem genus cogitationum ociosarum, scilicet ad rem non pertinentium, lutum est, sed lutum simplex, id est, non inhærens nec fœtens, nisi forte diutius immoretur in nobis, & per incuriam ac negligentiam nostram in alterum genus cogitationum vertatur: quod quotidie experimur. Dum enim ociosa tanquam minima spernimus, ad turpia atque inhonesta dilabimur. Secundum verò cogitationum genus non lutum simplex, sed ut jam diximus, viscosum ac limosum est. Nam tertium quidem sic cavendum est, non tanquam lutum aut limus, sed tanquam immundissimum ac fœtidissimum cœnum.

Quemodo hæ propulsandæ.

Quam sollicitè & vigilanter iis occurrendum.

Sermo XXXII.

De verbis Apost. *Mihi pro minimo est, ut à nobis judicer,* &c. *

Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum DEI *a.* Minister Christi sic debet conversari, ut ex moribus exterioris hominis qui videtur, existimetur compositio interior animi qui videtur, ne vel ab alio vel à seipso possit judicari, sed dicat cum eodem Apostolo *b*: *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum judico: qui autem judicat me, Dominus est.* In quibus verbis notanda sunt tria judicia; humanum, suum cuiusque proprium, & divinum. Et humanum quidem potest judicare de rebus exterioribus, quæ sensibus corporis percipiuntur? de interioribus vero non potest. Hinc enim scriptum est *c*, *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo?* Quapropter de his quæ sunt in homine, potest judicare spiritus hominis qui in ipso est, longè verò præstantius de his ipsis judicat Deus, cuius necdum fatetur Apostolus evasisse judicium, qui tamen jam humanum transcendisset, & proprium. Porrò humanum contemnebat qui dicebat: *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Sed neque proprium timebat qui dicebat: *Sed neque meipsum judico, nihil enim mihi conscius sum.* Solum ergo restabat divinum: de quo ait: *Qui autem judicat me, Domi-*

* *Alias*, De triplici judicio, proprio humano, & divino.

a 1. Cor. 4. a

* *b* Ibid.

Tria judicia; humanum, proprium & divinum.

c 1. Cor. 2. c

Dominus est. Debet tamen quisque quantum potest se irreprehensibilem exhibere, primum quidem coram DEO, sed deinde etiam coram hominibus.

Hoc nempe est quod alibi loquitur idem Apostolus, dicens *d*: *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Tribus siquidem modis providemus bona coram hominibus, id est habitu, actione sermone. Habitu, ne sit notabilis: actione, ne sit reprehensibilis: sermone, ne sit contemptibilis. *Tribus* etiam modis coram Deo, cogitatione, affectione, & intentione. Nam & cogitatio deber esse sancta. Unde scriptum est: Cogitatio sancta servabit te, & affectio pura, & intentio recta. Sunt autem tria ista, id est, cogitatio, affectio, intentio, in anima. Sed in ea quoque propriis singula locis distincta videntur. Nam *cogitatio* in in memoria est, *affectio* in voluntate, *intentio* in ratione consistit.

d Rom. 12. d *Providenda etiam bona coram hominibus, idq; tripliciter. Pariter & coram Deo tribus modis: Cogitatione, affectione, intentione.*

Atque ut eorum usum ac differentiam clarius videamus, sumamus nobis exemplum de rebus exterioribus. In corporibus si quilibet deformis color cutem tantum inficiat, corpus quidem turpius redditur, sed nil ei de sua sanitate ex hoc adimitur. Si ergo carni putredo aliqua vel lividus tumor insederit, jam non solum decus corporis, sed salus quoque perturbatur. Quòd si languor forsitan invalescens, cum ipsa carne ossa quoque medullitus occuparit, tunc demum de vita non immerito potest desperari. Eodem modo in anima si peccatum suggeritur memoriæ per cogitationem, nullum tamen præbuerit aut voluntas affectum, aut deliberatio ipsa consensum: fateor quidem deformitas est, nec audire interim anima illa meretur: *Tota pulchra es amica mea* [e]: etsi nævus est, sed non morbus. Quòd voluntas quoque præoccupata sensu delectationis afficitur, resistit tamen adhuc deliberatio rationis, infirmatur quidem, sed necdum moritur anima, clamet tamen necesse est: *Sana me Domine, & sanabor* [f]. Tunc vero mori dicitur, quando & ipsa ratio ad peccatum per intentionem curvatur, tunc enim consentit. Et de tali dicitur [g]: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Hunc triplicem gradum deploravit David ex persona Adam, dicens Domino expellenti de paradiso in latam hujus sæculi evagationem [h]: *Confirmasti super me manum tuam.* Et quoniam carnalia desideria sunt pœna peccati: *non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ.* Jam verò nec robur est rationis. *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Qui rursus eosdem gradus ex persona justi decantat dicens: *Memor fui Dei, & delectatus sum & exercitatus sum* [i]. Delectatus enim per voluntatem, exercitatus per rationem.

Gradus peccati pulchra similit. declarat.

e Cant. 4. b

f Hier. 17. c

g Ezech. 18. a

h Psal. 37. a

i Psal. 76. a

Ne ergo *à Memoria* repellat Deum irruens turba plurimarum cogitationum, quæ solent effluere tanquam vilis plebs in atrium, ponatur ad ejus portam janitor, cujus nomen est *recordatio propriæ professionis*; ut cum turpi-

Memoria cõtra cogitationes munienda recordatione propriæ professionis.

munienda recordatione propriæ professionis.

carpibus sese cogitationibus senserit animus prægravari, increpet se & dicat sibi: Tu ne hæc debes cogitare, qui sacerdos es, qui clericus es, qui monachus es? Cultor justitiæ debet in se quicquam iniquum admittere? Decet servum Christi, amatorem Dei tale aliquid ad modicum meditari? Hæc dicendo, excludet fluxum illicitæ cogitationis per recordationem propriæ professionis. Similiter ad portam *Voluntatis*, in qua solent manere carnalia desideria, tanquam in domo domestica familia, statuatur ostiarius, qui vocatur *recordatio cœlestis patriæ*. Hic enim potest pravum desiderium quasi cuneus cuneum expellere: & ipsum qui ait [k]: *Ecce sto ad ostium & pulso*, sine cunctatione recipere. Iam verò ad thalamum *Rationis* talis & tam ferox adhibendus est custos qui nemini pareat, sed quicunque hostis sive clam sive palam ingredi præsumpserit, procul eum arceat, & hic sit *recordatio gehennæ*. In cæteris siquidem, id est, memoria & voluntate, non ita est tolerabile, si vel memoria recipiat quandoque vagam cogitationem, vel voluntas impuram affectionem. Hoc verò gravissimum & omnino damnosum, si unquam ratio perdiderit rectitudinem intentionis.

Voluntas contra affectiones record. cœlestis patriæ.

[k] Apoc. 3. d

Ratio contra malam intent. recordatione gehennæ

Sermo XXXIII.

De verbis Psalmi: *Quis ascendet in montem Domini? &c. Innocens manibus & mundo corde*, &c. Psal. 23. a

VErbum exhortationis est, Fratres mei: ut quandoquidem omnes ascendere nitimur, omnes tendimus in sublime, sursum aspiramus omnes, omnes conamur in altum; illuc studeamus ascendere, ubi bonum sit nos esse, ubi securum sit nos esse, unde cadere non oporteat, ubi stare possimus. Nec modo ut desiderium provocet, ascensorem montis huius Propheta requirit; verum etiam ut ascendere cupientem modum doceat ascendendi. Felix qui huius montis ascensiones in corde suo disposuit, concupiscens & deficiens in atria Domini. Siquidem mons iste mons uber, bonorum omnium cumulus, mons voluptatis æternæ, domus Dei est. Et beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te [c]. Audi testem fidelem quia mons est domus ista [d], *O Israel quam magna domus Domini, & ingens locus possessionis eius, magnus & non habens consummationem, excelsus & immensus.* Imò verò non solum mons est, sed & mons montium, & multæ in eo mansiones, multi montes. Denique etiam fundamenta eius in montibus sanctis. Et ne hoc quidem sanctus tacuit Isaias. *Erit*, inquit [f], *mons domus Domini præparatus in vertice montium, & elevabitur super colles.* Quidni montium mons, fundatus exultatione universæ terræ, ubi tam multiplex omnium delectabilium copia, ubi copiarum omnium plenitudo? Erit enim mons pacis, mons gaudij, mons vitæ, mons gloriæ. Et hi omnes montes unus mons consummatæ felicitatis.

Mons Cælum.

[b] Psal. 83. b

[c] Ibidem a

[d] Baruc. 3. a

[e] Psal. 86. a

[f] Isa. 2. a

Cœlum mons montium, ubi

tis. An non mons pacis, pax super pacem, pax quæ exuperat omnem sensum?

omnium bonorum copia.

Planè mons magnus pax in corde, pax in carne, pax ab iniquis hominibus, pax cum omnibus proximis, pax ab ipsis Dæmonibus, pax cum Deo, & pacis non erit finis. Erit gaudium, sed quale Dominus ait [g], *gaudium plenum*, securum gaudium, *quod nemo tollet à nobis*, sed & vitam habituri sumus, & abundantius habituri, quòd non possit inefficax esse tanti pastoris adventus, qui ad hoc ipsum venit ad oves (sicut ipse testatur [h]) *ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Nunquid non etiam mons tibi videtur æternum gloriæ pondus supra modum in sublimitate? Porrò ex his omnibus, & si qua possunt similiter desiderabilia cogitari, una est beatitudinis *mensura bona, conferta, coagitata, superefluens* [i], ac si plurimos montes, alium quidem aureum, alium argenteum, alium ex hyacinthis & smaragdis atque omnium gemmarum gloria, alium quoque ex vermiculo, purpura & byssо cæteriisque eiusmodi opibus pariter coacervans in unum redigas montem. Omnia enim nobis multiplicata reddentur. Et qui aurum & argentũ, lapides pretiosos superædificaverit fundamento, ædificium humile in immensos montes excrevisse mirabitur, & ex modico semine magnos metet non tam manipulos, quam acervos manipulorum.

g Ioan. 15. e

h Ioan. 10. c

i Luc. 6. f

Quis ergo *ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde.* Beatus ille, si quis tamen ille est. Sed quis gloriabitur innocentes manus, aut castum se habere cor? *Nemo mundus à sorde, nec infans cuius est unius diei vita super terram* [k]. Unus tamen est inter noxios innocens, mundus inter impuros, inter mortuos liber, unus est, & non æstimabitur alius absque eo. Ipse est de quo legisti [l]. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* Erat enim innocens manibus, qui peccatum non fecit, sed multa bona operatus Iudæis libere ajebat [m]: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* An verò mundissimum cor fuisse quis dubitat unitum personaliter sapientiæ, in quam nihil inquinatum incurrit, attingit autem ubique propter suam munditiam? Sed non in vano accepit animam suam, qui solus potestatem habuit ponendi animam suam [n], & iterum resumendi. Non in vano accepit nascens, non in vano posuit moriens, non in vano recepit resurgens.

,, *Quis dignus ad ascensum huius montis.*

k Iob. 25. b

Solus Christus innocens.

l Ioan. 3. b

m Ioan. 8. f

n Ioan. 18. c

At quomodo *non in dolo juravit proximo suo*, quomodo non in vano accepit animam suam, quomodo non in vano omnia illa perfecit, si hic solus accipiat benedictionem? Itane oportebat Christum pati, resurgere, & sic introire in gloriam suam [e]? Sua erat. Quæ utilitas in sanguine eius, dum omnes descendimus in corruptionem? Quæ veritas in promissione, si (ut supra meminimus [f]) *nemo ascendit in cælum, nisi qui de cœlo descendit?* Esto hic accipiat benedictionem, misericordiam quare? At non solus hic accipiet,

e Luc. ult. g

f Ioan. 5. b

accipiet, aut certè magis non soli sibi accipiet, si advertas. Perge enim per sacra verba prophetica, & vide quonam modo (velut occultè) multitudinem subinducit. Loquebatur de uno & dicebat, *hic accipiet.* Sed continuo transfudit in hanc generationem, & ait, *Hæc est generatio quærentium*: ut in uno non personæ singularitatem intelligas, sed spiritus unitatem. Nimirum hic sponsus & hæc sponsa est, & scimus quis dixerit g. *Iam non sunt duo, sed una caro.* Ita ergo hic ascendet, hic accipiet benedictionem, sed ascendent etiam cum eo vel magis in eo qui ab eo accipient benedictionem. Audi hoc à Propheta h: *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem.* Atque hoc est propter quod oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis; ut prædicetur in nomine eius pœnitentia & remissio peccatorum, & pœnitentia ad innocentiam, remissio ad munditiam deputetur. *Beatus* enim, non in quo non invenerit, sed *cui non imputabit Dominus peccatum* k, *Inveni*, ait l, *hominem secundum cor meum.* Nunquid ut gloriari possit castum se habere cor? Non: quia *stellæ non sunt mundæ in conspectu eius* m, sed cor contritum & humiliatum Deus non despiciet n. Cor contritum proximum cordi mundo, & hoc est esse juxta cor Dei. Siquidem prope est his qui tribulato sunt corde. Samaritanus est proximus ei qui incidit in latrones. *Non jurabit in dolo huic proximo suo* o, sed faciet quod promisit: *Amen dico vobis, sedebitis & vos judicantes* p.

g Eph. 3.
h Psal. 83. e
i Luc. ult. g
k Psal. 31. a
l Act. 13. d
m Iob. 25. d
n Psal. 50. d
o Psal. 31. d
p Matt. 19. d

Manuum innocentia & cordis munditia sectanda.

Simus ergo & nos, dilectissimi, pro nostro quidem modulo, & manuum innocentiæ, & cordis munditiæ sectatores. Ante omnia quidem solliciti, etsi penitus cavere pro humana fragilitate non prævalemus, quantum tamen declinare à malo possumus non modo actionis, sed & cogitationis. De cætero quoque ne in vano acceperimus animas nostras rationales, exerceamus nos in operibus bonis, & consilio rationis utamur. Quomodò enim non frustra humanam accipit homo animam, qui tanquam unum ex irrationabilibus animantibus incubans corporeis voluptatibus solum sequitur carnis appetitum? Addidit quoque Propheta. *Nec juravit in dolo proximo suo.* Sicut enim munditiam intra nos, erga proximum innocentiam convenit observari, sic & in nobis, & erga proximum exercenda virtutis opera, opera pietatis. Non ergo simus nobis inutiles, ne in vano receperimus animas nostras: non simus inutiles proximo nostro, ne in vano ei jurasse probemur. Novit figmentum nostrum spiritus qui loquebatur per Prophetam, nec de utilitate proximi simpliciter voluit commonere. De juramento nos convenit, ut agnoscamus debitum, ut promissam fidem irritam facere vereamur. Omnes enim proximis jurati sumus, cum quibus in Ecclesiæ venimus unitatem.

Quid proximis debeamus.

Et hæc professio fidei Christianæ, ut qui vivit, jam non sibi vivat sed ei qui pro omnibus mortuus est. Nec mihi dicat quis: Et vivam

sed

sed tibi non: quandoquidem ille non solum pro omnibus vixit, sed & pro omnibus mortuus est [q]. Quomodo enim ei vivit, qui negligit sic ab eo dilectos? Quomodo ei vivit, qui legem ejus non implet, qui mandatum ejus non servat? Quæris legem, quæris mandatum? *Hoc est*, inquit [r], *mandatum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Et Apostolus [s]: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Noli ergo putare gratuitum bonum quod exhibes proximo, ut liceat etiam dissimulare si velis. Debitor es sacramenti cautione, & propria professione teneris. *Hic ergo accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.* Hic, quia unus accipit bravium. Sed ne unum hominem putes, *hæc est generatio quærentium Dominum.* Hic accipiet benedictionem: quia caput & corpus unus est Christus [t]. Sed hæc est generatio. quia in mensura ætatis plenitudinis Christi omnes pariter occurremus [u].

Non tantum Deo, sed & proximo vivere tenemur.

q 2. Cor. 5. c.
r Ioan. 13. d
s Gal. 6. a
t 1. Cor. 9. d
u Eph. 4. d

Et forte idem ipse Dominus mons Domini est, de quo dicitur: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* Nimirum ipse est abscissus sine manibus lapis, qui in montem crevit immensum [x]: ipse qui exaltatus à terra omnia trahit ad se [y]: *mons coagulatus, mons pinguis* [z]. Ut quid vos Judæi, *ut quid suspicamini montes coagulatos, montem in quo beneplacitum est Deo habitare in eo? In Beelzebub*, inquiunt [a], *principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Execranda suspicio, & blasphemia reprehensibilis. Princeps est Christus, & magnus princeps, cujus ne ipsi quidem Dæmones possunt effugere principatum. At illorum regnum in seipsis divisum desolabitur [b]. Hujus regnum integrum atque perfectũ & regni ejus non erit finis [c]. Distat ergo inter principem & principes, nec ulla comparatio inter mõtem coagulatũ & pinguem, & montes tantũ coagulatos. Vester iste Beelzebub mons coagulatus, sed nõ pinguis, magis autem sterilitate perpetua maledictus. Mons, quia elatus est: coagulatus, quia squamã squamæ conjungitur, & coagulatum est sicut lac cor eorum.

Christus Dominus mons allegoricè.

x Dan. 2. g
y Ioan. 12. c
z Psal. 67. d *
a Matt. 12. & Luc. 11. b
b Ibidem.
c Luc. 1. c

Christus Dominus mons coagulatus, & mons pinguis. Mons est sublimitate, coagulatus multorum congerie, pinguis charitate. Et nunc vide quomodo trahat ad se omnia, quomodo ei omnia uniantur unitate substantiali, personali, spirituali, sacramentali. Habet in se Patrem, cum quo est una substantia; habet assumptum hominem, cum quo est una persona; habet adhærentem sibi fidelem animam, cũ qua est spiritus unus; habet sponsam Ecclesiam unam omnium electorum, cum qua est caro una. Et fortè carnalis hæc unio dicenda fuisse videbitur; sed sacramentalem dicere malui, dignius hoc vocabulum arbitratus, præsertim occasionem dante Apostolo ubi ait [d]: *Sacramentum hoc magnũ est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Pinguissimus planè & uberrimus mons, in quo beneplacitum est Deo

Christus mons coagulatus & pinguis.

d Ephes. 5. g

Psal. 67. d
e Psal. 44. b

est Deo habitare in eo: siquidem propterea unxit eum oleo lætitiæ præ participibus suis [e]. Mons cœlestium aromatum, mons charismatum spiritualium, non ad mensuram accipiens spiritum, sed omnimodam obtinens plenitudinem gratiarum. Magnus mons, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt, in quo tota humanitatis veritas, tota divinitatis inhabitat plenitudo; excelsus & immensus: in quo omnia instaurantur quæ in cœlis & quæ super terram, ut sit Deus omnia in omnibus.

Quomodo ad hunc montem ascendendum.

Cant. 1. a

Venite, ascendamus in hunc montem, fratres, & si via nobis videtur ardua, exoneremus nos: si arcta, etiam exinanire nos non parcamus: si longa, tantò magis festinemus: si laboriosa, clamemus ei: *Trahe nos post te, in odore unguentorum tuorum curremus* [f]. Felix qui sic cucurrerit, ut comprehendat, immo ut ipse comprehendatur, & in illam amplitudinem montis & plenitudinem corporis Christi mereatur admitti. Felix qui in illum beatificum montem tam desideranter & perseveranter ascendit, ut in loco sancto locum accipiens stationis, Deo Patri in sancto ejus appareat, simul & videat virtutem ejus & gloriam [g]. Haud aliam sanè, quam eundem ipsum montem montium, montem coagulatum & pinguem, Jesum Christum Dominum nostrum. In quo nimirum per prædestinationem ab æterno apparuit ei qui dilexit nos, & gratificavit in dilecto Filio suo, in quo elegit nos ante mundi constitutionem [h]. Sed jam tunc cognoscemus sicut & cogniti sumus, cum plenius & perfectius exaltatus altissimus & uberrimus ille mons omnia trahet ad se, qui est super omnia benedictus in secula, Amen.

Psal. 62. a

Eph. 1. a

Sermo XXXIV.

De verbis Origenis *.

In hoc Sermone quibusdam verbis Origenis, minus sanis sensum præferentibus antidotum adhibet.

NOcere possunt, ut vereor, fortè nonnullis verba quæ heri lecta sunt vobis, ex homilia scilicet Origenis super capitulum illud legis, ubi Aaron & filii ejus vinum bibere prohibentur, cum accessuri sunt ad altare: si recipiant ea simpliciter sicut sonare videntur. (Salvator meus, inquit, luget etiam nunc peccata mea, & tandiu est in mœrore, quandiu nos persistimus in errore.) Plurima quoque alia in hunc modum abundantius forsitan quam circumspectius dicta, nec tam sobriè quam disertè. Quidnam sibi vult insolitus iste grunnitus, aut quis inter vos nescio quid submurmurat? Scio quidem doctos in lege divina hujusmodi verba ridere, sed nihilominus & minus sapientibus me confiteor debitorem. Nec modo de intellectu Origenis quæstio est, potuerit forsitan hyperbolicè loqui: ipse viderit, nihil interest nostra. Quamvis ne hoc quidem silendum arbitror, quòd evidentissimè illum contra fidem nonnulla scripsisse, sanctorum

Verba Origenis,

Levit. 10. b

Origenis scripta, et in multis erronea caute legenda.

Patrum

Patrum tradat authoritas, atque ideò non sine circunspectione monet esse legendum. Verùm non in præsenti non quid ipse senserit quærimus, sed id agere cupimus, ut vos omnes quod ad sanam doctrinam pertinet sentientes, nihil moveamini verbis illis.

In cœlo nullus tristitiæ aut culpæ locus.

Absit enim ut in cœlo credatur locus esse tristitiæ, sicut nec culpæ. Nemo ibi delinquere, nemo lugere potest, sicut nec in terra quidem pœna ulla fuisset, nisi iniquitas præcessisset. In cœlo utique sola justitia, sola nihilominus lætitia est: in inferno solum peccatum, & pœna peccati: porrò in medio utraque inveniuntur, atque ideò neutra consummata. In multis offendimur, quia in multis offendimus omnes [b], quoniam enim nullus in cœlo passionis locus esse poterat vel doloris, propterea sanè Unigenitus Dei Patris Passione sua hominem redempturus, sicut carnem in qua pateretur (qui pati non poterat in divinitate) susceptit, sic etiam in terris visus est, & cum hominibus conversatus est [c], ut humiliaret etiam semetipsum in loco afflictionis. Hic ergò turbare se, pavere quoque dignatus est & tædere, tentatus per omnia pro similitudine absq; peccato. In terra, inquam, verè lachrymatus est Jesus, vere contristatus, vere passus, vere mortuus, vere sepultus: sed ubi surrexit, vetera transierunt. Noli ultra dilectum tuum in tuo quærere lectulo, surrexit, non est hic. Vox sponsæ est [d], *In lectulo meo quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi & non inveni.* Maria fuit quæ Dominum quæsivit in lectulo, quæsivit in tumulo, nec invenit [e]. Magis autem invenerunt eam vigiles, & dixerunt. *Quid quæris viventem cum mortuis?* Fuit quidem cum mortuis, sed jam non est: fuit inter mortuos, sed & tunc liber fuit. Siquidem ipse sese turbavit, ipse animam suam posuit, quia ipse voluit oblatus est: & omnis ei infirmitas de voluntate fuit, non de necessitate. Unde & quod infirmum erat Dei, fortius erat hominibus [g]: quòd esset tunc quoque etiam inter parvulos magnus, inter infirmos validus, inter mortuos liber. Videtur quidem & in nostris aliquando tribulationibus esse nonnulla libertas, cum videlicet pro peccatis proximorum libera & liberali charitate laborem pœnitentiæ sustinemus, lugentes pro eis, jejunantes pro eis, vapulantes pro eis, & quæ non rapuimus exsolventes. Unde & Paulus: *Cum liber essem*, inquit [h], *ex omnibus, omnium me servum fecit.*

b Iacob. 3. a

c Baruc. 3. & *Christus carnem susceptit in qua pati posset.*

d Cant. 3. a

e Matt. 28. a

g 1. Cor. 1. d

Christus voluntariè passus.

h 1. Cor. 9. c

Cæterum nihil hoc ad libertatem illius, qui nihil proprii delicti habuit, qui nihil morti debuit, nihil meruit tribulationis. Nam & nobis quidem etiam voluntarias illas tribulationes etsi proximus exigere forsitan ex jure non potest, exigit tamen Deus. Et si proximo fortè videtur quis reddere plusquam debeat, Deo tamen nemo unquam totum reddit quod debeat. *Mihi autem*, inquit Apostolus [i], *pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum judico.* Nota sanè quod alibi ait [k]:

Deo nemo unquam reddit quod debet.

i 1. Cor. 4. *

k 1. Cor. 11. g

Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur. Et idem [l]: *Spiritualis homo omnia dijudicat.* Non enim judicare hic posuit, sed *dijudicare*: quod utique discernere & probare est: sicut item ait [m]: *Beatus qui se non judicat in eo quod probat.* Itaque pro minimo illi erat ut ab eis judicaretur, quibus nihil sese debiti officii subtraxisse sciebat, nihil peccasse in aliquem, sed magis omnibus præstitisse, adeò ut secura conscientia ingenuè loqueretur [n]: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Nam & Judæis Judæus factus est, ut Judæos lucrifaceret, & his qui sine lege erant, tanquam sine lege: postremo omnibus omnia factus est, ut omnes salvos faceret [o]. Merito proinde pro minimo illi erat ut ab eis judicaretur, quibus usque adeò sese sine offensione præbuerat: inter quos sic honorificaverat ministerium suum. Sed neque ipse se dijudicabat in eo quod probabat, perfectè etiam sibi quod debebat impendens, corpori castigationem, animæ miserationem, atque omnem custodiæ sollicitudinem cordi suo, ut nec in se quoque peccati conscius haberetur. *Sed non in hoc,* inquit [p], *justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est.* Illius enim porrò nequeo declinare judicium: & si justus fuero, non levabo caput, quoniam omnes justitiæ meæ tanquam pannus menstruatæ coram illo [q]. Non est qui in conspectu eius justificetur [r], non est usque ad unum.

Cæterorum siquidem nemo est, quem non oporteat dicere Deo, *Tibi peccavi,* sed magnus qui in veritate potest dicere [s], *tibi soli.* Solus ille etiam inter mortuos penitus liber fuit, qui peccatum non fecit, cuius justitia sicut montes Dei. Cæterum jam nec inter mortuos est, sed assumptus ab eis, mutatus corpore, mutatus corde, ingressus in potentias Domini, & omni infirmitate privatus, exutus nimirum sordidas illas vestes, quibus sanè apud Zachariam Prophetam [t] primo vestitus apparuit, & indutus splendidis, sicut loquitur in psalmo [u]: *Conscidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia.* Quia enim veram humanæ carnis & animæ substantiam suscepit, veram utriusque naturam: nec corporis illi defuerunt, nec animæ passiones, sed ex hoc jam glorificatus est in utroque. Puto autem quòd utriusque glorificationem brevi uno versiculo Propheta comprehendit dicens [x]: *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem.* Decorem sanè in corpore claritatis, fortitudinem verò in perturbabili statu mentis. Denique *tristis est,* inquit [y], *anima mea usque ad mortem.* Unde & inclinans caput dixit: *Consummatum est* [z]: ne quid deinceps infirmitatis in eo liceat suspicari.

Sed ait iste: Si Apostolus ipsius luget quosdam qui ante peccaverunt, nec pœnitentiam egerunt in his quæ gesserunt, quid dicam de ipso, qui Filius dicitur charitatis? Et deinde. Cum ergo quæ nostra sunt quæ-

fierit,

l 1. Cor. 2. d
m Rom. 14. d
n 2. Cor. 11. g
o 1. Cor. 9. c
Paulus non hominũ, nec proprium sed Dei iudicium æstimat.
p 1. Cor. 4.
q Esa. 64. b
r Psal. 142. a
s Psal. 50. a
Christus post resurrectionẽ impassibilis.
t Zach. 3. a
u Psal. 29. c
x Psal. 92. a
y Matt. 26. d
z Ioan. 19. f
a 2. Cor. 12. g

fierit, nunc jam nos non quærit, nec quæ nostra sunt cogitat, nec de erroribus nostris mœret, nec perditiones nostras deflet & contritiones, qui flevit super Hierusalem [b]. Item. Nunc, inquit, quia misericors & miserator est Dominus, maiori affectu quam Apostolus suus flet cum flentibus, & luget eos qui ante peccaverunt. Nec enim putandum est, quod Paulus lugeat pro peccatoribus & fleat, Dominus autem meus abstineat à fletu. Hæc quidem sic accipere, quidni adhuc dilectum in lectulo quærere dicam? Nescit mortuus extra tumulum, nescit infirmus extra lectum, nescit parvulus extra lectulum quærere quem diligit anima sua. Verum ille (ut supra meminimus) non minus corde, quam corpore glorificatus (immò tantò amplius, quantò amplior anima & gloriæ capacior est quam caro) sicut non potest negligere suos, sic nec lugere pro eis. Sed quando humana fragilitas eiusmodi capere possit affectum, qui sine miseria misereatur, & sic diligat eum qui dolet aut qui periclitatur, ut tamen ipse omninò nec doleat nec turbetur? Veruntamen etsi id longè supra nostram experientiam est, Deo tamen nihil impossibile est. Potest igitur non modo sibi, sed & suis omnibus quos infirmitate carnis exutos, virtute induit, & in potentias introduxit, eam conferre dilectionem, quæ gaudeat cum gaudentibus, non autem fleat cum flentibus: & sic eos amat, quos efficacissimè & affectuosissimè uniat, ut ipsa tamen impertur babilis perseveret. Nec dubium sanè, quin longè præstantior sit ea dilectio, quemadmodum medicina (si quæ tamen eiusmodi est) precioſior utique judicatur, quæ sic curat vulnera, ut inter curandum nec virtus eius in aliquo, nec substantia minuatur: quàm ea quæ sic curat, ut curando deficiat aut corrumpatur.

Alia dicta Origenis minus congrua.

b Luc. 19. f

Christus & beati non amplius passionibus vel affectibus obnoxii.

Licet ergo fleverit Dominus super Hierusalem [c], ex hoc jam omninò non flebit: sicut mortuus est, sed resurgens ex mortuis jam non moritur [d]? sicut fuit in lectulo, sed exurgens jam in lectulo non invenitur. Habet tamen etiam nunc ineffabiliter ampliorem affectum & efficaciorem, quam habeant qui lugent pro delinquentibus, aut pro fratribus ponunt animas: quamvis ipse quidem, consummato nimirum opere suo, neutrum deinceps sit facturus. Nostræ infirmitatis istud est, quorum adhuc in mari sagena trahitur & ex omni genere piscium congregat, nihil omninò discernens. Ille enim, nec modò ille, sed & Apostoli, & cæteri qui cum eo sunt sancti, ad littus utique pervenerunt, nec mixtos pisces in vasis posuere, sed electos, & bonos tantum, nam malos utique foras miserunt [e]. Quantos ego interim cogor trahere malos pisces, quantos anxios & molestos intra sagenam meam congregavi, quando vobis adhæsit anima mea? Congratulor proficientibus: jucunda affectio bonus est piscis. Condoleo deficientibus, fleo cum flentibus, angor pro periclitantibus, infirmor cum infirmantibus, uror cum scandalizatus. Gravia sunt hæc & acerba, utique mali

c Luc. 19. f

d Rom. 6. b

Misericordiæ tamen non expertes.

e Matt. 13. f

piſces. Malos autem dixerim non propter culpam, ſed propter pœnam. Faciat, DEUS, ne à multitudine malorum piſcium obruamur puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate, donec perveniamus ad optati littoris ſtationem, ubi malos ſeparemus & ſecludamus à bonis, ut videlicet de cætero nec luctus nec clamor, ſed nec ullus dolor aut etiam timor ſit in finibus noſtris, ſed gratiarum actio, & vox exultationis.

SERMO XXXV.

De vita & officio Religioſorum & ipſorum Prælatorum.*

* *Alias* De tribus ordinibus Eccleſiæ, ad Patres in Capitulo habitus.

HOc mare magnum & ſpatioſum (in quo utique certum eſt, nihil aliùd quàm præſens ſæculum amarum fluctuans deſignari) tribus hominum generibus ſuo cuique modo pervium eſt, ut tranſeant liberati. Tres enim ſunt Noe, Daniel, & Job*: quorum primus navi, ſecundus ponte, tertius vado tranſit. Porro tres homines, tres ordines Eccleſiæ ſignant. *Noe* quidem arcam rexit ne periret diluvio, ubi protinus rectorum Eccleſiæ formam agnoſco. *Daniel* vir deſideriorum, abſtinentiæ & caſtimoniæ deditus, ipſe eſt ſoli Deo vacans, pœnitentium & continentium ordo. *Iob* quoque ſubſtantiam huius mundi benè diſpenſans in conjugio, fidelem deſignat populum terrena licitè poſſidentem. De *primo* igitur & *ſecundo* nobis habendus eſt ſermo; quoniam aſſunt venerabiles Fratres & Coabbates noſtri de numero prælatorum, aſſunt & Monachi de pœnitentium ordine: à quo tamen nec nos Abbates alienos reputare debemus, niſi fortè (quod abſit) officii noſtri gratiâ noſtræ fuerimus profeſſionis immemores. *Tertium* igitur, coniugatorum videlicet ordinem magis ſuccinctè tranſcurro, tanquam minus ad nos pertinentem. Ipſe eſt, qui maximè mare magnum vado pertranſit, laborioſum prorſus & periculoſum etiam & longum habens iter: quippe quod nulla viæ compendia captet. Nam quòd periculoſum ſit iter, in eo patet, quod tam multos in eo perire dolemus, tam paucos videmus, ſicut neceſſe eſt, pertranſire. Valde enim difficile eſt, præſertim diebus iſtis quibus malitia nimis invaluit, inter undas huius mundi, voraginem vitiorum, & criminalium peccatorum foveas declinare.

*Ezech 14 d

Tres ordines ſeu ſtatus Eccleſiæ Prælatorum, Continentiũ, Coniugatorum.

Status hominum in ſæculo periculoſus.

At continentium quidem ordo & ponte pertranſit; quod iter brevius & facilius & ſecurius eſſe nemo eſt qui neſciat. Sed omitto laudes, pericula magis oſtendo: hoc enim multo melius atque utilius eſt. Recta quidem ſemita veſtra, chariſſimi, & ſecurior conjugatorum via, non tamen omninò ſecura. Timendum enim periculum triplex, id eſt ne forte aut æquare ſe alteri, aut reſpicere retro, aut certe in medio ponte ſtare, aut reſidere quis velit. Neque enim ullum ex his tribus pontis patitur anguſtia, & arcta via quæ ducit ad vitam. Contra ergo primum periculum

Nec tamen continentium ſtatus omnino ſecurus.

oremus

oremus singuli cum Propheta [a]: *Ne veniat pes superbiæ: quoniam ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.* Nam de eo qui mittens manum suam ad aratrum, postea retro convertitur, certum est quoniam labitur statim, & pelagus operit caput eius. Sed & qui stare voluerit, non quidem relinquens ordinem, sed proficere in eo dissimulans, cadat necesse est, ab his qui sequuntur impulsus & eversus. Arcta enim est via, & impedimento est proficere & proficisci volentibus. Hinc est quod jugiter arguunt & reprehendunt, quòd ferre nequeunt tepiditatis eius segnitiem, quòd velut quibusdam stimulis urgent & impingunt manibus: ut unum necesse sit è duobus, aut proficere scilicet, aut prorsus deficere. Minimè igitur oportet sistere gressum: retrospicere quoque, æquare non aliis, multò expedit minus: sed tota humilitate currendum nobis & properandum, nequando forte is qui egressus est ut gigas ad currendam viam, longè à nobis fiat: quem si benè sapimus, providentes in conspectu nostro semper, & in eius odore tracti facilius citiusque curremus.

a Psal. 35. d
Triplex in eo periculum.

Nec verò angusta nimis invenietur pontis semita currere in ea volentibus, tribus enim compactus est lignis: ut qui perfectè eis inniti voluerint, non labatur in itinere pes eorum. Hæc autem sunt pœna corporis, paupertas substantiæ mundialis, & humilitas obedientiæ. Nam & per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum [b]: & qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli [c]: & quem à Deo suo exturbavit inobedientia, sine dubio per obedientiam recto tramite ad eum redit. Hæc itaque sibi invicem compacta esse necesse est. Nam nec pœna corporis inter divitias stabilis, nec obedientia sine pœna facilè potest esse discreta, & paupertas in voluptate & voluntate propria nullius potest esse momenti, & obedientia in divitiis & voluptate nec stabilis nec gloriosa.

Tria præsidia status cõtinentium.

b Act. 14. d
c 1. Tim. 6. b
Afflictio corporis, paupertas, obedientia.

At verò his ritè compositis vide, si non tria maris huius pericula evasisti, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Ritè, inquam, compositis, ut in pœna quidem nondum impatientiæ, in paupertate verò cupiditatis scrupulum, in obedientia nævum caveas propriæ voluntatis. Nam & qui murmuraverunt, à serpentibus perierunt [d]: *& qui volunt divites fieri,* non ait qui sunt, sed qui *volunt fieri*, incidunt in laqueum diaboli [e]. Sed & illud quid refert, si fortè (quod absit) non quidem divitias, sed ea ipsa quæ paupertatis sunt, toto affectu desideres, aut etiam ardentius quam divitias cupiunt homines sæculares? Quid distat quæcunque substantia desideretur, dum æqualiter sit corruptus affectus, nisi quòd tolerabilius illud videri potest, quæ pluris esse videntur, plurimum desiderare? Porrò quisquis vel apertè vel occultè satagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater injungat, ipse se seducit, si fortè sibi quasi

Per quæ tria maris, id est, sæculi huius pericula evadere licet.
d 1. Cor. 10. b
e 1. Tim. 6. b

Paupertatis & obedientiæ professio quomodo vitietur.

quasi de obedientia blandiatur. Neque enim in cathedra ipse prælato, sed magis ei prælatus obedit.

f Marc. 4.

Veruntamen quia juxta sententiam Salvatoris *f*, in qua mensura mensi fuerimus, remetietur nobis: bonum est homini hoc ad cumulum dare, ut eorum sit numero, quibus mensuram bonam & confertam & coagitatam & superefluentem dabunt in sinus suos. Sufficit enim ad salutem, corporis molestias patienter ferre: sed cumulus est, etiam libenter in fervore spiritus eas amplecti. Sufficere potest superflua non requirere, sed nec propter ipsa si fortè desint necessaria murmurare: sed cumulus est etiam exultare & libenter quærere quomodo alius magis habeat necessaria, & ipse penuriam patiatur. Sufficit quoque ad salutem, si nec impatientia, nec simulatione ad id quod desideras invitum velis prælati animum inclinare: sed cumulus est etiam fugere ea, quibus voluntatem propriam senseris oblectari, quantum sanè bona cum conscientia potes.

Cumulatio seu supererogatio Patientiæ; Paupertatis; & Obedientiæ.

Porrò prælati quidem ipsi sunt qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Neque enim certa pontis aliqua seu vadi semita coarctantur, ut liberè possint usquequaque discurrere, & occurrere singulis ut oportet, ac dirigere pontis semitam seu vadi, ordinare gradientes, pericula investigare ac declinare, excitare tepidos, pusillanimes sustentare. Denique ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad inferos, nunc quidem spiritualia tractantes atque sublimia, nunc infernalia & horribilia facta dijudicantes. Sed quæ poterit navis inveniri, quæ tam immanes sustineat fluctus, & in tanto secura possit esse discrimine? Utique fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: quia juxta quod alibi habes *g*, *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.* Necessaria est & omninò necessaria navis ista prælatis, tribus compacta lateribus, quæ est utique forma navium; ut sit nimirum juxta *h* doctrinam, *charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Puritatem quidem cordis in eo prælatus habeat, ut prodesse desideret, non præesse: ut scilicet proprium commodum, vel honorem sæculi, seu aliud quippiam suum in prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem. Sed cum intentione pura, irreprehensibilis quoque necessaria est conversatio, ut forma factus gregis incipiat facere & docere: & secundum Magistri nostri regulam *, quæcunque docuerit discipulis esse contraria, hæc in suis actibus indicet non agenda; ne fortè submurmurare possit frater quem arguit, & dicere *i*: *Medice cura te ipsum.* Talis enim occasio plurima damnatio prælati, plurima subditorum perditio est. Non quòd ego bene id caveam, idcirco sic loquor: sed & mihi & omnibus pariter veritas clamat *k*, quoniam oportet irreprehensibilem esse eum qui præest, ita ut secura conscientia cum Domino respondeat exprobrantibus sibi verbum:

Prælatorum conditio & officium.

Charitas præcipuè Prælatis necessaria.
g Cant. 8. e
h 1. Tim. 1. b
Item Puritas intentionis.

Et Sanctitas conversationis.
* S. Bened. in Reg. c. 2.

i Luc. 4. d
Prælatus alios corripiens, ipse culpa vacet.
k 1. Tim. 3. a

bum [l] *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Non quòd sine peccato penitus esse possit in hac mitera vita, sed quòd ea quæ arguit in discipulis, oportet summopere vitare magistrum. Ob hoc, qualis est in conversatione, talis sit necesse est etiam in occulta cogitatione: ne videlicet foris humilis, intus elatus sit, in corde suo præ umens de sapientiâ seu virtute aut sanctitate sua: quæ est sine dubio fides ficta, quando non sicut ostendit humilitas conversationis, in sola Dei pietate confidit. Et vide quam propriè his tribus, cordis scilicet puritati, conscientiæ bonæ, & fidei non fictæ, convenire videantur alia quoque ipsius Apostoli verba dicentis [m]: *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die, &c. Non me judico*, inquit, *quia nihil mihi conscius sum*, quod meum aliquid quæram, sed quæ Jesu Christi. Sed & pro minimo mihi est ut à vobis judicer, propter conscientiam bonam, & irreprehensibilem conversationem. *Qui autem judicat me*, inquit, *Dominus est*, ut in eo solo spem suam positam esse doceret, humiliatus sub potenti manu Dei. Sed & illud tu judica, utrum possit his convenienter aptari trina Petri interrogatio [n], ut hoc sit dicere: Amas me, amas me, amas me? Habes charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Merito siquidem interrogatur an charitatem habeat piscator hominum constituendus.

[l] Ioan. 8. f

[m] 1. Cor. 4. 8

[n] Ioan. 21. 6

Sermo XXXVI.

De Perfectione humilitatis, quam docet in eo consistere, ut aliorum altiora seu meliora; nostra verò inferiora, seu infirmiora consideremus. *

* *Alias* de Altitudine & bassitudine cordis.

DE eo quod nuperrimè dictum est, sursum alios, alios deorsum aspicere, habeo adhuc aliquid, quod vestræ non sileam charitati. Nam earum quidem cogitationum quas expressimus tunc, si benè meministis, licet perfectior altera, utraque tamen utilis est. Sunt autem qui alio modo aut sursum cor habeant, sicut fecit Deus hominem rectum, & fecurè respondeant ad exhortantis vocem Presbyteri: *Habemus ad Dominum*. Sunt & alii, qui similes brutis animalibus inclinati deorsum, deorsum sese faciant esse immundis spiritibus, qui profecto clamitant illudentes: Incurvare ut transeamus. Scitis enim quod in congregatione plurimorum impossibile est unius omnes fortitudinis esse seu corporum, seu morum: nam utramq; infirmitatem patienter ferre regulæ nostræ † monet auctoritas, & utriq; aliquatenus condescendere jubet charitas. Videt hoc alter quispiam, & fortassis incipit invidere cui condolere debuerat. Hinc accidit ut sæpè beatificet eum in corde suo, ea de re unde miserum se ille reputat, molestè ferens necessitatem suam. Omninò agitur incurvatum se esse, & basso corde carnem sapere probat, apud quem ne ipsa quidem miseria caret invidia. Sed eis quas certa charitatis consideratione alienæ necessitati dispen-

Alii sursum, alii deorsum cor habent.

† Reg. c. 36. *In cœtu plurium non idem robur omnium, seu corporis, seu animæ.*

Compatiendum alienæ infirmitati.

dispensationes prælatus impendit, talibus apponit cor suum, similia quærens: murmurat adversus eum, qui denegat irrationabiliter postulanti. Hinc suspiciones, detractiones & scandala suscitantur.

Non idcirco id loquor, charissimi, quasi magnoperè de vobis habeam conqueri super hac re, sed præmonere vos & præmunire necessarium duxi propter multos, qui inter vos sunt, teneri & delicati: quibus aut ætas, aut infirmitas rigorem communis regulæ exigit aliquatenus temperari. Gratias ei de cuius munere venit, quia multos hic video, quorum mens intenta Deo tam longè facta est ab illo infirmo coagitatu, ut juxta se positos debiliores prorsus ignorent, se minus omnibus facere conquerantur. Nimirum quia superiores semper attendunt, cum Apostolo [a] obliti quæ retro sunt, & extenti in anteriora. Quantum putas illos ego admiror, quantum veneror in corde meo, quantum amplector charitatis affectu, qui velut nescientes eos quos secum quotidie vident: unum fortè aut duos, seu etiam plures, quos in maiore fervore spiritus viderint, sibi ex omnibus eligunt: & cum ipsi fortè meliores sint, semper tamen illorum sibi præponunt & proponunt in Domino sancta studia & exercitia corporalia, seu etiam spiritualia?

[a] Philip. 3. e

Religiosorum sub B. Bern. laus, & commendatio.

Memini me altera quoque jam vice dixisse, sed iterum repetere non gravabor, quàm sublimi aliquando meditationi monachus * quidam laicus toto intendit spatio vigiliarum. Etenim summo mane apprehensum me in auditorium trahit, & prostratus pedibus: væ mihi, inquit, quia monachum in vigiliis unum consideravi, in quo triginta virtutes numeravi; quarum ne unam quidem in me invenio. Et fortasse nullam ille tantam habebat, quanta hæc ipsa erat religiosæ æmulationis humilitas. Hic itaque fructus sit nostri huius sermonis, ut aliorum altiora semper attendas, quia in eo plenitudo constat humilitatis. Nam si forte in re aliqua maior tibi fratre aliquo gratia collata videtur, sed in multis (si bonus æmulator fueris) judicare te poteris inferiorem. Quid enim si fortè laborare aut jeiunare plus illo potes, & ille te patientia superat, præcedit humilitate, superemminet charitate? Quid enim tota die super id quod videris habere, insipienti cogitatione versaris? Esto magis sollicitus, ut scias quid desit tibi. Hoc enim melius. Utinam, fratres, nos sic essemus cupidi gratiæ spiritualis, quemadmodum sæculares homines pecuniæ temporalis. Debuimus certe, & multum debuimus vincere in bono malum, & tantò amplius desiderare, quantò precioſius est quod desideramus: sed utinam vel æquales esse possimus. Magna enim confusio, magna valdè, quòd ardentius illi pernicioſa desiderant, quàm nos utilia: citius illi ad mortem properant, quàm nos ad vitam. Quanto enim desiderio pecuniæ crucietur avarus, quanto gloriæ appetitu ambitioſus exæstuet, quam violenter denique sua trahat quem-

* *Aliàs* frater quidem laicus.

Quomodo ex consideratione aliorum humilitas nutrienda.

Studia sæcularium nobis stimulus & calcar fervoris.

hat quemque voluptas, quis explicet: Videas certe eos quicquid adepti sunt parvipendere, non attendere quanto labore & desiderio ea vix tandem consequi potuere: quoniam vilescunt eis omnia præ desiderio minoris fortè rei, quam alteri cœperint invidere.

Fervor mundanorum languidos religiosos confundit.

Et tu ergo non magnopere cogites quæ tibi videris habere, nisi forte interdum, ut gratias agere possis, & te noveris debitorem ei qui dedit: seu gratiâ consolationis, cum id necesse fuerit, ne qualibet ex causa tristior fias. De cætero ea semper magis attende quæ alius habet, tu non habes: quòd hæc cogitatio in humilitate te custodiat, & à descensu tepiditatis elonget, magis autem & accendat desiderio proficiendi. Vide autem quantum è regione malum cogitatio illa parturiat, qua sedulè versas in animo quod tibi habere videris, alterum quempiam æstimas non habere. Hinc enim elevaris in superbiam, dum te præponis alteri. Hinc proficere negligis, dum te magnum quempiam arbitraris. Hinc demum incipis & deficere, dum tibi alterius comparatione etiam nimis egisse videris, sicque in tepiditatem incidis, & incipis remissius agere. Scimus autem quia DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam [b], & quia maledictus, qui opus Dei negligenter fecerit [c]. Beati verò qui esuriunt & sitiunt justitiam: quia si spiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus: si verò secundum carnem vixerimus, moriemur.

Alterius bona, non mala; propria verò mala, non bona consideranda ad custodiam humilitatis.

b Iacob. 4. b
c Hier. 48. d

Sermo XXXVII.

De verbis Psalmi. *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem DEI Iacob* [a].

a Psal. 32. b

Diversis & diversa quærentibus hominum turbis animo fatigatus, quam desideranter ad hunc cuneum hodie spiritum refocillaturus accessi! Gratias Deo, non sum fraudatus à desiderio meo, non frustratus à spe mea. Concupivi videre, vidi, & liquefacta est anima mea. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio, omnia interiora mea nomini Domini benedicunt, omnia ossa mea dicunt, Domine quis similis tibi? Nempe prospiciens eminus cum accederem: fateor, videre mihi corporaliter visus sum, quos in spiritu quondam Propheta prævidit, & continuo subiit animum, quod ore ille depromsperat, ut cum eo psallerem dicens: *Hæc est generatio quærentium Dominum.* Multæ sunt generationes hominum, & (ni fallor) *tertia* ista generatio, quæ nunc viget & apparet in vobis. *Prima* siquidem generatio nec quærens adhuc Dominum, nec quæsita fuit à Domino: cum in oblivione mentis & reatu iniquitatis unumquemque genuit mater sua. *Secunda* proinde statim (sicut necesse erat) ex aqua & spiritu remedium nobis exhibuit festinatum: & fuit illa generatio nondum quidem generatio quærentium, sed tamen jam quæsitorum, quòd nec scientes adhuc

Nota desiderium & affectum viri sancti è turbis hominum & negotiorum ad suos revertentis; à quibus non rarò licet intuitus abstrahebatur causa Ecclesiæ & utilitatis publicæ.

Generatio hominum triplex.

adhuc quærere Dominum, nec valentes ipse quæfierit. Quæsivit igitur nos, & acquisivit in generatione secunda, ut essemus iam populus acquisitionis. Si adhuc forte senior frater murmurat, & invidia contabescit, dicitur ei [b]. *Quoniam epulari & gaudere oportebat, quia hic frater tuus perierat, & inventus est.*

[b] Luc. 15. g.

Cæterum ad hoc statim quæsivit nos Dominus, ut quæreretur tempore opportuno, cum iam posset quæri, posset & inueniri, Væ nobis quoniam tam diu dissimulavimus & neglexim us quærere vitam, quærere eum, qui solus bonus est quærentibus se, animæ sperantí in se. Væ tibi generatio prava & exasperans, mala & adultera generatio, mendacium usque hodie quæritans, & diligens vanitatem, nec servans fidem cui desponsata fueras veritati. Nunquid non opus habet eiusmodi generatio nasci denuò, iterum generari? Et maximè. Nempe genimina viperarum facti, tanto magis nunc necesse habent in ventrem matris gratiæ iterato introire & nasci, quanto facta noscuntur posteriora eorum deteriora prioribus. Gratias ipsi gratiæ, & si dici potest, plusquam gratuitæ miserationi, quæ beneficijs obruit non modo immeritos, sed nimium malè meritos & ingratos. Gratias ei qui regeneravit vos etiam hac vice in spem vitæ, ut adoptionem filiorum reciperetis. Voluntariè enim nunc propriè genuit vos, verbo utique veritatis. Nam quod prius vos genuit sacramento equidem pietatis, etsi voluntarium generanti, genitis tamen voluntarium esse non potuit, in quibus adhuc nullus voluntatis usus, nullum rationis exercitium fuit, ac proinde nulla generationis ipsius agnitio, nulla tanti notitia genitoris. Nunc demum voluntaria generatio voluntarium exhibet sacrificium, juxta illud [c]. *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quonium bonum est.*

Religionis professio est regeneratio.

[c] Psal. 53. b

Hæc est generatio quærentium Dominum. Quærentium, an habentium dicam? Habentium utique & quærentium. Alioquin non possent quærere non habentes. Sed quid habentes, aut quid quærentes? Vel potius quomodò habentes, quomodò requirentes? Verbo geniti, verbum habent. Nunquid non verbum Dominus? Ioannem audi. *Et Deus erat Verbum* [d]. Quid ergo iam amplius quærit generatio quærentium Dominum? Considera quid sequatur in psalmo [e]. *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.* Eundem proinde habent pariter & requirunt, quia unus idémque & Verbum Patris, & splendor paternæ gloriæ est. Et is quidem non quæsitus haberi forsitan potest, non habitus autem quæri omninò non potest. Denique ipsa est quæ de se loquitur sapientia [f]. *Qui edit me, adhuc esuriet.* Potens ipse est præstare etiam se non quærenti, qui (ut supra ostendimus) de cumulo gratiæ & benedictione dulcedinis quærit & prævenit adhuc quærere non valentes. Nemo autem

[d] Ioan. 1. a
[e] Psal. 23. b

Deus simul habetur, quæritur.

[f] Eccli. 24. c.

ante

ante idoneus quærere quam habere, quia *nemo*, inquit [g] *veni ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Adest ergo qui trahit, & quodammodo necdum adest, qui non aliò trahit quam ad seipsum. Nunquam enim nec usquam sine Filio Pater adest per fidem ut ad speciem trahat. Quomodo ergo nunc non exultet spiritus meus, quomodo non sine modo jucundetur in generatione ista quærentium Dominum? Nempe testimonium credibile nimis gustatæ sapientiæ, est esuries ipsa tam vehemens. Certissima mihi probatio & indubitabile argumentum quia habetis quem sic quæritis, & in vobis habitat, qui tam validè trahit vos ad seipsum. Non enim humanæ possibilitatis est cursus iste, eius dextera facit virtutem, cui semper necesse est ut clametis [h]: *Trahe nos post te, in odore unguentorum tuorum curremus.* Non, inquam, ab homine forma ista conversationis, nec aliud experimentum quærimus eius qui in vobis habitat Christus quàm quòd ita quæritis Christum.

[g] Ioan. 6. c. *Deus quæri non potest, nisi prius habeatur.*

[h] Cant. 1. a. *Signum habitantis in nobis Christi, est quærere Christum.*

Videtis enim, fratres, qualem spiritum accepistis, spiritum qui ex Deo est, ut sciatis quæ à Deo donata sunt vobis. Audivimus Apostolicum, audivimus & Propheticũ, etiam & Angelicum, quibus nihil nobis arbitror posse sublimius affectari. Sanè è singulis mihi videor in vobis aliquid & magnum aliquid invenire. Quis enim cœlibẽ vitam, vitã cælestem & angelicá dicere vereatur? Aut quod in resurrectione futuri sunt omnes electi, quomodò non iam nunc estis, sicut Angeli Dei in cœlo, à nuptiis penitus abstinentes? Amplectimini, fratres, preciosissimam margaritam, amplectimini sanctimoniam vitæ, quæ vos efficit sanctorum similes, & domesticos Dei: dicente Scriptura [i] *Incorruptio facit proximum esse Deo.* Ita ergo non vestro quidem merito, sed gratia Dei estis quod estis, quod ad castitatem & sanctimoniam spectat, angeli quidem terreni, aut potius cœli cives: sed interim in terra peregrini. Quamdiu enim sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.

Religiosorum cœlebs vita cœlestis & angelica.

[i] Sap. 6. c.

De prophetia quid dicimus? *Lex & prophetæ usque ad Ioannem*: veritas ait [k]. Veruntamen non erat ille adversarius, sed discipulus utique veritatis, qui dicebat etiam post Ioannem [l] *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Cessavit ergo prophetia, quia iam cognoscimus, necdum tamen tota cessavit, quia adhuc ex parte. *Cum venerit* [m], *quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Siquidem ante Ioannem qui fuerunt prophetæ, utrumque adventum Domini prophetabant, & quasi neutra adhuc pars salutis in notitia, sed utraque in prophetia erat. Magnum sanè prophetandi genus, cui vos deditos esse conspicio: magnum prophetiæ studium, cui vos video mancipatos. Quod illud? Nempe juxta Apostolum non *considerare quæ videntur, sed quæ non videntur*, sine dubio prophetare est. Ambulare in spiritu, ex fide vivere, quæ sursum sunt

[k] Luc. 16. d

[l] 1. Cor. 13. c. *Et quodammodò Prophetica.*

[m] Ibidem.

[n] 2. Cor. 4. d *Mysticum prophetandi.*

genus, ambulare in spiritu seu ex fide vivere.

sunt quærere, non quæ super terram: obliviſci quæ retro sunt, & extendi in anteriora, ex magna parte prophetare est. Alioquin quonam modo nisi per spiritum prophetiæ conversatio nostra in cœlis? Sic nimirum prophetæ olim quasi non inter homines erant sui temporis, sed virtute & impetu quodam spiritus dies illos transilientes exultabant ut viderent diem Domini, & videbant & lætabantur in ea.

Sed & professionem apostolicam audiamus. *Ecce nos reliquimus omnia* [o]: *& secuti sumus te.* Si gloriari licet, habemus gloriam: sed si sapimus, habere curabimus apud Deum. Hæc enim vera est gloriatio, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Nam neque manus nostra excelsa, sed Dominus fecit hæc omnia. Fecit nobis magna qui potens est; ut merito magnificet anima nostra Dominum. Ipsius enim magno munere factum est, ut magnum illud propositum, unde magni gloriabantur Apostoli, magnificè sequeremur. Fortè etiam si in hoc quoque gloriari voluero, non ero insipiens. Veritatem enim dicam, esse hic aliquos, qui plusquam navem & retia reliquere. Quid verò illud quod ipsi quidem Apostoli reliquerant omnia, sed ut præsentem in carne Dominum sequerentur? Non est nostrum dicere, securius ipsum Dominum audiamus. *Quia vidisti me*, inquit [p], *Thoma credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Forte etiam prophetandi genus excellentius esse videbitur, non intendens quibuscunque temporalibus rebus & transituris aliquando: sed spiritualibus & æternis; nihilominus in vase fictili thesaurus castitatis illustrior, in carne fragili ex aliqua parte probabilior virtus.

o Matt. 19. d *Religiosorum vita apostolica.*

p Ioan. 20 g

Ubi ergo *Angelica* in hoc corpore conversatio, in corde *prophetica* expectatio, in utroque *apostolica* perfectio invenitur: quatenus iste cumulus gratiarum? Quid retribuitis Domino pro omnibus quæ retribuit vobis? Sublimis gradus, sed eo amplius periculosa ruina. Nunquid non tres cœli sunt quos ascendimus? Itaque qui stat, videat ne cadat. *Videbam*, inquit [q], *Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* Ex alto corruit, confractus, & comminutus est, desperata est plaga eius. Factus est spiritus eius vadens, & non rediens. Nunquid & vos vultis abire? Satanas ruit, nunquid & ruitis vos secum? Quam salubrius vobis stare in vijs Domini, stare in gratia in qua statis. Non enim beatus vir qui non abijt in via peccatorum, beatus magis cuius est auxilium abs te Domine. Ibunt enim huiusmodi de virtute in virtutem, ad videndum Deum deorum in Sion, ad videndum in bonitate electorum tuorum, vt lauderis cum hæreditate tua. Ipsi nempe hæreditas, ipsi sunt dij, & filij excelsi omnes.

q Luc. 10. c *Religiosorum status sublimis, sed periculosa ruina.*

Itaque, Fratres mei, quandoquidem verissimè certissimeque *hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob*: quid vobis dixerim aliud, quam quod idem Propheta ait [r]; *Lætetur cor quærentium Dominum*;

r Psal. 104. a

Dominum: quærit Dominum & confirmamini: quærite faciem eius semper? Et quod alius quidem dicit [f]: *Si quæritis, quærite,* Quid est si quæritis, quærite? *In simplicitate cordis quærite illum* [t]. Non aliud tanquam illum, non aliud præter illum, non aliud post illum. In simplicitate cordis quærite illum. Simplex natura, simplicitatem cordis exquirit. Denique & cum simplicibus sermocinatio eius. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis [u]. Non potest quem quæritis inveniri ab his qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Æternitas est: quæ nisi perseveranter quæsita, minimè invenitur. Væ etiam peccatori terram ingredienti duabis vijs. [x]. Nemo enim duobus dominis servire potest [y]. Ne hanc quidem duplicitatē amat integritas illa, perfectio illa, illa plenitudo. Indignum enim est ei, vt inveniendam se præbeat, nisi perfecto eam quæsieris corde. Cæterum si odibilis est canis reuersus ad suum vomitum [z], & sus lota in volutabro luti, sed & ipsum quoque quem invenerit tepidum [a], ex ore suo evomere incipit Deus: simulator & proditor ubi parebunt? Si maledictus qui facit opus Dei negligenter [b], qui fraudulenter fecerit, quid meretur? Fugiamus hanc duplicitatem, charissimi, & à fermento Pharisæorum omnimodis caveamus. Veritas est Deus, & tales quæsitores requirit, qui quærunt eum in spiritu & veritate. Si nolumus frustra quærere Dominum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseueranter: ut nec pro illo quæramus aliud, nec cum illo aliud, sed nec ab illo ad aliud convertamur. Facilius est enim cœlum & terram transire, quàm ut sic quærens non inveniat, sic petens non accipiat sic pulsanti non aperiatur.

f Isa. 12. c.
t Sap. 1. a *
u Iacob 1. b.
x Eccli. 2. c.
y Luc. 18. c.
z 2. Pet. 2. d
a Apoc. 3. b

Quomodo quærendus Deus ut inveniatur.

Sermo XXXVIII.

In illud Apost. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8.

Pauperes quidem videmur & sumus: sed si spiritum qui ex Deo est accipiamus, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis; magna ab eo gloria, magna nobis est collata potestas. *Quotquot,* inquit, [a], *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* An non potestas filiorum Dei est ista, quando etiam nobis serviunt universa? Sciebat enim Apostolus ipse, quoniam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* [b]. Sed forte dicat aliquis vestrum, quid hoc ad me? & in pusilanimitate cordis sui talia meditetur; Glorientur certè de potestate filiorum Dei, in quibus filialis erga eum fervet amor, viget affectus; ut præsumant omnia sibi cooperari in bonum, qui Deum diligunt in veritate. Ego verò mendicus sum & pauper, carens affectu filiali, expers dignæ devotionis. Sed attende quod sequitur. Nullum enim desperationi locū reliquit in scriptura sua, qui alio loco sic loquitur [c]

a Ioan. 1. b.
b Rom. 8. c.

Rom. 15. a *Vt per Patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Affectus enim ille quem quæris, pax est, non patientia : in patria est, non in via : nec eos qui eiusmodi sunt, à scriptura opus est consolari.

Ergo per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, etiam si nondum possumus apprehendere pacem. Propterea cum dixisset *diligentibus Deum omnia cooperari in bonum*, solerter addidit, *his qui secundum propositum vocati sunt sancti* d. In quo verbo non te terreat sanctitatis nomen, quando non secundum meritum, sed secundum propositum; non secundum affectionem, sed secundum intentionem sanctos vocat juxta illud Prophetæ e: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Illam enim quam putas sanctitatem ne ipse quidem Paulus corruptibili adhuc gravatus corpore arbitrabatur se comprehendisse. *Vnum autem*, inquit f, *quæ retro sunt oblitus, & in ea quæ ante sunt me extendens, sequor ad palmam supernæ vocationis.* Vides quia licet nondum apprehendisset bravium, habebat tamen propositum sanctitatis. Et tu ergo si proposueris in corde tuo declinare à malo, & facere quod bonum est, tenere quod accepisti, & proficere semper in melius, sed & si quid aliquando minus recte egeris (ut est humana fragilitas) non in eo persistere, sed pœnitere & corrigere quantum prævales; eris sine dubio sanctus & tu, sed cui interim clamare necesse sit: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.*

d Rom. 8. c. * *Quomodo dicamur sancti.*

e Psal. 85. a *

f Philip. 3. e

Quis dici mereatur sanctus in hac vita.

Vis ergo nosse quemadmodum huiusmodi sanctis omnia cooperantur in bonum? Non modo curro per singula, quia in longum protrahi sermonem hora non patitur. Eundum nobis est, iam enim campanam audivimus, iam vespertinæ tempus orationis advenit. Audite ergo verbum abbreviatum, quemadmodum nobis universa serviant, omnia cooperentur in bonum. Inimici nostri sint judices. Etenim si quidem illi pro nobis, quis contra nos? Si pro nobis faciunt hostes nostri, quomodo non omnia simul cum illis.

Duo hostium genera nobis adversa.

Porro duo nobis (ut manifestum est) adversantur hostium genera, malum videlicet duplex, quod facimus & quod patimur. Hæc autem, ut apertius dixerim, sunt *culpa & pœna*. Itaque cum sit nobis utraque contraria, erit si voluerimus utraque pro nobis, ut hæc quidem ab illa liberet, & item adversus istam juvet illa, nec parum. Ecce enim compungimur in cordibus nostris & in cubili conscientiæ super delictis præteritis, sed delinit conscientiam, & corrodentium peccatorum dentes conterens reducit ad spem veniæ pœnitentia ista & voluntaria pœna quam patimur. Non solum autem præterita, sed & futura repellit. Nam & tentantia propulsat vitia, & nonnulla sic perimit, ut raro aut nunquam erigere caput audeant uenenatum. Sic pœna facit pro nobis adversus culpam, ut vel omnino non sit vel sit minor. Culpa verò nihilominus agit, ut aut non sit, aut minor sit pœna.

Quomodò & culpa & pœna nobis cooperetur in bonum.

Non

Non quidem ut omnino non sit, sive à quantitate sua minoretur, quod nullatenus expediret: sed ut non sit pœna, aut minor sit pœna, videlicet ut aut non sit, aut minus sit onerosa. Quisquis enim perfectè senserit onus peccati, & animæ læsionem, exteriorem utique aut parum sentiet, aut ex toto non sentiet corporis pœnam, nec reputabit laborem, quo peccata noverit deleri præterita, futura caveri. Sic enim sanctus David convitiantis servi non reputavit injurias, memor filij persequentis,

Sensus culpa tollit aut minuit sensum pœnæ.

g 2. Reg. 16. b.

Sermo XXXIX.

*De laboribus vitæ religiosæ æquanimiter ferendis**

* *Alias*, de duabus mensis.

LAbor iste, Fratres, exilij & paupertatis nostræ, nos admonet profecto & iniquitatis. Ut quid enim morte afficimur tota die, in ieiunijs multis, in vigilijs abundantius, in laboribus & ærumnis? Nunquid ad hæc creati sumus? Absit. Nam licet homo natus sit ad laborem, sed minime ad laborem creatus est, nativitas est in culpa, ideò & in pœna. Omnes enim oportet nos gemere cum Propheta [a]: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Aliena ab utrisque prima creatio, quia sicut nec culpam, ita nec pœnâ Deus fecit. Quod de ea quæ major est omnium, morte videlicet apertè Scriptura testatur [b]. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Et in alio loco. *Deus mortem non fecit.* Itaque sicut laborantibus manibus nec oculus propterea clauditur, nec auris abstinet ab auditu: sic, imò & multò melius laborante corpore mens quoque ipsa suo intenta sit operi ut non vacet. Causam laboris cogitet in labore, ut ipsa ei pœna quam patitur, culpam pro qua patitur, repræsentet. Et dum videt vulnerum ligaturam ipsa sub pañis vulnera meditetur. Huiusmodi siquidem cogitatione humiliamur sub potenti manu Dei, & dulci quadam pietate mens plena, miserabilem se exhibet in oculis eius. Hinc quippe Scriptura nos admonet: *Miserere*, inquit, [c], *animæ tuæ placens Deo.* Nec dubium quin ea quæ Deo placet miseria, facile possit eius misericordiam obtinere. Et ne dixerimus, vnde miserendum sit animabus nostris? Nisi enim insipienter dissimulaverimus, multa in eis miseratione digna poterunt inveniri.

Homo natus, sed non creatus ad laborem.

a Psal. 50. a

b Sap. 2. d Ibidem.

c Eccli. 30. d *

Unum tamen dico, ut occasionem vobis dedisse videar, & cætera quoque similiter advertatis. Nonne velut inter duas mensas positi epulantes hinc inde spectamus iejuni? Sic sumus omnino, sic sumus. Vnde ergo sic positis risus, unde jocus, unde levitas, unde superbia, unde extollentia oculorum. An fortè non agnoscimus mensas, non consideramus epulas, delicias nō videmus? Hinc mihi sunt quos video deliciosè viventes in omnibus bonis sensibilis huius mundi: inde contemplor alios quibus dispositi Christus regnum: ut edant & bibant super mensam eius in regno Patris sui [d]. Vtrobique video similes mei homines, fratres meos, & heu me

Religiosi velut inter duas mensas, mundanorum & cœlitum positi.

d Luc. 22. d

Illa respuenda; ad hanc suspirandum.

me, ad neutram licet extendere manum. Ab utraque mensa prohibeor, ab hac quidem professionis, ab illa corporis vinculo, ut nec ad inferiorem audeam, nec ad superiorem accedere possim. Quid inter hæc restat, nisi comedere panem doloris, ut sint mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, si quis fortè cœlestium convivarum misericordia motus, in os latrantis sub mensa catelli exigua aliqua deliciarum illarum fragmenta dimittat? Nam inferior quidem consideratio, qua nobis ipsis compatimur eorum respectu quos novimus deliciosè viventes in hoc seculo, infirmæ adhuc animæ est, nec omnino talis mihi placet affectio in anima spirituali. Longius enim positus est à judicio veritatis, qui beatificat quos velut miserrimos lugere debuerat, qui peccant & non agunt pœnitentiam: & se miserum reputat non sanè consensu judicij, sed affectionis sensu, quòd non sit sicut illi, qui id magis optare debuerant, ut omnes essent sicut ipse.

Hoc tamen solum tali in cogitatione laudabile est, si miseriam ipsam quam reputat, pro amore sive timore Dei patienter ferre deliberat, & cum pietate quadam dicit Deo [e]: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Et hæc quidem cogitatio inchoantium est, tanquam lac parvulorum. At verò cum jam proficere cœperit anima, & affectione sequi judicium rationis, omnia proculdubio detrimentum faciet, & quasi stercora arbitrans lugebit cum Propheta [f] super eos qui amplexati sunt stercora. Ipse verò sancta quadam humilique superbia hæc universa despiciet, & magna in altitudine animi collocatus non beatum dicet populum cui hæc sunt, sed miserum planè; beatum verò cuius Dominus Deus eius. Verum dum hic ita sui comparatione miseretur illis, inveniet utique quorum comparatione, sui quoque misereatur, si suspexerit ad cœlestes divitias, & delectationes in dextera Domini usque in finem. Vnde fit ut qui prius de inferiori irriguo lachrymas fundens plangebat, dicens [g], *Quoniam propter te mortificamur tota die* [g]: iam de superiori abundantiores emittat fletus, dicens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* [h].

[e] Psal. 16. b

[f] Thren. 4. a

[g] Rom. 8. d

[h] Psal. 119. a

Sermo XL.

De septem Gradibus Confessionis.

Corde creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Psal. 15. c.

NOtas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem. Ad te quidem libenter accedimus Domine IESU, discipuli ad magistrum, infirmi ad medicum, servi ad dominum. Tu es enim magister & dominus, cuius schola est in terris, cathedra in cœlis. Tu es ille eximus medicus

qui

qui solo verbo restauras universa. Vias tuas demonstra nobis, & semitas tuas edoce nos [a] : *Viæ enim tuæ viæ pulchræ, & omnes semitæ tuæ pacificæ.* Beati qui ambulant in via tua Domine virtutum : beatiores qui currunt viam mandatorum tuorum ; qui currunt in odorem unguentorum tuorum. Exultas enim ut gigas ad currendam viam [c] ; & non solum currens, sed & saliens in montibus, & transiliens colles. Exultaverunt gigantes Philosophi non ad currendam viam tuam, sed ad quærendam vanam gloriam, evanescentes in cogitationibus suis, non in humilitate aut in virtutibus tuis, sed suis. Viam enim sapientiæ nescierunt, neque meminerunt semitarum eius. Non est audita in Chanaan, neque visa est in Theman [d], Maledicti qui dixerunt Domino Iesu : Recede à nobis ; scientiam viarum tuarum nolumus [e]. Nos autem quærimus te de die in diem, & scire vias tuas volumus.

a Psal. 24. b
b Prov. 3. c
c Psal. 118. a
d Baruc. 3. c
e Iob. 21. b

Principales viæ tuæ, duæ sunt: Confessio & Obedientia. In confessione omnia lavantur ; in obedientia virtutes solidantur. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & justum reddit purgatiorem. Si peccata sunt, in confessione lavantur: si bona, confessione commendantur. Cum mala tua confiteris, sacrificium Deo spiritus contribulatus : cum Dei beneficia immolas Deo sacrificium laudis. Absque confessione justus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. Confessio igitur est peccatoris vita, justi gloria. Video David dicentem ; *Peccavi*, & audientem : *Transtulit Dominus peccatum tuum à te, & non morieris* [f]. Considero Mariam, si non verbis, tamen operibus publicè sua crimina confitentem, & Dominum pro ea respondentem [g] : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Respicio Principem Apostolorum negantem timidè, amarissimè flentem, Christum illum respicientem [h]. Felicem Latronem intueor se accusantem, Christum excusantem, & Dominum promittentē [i] : *Hodie mecum eris in paradiso.* O quàm sublimis ista confessio, per quam de patibulo ad regnum, de terra ad cœlum, de cruce Latro damnatus ac crucifixus ad paradisum ascendit ! Glorioſa confessio, quæ Petrum Apostolum trinæ negationis crimine liberavit, & ab apostolatus culmine cadere non permisit. Fidelis institutio, quæ Mariæ multum diligenti, multum dimisit : & amoris multi titulo insignitam discipulorum corpori sociavit. Præclara miseratio, quæ Regem & Prophetam multiplici criminum inundatione mundavit, & in antiquæ gloriam dignitatis perducendo reduxit. Hæc est via, quæ viatorem suum nunquam fefellit, quæ nunquam deseruit nisi deserentem se.

Confessio & obedientia duæ principales viæ Domini. Confessio duplex criminis & laudis.

f 2. Reg. 12. d
g Luc. 7. g
h Luc. 22. g
i Luc. 23. f

Confessionis vis & efficacia.

Huius viæ multiplices sunt semitæ ad inveniendum ; difficiles ad tenendum ; ad enumerandum inexplicabiles. Prima semita & primus gradus in via ista est *Cognitio sui.* De cœlo cecidit ista sententia : Nosce teipsum

Varii gradus confessionis.

teipsum homo. Vide si non & sponsus in amoris Cantico sponsæ idem loquatur: *Si ignoras te* (inquit) *ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi &c.* Cognitio sui stat in tribus; ut cognoscat homo quid fecit, quid meruit, quid amisit. Quid vilius ô nobilis creatura, imago Dei, creatoris similitudo, quàm carnem tuam illecebris carnalibus deturpare, & pro brevi voluptate torrentem perdere voluptatis? Quid furiosius, quàm rapi mentem ira, superbia extolli, vexari invidia, & anxietate torqueri? Quæ in croceis es nutrita, quare stercora amplexaris? Recordare etiam quid merueris. Subeat memoriam tuam gehennalis olla, fornax ferrea magnæ Babylonis; domus mortis; anxietatis domicilium; flammarum globus, acerbitas frigoris, tenebræ sempiternæ. Considera ordinem tormentorum, tortorum facies, mutationem pœnarum, miseriarum infirmitatem, & intellectualibus oculis ista discurre, & poteris dicere: Melius erat mihi, si natus non fuissem. Reflecte oculos, & quid amiseris animadverte. Reminiscere qualis sit civitas glorioſa, cœlestis habitatio, locus vitæ, suavitatis palatium, splendor gloriæ, gratiæ magnitudo, claritas infinita. Attende ordinem gaudiorum gaudentium vultus, præmiorum vicissitudinem, multitudinem deliciarum, & potes exclamare: Qui te perdidit, totum perdidit Domine Deus. Si hoc triplici funiculo ligaveris animam tuam, intelliges & animadvertes, quia initium salutis notitia peccati est *.

1. Cognitio sui: *hæc in tribus consistit, nempe;*
k Cant. 1. c
Homo peccans quid faciat, quid mereatur, quid amittat.

* *Seneca in Epist.*

Secundus gradus est *pœnitentia.* Hæc duo ita sibi invicem conjuncta sunt, ut cognoscere se non possit nisi pœniteat: pœnitere non possit, nisi se cognoscat. Pœniteat igitur anima compunctionis jaculo vulnerata, pœnitentia triplici: quia innocentiam amisit, amissam non requisivit, & neglexit patientiam Dei. Scio Domine Jesu, quia primam stolam innocentiæ nobis in baptismate reddidisti: & amictu niveo candidati, in justitiæ solio relocati, cito recessimus à via quâ ostendisti nobis, & portionem substantiæ quæ nobis contingebat, cum prodigo filio in dissimilitudinis regione expendimus. Venerunt ad nos vilissimi spiritus, & æternorum ignium reges; ad mundatos immundi, ad salvandos damnati, curvi ad rectos, & dixerunt animæ nostræ: Incurvare ut transeamus. Audivimus illos, & incurvati sumus: transierunt per nos, & innocentiam amisimus. Si culpa est perdidisse, quid putas erit non requisisse perditam? Perdit aliquis aliquid in hac mortalitate? Quærit judices, amicos convocat, trahit in causam, nihil intentatum relinquit, donec vel amissa inveniat, vel ablata restituantur, & custodiat restituta. Nos hæreditatem nostram incorruptibilem, immarcescibilem, incontaminatam in cœlis, versutiis illius insatiabilis homicidæ perdidimus, & non requirimus? & incurvavit nos, & non resurgimus? Surgamus & eamus ad Patrem nostrum, dicentes ei: *Pater, peccavimus in cœlum & coram te* [l]. Et omnem evangelicæ lectionis textum percurrentes,

2. *Gradus confess* Pœnitentia, *eaque triplex.*

1. *Ob amissam innocentiam.*

2. *Ob non requisitam perditam.*

l Luc. 15. d

offera-

offeramus Patri pœnitentiam mentis, cordis contritionem, si fortè cum adhuc longè sumus videat nos Pater, & misericordia moveatur, & currens cadat super collum nostrum, & osculetur nos osculo oris sui. Forsitan jubebit proferri stolam primam innocentiæ, & indui nos vestimentis virtutum, & dari annulum secretorum in manu nostra, & calceari pedes nostros in præparationem evangelii pacis. Præcipiet fortassis adduci vitulum, & occidi in satisfactionem revertentis, & epulari & exultare, & in symphonia & choro reduci ad supernæ gaudia civitatis, ubi gaudium est Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente [m]. Scimus Domine Jesu, quia non privabis bonis eos qui ambulant in innocentia [n], sed nec illos qui ambulant in pœnitentia. Quia enim peccatum non fecit nisi unus, beatus vir tamen, cui non imputavit Dominus peccatum [o]. Omne quod ipse mihi non imputare decreverit, fit quasi non fuerit. Cogita etiam quanta superbia patientiâ Dei usus, imò abusus sis. Videbat te peccantem, & dissimulabat quasi non videns: vocabat, & non audiebas: minabatur, & non timebas: promittebat, & contemnebas, nec promissis illectus, nec terrore percussus. Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit [p]? Tunc timore magno ne thesaurizaveris tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, & memento, quia horrendum est incidere in manus Dei viventis [q]. Liga igitur hoc triplici cataplasmate patientiæ vulnus animæ tuæ, & dic: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me* [r], &c.

m Ibidem.
n Psal. 83. c
o Psal. 31. a
3. *Ob abusum patientiæ Dei.*
p Rom. 2. a
q Heb. 10. f
r Psal. 6. a

Tertius gradus est *dolor*; sed & ipse trina ligatione connexus. Verè post cognitionem & pœnitentiam dolor meus renovatus est, & in meditatione mea ignis incanduit, quia creatorem offendi, Dominum non timui, sprevi benefactorem. *Nunquid non sicut lutum in manu figuli, etiam vos in manu mea, dicit Dominus* [s]? Insuper fecit te vas in honorem, cur te in contumeliam facere præsumpsisti? *Nunquid dicit figmentum figulo, cur me fecisti sic* [t]? Creatura creatorem, figmentum factorem, opus opificem ausus es provocare? Memento vilissima testa, quia si ceciderit super lapidem istū, confringeris: si verò super te ceciderit, conteret te contritione timenda, ita ut ne vestigium minimum pareat. Tu autem sanguinem sanguini miscuisti, & Creatorem offendens, & Dominum non timens. Servus eras illius Domini, cujus iræ resistere nemo potest; & in præceptis ejus acceperas voluntatem. Noluisti intelligere, ut benè ageres, sed recalcitrans Domini imperio, propria lege intra rempublicam vivere decrevisti. Nā audisti quam sententiam excipiat servus nequam [u]: *qui sciens voluntatem Domini & non faciens*, multitudini verberū reservatur. Assistūt Angeli ad audiendam vocem sermonū ejus [x]. Stellæ vocantur, & dicunt; adsumus [y]. Venti & mare obediunt ei [z], & omnia legem præfixam inconcussa retinent firmitate. Tu solus peregrinus es, & imperatoriæ decreta majestatis non curas? Audi quia potest te

3. *Gradus confessionis*, Dolor *de peccatu, & is triplex.*
s Hier. 18. a
t Rom. 9. c
1. *Quia Creatorem offendit.*
2. *Quia Deum non timuit.*
u Luc. 12. f
x Psal. 102. d
y Baruch. 3. d
z Matt 9. d

mittere in tenebras exteriores, ubi fletus & stridor dentium perpetua infelicitate crebrescunt. Quod si te non movet Creatoris offensio, reverentia potestatis: moveat saltem ingratitudo, quod tantum benefactorem in tantis beneficiis contempsisti. Ubinam similem benefactorem invenies, qui tibi ministrat syderum cursus, temperiem aeris, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem? Ad extremum, ut omnium tibi beneficiorum cumulum aggregaret, proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum: tradens Unigenitum pro adoptivis, Dominum pro servis, Iustum pro impiis. Quid tibi ultra debuit facere, & non fecit? Si ergò isto dolore dolueris, poteris dicere cum Propheta *b*: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt.*

3. *Quia sprevit benefactorem.*

g Rom. 8. f

b Hier. 4. c

Gradus 4. Confessio oris; *eaque triplex.*

Quartus gradus est *confessio oris*. Post cognitionem sui, post pœnitentiam mentis, post dolorem cordis, sequitur confessio oris. In his omnibus corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem *c*. Sed & ipsa triplex est, si virtutem salutis adsequitur. Debet enim esse vera, nuda & propria. Veritatem quærit Altissimus, & ubi valet falli, qui fallere non intendit? Novimus plerosque & experti sumus, qui ad confessionis gratiam venientes, magis onerati quàm liberati à peccatis ad suam conscientiam redierunt. Dicunt enim, si clerici, ea quæ literario: si milites, ea quæ gladiatorio gessere conflictu: ut sub humilitatis pallio superbiam inducant, in tanto se signaculo condemnantes, sub quo totius humanæ salutis summa consistit. Ad hoc enim confitentur, ut saltem specie videantur confessi. An tu veram illam putas esse confessionem, quam aut timor extorsit, aut simulatio fecit, cum Spiritus sanctus disciplinæ effugiat fictum *d*, & gratuitam satisfactionem Omnipotens quærat? Illa verò confessio vera est, quæ de mētis contritione descendens, nec timore cogitur, nec fictione palliatur; sed in spiritu contribulato profert ea quæ sentit. Nudam autem eam esse oportet, & totius absconsionis exutam velamine. Quid enim prodest partem peccatorum dicere, & partem celare? ex parte mundari, & ex parte immunditiæ deservire? Nunquid de uno eodemque vase dulce & amarum, sapidum & insipidum stillare potest? Omnia nuda & aperta sunt oculis Dei, & tu illi aliquid abscondis, qui Dei locum in tanto obtinet Sacramento? Ostende & denuda quæcunque cor tuum dilaceraverant: detege vulnus, ut sentias operam medicantis. In simplicitate cordis oportet te quærere Dominum *f*, non in duplicitate: quia væ illis qui loquuntur in corde & corde *g*, & terram duabus viis ingrediuntur *h*. Debet autem esse propria. Sunt plerique, qui aliorum peccata cum magna gravitate numerant, & sociorum excessus multiformi declamatione loquuntur: nesciunt sua, aliena verò perpetuæ memoriæ commendaverunt. Infelices & miseri, quibus datum est aliena plangere, relinquere sua. An non legisti *i*; quia *justus in principio*

1. *Vera.*

d Sap. 1. b

2. *Nuda.*

e Heb. 4. d

f Sapien. 1. a

g Psal. 11. a

h Eccl. 2. c

3. *Propria.*

i Prov. 18. c

serm.

sermonis accusator est sui ? Sui, dicit Scriptura, non alterius. Nunquid oblitus es Apostolum Jacobum dicentem [k] : *Confitemini alterutrum peccata vestra ? Vestra* dixit, non aliena. *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper* [l] . *Meam* dixit Propheta, non tuam.

Quintus gradus est *maceratio carnis* ; sed & ipsa ternario numero consecrata. Convenit enim ut fiat occultè, licentiosè, discretè. Teneros artus tuos & exquisitis educatos deliciis, diuturno confringe martyrio, ut tantò te noveris à licitis abstinere, quantò memineris illicita perpetrasse. Hoc autem *occultè* faciendum est, ut nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua [m] . Non enim est in ore hominum tanti boni reponenda custodia, sed in absconso cordis tui, ut sit gloria tua testimonium conscientiæ tuæ [n] . Non hoc dicimus, ut non luceat lux tua coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est [o] : sed ne intentionem tuam in vilis gloriæ brevitate recondas. Nihil enim infelicius, quàm hic carnem macerare jejuniis, vigiliis affligere : & hic accipere gloriam, illic gehennam. *Licentiosè* verò facienda est : quia quicquid fit pastoris licentiâ, gratiosius est in conspectu Dei ; & illam hostiam singulariter accipit Altissimus ; quæ non est de propriæ sententia voluntatis, sed de præcipientis offertur imperio. Multum enim valet ad refellendam superbiam, propriæ voluntatis exclusio ; quam extirpare non potest, qui mundi hujus diligit vanitatem. Discretio autem in hac districtione tenenda est, ne dum nimis flagellare cupimus, salutem perdamus : & dum hostem subigere quærimus, civem occidamus. Considera corpus tuum, & corporis tui possibilitatem, intuere carnis complexionem, impone modum tuæ districtioni. Custodi corpus tuum incolume ad obsequium Creatoris. Multos vidimus ita in principiis carnem suam verberasse, & discretionis infregisse repagula, ut inhabiles laudum solenniis redderentur, & lautioribus deinceps diuturnis foverentur temporibus.

Sextus gradus est *correctio operis* in apparatu, sed & ipse numero trinitatis consecratus, ut tibi malum non facias, alteri non noceas, nec consentias nocenti. Expertus es quàm fragilis sit voluptatum immersio, & tu iterum vadis illuc ? Animadvertisti quia transiit voluptas, & peccatū remansit ? Reprime pedem ab infandis itineribus immundissimæ libidinis. Colla substerne mandatis Altissimi, ne sit iniquitas in manibus tuis. Desævienti gulæ solennes epulas, & vana rescinde colloquia. *Averte oculos ne videant vanitatem* [p] , *obtura aures tuas ne audiant sanguinem* [q] : & tunc dicere poteris : *Castigans castigavit me Dominus* [r] . Quid autem prodest intra rectitudinis lineam tui cursus opera cohibere, si aliis nocere desideras ? Qui non fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximos suos, requiescet in monte sancto Dei [s] , accipiens benedictionem à Domino, & mise-

k Iacob. 5. d

l Psal. 50. a

5. *Gradus Confessionis est* Maceratio carnis, *quæ tripliciter fieri debet.*

m Matt. 6. a

1. *Occultè* ;

n 2. Cor. 1. c

o Matt. 5. b

2. *Licentiosè.*

3. *Discretè.*

6. *Gradus Confess.* Correcti operis, *& hic triplex :*

1. *Vt tibi malum non facias.*

p Psal. 118.

q Esa. 33. c

r Psal. 117. c

2. *Alteri non noceas.*

s Psal. 14. a

misericordiam à Deo salutari suo [t]. Non autem te innocentem præsumas, nisi impios & contra virtutem gradientes quanta poteris auctoritate redarguas & opponas te murum pro domo Israel, castigans te, non nocens alteri, nec nocenti consentiens. Vera est enim illa sententia: Qui cum emẽdare possit, negligit: participem se proculdubio constituit. Cum enim causa Dei ventilatur in medium, & falsitas præponitur veritati, qui cum persona quam gerit non resistit, de suo damnabitur silentio.

[t] Psal. 23. a

3. *Nec consentias nocenti.* Qui non vetat peccare, cum possit, jubet. *Publ. Min.*

Septimus gradus est *perseverantia*; sed & ipsa ternarii numeri sanctificatione dicata. Perseverantiam namque faciunt imitatio Sanctorum; brevitas temporum; fragilitas corporum. Quid namq; pati non possis, cum videas juvenes, pueros, virgines, anus, senes, decrepitos, diversa pro Christo, non solum excepisse, sed & exquisisse tormenta? Considera puerorum ætatem, juvenum ignem, virginum teneritudinem, anuum fragilitatem, senum infirmitatem, impossibilitatem decrepitorum; & ubicunque reflexeris oculos, invenies his ætatibus multitudinem exemplorum ad palmam martyrii viriliter cucurrisse. Nunquid de eodem luto formatus es tu, & eodem spiritu inspiratus? Et forsitan non ingruit persecutio, ut martyrium patiaris; nec damnaris, si Christo servis: imò laudaris, & ab omnibus prædicaris. Quod si & persecutio imminet, contenenda est propter brevitatem. Benè enim natura providit, quæ nullum dolorem vel longum vel magnum esse demonstrat. Si enim magnus est, longus esse non potest. Conjunctio enim corporis & animæ exquisita diu tormenta non sustinet, sed stuporis magnitudine tremefacta, summa velocitate dissolvitur. Magni ergo animi est magna tormenta contemnere, quæ in brevi tantam pariunt mutationẽ, ut de labore ad requiem, de miseria ad gloriam patientem faciant evolare. Consideranda est etiam fragilitas corporis, quam sæpe aut aliquis levissimus casus, aut incandentis febriculæ cumulata congeries, brevi possunt suffocare momento. Tribue ergò virtuti; si necessitas fuerit, quod quandoq; debes necessitati, pro brevi periculo sempiternum præmium adepturus. Vides ergò quam difficilis sit via confessionis ad currendum, quàm multiplices semitæ ad tenendum. Verum est quod ille tantus Ecclesiæ magister ait†: *Facilius inveni eos qui innocentiam servarunt, quàm qui congruam egerunt pœnitentiam.* Hæc de via confessionis pro modulo nostro locuti sumus, sublimioribus sublimiores sententias reservantes. Cæterum obedientiæ viam sub alio sermonis principio aperire tentabimus, ne unquam in fastidium veniant verba Domini Salvatoris, qui est benedictus in secula.

2. *Brevitas temporum.*

1. *Fragilitas corporum.*

† S. Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 10

Sermo XLI.

De virtute Obedientiæ, & eius Gradibus.

1. Cor. 3. b

Non possumus nos cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est [a]. Quid enim in hoc vase testeo, & fragilitate complexio

plexionis humanæ, cogitare sufficit spiritus carcere inclusus, peccato corruptus, depressus terrenis? *Corpus* enim *quod corrumpitur, aggravat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* [b]. Benignus tamen est Spiritus sapientiæ [c], qui & spiritum inclusum illuminat, & corruptum sanat, & allevat depressum. Est enim Spiritus pietatis, compeditos solvens, cæcos illuminans, & erigens elisos. Est & Spiritus veritatis [d], qui docet nos omnem veritatem: non solum autem docet, sed etiam suggerit. Suggerit videlicet, ut quæramus, docet ut intelligamus. Ipse est, quem Dominus Jesus post Patris obedientiam usque ad mortem crucis, Apostolis suis misit, obedientibus suis. An non tibi videntur singularis obedientiæ conscendisse fastigium, qui acceptâ licentiâ sedendi in civitate, intra unius domunculæ septa concluſi unanimiter in oratione perseverabant [e]? Intellexisti quia ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati [f]. O quantis obedientiæ viribus innituntur, qui gaudent pro Christo ad concilium trahi? Dignitatem ducunt pro eo cædis gloriam, quærunt pro eo mori. Beatæ animæ, & abundanti majestate Spiritus influentes: quibus vilitas sublimitas, contumelia gloria, patientia victoria, mirabili mirabilitate videntur. Multum repleta est anima eorum, opprobrium abundantibus, & despectio superbis [g]. Cernis quàm libera fronte Pontificum faciem, Pharisæorum supercilium, tumultum plebis irrumpant, dicentes [h]: *Magis oportet Deo obedire quàm hominibus.* Intuere illa duo magna luminaria Petrum & Paulum, & universum ordinem apostolici senatus obambula; & ibi videbis obedientiæ firmitatem inter tormentorum multitudinem viriliter perstitisse. Nonne ipse filius regis, rex regionis illius, quæ continuis gaudiis inclarescit, *factus est Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* [i], & didicit obedientiam ex iis quæ passus est? Audisti miseriam, audi & coronam: vidisti periculum, vide præmium: attendisti infirmitatem, attende potestatem. *Propter quod* (inquit) *& Deus exaltavit illum, & dedit ei nomen quod est super omne nomen* [k]. Sed taceamus interim de illius obedientia, quæ singulari prærogativa clauditur & significatur.

Procedat in medium magnus ille patriarcha, fidei lumen, obedientiæ forma, justitiæ principatus. Audit ab omnipotente [l]: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi*: & ad unius jussionis vocem, patriam fugit, relinquit parentes, deserit hæreditatem, & aliorum fines hospes ingreditur novus. Magna res, & primitivæ dignitatis privilegio in patre multarum gentium consecrata. Primus primum suis facultatibus renunciat, & obedientiæ viam indefessa velocitate percurrit. Deniq; cum accepisset filium in senectute sua, in quo totius mundi benedictio fuerat cumulanda, dicit ei Deus [m]: *Tolle filium*

b Sapien. 9. d
c Sapien. 1. b
d Ioan. 14. d
e Act. 2. a
Obedientia commendatur in Apostolis.
f Actor. 5. g
g Psal. 122. a
h Actor. 5. c
In Christo Domino.
i Philip. 2. b
k Ibidem.
In Abraham Patriarcha.
l Gen. 12. a
m Gen. 22.

filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac: & offer illum mihi in holocaustum. O quanta in verbis istis amaritudo, quanta à corde patris separatio pietatis? Iubetur namque filium occidere, os ex ossibus suis, & carnem de carne sua: filium magnæ promissionis, extremæ senectutis, propriæ mulieris: filium mirabiliter promissum, feliciter natum, educatum innocenter. Et ne quid deesset, ut tenerrimum intra paterna viscera doloris incendium exundaret, additur, *unigenitum*. Sunt namque multi filii, sed non unigeniti. Iste sic est filius, ut & unigenitus. Iste unicus patri, unigenitus matri, hæreditati reservatus. Ne respicias ad Ismaël, quia in servitute & ex ancilla genitus fuerat, ad libertatem & hæreditatem minimè pertinebat. Quia verò multi sunt filii & unigeniti, sed non dilecti: ad exaggerandam in corde patris tribulationem, & comprobandam in mente justi obedientiam Dominus subiungit, *quem diligis*. Ut verè teneritudo patris ex memoria dilecti nominis recrudesceret, & interior pietas ad dilectæ vocis sonum tota ferveret, *puer* nominatur ex nomine, quod vocatum erat à Domino priusquam in utero conciperetur. Vides quantis tribulationum malleis Abrahæ pietas feriatur, cui præcipitur ut filium tollat, occidat unigenitum, quem diligit immolet, Isaac percutiat? Multum tentatus, multum probatus, adustus est multum: dulcis relatio filii ad patrem, patris ad filium. Hanc dulcedinem & omnis affectus vicissitudinem obliviscitur Abraham; sternit asinum suum, ligna componit, ignem accendit, eximit gladium. Non à Domino quærit, quare: non murmurat, non conqueritur, non saltem vultum doloris ostendit: sed omnium quæ præcipiuntur gnarus, in mortem filii pia crudelitate festinat. Ideo summæ & admirabilis obedientiæ virtus in Abraham, & singularis excellentiæ laudibus prædicanda.

Obedientia Abrahami variè probata.

Fortissima res est obedientia vera, & quæ in animum descendere non potest, nisi à mundi huius aspergine purè presseque detersum. Ut autem via eius evidentius eluceat, ostendamus quantum possumus quæ sit obedientia specialis ad Deum, propria ad hominem, communis inter Deum & hominem. Sunt quædam summè mala, quædam summè bona. Summè bona sunt diligere Deum, amare proximum, veritatem loqui, non furtum facere, non falsum testimonium dicere, non adulterari: & alia multa quæ sermonis brevitas numerare prohibet. Summè mala sunt eorum contraria, & similia illis. Bona præcipit Deus ut faciamus; à malis jubet ut abstineamus. Præceptis huius sancta & incommutabilis auctoritas non valet quoquo modo refelli; quia illius est charactere consignata, qui dicit [n]: *Ego Dominus, & non mutor.* Si ergo homo ille, quem imposuit Dominus super capita nostra aliter sentire voluerit, ponens tenebras lucem, & lucem tenebras, vel præcipiat prædicta bona relinquere, vel malis præfatis adhærere; audacter refutandum est præcipientis imperium, & libera voce dicendum [o]: *Obedire oportet*

Obedientia triplex: specialis *ad Deum*: propria *ad hominem*; Communis *inter Deum & hominem.*

[n] Mala 3. b *Prælatis quousque obediendum.*

[o] Act. 5. e

oportet magis Deo quam hominibus. Hæc est specialis obedientia ad Deum, quæ nunquam est hominis arbitrio temperanda, sed in commutabili conservanda proposito. Certam igitur regulam tene, ut nec imperio prælatorum prædicta bona relinquas, vel facias mala. Inter summè verò mala & summè bona, quædam media sunt, ad alterutrum se habentia, & boni maliq; nomen assumunt. Media sunt ambulare, sedere, loqui, tacere, comedere, jeiunare, vigilare, dormire, & si qua sunt similia: quæ si pastoris licentia fiant, summam expectant retributionem. In his igitur mediis subditi esse & obedientes debemus ad nutum præpositorum, nihil interrogantes, propter conscientiam *p*: quia in his nullum præfixit opus Deus, sed prælatorum dereliquit imperio disponenda. Non autem te moveat magister imperitus, indiscreta potestas: sed memento quia non est potestas nisi à Deo: & qui resistit potestati, resistit Dei ordinationi *q*. Hæc est propria hominis obedientia quam homini debemus, qui homini subditi sumus. Communis est etiam inter Deum & hominem: quia quicquid obedientiæ prælatis exhibetur, ei exhibetur qui dicit *r*: *Qui vos audit, me audit.* Cum magna igitur cautela hoc tramite dicimus incedendum: quia & multi gradus ibidem delitescunt, quorum qui unum reliquerit, cæteros sine retributione tenebit.

p 1. Cor. 10. f

q Rom. 13. a

r Luc. 10. c

Primus gradus obedientiæ est *obedire libenter.* Omnis ætas ab adolescentia sua prona est ad malum *s*, & unusquisque voluntatem pravi cordis sui sectatur. Ab illa enim primæ prævaricationis angustia innatus est homini amor propriæ voluntatis, quæ voluntatem sui Creatoris relinquens, ibi subdita est servituti, ubi voluit dominari. Difficile est ergo suam relinquere voluntatem, & alterius voluntati deservire. Quamlibet autem grave sit, non potest tamen primum obedientiæ ascendere gradum, qui voluntatē præcipientis suam non fecerit. In voluntate sua iustus gloriatur sese Domino confiteri, Unde *voluntarie* (inquit *t*) *sacrificabo tibi.* Sola ergo voluntas est, quæ totius operis ornat effectum, sine qua etiam nec benè aliquid agitur, etiam si bonum esse videatur†. Ex voluntate igitur suscipienda sunt imperia prælatorum, & ipsum cor à suis voluntariis reflexionibus abducendum, donec propria voluntas mactata mandatum diligat imperantis. Hoc est ergò libenter obedire, prælatorum voluntatem voluntariè adimplere.

s Gen. 8. d

1. *Obedientiæ Grad.* Obedire libenter.

t Psal. 53. b

* *S. August.* Nemo invitus benefacit, etsi bonū est quod facit. 1. *Confes.* c. 12.

Secundus obedientiæ gradus est *obtemperare simpliciter.* Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter *u*. In simplicitate cordis quærere Dominum Scriptura præmonstrat *x*. Multos videmus post præcipientis imperium multas facere quæstiones: cur, quare, quamobrem, sæpius interrogare: crebras ingeminare querelas: quærere, quare hoc præcipit, unde hoc venit, quis hoc adinvenit consilium? Inde murmuratio, inde verba murmurationem & indignationem sonantia, & redolentia amaritudinem. Inde frequens

u Prov. 10. b

2. *Obedientiæ Grad.* Obedire simpliciter.

x Sap. 1. a

excusatio, simulatio impossibilitatis, advocatio amicorum. Nonsic Abraham. Audivi quid Dominus de simplici populo protestetur: *In auditu* (inquit [y]) *auris obedivit mihi*, ut videlicet ostenderet uno eodemque momento processisse & imperantis imperium, & obsequium obsequentis. Nolite errare. Deus non irridetur [z]. Murmuras contra prælatum in tabernaculo corporis tui? elevat manum suam ad prosternendum te dextera Dei. Incede igitur simpliciter in mandatis obedientiæ, addens voluntati simplicitatem, intentioni illuminationem. Fortitudo enim simplicis via Domini [a], quæ obedientia est. Fortitudinem igitur induunt qui obedientes sunt, & simpliciter incedunt.

y Psal. 17. g
z Galat. 6. b
a Prov. 10. d

Tertius gradus est *hilariter obedire*. Hilarem enim datorem diligit Deus [b]. *Non ex tristitia* (inquit Apostolus) *aut ex necessitate*. Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis. Unde & gentilis ille Poeta ait sic: *Super omnia vultus accessere boni*. Quis enim locus obedientiæ, ubi tristitiæ cernitur ægritudo? Ostendunt plerunque voluntatem animi signa exteriora, & difficile est ut vultum non mutet, qui mutant voluntatem. Nubilosa corporis compositio, & facies tenebris obfuscata tristitiæ, devotionem ab animo recessisse signant. Respice David ante arcam Domini hilariter saltantem, & quàm sapienter superbientis fœminæ reprimit indignationem. *Ludam* (inquit [d]) *& vilior ero in conspectu Domini*. Cernis igitur quàm necessaria & conveniens sit hilaritas in obedientiæ executione. Quis imperat libenter tristitiam efflanti? Si vis ergò perfectus esse, hilariter & cum magna vultus alacritate suscipe jubentis imperium, ut voluntati cordis, simplicitati operis, vultus hilaritatem adjungas.

3. *Obedientiæ Grad.* Obedire hilariter.
b 2. Cor. 9. b
c Ibidem.
d 2. Reg. 6. d

Quartus gradus est *obsecundare velociter*. Velociter currit sermo Dei [e], & velocem habere desiderat sequentem. Vides cum quanta velocitate currit ille qui dicit [f]. *Viam mandatorum tuorum cucurri*. Fidelis obediens nescit moras, fugit craftinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Vide Dominum festinanter præcipientem, & hominem festinanter obedientem. *Zachæe* (inquit [g]) *festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinanter descendit, excepit eum gaudens*. Animadvertisti quia & festinanter descenderit, & gaudenter exceperit. Audisti obedientiam, audi & obedientiæ remunerationem: *Quia salus huic domui facta est*. Intuere etiam ex occasione huius obedientiæ conclusionis grande mysterium, & obsignatam signaculo misericordiæ sententiam. *Venit enim* (inquit [h]) *filius hominis quærere & salvum facere quod perierat*. Nonne legisti [i] quod filiis Israel præcipitur, ut Agnum comedant festinanter? Festinanter quippe veri Agni co-

4. *Obedientiæ Grad.* Obedire velociter.
e Psal. 147. a
f Psal. 118. d
*g Lucæ 19. a
h Ibidem.
i Exod. 12. b

mestio

mestio signatur implenda: quia verba illa, quæ per legem dedit, quæ per semetipsum præsens exhibuit, quæ per Ecclesiæ præpositos tradenda reliquit, veloci sunt obedientia consummanda. Et tu ergò cum voluntatem cordi, simplicitatem operi, hilaritatem vultui coniunxeris, adde velocitatem; ut sis juxta Apostolum [k] Iacobum, *velox ad audiendum*, & ad implendum velocior.

k Iacob. 1. c

Quintus gradus est *adimplere viriliter*. Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Non est fortitudinis ire ad inobedientiam, sed ab obedientia non abduci. Si tribulatio intonat, si persecutio resultat, si peccatores tibi laqueum ponunt, si maligni tuum iter impediunt: tu obedientiæ viam non deseras, sed dic [l]: *Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Quid enim superius enumerata pariunt utilitatis, si fortitudo desit, quæ in arce constantiæ virtutes collocat, & eo vallo munit quo furentis impetus aspirare non possit? Manum tuam misisti ad fortia? agendum est instanter, & constanter obediendum: nec inter verborum seu verberum asperitatem tam regalis est semita relinquenda, sed tenaciori est retinenda fervore. Et ut breviter dotes Fortitudinis concludamus, virtus est virtutes servans ac muniens. Iunge igitur velocitati fortitudinem, constantiam instantiæ, & tunc decantabis securus: *Manus peccatoris non movebit me* [m].

Psal. 30. g 5. *Obedientiæ Grad.* adimplere viriliter.

l Psal. 118. k

m Psal. 35 c

Sextus gradus est *humiliter obedire*. In humilitate nostra memor fuit nostri [n], qui fecit nos. Magna virtus humilitas, sine cuius obtentu virtus fortitudinis, non solum virtus non sit, sed etiam in superbiæ vitium erumpat. Quàm fortiter currebat Saul cum esset parvulus in oculis suis; quanta Philistæorum agmina prosternebat: quantis viribus exercebat gladium? Postquam autem tenuit eum superbia, & transivit in affectum cordis, debilis & impotens factus, in circumcisorum armis facilè prostratus occubuit. Aspice regem in quo humilitas sublimis, & humilis sublimitas felici compositione nitescunt. *Domine* (inquit [k]) *non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei*: & ad totum itinerarium eius sedula intentione recurre, & quaquaversum oculos reflexeris, invenies humilitatis floribus esse respersum. Audi namque alibi quid dicat [l]: *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Quàm verè loquitur justus justitiæ executor. Sunt namque plurimi qui fortitudinem suam non ad Deum, sed ad inanem gloriam custodiunt; qui confidunt in virtute sua: qui de acceptis virtutibus quasi non acceperint, gloriantur; Conditori facientes iniuriam, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum [m]. Ne ergò fortitudo in superbiam transeat, condienda est sale humilitatis, quia nihil proderit fortiter obedire, si contigerit infeliciter superbire. Illi ergò fortitudinem suam ad Deum custodiunt, qui cum fecerint quod facere debent, dicere possunt: *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus* [n].

n Psal. 135. c

6. *Obedientiæ Gradus* Humiliter obedire.

k Psal. 130.

l Psal. 58. b *

m Iacob. 1. c

7. *Gradus Obedientiæ*, Indesinenter obtemperare.

Septimus gradus est *indesinenter obtemperare*. Non qui inceperit, sed *qui perseveraverit, salvus erit* [o]. Incipere multorum est; perseverare paucorum. Perseverantia singularis est filia summi regis, virtutum fructus, earũque consummatio, totius boni repositorium, virtus sine qua nemo videbit Deum, nec à Deo videbitur: finis est ad justitiam omni credenti, in qua virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit. Quid enim currere prodest, & ante metam cursus deficere? *Sic currite ut comprehendatis*, dicit Apostolus *p*: O quàm perseveranti pede cursum perfecerat qui dicebat: *Cursum consummavi*. O quam longum cursum felix ille Latro complevit, qui consummatus in brevi *q* explevit tempora multa [r]. Denique & Dominus Prophetarum loquitur *s*: *Si conversus fuerit justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem: omnium justitiarum eius non recordabor*. Vides ergo quam profunda oblivione virtutes illæ sepeliantur, quas perseverantia non insignivit. Sola est, quæ amatorem obedientiæ ad regis cubiculum introducit, ut eum videat in decore suo, in quem desiderant Angeli prospicere *t*. In via igitur ista qua ambulamus, absconderunt superbi laqueum mihi *u*. Difficilis est via ista, & gravis spinosis anfractibus, multiplicium vinculorum nexibus innodata. An tu ibi putas obedientiæ fructum cum subditus audit obedientiam quam multis expetierat votis, cum ei præcipitur quod redoleat dignitatem, gaudio & lætitia fluitet, potentiæ fulciatur imagine? E contrario autem an tu illi obedientiæ meritum assignas, quæ cum adversitate procedens, animum teret audientis, gravis ad audiendum, gravior ad implendum, ad tenendum gravissima? Non est ita. Faciendum est ut à prosperitate animo separemur: & adversitatem animo complectamur; si volumus illum sequi, qui regnum fugit *x*, & ad passionem voluntarius venit *y*.

o Matt. 10. c & 24. b

p 1. Cor. 9. d

q 2. Tim. 4. b

r Sapient. 4. c

s Ezech. 18. f.

Perseverantiæ necessitas.

t 1. Pet. 1. b

u Psal. 139. b

Obedientia falsa.

x Ioan. 6. b

y Isa. 53. c

Animadvertis igitur, quia viæ istæ, viæ vitæ sunt, ducentes ad vitam. *Beati mites* z, quoniam mites docebit Dominus vias suas [a]: continget enim eis quod sequitur [b]: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. Quia quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino [c], longè sumus à facie Dei, à vultu gloriæ, à contemplatione majestatis, nisi quia plerunq; misericors & miserator Dominus illuminat vultum suum super nos. Hoc autem fit, cum remota nube illa, quæ opposita erat ne transiret oratio, accedimus ad illum & illuminamur, revelata facie gloriam Dei speculantes. Non autem ita proprie revelata facie accipiamus, cum videamus adhuc per speculum & in ænigmate, & carcerali corpore teneamur. *Revelatæ* dicit quantum ad caliginem corporum. Unde spiritus iste creatus aliquandò ad Creatorẽ Spirituum emergit, & adhærens ei unus cum eo spiritus efficitur. Nullius autem momenti est ista contemplatio quia spiritus claustris corporeis circumdatus frequenti carnis contagione reliditur, & supra creaturam constitus, infra quæque vilissima prona reperitur. Sed & creator Spiritus cuius magna

z Matt. 5. a

a Psal. 24. b

b Psal. 15. c.

c 2. Cor. 5. b

sunt

d 2. Cor. 3. e

sunt opera, exquisita in omnes voluntates ejus [e], modò accedit nescientibus nobis, modò ignorantibus nobis recedit, quia nescimus unde veniat, aut quo vadat [f]. Et plerunque quantò frequentius quæritur, tantò velocius elongatur; juxta quod & ipse loquitur sponsæ [g]: *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Contingit etiam ut cum non quæritur veniat, cum quæritur fugiat, sicut sponsa se in Canticis multipliciter ostendit quæsisse, & non invenisse [h]. Non est autem vultus iste, vultum gloriæ Domini invenisse, quæ est super Cherubim, quia universitati Angelorum purissimus & clarissimus exhibetur; nobis verò speculatoriis & umbratilibus adumbratur imaginibus.

Quia igitur hic vultum Dei sicuti est videre non possumus, adimpletionem lætitiæ non habemus, donec trahat nos ad seipsum, & accedat caput corpori, & sit Deus omnia in omnibus. Illic erit adimpletio, hic est gustus. Gustamus enim hic & videmus quoniam suavis est Dominus; sed gustus iste non transit in potum, quia licet videamus non tamen penetramus: In gustu est suavis, in adimpletione mirabilis. Sanctorum autem animæ terrenis exutæ corporibus, quæ jam ad sedes æthereas evolaverunt, licet bibant, non tamen adimplentur, non tamen inebriantur †. Quamvis enim multa beatitudine perfruantur; expectant tamen resurrectionem mortuorum corporum, ut cum in terra sua duplicia possederint *i*, sempiterna perfundantur lætitia. Modo enim illis singulis singulæ stolæ albæ datæ sunt! & injunctum ut sustineant tempus adhuc modicum [k], donec impii conterantur duplici contritione, & ipsi gemina beatitudine coronentur. Cum ergo nondum habeant quod habere desiderant, inebriari non possunt, sed est eis illa visio potus: ut sicut absque labore bibitur, ita sine labore quiescatur, donec satientur cum apparuerit gloria sua. Cum autem resurgemus in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi *l*, & gloriosa illa civitas margaritis ornabitur, & sicut lætantium omnium habitatio erit in ea [m]: tunc adimplebit nos lætitia cum vultu suo, quia videbimus eum sicuti est [n]. Tunc inebriabimur ab ubertate domus suæ & torrente voluptatis suæ potabit nos [o], dicetque nobis [p]: *Bibite & inebriamini charissimi*: quia & anima illuminationem, & corpus glorificationem jure perpetuo possidebunt.

Sequitur: *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Sinistra Dei, vita præsens est. Et quia pro sinistro ducimus, quicquid non multum curamus, per sinistram præsens vita accipitur, in qua Dominus electos suos, sic ab impiis permittit flagellari, ut etiam patiatur occidi. An non tibi videntur obliviosi dati qui dicunt [r]: *Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis: quare faciem tuam avertis, obliviscéris inopiæ nostræ?* Per dexteram vero illa beata vita signatur quæ nescit nisi gaudia, de qua nihil aliud

e Psal. 110. a *Spiritus divini occulti accessus & recessus.*
f Ioan. 3. b
g Cant. 3. a
h Cant. 6. a *Deus in hac vita sicuti est videri non potest.*
Animæ sanctæ corporibus exutæ non plenè beatæ, nisi post resurrectionem corporum.
† v. Tom. 4 Tract. de dil. Deo. c. 1
i Esa. 61. c
k Apo. 6. c
l Eph. 4. c
m Psal. 15.
n 1. Ioan. 3
o Psal. 25.
p Cant. 5. a
q Psal. 15
r Psal. 43. c

aliud dicere possumus, nisi quia [f] *gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Ibi sunt delectationes illæ, quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se [t]. In sinistra tribulationes, in dextera delectationes. Usquequò autem? *Usque in finem.* Quis est iste finis? Finis ad justitiam; Christus omni credenti [u]: finis ille de quo Sapiens dixit [x]: *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Deum enim cernere, finis est consummatus. Ipse est finis, ad quem cum venerimus, nihil amplius sitiemus: Jesus Christus sponsus Ecclesiæ, qui est benedictus in secula, Amen.

[f] Psal. 56. a

[t] 1. Cor. 2. b

[u] Rom. 10. a

[x] Sap. 8. a

De quinque Negociationibus, & quinque Regionibus †.

† Confer cum sermone de S. Nicolao, Tom. 5.

Sermo LXII.

Negociamini dum venio. Lucæ 19. c

VErbum Patris, Unigenitus Dei, Sol justitiæ, summus ille negociator, de ultimis cœlorum finibus nostræ redemptionis precium apportavit. Fidelis ista negociatio & omni acceptione dignissima, in qua Rex filius Regis efficitur negociatio, aurum pro plumbo tribuitur, pro peccatore donatus est justus. O quàm indebita miseratio, quàm gratuita & sic probata dilectio, quam inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo, quàm invicta mansuetudo, quàm vilis negociatio, ubi filius Dei pro servo traditur, pro creatura Creator occiditur, pro mancipio Dominus condemnatur! Tua sunt hæc Christe opera, qui de lumine cœli ad tenebras inferni: à dextra majestatis ad miseriam humanitatis; à gloria Patris ad mortem crucis descendisti: infernum illustrando, hominem redimendo, superando mortem, & mortis auctorem. Unus es, & secundum non habes: quem ad nos redimendum propria benignitas invitavit: misericordia traxit: veritas qua te venturum promiseras, compulit; puritas uteri virginalis suscepit; salva virginitatis integritate potentia eduxit; obedientia in omnibus deduxit; patientia armavit; charitas verbis & miraculis manifestavit. Absint procul negociatores terræ Themam, recedant filii Agar, qui exquisierunt prudentiam; elongentur à me gigantes è seculo nominati, qui ab initio fuerunt staturâ magnâ, scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ meruerunt, propterea perierunt: sed dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Abscondisti enim hæc Domine sapientibus & prudentibus, gigantibus & nominatis, qui magnifacti sunt videlicet in oculis suis, & revelasti ea parvulis & humilibus tuis [a]. Libenter amplector negociationem tuam, quia negocium meum est. Hæc mercimonia cum summa suavitate ruminat anima mea. Non solum autem ruminat, sed & revocat ruminationem tuam: qui & intelligit quam diligit, & commendat memoriæ, quam elegit. In his negociationibus præcipis esse animam meam; ut

[a] Matt. 11. d

fiat

fiat navis institoris de longè portans panem suum [b]. Negociabor donec venias, venienti lætus occurram, & utinam audiam: *Euge serve bone.* Tui sunt cœli, & tua est terra. in regionibus tuis. Negociabor igitur securus, te solum habens in itinere ducem, in periculis protectorem, consortem in tribulatione. [b] Prov. 31. b

Regiones tuæ quinque sunt, quas perambulant ad negociandum institores tui, ubi te quærunt dilecti tui, & inveniunt electi tui. Prima regio est *regio dissimilitudinis.* Nobilis illa creatura in regione similitudinis fabricata, quia ad imaginem Dei facta, cum in honore esset, non intellexit; & de similitudine ad dissimilitudinem descendit. Magna prorsus dissimilitudo, de paradiso ad infernum, & de angelo ad jumentum, de Deo ad diabolum. Execranda conversio, gloriam in miseriam, vitam in pugnam perpetua captivitate convertere. Maledicta descensio, de divitiis ad paupertatem, de libertate ad servitutem, & de requie ad laborem descendere. Miseri nos, & miserabiliter nati: quibus datū est nasci in mœrore, vivere in labore, in dolore mori: de peccatore peccatores; de debitore debitores; de corrupto corrupti; de subacto subacti; geniti & generantes: sumus gens peccatrix, populus gravis iniquitate, semen pessimū, filii scelerati, addentes prævaricationem. Ecce quasi non simus sic sumus coram eo, quasi nihilū & inane reputati, putantes nos aliquid esse cum nihil simus. Vulnerati sumus ingredientes mundum, conversando in mundo, exeundo de mundo, à planta pedis usque ad verticem non est sanitas in nobis. Noverat hæc ille sublimis Propheta, qui statum humanæ miseriæ deplorans, in hæc verba prorupit [d]: *Grave jugum est super filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium.* [c] Esa. 40. d [d] Eccli. 40. a

Quinque Regiones, & quid in singulis negociandum. *Prima est regio dissimilitudinis, id est, præsens sæculum.*

In hac dissimilitudinis regione quid negociamur Domine Deus? Aspicio genus humanum ab ortu solis usque ad occasum hujus mundi nundinas perambulare; alios divitias quærere; alios honoribus inhiare; alios favoralis auræ suavitate raptari. Sed quid de divitiis? Nonne cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur? Thesaurizas & ignoras cui congregabis ea [e]. Vide quantum laborem pro perituris divitiis assumpsisti. Transis maria, & alium tibi orbem aperis navigando, secundū sapientem tribus digitis distans à morte, patriam fugis, relinquis parentes, divelleris ab uxore, filios nescis, & omnium necessitudinum oblitus, quæris ut acquiras, acquiris ut perdas, perdis ut doleas. *Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium* [f]? Quæ est ista dementia filii Adam, circuire maria, perambulare terras, rapi extra mundum, in laboribus plurimis, in vigiliis multis, in jejuniis crebris, in motibus frequenter? Ecce quales divitiæ. Sed quid de honoribus? In sublimi loco positus es, ducem te constituerunt. Vide si non à Deo judicandus es, ab ho-

Negociationes in hac regione quales.

[e] Psal. 38. b *Pro Divitiis.*

[f] Psal. 4. à

Honoribus.

ab hominibus spectandus: ab omnibus lacerandus. Si miles es, excubas ante limina principis, ut principatum acquiras, & ferrato vestitus amictu, propior es vulneri, quàm honori, morti quam vitæ, periculo quàm præmio. Si de sorte Domini, nonne Episcopus Romanum Pontificem, Archidiaconus vel Diaconus Episcopum pertimescit? Vide etiam utrum excusseris manus tuas ab omni munere, ne cum Simone audias [g]: *Non est tibi pars neque sors in sermone isto: quia voluisti donum Spiritus sancti cum pecunia possidere.* Nihil ad nos de rectoribus Ecclesiæ judicare; videant ipsi amici sponsi, cum de sponsa cœperit exigere rationem, qui judicat orbem terræ in æquitate. Nunquid in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis potest? Ecce quales honores. Quid autem de gloria? Gloria tibi unde fœtide pulvis, limus terræ, vas in contumeliam? Non tibi, non tibi, sed nomini Domini da gloriam. Illi permitte gloriam suam, qui glorioſus est in sanctis suis. Illum lauda, quem laudant Angeli in cœlis. Nunquid & ipsa inanis gloria, quæ nihil aliud est quàm aurium inflatio vana, quæ haberi vix potest sine invidia? Respice quos antecedis, & cogita quia omnibus invidiæ semina præbuisti. Omnes ergo adversum te torvis luminibus inflammantur, tua felicitate torquentur, tua uruntur gloria. Ecce unde glorioſus, inde odioſus: unde sublimis, inde humilis: inde sollicitus, unde securus. Vides ergo quàm vanè conturbatur omnis homo [h]. Hæc sunt mercimonia, quæ inveniuntur in regione dissimilitudinis. Prudens ergo negociator, qui videt in divitiis laborem, in honoribus pœnam, invidiam in gloria, facit sarcinam suam mundi contemptum, & fugit.

g Act. 8. d

Vana gloria.

h Psal. 38. d

Contemptum mundi hinc nundinare.

Secunda regio est *paradisus claustralis.* Verè claustrum est paradisus, regio vallo disciplinæ munita, in qua preciosarum est mercium fœcunda fertilitas. Glorioſa res, homines unius moris habitare in domo; bonum & jucundum habitare fratres in unum [i]. Videas illum peccata sua deflentem; alium in Dei laudibus exultantem; hunc hominibus ministrantem; illum alios erudientem; hunc orantem; illum legentem; hunc miserentem; illum peccata punientem; hunc charitate flagrantem; illum humilitate pollentem; hunc in prosperis humilem; illum in adversitate sublimem; hunc in activa laborantem; illum in contemplativa quiescentem: & poteris dicere: *Castra Dei sunt hæc. Quam terribilis est locus iste: non est hic* [k] *aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Quid tibi ergò fidelis anima in his nundinis est consectandum? Perambula virtutes cohabitantium in domo Domini virtutum, & fac inde sarcinam tuam, formam vivendi. Quæ prius habitabas in regione umbræ mortis, transi ad regionem vitæ & veritatis.

2. *Regio est paradisus claustralis.*

i Psal. 132. a

Psal. 138.

k Genes. 32. a

Forma vivendi hic comparanda.

Tertia regio est *regio expiationis.* Tria sunt loca quæ mortuorum animæ pro diversis meritis sortiuntur, infernus, purgatorium, cœlum. In inferno

3. *Regio est regio expiationis seu Purgatorium.*

ferno impii, in purgatorio purgandi, in cœlo perfecti. Qui in inferno sunt, redimi non possunt: quia in inferno nulla est redemptio. Qui in purgatorio sunt, expectant redemptionem, prius cruciandi, aut calore ignis, aut rigore frigoris, aut alicuius gravitate doloris. Qui in cœlo sunt, gaudio gaudent ad visionem Dei, Christi fratres in natura, cohæredes in gloria, similes in æternitate jucunda. Quia igitur primi redimi non possunt, tertii redemptione non indigent: restat, ut ad medios transeamus per compassionem, quibus juncti fuimus per humanitatem. Vadam in istam regionem, & videbo visionem hanc grandem, quomodo pius Pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occisionem, sed ad purgationem: non ad iram, sed ad misericordiam: non ad destructionem, sed ad instructionem: ut jam non sint vasa iræ apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum. Surgam ergò in adiutorium illis, interpellabo gemitibus; implorabo suspiriis; orationibus intercedam; satisfaciam sacrificio singulari; si fortè videat Dominus, & judicet, ut laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. His enim & huiusmodi officiis potest eorum pœnitentiâ resecari, finiri labor, destrui pœna. Percurre ergò quæcunque es fidelis anima regionẽ expiationis, & vide quid in ea fiat & in nundinis istis fac sarcinam tuam affectum compatiendi.

tionis seu Purgatorium.

Tria animarum post mortem receptacula.

Affectus compassionis hinc sumendus.

Quarta regio est *regio gehennalis*. O regio dura & gravis, regio extimescenda, regio fugienda; terra oblivionis, terra afflictionis, terra miseriarum in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Locus lethifer, in quo ignis ardens, ubi frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confusio peccatorum, inundatio vinculorum, horribiles dæmonum facies. Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, & concussa sunt omnia ossa mea, Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris *l*? Omnis lapis preciosus operimentum tuum; modò subter te sternitur tinea, & operimentum tuum vermis *m*. O Deus quanta distantia inter operimentum precioſi lapidis, & operimentum vermis; inter delicias paradisi, & tineam corrodentem inferni? Scio quia paratus est ille ignis diabolo, & angelis eius *o*, & hominibus similibus eius: ubi sine fine finientur, sine morte morientur, torquebuntur sine cessatione. Vivens igitur in infernum descende; percurre mentalibus oculis tormentorum officinas, fuge scelera & vitia, pro quibus scelerati homines & vitiosi perierunt. Habe odio iniquitatem, & dilige legem Domini, & tam formidolosis nundinis fac sarcinam tuam odium peccati.

4. Regio, est Regio infernalis.

l Esa. 14. d
m Ezech. 28. d
n Esa. 14. c

o Matt. 25. d

Odium peccati compara.

Quinta regio est *paradisus supercœlestis*. O beata regio supernarum virtutum, ubi beata Trinitas à Beatis facie ad faciem videtur; ubi illa sublimia agmina sublimi pennarum applausu: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth p*, clamare non cessant. Locus est voluptatis, ubi torrente voluptatis potantur

5. Regio Paradisus cœlestis.

p Esa. 6. a

potantur justi. Locus splendoris, ubi justi fulgent sicut splendor firmamenti. Locus lætitiæ, ubi lætitia sempiterna super capita eorum. Locus abundantiæ, ubi nihil deest videntibus eum. Locus suavitatis, ubi apparet Dominus suavis universis. Locus pacis, ubi in pace factus est locus eius. *Eius felicitas & amœnitas.* Locus admirationis, ubi sunt mirabilia opera eius. Locus satietatis, ubi satiabimur cum apparuerit gloria eius. Locus visionis, ubi videbitur magna visio. O regio sublimis, plena divitiarum, de valle lachrymarum suspiramus ad te, ubi sapientia sine ignorantia, memoria sine oblivione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate splendebit. Regio in qua Dominus transiens ministrabit electis suis, id est talem se qualis est ostendet. Illic erit Deus omnia in omnibus, ubi rerum universitas mirabiliter ordinata dabit Creatori gloriam, lætitiam creaturæ. Curre igitur spiritualis anima oculis desideriorum per regionem istam, & vide Regem gloriæ in decore suo glorioſum, stipatum legionibus Angelorum, Sanctorum ornatum agminibus, deponentem superbos, humiles exaltantem, damnantem dæmones, homines redimentem, & dic [q]: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Cum ergò mente perceperis tam pretiosas nundinas, mercimonia tam præclara, construe sarcinam tuam amorem DEI. Vidisti regiones, animadvertisti nundinas, sarcinam construxisti, & beatus es. Negociare ergò dum veniat Dominus Deus tuus, ut ei dicere possis [r]: *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum,* & audire merearis: *Intra in gaudium Domini tui* sponsi Ecclesiæ qui est benedictus in sæcula, Amen.

q Psal. 83. a

Amor DEI hinc comparandus.

r Matt. 25. a

Sermo XLIII.

De Magnanimitate, Longanimitate, & Vnanimitate.

TRiplicem nobis in Ecclesia primitiva virtutem sanctus Lucas brevi sermone commendat, ubi post dominicam Ascensionem unanimiter eos in oratione perseverasse describit [a], expectantes cœlestem consolationem cuius acceperant repromissionem. Laudabili siquidem magnanimitate pusillus grex pastoris, solatio destitutus, minimè tamen dubitans quoniam illi cura esset de eis, sed paternam pro eis gereret sollicitudinem, devotis pulsabat supplicationibus cœlum, certus quòd penetrarent illud justorum orationes, nec pauperum preces spernerentur à Domino, aut sine copiosa benedictione redirent. Sed nec sine longanimitate persistebant indeficientes, juxta illud propheticum [b]: *Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit.* Porrò unanimitas quidem legitur evidenter expressa, quòd hæc sola divini spiritus charismata mereatur. Neque enim est Deus dissensionis sed pacis [e], neque habitare facit nisi unius moris in domo [d].

a Actor. 1. c

b Abac. 2. a

c 1. Cor. 14. d

d Psal. 67.

Jure

Jure igitur præparationem cordis eorum audivit auris divina; nec ab expectatione sua confudit eos, qui & magnanimos & longanimes & unanimes essent. Certissima namque hæc testimonia sunt fidei, spei, charitatis. Et quidem evidenter spes longanimitatem, unanimitatē charitas operatur. Nunquid fides quoque magnanimum facit? Et sola. Quicquid enim sine fide præsumitur, non est ulla animi solida magnitudo, sed ventosa quædam inflatio & tumor inanis. Vis audire magnanimem virum? *Omnia*, inquit [e], *possum in eo qui me confortat*. Imitemur triplicem hanc præparationem Fratres, si desideramus supereffluentem mensuram Spiritus obtinere. Omnibus enim præter Christum ad mensuram datur Spiritus; sed mensuræ cumulus supereffluentis videtur quodammodo excessisse mensuram. Evidens fuit magnanimitas in conversione nostra, sit etiam in consummatione longanimitas; sit unanimitas in conversatione. Huiusmodi siquidem animabus cœlestis illa Hierusalem desiderat instaurari, quibus nec fidei magnitudo desit in suscipiendo onere Christi, nec longitudo spei in persistendo; nec charitatis junctura, quod est vinculum perfectionis.

[e] Philip. 4. b

Sermo XLIV.

De his in quibus mysteria Christi necdum videntur impleta.

Omnia quæ de Salvatore legimus, medicamina sunt animarum nostrarum. Videamus ergo, ne quando fortè dicatur de nobis [a]. *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Cogitet unusquisq; quantum operentur in eo tam salutaria medicamenta. Sunt enim quibus nondum natus est Christus, sunt quibus nondū est passus, sunt quibus non resurrexit usque adhuc. Aliis quoq; nondum ascendit; aliis nondum misit Spiritum sanctum. Quomodo enim operatur ejus humilitas, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*: quomodo, inquam, Dei humilitas in superbo homine operatur? Quæ illius humilitatis vestigia in his qui adhuc toto desiderio terrenis divitiis & honoribus inhiant? An non modo exhilaratur conscientia vestra, Fratres mei, quod dicere potestis: *Parvulus natus est nobis*? Sunt quibus nondum est passus Christus, qui labores fugiunt & mortem metuunt usque adhuc: quasi verò ille & labores sustinendo, & mortem moriendo non vicerit.

[a] Ierem.

[b] Philip. 2. a *Christus quibus nondum natus.*

[c] Esa. 9. c *Quibus nondum passus.*

Sunt quibus nondum surrexit, qui in laborum anxietate & afflictione pœnitentiæ morte afficiuntur tota die, nondum spirituali consolatione recepta. Sed nisi breviati fuissent dies illi, quis posset sustinere? Aliis surrexit Christus, sed nondum ascendit: imo cum eis adhuc pia dulcedine commoratur in terris, his scilicet qui in devotione sunt tota die, flent in orationibus, suspirant in meditationibus suis, & omnia festiva & jucunda sunt eis, & per omnes dies illos continuum Alleluja cantatur. Sed oportet lac eis subtrahi, ut

Quibus nondum surrexit.

Quibus nondū ascendit.

hi, ut discant vesci solido cibo, & expedit eis, ut Christus vadat, & hæc temporalis devotio subtrahatur. Sed quando hoc capere poterunt? Desertos sese à Domino, privatos gratia conqueruntur. Sed expectent paululum, sedeant in civitate, donec induantur solidiori quadam virtute ex alto, & majora percipiant charismata Spiritus sancti, sicut Apostoli promoti sunt in gradum altiorem & supereminentiorem viam charitatis ingressi, non jam solliciti quomodo flerent paululum, sed quomodo magna quadam victoria decommuni adversario triumpharent, & conculcarent Satanam sub pedibus suis.

Quibus nondũ Spir. S. missus.

Sermo XLV.

De varia Trinitate; DEI scilicet & Hominis.

BEata illa & sempiterna Trinitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus, unus Deus scilicet, summa potentia, summa sapientia, summa benignitas creavit quandam trinitatem ad imaginem, & similitudinem suam, animam videlicet rationalem: quæ in eo præfert vestigium quoddam illius summæ Trinitatis, quod ex Memoria, Ratione, & Voluntate consistit. Creavit autem eam hoc modo, ut manens in illo, participatione ejus esset beata: aversa ab illo, quocunque se conferret, remaneret misera. Sed hæc trinitas creata elegit potius per motum propriæ voluntatis cadere, quàm ex gratia conditoris per arbitrium stare. Cecidit ergò per suggestionem, delectationem, consensum, ab illa summa & pulchra Trinitate, scilicet potentiâ, sapientiâ, puritate, in quandam contrariam & fœdam Trinitatem, scilicet infirmitatem, cæcitatem, immunditiam. Memoria enim facta est impotens & infirma, Ratio imprudens & tenebrosa, Voluntas impura. Porrò memoria quæ simplicis divinitatis potentiam stans cogitabat, ab illa cadens & velut supra saxa corruens, in tres partes confracta dissiliit, scilicet in cogitationes affectuosas, onerosas, ociosas. Affectuosas voco illas, in quibus ipsa afficitur, ut in curis rerum necessariarum, edendi, bibendi, cæterorumque similium. Onerosas, in exterioribus administrationibus & occupationibus duris. Ociosas, quibus nec afficitur, nec oneratur, & tamen ab æternorum contemplatione per illa distenditur: ut si cogitet, verbi gratia, equum currentem aut avem volantem.

In anima rationalis est quoddã vestigium summæ Trinitatis.

Trinitas felicitatis animæ in trinitatem miseriæ commutata.

Memoriæ casus miseria.

Rationis quoque triplex casus est. Siquidem ejus erat discernere inter bonum & malum, verum & falsum, commodum & incommodum. In quibus discernendis tanta modo caligine cæcatur, ut sæpè in contrarium ducat judicium, recipiens malum pro bono, falsum pro vero, noxium pro commodo, & è converso. Nunquam verò in his falleretur, si nunquam lumine à quo creata est, privaretur. Sed quia & ipsa inde cecidit, proculdubiò nihil aliud quàm tenebras suæ cæcitatis invenit. Unde factum est ut & instrumen-

Rationis quoque triplex casus.

strumentum perderet, *scilicet* illud Trivium Sapientiæ, Ethicam, Logicam, Physicam: quas nos possumus aliis vocare nominibus, moralem, inspectivam, & naturalem scientiam. Siquidem per Ethicam eligitur bonum, reprobatur malum: per Logicam cognoscitur verum & falsum: per Physicam commodum & incommodum, id est, quid in usum assumendum sit, quid respuendum. *Trivium Sapientiæ.*

Sequitur voluntas, cujus ruina similiter tripertita est. Quæ enim summæ benignitati & puritati inhærere, & eadem diligere debuit; per propriam iniquitatem à supernis in hæc infima lapsa, per concupiscentiam carnis & concupiscentiam oculorum & ambitionem seculi terrena dilexit. Quid hoc infelicius casu potest æstimari, ubi pereunte memoria, ratione, voluntate, tota animæ subitantia perimitur? *Voluntatis itidem ruina triplex.*

Veruntamen hunc tam gravem, tam tenebrosum, tam sordidum lapsum nostræ naturæ reparavit illa beata Trinitas memor misericordiæ suæ, immemor culpæ nostræ. Venit ergo à Patre missus Dei Filius, & dedit fidem: post Filium missus Spiritus Sanctus, & dedit charitatem. Per hæc duo, id est, fidem & charitatem, facta est spes redeundi ad Patrem. Ethæc est Trinitas, scilicet Fides, Spes; Charitas, per quam velut per tridentem reduxit de limo profundi ad amissam beatitudinem illa incommutabilis & beata Trinitas mutabilem, lapsam, & miseram trinitatem. Et Fides quidem illuminavit rationem; Spes erexit memoriam, Charitas verò purgavit voluntatem. Cùm ergò venit (ut dictum est) Dei Filius, factus est homo, qui erat Deus; tanquam medicus bonus dedit præcepta, quibus observatis reformaretur salus amissa. Ut verò præceptis faceret fidem, exhibuit signa. Ut eorundem præceptorum persuaderet utilitatem, promisit beatitudinem. *Triplicem naturæ lapsum reparavit Summa Trinitas.* *Idque per fidem, spem, charitatem.*

Est igitur Fides alia præceptorum, alia signorum, alia promissorum: id est, qua credimus in Deum, qua credimus Deum, qua credimus Deo. Per fidem præceptorum credimus in Deum. Credere autem in Deum, est in eum sperare & eum diligere. Per fidem signorum credimus Deum, qui talia potest, & omnia potest. Per fidem promissorum credimus Deo, qui quicquid promittit, veraciter complet. Similiter quoque Spes triplex est, & procedit de prædicta triplici fide. Nam de fide præceptorum oritur spes veniæ: de fide signorum, spes gratiæ: de fide promissorum, spes gloriæ. Charitas itidem ternario numero colligitur, de corde puro, & de conscientia bona, & fide non ficta *. Puritatem debemus proximo, conscientiam nobis, fidem Deo. Puritas autem est, ut quicquid agitur, aut ad utilitatem proximi, aut ad honorem fiat Dei. Maximè autem exhibenda est proximo, quia Deo manifesti sumus. Proximo autem non possumus, nisi in quantum illi cor nostrum aperimus. Conscientiam bonam faciunt in nobis duo, pœni- *Fides triplex: præceptorum, signorum, & promissorum.* *Credere in Deum, Deum, & Deo.* Spes *triplex: veniæ, gratiæ, gloriæ.* Charitas *quoque triplex: de corde puro, conscientia bona & fide non ficta.* *1. Tim. 1. Conscientiã bonã quæ faciant*

pœnitentia & continentia, quando ſcilicet per pœnitentiam peccata commiſſa punimus, & per continentiam deinceps punienda non committimus: & hanc debemus nobis. Poſt hæc ſupereſt fides non ficta: quæ Deo vigilanter exhibenda eſt, ut nec propter proximum cui nos impendimus, offendamus DEUM: nec propter conſcientiam, quam per pœnitentiam & continentiam in humilitate cuſtodire volumus, minus exequamur mandatorum Dei obedientiam, & hæc eſt fides non ficta. Non ficta autem ponitur ad differentiam mortuæ fidei & fictæ. Mortua fides eſt quæ ſine operibus eſt. Fides ficta quæ ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit. Unde etiam ficta, id eſt fragilis dicitur.

Fides mortua & ficta quæ.

Anacephalæoſis dictorum. Trinitas varia.

Hæc omnia brevius poſſumus colligere, ut facilius commendentur memoriæ. Dicamus ergo. Eſt Trinitas creatrix, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ex qua cecidit creata trinitas, Memoria, Ratio, & Voluntas. Et eſt trinitas per quam cecidit, videlicet per ſuggeſtionem, delectationem, conſenſum. Et eſt trinitas in quam cecidit, videlicet impotentia, cæcitas, immunditia. Rurſus trinitas quæ cecidit, id eſt Memoria, Ratio, Voluntas. Singulæ cujuſque tripertitus excidit † caſus. Memoria cecidit in tres ſpecies cogitationum: affectuoſas, oneroſas, ocioſas. Ratio in triplicem ignorantiam; boni & mali, veri & falſi, commodi & incommodi. Voluntas in concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, ambitionem ſeculi. Eſt trinitas per quam reſurgit, Fides, Spes, Charitas. Quæ trimembres habent ſubdiviſiones. Eſt enim Fides præceptorum, ſignorum, promiſſorum: eſt & Spes veniæ, gratiæ, gloriæ; & eſt Charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.

† *for.* extitit.

SERMO XLVI.

De Virginitatis & Humilitatis connexione.

Ave Maria gratia plena. Non in ſola virginitate conſtare poterat gratiæ plenitudo: neque enim omnibus eſt de ea accipere. Felices qui non inquinaverunt veſtimenta ſua, & cum Regina noſtra virginitatis privilegio gloriantur. Sed num unam tantum benedictionem habes, ô Domina? Et mihi obſecro ut benedicas. Periit virtus illa à me †, non eſt jam vel aſpirare ad illam. Computrui in ſtercore meo, ut jumentum factus ſum. Nunquid non erit mihi etiam aliquid apud te, non erit ubi poſſim eſſe tecum, quia jam ſequi non valeo quocunque ieris? Quærit Angelus puellam quam præparavit Dominus filio Domini ſui. Bibit ipſe de hydria tua, cognata ſibi virtute delectatus: ſed nunquid non & jumentis potum tribues? Bibit Angelus quòd virum non cognoſcis: bibant iumenta, quòd de humilitate ſingulariter gloriaris. *Reſpexit* (inquit) *Dominus humilitatem ancillæ ſuæ* [a]. Nam virginitas ſine humilitate habet fortaſsè gloriam,

† V. NOTAS.

[a] Luc. 1. c

gloriam, sed non apud Deum. Humilia semper excelsus respicit, & alta à longe cognoscit [b]. Humilibus dat gratiam, superbis resistit. Sed fortè ne in his quidem duabus metretis plena est hydria tua: capax est etiam tertiæ, ut non modo Angelus & jumenta, sed ipse iam bibat Architriclinus. Hoc enim vinum bonum, quod servavimus usque adhuc; minister Angelus, haurit, sed ut ferat Architriclino. Patrem loquor, qui principium Trinitatis Architriclinus iure vocatur. Ait sanè Angelus, fœcunditatem Mariæ commendans, quæ tertia est metreta: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei* [d]. Ac si dicat: Cum eo solo tibi est generatio ista communis.

b Psal. 137. a
c Iacob. 4. b
d Luc. 1. d

SERMO XLVII.

De quadruplici superbia.

AVe Maria gratia plena. Benè plena; quia Deo & Angelis & hominibus grata. Hominibus per fœcunditatem, Angelis per virginitatem, Deo per humilitatem. In hoc tertio à Domino se respectam testatur, qui humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Sicut enim oculi Satanæ omne sublime vident, ita oculi Domini omnem humilem intuentur. Unde ait in Cantico Canticorum *c*: *Revertere revertere Sunamitis, revertere revertere, ut intueamur te.* Quater dicit, *revertere*, propter quadruplicem superbiam, per quam aversa à Domino non videbatur. Est enim superbia cordis, superbia oris, superbia operis, superbia habitus. Superbia cordis est, quando homo in oculis suis magnus est. Contra quam Sapiens orat dicens *d*: *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi.* Et alibi [e]: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris.* Superbia oris vel linguæ, quæ & jactantia dicitur, est quando homo non solum magna de se sentit, sed etiam loquitur. Unde Psalmista [f]: *Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam.* Superbia operis est, quando homo exteriori quadam superbia, ut magnus appareat, agit. De qua idem Psalmista ait [g]: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Superbia habitus est, quando homo ut glorioſus videatur, preciosis se ornat vestibus. Unde Paulus: *Non in veste preciosa* [h]. Et Dominus [i]: *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt,* ubi superbia abundat. Sunt autem quinque, quæ ad remedium tam mortiferæ pestis à Domino rationali animæ sunt posita, locus, corpus, tentatio diaboli, prædicatio Christi, & eius conversatio. Locus, quia exilium: corpus, quia oneroſum: tentatio, quia inquietat: Christi prædicatio, quia ædificat: & eius conversatio, quia informat. His quasi quinque sensibus Deus humilitatem operatur in anima. Sicut enim anima vita est corporis, ita Deus vita est animæ: & sicut corpus mortuum est, quod per quinque sensus ab anima non vegetatur, ita anima mortua est, quæ per hæc à Domino non humiliatur.

Superbia quadruplex cordis, oris, operis & habitus.

a Psal. 137. a
c Cant. 6. d.
d Eccli. 22. a
e Esa. 5. c.
f Psal. 11. a
g Psal. 100. b
h 1. Tim. 2. c
i Matt. 11. a

Antidoton quintuplex adversus superbiam nobis à Deo positum.

SERMO

Sermo XLVIII.

De paupertate voluntaria.

a Luc. 10.g

Intravit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam a. Castellum ubi Christus intravit, voluntaria est paupertas, quæ habitatores suos à gemina impugnatione qua hujus mundi amatores expugnantur, reddit securos, scilicet propria invidia, & aliena. Paupertas enim dum putatur misera, aliena caret invidia: & quia est voluntaria, nemini quicquam invidet. Duæ istæ sorores, duas vitas amatorum paupertatis significant. Quidam cum Martha solliciti Domino Iesu duo pulmentaria præparant, scilicet correctionem operis cum salsamento contritionis, & opus pietatis cum condimento devotionis. Hi verò qui cum Maria soli Deo vacant, considerantes quid sit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in Angelis, quid in seipso, quid in reprobis, contemplantur quia Deus est mundi rector & gubernator, hominum liberator & adiutor, Angelorum sapor & decor, in seipso principium & finis, reproborum terror & horror. In creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in Angelis desiderabilis, in seipso incomprehensibilis, in reprobis intolerabilis.

Paupertas vacat invidia; propria & aliena.

Sermo XLIX.

De triplici Verbo.

a Psal. 17. 3

Dies diei eructat verbum. Dies diei Angelus Virgini. Dies Angelus propter beatitudinem; Virgo dies propter integritatis virtutem. *Et nox nocti indicat scientiam.* Serpens nox propter malitiam: mulier nox propter ignorantiam. *Dies diei eructat verbum.* Deitas virginitati de utero paternæ maiestatis, in utero maternæ integritatis. Aliter: *Dies diei eructat verbum.* Deus Pater animæ rationali per fidem illuminatæ. *Et nox nocti indicat scientiam,* creatura rationalis animæ rationali nondum per fidem illuminatæ.

b Rom. 2.c

Unde Apostolus b: *Invisibilia Dei per quæ facta sunt intellecta conspiciuntur à creatura mundi.* Unde nos dicimus, verbum indicatum, verbum inspiratum, verbum eructatum. Primum fecit cognitionem, secundum conversionem, tertium vivificationem. Primum obfuit, secundum non profuit, tertium vivificavit. Primum obfuit: *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.*

c Ibid.

Secundum non profuit: quia non data est lex quæ posset vivificare. Tertium vivificavit: quia per crucem redemit. Primum totum de foris, secundum foris & intus, tertium totum intus. Et nota, quia quod eructatur, de plenitudine eructantis cum quodam ipsius substantiæ sapore profertur; & idcircò Sapientia incarnata dicitur habens in se omnem plenitudinem d: In miraculis cognitionem,

d Ioan. 1. b

in

in doctrina conversionem, in passione vivificationem. Unde ait Prophetа[e]: *Venite & revertamur ad Dominum: quia ipse cepit & sanabit nos: percutiet & curabit nos: Vivificabit nos post duos dies*, scilicet cognitionis & conversionis: *in die tertia suscitabit nos*, voce Verbi incarnati per primam suam resurrectionem: *& vivemus in conspectu eius* vivificati per passionem, serenius illuminati per miraculorum cognitionem: *sequemurque ut cognoscamus Dominum*, instructi per doctrinæ conversionem. [e] Ose. 6. a

Sermo L.

De affectionibus recte ordinandis.

Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem. Non dicit Ecclesiastem, aut ididam*. Nam & his nominibus appellatus est Rex ille: & significat Jesum Christum nostrum verum Salomonem, qui est Salomon, id est pacificus in exilio: Ecclesiastes, id est, concionator, in judicio: Idida, id est, dilectus Domini in regno. Utique rex. In exilio rector morum, in judicio discretor meritorum, in regno distributor præmiorum. In exilio mansuetus, in judicio terribilis, in regno admirabilis. In diademate quo coronavit eum mater sua. Est autem hæc corona misericordiæ, & in hac imitabilis. Coronavit eum & noverca sua coronâ miseriæ, & in hac contemptibilis, Synagogam loquor, quæ se ei non matrem exhibuit, sed novercam. Coronabit eum familia sua coronâ justitiæ, & in hac terribilis. Coronat eum Pater suus corona gloriæ, & in hac desiderabilis. Videant ergo eum peccatores in corona miseriæ, id est spinea, & compungantur. Videant eum filiæ Sion animæ affectuosæ in corona misericordiæ, & imitentur. Videbunt eum impii in corona justitiæ, & peribunt. Videbunt eum sancti in corona gloriæ, & perpetualiter gaudebunt. Cant 3. d * Idida *vocatus Salomon. Hebr.* Jedidejah. v.

Notas.

Egredimini filiæ Sion, animæ delicatæ de sensu carnis ad intellectum mentis; de servitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ, *& videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua.* Coronantur quidem alii imitatores ipsius, sed hoc ex industria adjuti per gratiam. Solus iste à matre coronatus est, quia solus cum ordinatis affectionibus tanquam sponsus è thalamo processit ex utero matris. Sunt autem affectiones istæ quatuor notissimæ, amor & lætitia, timor & tristitia. Absq; his non subsistit humana anima, sed quibusdam sunt in coronam, quibusdam in confusionem. Purgatæ enim & ordinatæ, glorioſam in virtutum corona reddunt animam. Inordinatæ per confusionem dejectam & ignominiosam. Purgantur autem sic. Si amantur quæ amanda sunt, si magis amantur quæ magis amanda sunt: si non amantur quæ amanda non sunt, amor purgatus erit. Sic & de cæteris. Ordinantur autem sic: In initio timor, deinde lætitia, post tristitia, in consummatione amor. Compositio

Affectiones quatuor in Christo ordinatæ à utero.

Quomodò purgandæ.

Quomodo ordinandæ.

quarum talis est. De timore & lætitia nascitur prudentia, & est timor causa prudentiæ, lætitia fructus. De lætitia & tristitia nascitur temperantia, cujus est tristitia causa, lætitia fructus. De tristitia & amore nascitur fortitudo, & est tristitia causa fortitudinis, amor fructus. Clauditur circulus coronæ. De amore & timore nascitur justitia, & est timor causa justitiæ, amor fructus.

Ordinatæ virtutes, inordinatæ sunt perturbationes.

Considera ergo quomodo istæ affectiones ordinatæ virtutes sunt, inordinatæ perturbationes. Si timorem sequatur tristitia, desperationem generat: si amorem lætitia, dissolutionem. Sequatur ergo timorem lætitia, quia timor futura cavet, lætitia de præsenti gaudet, prudentis cautelæ finem lætitia possidet. Probet ergo lætitia timorem. Probatus timor nihil aliud quam prudentia est. Comitetur lætitiam tristitia, quia moderatè læta amplectitur, qui tristia reminiscitur. Temperet ergo lætitiam tristitia. Temperata lætitia nihil aliud quam temperantia est. Jungitur amor tristitiæ, quia fortiter sustinet tristia, qui per amorem quæ sunt amanda desiderat. Confortet ergo amor tristitiam. Confortata verò tristitia nihil aliud quam fortitudo est. Jungatur amor timori: quia ordinatè amandis inhæret, qui timenda non negligit. Ordinet ergo amor timorem, ordinatus timor nihil aliud quam justitia est. Duæ affectiones lætitia & tristitia non se extendunt ad alia: in nobis enim lætamur, & in nobis tristamur. Amor & timor ad alia se extendunt. Timor enim affectio est naturalis, quæ nos conjungit superiori per inferiorem partem, & habet se ad solum Deum. Amor affectio est, quæ nos conjungit superiori, & inferiori, & æquali, & habet se ad Deum & proximum. In his autem duobus perfecta consistit justitia, ut timeamus Deum propter potentiam; amemus propter bonitatem, & proximum propter naturæ societatem.

Ordinatè amandis inhæret, qui timenda non negligit.

Perfecta justitia quæ.

Sermo LI.

De Mariæ Purificatione & Christi Circumcisione.

Christi circumcisio & Mariæ purificatio quid nos doceant.

Item quid gestatio Christi.

QVid est quod dicimus beatam Mariam purificari? Quid verò quod ipsum Jesum dicimus circuncidi? Enimverò tam non indiguit illa purificatione, quam nec ille circuncisione. Nobis ergò & hic circunciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, ut à vitiis continentes, primum per ipsam continentiam circuncidamur, deinde à commissis per pœnitentiam purificemur. Quid est autem quod Maria portat Jesum in utero, Joseph in humero, in Ægyptum scilicet iens & inde rediens: Simeon portat in brachiis? Significant isti tres, tres electorum ordines; Maria prædicatores, Ioseph pœnitentes, Simeon bonos operatores. Qui enim aliis evangelizat, quasi Iesum in utero portat, ut eum aliis vel potius alios ei pariat. De talibus erat beatus Paulus, qui dicebat *a*: *Filioli mei quos iterum parturio,*

a Galat. 4. c

turio, donec Christus formetur in vobis. Qui verò pro Christo laboribus fatigantur, qui persecutiones patiuntur, qui nulli mala inferunt, sed ab aliis illata patienter ferunt: merito isti portare eum in humeris dicuntur: quibus & ab ipsa veritate dicitur *b*: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum* &c. Si quis autem est qui porrigat panem esurienti, potum sitienti, cæteraq; misericordiæ opera sollicite impendat egenti: nónne iste rectè videtur eũ portare in brachiis? Hujusmodi enim dicturus est in judicio Dominus: *Quando feciſtis uni ex minimis meis, mihi feciſtis.* *b* Luc. 9. c *c* Matt. 25. d

SERMO LII.

De domo divinæ sapientiæ; id est, Virgine Maria.

Sapientia ædificavit sibi domum, &c *a*. Cum multis modis sapientia intelligatur, quærendum est quæ sapientia ædificavit sibi domum. Dicitur enim *sapientia carnis b*, quæ inimica est Deo: & *sapientia hujus mundi c*, quæ stultitia est apud Deum: utraque ista secundum Iacobum Apostolũ *d*, *terrena est, animalis, diabolica.* Secundum hanc sapientiam dicuntur sapientes ut faciant mala, benè autem facere nesciunt: & in ipsa sua sapientia arguuntur & perduntur, sicut scriptum est *f*: *Comprehendam sapientes in astutia eorum, & perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et utique talibus sapientibus videtur mihi digne & competenter dictum Salomonis aptari, quo ait: *Est malitia quam vidi sub sole, virum qui videtur apud se sapiens esse.* Nulla talis sapientia, sive carnis, sive mundi ædificat, immò destruit quamcunque domum inhabitat. Est ergo alia sapientia quæ desursum est: primum quidem pudica, deinde pacifica. Hic est Christus Dei virtus, & Dei sapientia, de quo Apostolus *h*: *Qui factus est,* inquit, *nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* *a* Prov. 9. a *b* Rom. 8 b *c* 1. Cor. 3. d *d* Iacob. 5. b *e* Iacob. 5. b *f* 1. Cor. 3, d *h* 2. Cor. 1. d

B. Virgo domus divinæ sapientiæ.

Hæc itaque Sapientia, quæ Dei erat, & Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, ædificavit sibi domum, ipsam scilicet Matrem suam Virginem Mariam: in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide & operibus præparare? Nimirum ternarius numerus ad fidem propter sanctam Trinitatem; quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quòd autem in beata Maria sancta Trinitas fuerit (fuerit dico per præsentium maiestatis) ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis: testatur nuncius cœlestis, qui ei arcana mysteria referans, ait *i*: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Et post pauca: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum sanctum: habes Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Neque enim potest esse, aut Pater sine Filio, aut sine Patre Filius, aut sine utroque procedens ab utroque Spiritus sanctus, ipso Filio dicente *k*: *Ego* *Ejus tres columnæ, fides SS. Trinit.* *i* Luc. 1. c *k* Ioan. 14. b

Ego in Patre, & Pater in me est. Et iterum: *Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Manifestum est fuisse in corde Virginis fidem sanctæ Trinitatis.

Aliæ columnæ hujus domus: quatuor virtutes cardinales.

Utrum autem & quatuor principales virtutes, tanquam quatuor columnas, possederit, inquisitione dignum videtur. Primum ergo videamus, an fortitudinem habuerit. Quæ nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quæ abjectis secularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli DEO in virginitate vivere proposuit? Nisi fallor, hæc Virgo est quæ apud Salomonem legitur [l]. *Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus precium ejus.* Quæ adeò fortis fuit, ut illius Serpentis caput contereret, cui à Domino dictum est [m]: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Porro quòd temperans, prudens & justa fuerit, ex Angeli collocutione, & sua ipsius responsione luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab Angelo: *Ave gratia plena, Dominus tecum*: non se extulit quasi quæ ex singulari gratiæ privilegio benediceretur, sed siluit: & qualis esset insolita hæc salutatio, secum cogitavit. Qua in re quid nisi temperans fuit? At verò cum de cœlestibus mysteriis ab eodem Angelo doceretur, diligenter quæsivit, quomodò conciperet ac pareret, quæ virum utique non cognosceret: & in hoc sine dubio prudens extitit. Justitiæ autem præfert insigne ubi se *ancillam Domini* confitetur. Nam quòd justorum sit confessio, testatur qui ait [n]: *Veruntamen justi confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.* Et alibi justis dicitur: Et dicetis in confessione, opera Domini universa bona valdè.

[l] Prov. 31. a

[m] Gen. 3. c

[n] Psal. 139. c

Fuit igitur beata Virgo Maria fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. His itaque quatuor morum columnis, & tribus fidei prædictis extruxit in ea sibi domum Sapientia cœlestis; quæ adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis fœcundaretur & caro, ac Virgo singulari gratia eandem ipsam Sapientiam carne tectam pareret, quam prius mente pura conceperat. Nos quoq; si ejusdem Sapientiæ fieri domus volumus, necesse est ut eisdem septem columnis extruamur, id est ut fide & moribus ei præparemur. Et in moribus quidem solum puto sufficere justitiam, cæteris tamen virtutibus circumsultam. Itaq; ne errore fallatur ignorantiæ, sit ei prævia prudentia. Sint hincinde temperantia atque fortitudo, ne fortè labatur, vel in dexteram, vel in sinistram partem declinando.

SERMO LIII.

De nominibus Salvatoris.

ET *vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, princeps pacis. Admirabilis est* in nativitate; *consiliarius* in prædicatione;

[a] Esa. 9. b. *

dicatione; *DEVS* in operatione; *fortis* in passione; *Pater futuri seculi* in resurrectione; *princeps pacis* in perpetua beatitudine Hæc etiam nomina possunt ei congruè assignari in opere nostræ salutis. Nam primo dicitur *admirabilis* in conversione nostræ voluntatis, quæ mutatio est solius dexteræ Excelsi. Postmodum dicitur *consiliarius* in revelatione suæ voluntatis, quando revelat quid sequendum sit jam conversis. Unde Paulus conversus dicebat *b*: *Domine quid me vis facere*? Conversi autem necesse est compungantur pro præteritis delictis, in quorum remissione dicitur *Deus*, cujus tantum est peccata remittere. Hinc est quod Salvatore nostro in terra remittente peccata, Judæi dicunt eum blasphemare *c*, quasi qui assumeret sibi quod erat solius Dei. Quartò dicitur *fortis*. Juxta sententiam enim Apostoli necesse est, ut *omnes qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patiantur*.

b Act. 9. b

c Matt. 9. a

d 3. Tim. 2. c

Sed quis sustineret nisi ille juvaret? Unde David: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulominus habitasset in inferno anima mea*. Cum ergò nos in tribulatione protegit, cum ipsas aerias potestates arcet à nobis ac repellit, quid aliud in hoc opere dici potest nisi fortis. Unde dictum est *f*: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*. Et quoniam ipsa conversio, & vita nostra in Christo agenda est non intuitu temporalium rerum, sed spe futurorum bonorum: ideò quinto loco ponitur *pater futuri seculi*. Pater scilicet in regeneratione corporum nostrorum. Quia vero *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur g*: ut discernat immutationem justorum ab iniquorum resurrectione, ponitur sexto loco *princeps pacis*. Qua obtenta, tota perfectio impletur, nec jam ultra aliud quicquam appetendũ relinquitur. Ipsa est enim, in cujus exultatione concinit Psalmista, dicens *h*: *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem*. Horum sex nominum consequentiam & virtutem breviter atq; eleganter comprehendit uno nomine Angelus, loquens ad Joseph: *Et vocabis*, inquit *i*, *nomen ejus Iesum*. Cujus videlicet nominis exponens rationem: *Ipse enim*, ait, *salvum faciet populum suum à peccatis eorum*.

e Psal. 93. c

f Psal. 23. b

g 1. Cor. 15. c

h Psal. 147. a

i Matt. 1. d Ibidem.

Sermo LIV.

De Apparitione Christi.

Filius Dei apparuit, ut nos adjuvaret & erudiret: quod potest, quia est Virtus Patris & Sapientia. Virtus adjuvat, Sapientia erudit & informat. Infirmitati auxilium est necessarium. Cæcitas eruditione indiget & doctrina. Erudivit sanè faciens abnegare impietatem & seculares desideria, ut sobriè & justè & piè vivamus. Impietas erat incredulitas, quia Deum nec credebamus, nec colebamus. Deum enim sicut pium est colere, sic impium est

a ad Tit 2.

abnegare. Secularia desideria sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ: quæ trahunt & inclinant ad amorem sæculi. Istis abnegatis vivit homo sobriè, refrenans concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ. Postquam vero incipit esse sobrius, contra duplicem ebrietatem duplicem ponit sobrietatem. Ebrietas exterior voluptatum effusio, interior curiositatum occupatio. Econtra sobrietas exterior voluptatum refrenatio, interior curiositatum exclusio. Ita vivit homo sobriè quantum ad seipsum, iustè quantum ad proximum, cui exhibet quod iustum est. Iustitia est in duobus, in innocentia & in beneficentia. Innocentia iustitiam inchoat, beneficentia consummat. Piè quantum ad Deum. Pietas est in duobus, ut de nobis non præsumamus, sed in Deo perfectè confidamus: ut per eum omnia mundi impedimenta vincamus. In Deo non est diffidendum, sed securè & fiducialiter est agendum. Ipse tanquam pius & laudabilis medicus prius bibit potionem quam parabat suis, id est passionem & mortem sustinuit, & sic sanitatem immortalitatis accepit, & impassibilitatis, docens suos ut confidenter biberent potionem quæ generat sanitatem & vitam: & qui post passionem vitâ æterna vivit, spem dat nobis ut idem speremus ab eo securi.

Sermo LV.

De sex hydriis spiritualibus.

a Ioan. 2. a *Sex hydriæ propol.*

Erant ibi positæ lapideæ sex hydriæ secundum purificationem Iudæorum a. Intelligamus has sex hydrias positas, esse sex observantias servis Dei propositas, in quibus tanquam Iudæi purificari debeant. Sunt autem istæ, Silentium, Psalmodia, Vigiliæ, Ieiunium, Opus manuum, Carnis munditia. In hydria *Silentii* purificamur à peccatis quæ verbositate contrahimus. Cuius vitii sunt octo species. Est enim verbum stultum, vanum, mendax, ociosum, dolosum, maledicum, impudicum, excusatorium. Quæ nimirum pestis de loquacitate nascitur, & per silentii censuram, aut evertitur funditus, aut certè ne multum noceat, reprimitur. In *psalmodia* fit duplex confessio, ubi & peccator de culpis compungitur, & Deo laudes super judicia justitiæ suæ dicuntur. In hac ergò hydria Iudæus quisque, qui scilicet rectè confitetur†, purificatur ab immundo spiritu blasphemiæ, cui ante conversionem subjacebat. Dum enim seipsum laudaret, ac Deum accusaret, quid aliud quàm blasphemus erat? An non sunt blasphemi qui dicunt *b, non est æqua via Domini*? An non insipiens ille blasphemus, qui dicit in corde suo *c, non est Deus*? Iam verò conversus & confessus, cantici-sque divinis instructus, correcta vita corrigit & verba; seque ipsum accusans, mala mihi computat. Deum autem laudans, bonum quod in se videt, non sibi, sed illi applicat; & hoc totum agitur in psalmodia. Per psalmodiam

accipe

. Silentium. Loquacitatis octo species.

. Psalmodia.

-Iuda *hebr. interpr.* confessio.

Ezech. 18. f
Psal. 52. a

accipe quicquid Deo agitur cum mentis melodia, sive sint psalmi, sive hymni, sive etiam quæcunque cantica.

Tertiam hydriam posui superius *Vigilias* : has semper debet comitari orationum instantia. Unde & Dominus in Evangelio legitur in oratione pernoctasse *d* : & discipulos suos exhortans, utrumque simul conjunxit, dicens *e* : *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Tales vigiliæ abluunt nos à sordibus, quas contraximus per somnolentiam resoluti, dum oblivione quadam à via salutis intepuimus ac torpuimus. Quarta hydria est *Ieiunium*, de quo quis dubitet an & ipsum purificet? Vera est illa sententia : Contrariis curantur contraria. Si ergò per gulam peccavimus & ingluviem, quid restat nisi ut per abstinentiam reparemur? Nec solum huius vitii fit per jeiunium purificatio, insuper & virtus ad expellendos dæmones comparatur, dicente Domino *f* : *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & jeiunio.*

3. *Vigiliæ.*

d Luc. 6. b

e Marc. 14. d & Luc. 22.

4. *Ieiunium. Eius utilitas.*

f Marc. 9. e

Sequitur quinta hydria quæ dicitur *Opus manuum.* In quo si quæratur an sit aliqua purificatio, facilè potest inveniri per multa. Nam ut plurima præteream, hoc solum quanti sit præconii, quantæ gratiæ, quis dignè æstimet suo quemque labore transigere, ac nullius aliquid desiderare? Ac ne me quisquam putet hæc magis declamatoriè, quàm ex veritate proferre, audiat ipsum doctorem nostrum, in fide & veritate Apostolum Paulum scribentem ad Thessalonicenses, hæc ipsa docentem & præcipientem : *Rogamus vos,* inquit *g*, *fratres, ut abundetis magis, & operam detis ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris sicut præcipimus vobis, & ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* Audiat eundem ipsum facientem quæ docebat. *Ipsi enim scitis,* inquit *h*, *quemadmodum oporteat vos imitari nos : quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque panem gratis manducavimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus.* Item audiat docentem quæ faciebat *i* : *Cum essemus apud vos, hæc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari nec manducet.* Vides quàm sollicitè observandum præcepit Doctor gentium opus manuum? Cur hoc tantoperè curavit, nisi quia sicut bonus & diligens pastor hoc ovium saluti plurimum expedire providit?

5. *Opus manuum :*

Commendatur testimonio & exemplo Apost.

g 1. Thess. 4.

h 2. Thess. 3. b

i Ibid. c

Restat ultima *Carnis munditia.* In hac fit purificatio ab illa quinquepertita corporis illecebra, visus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Et cætera quidem prædicta, id est silentium, psalmodia, vigiliæ, jeiunium, opus manuum exerceri sine ista possunt : sed si lumbi præcincti non sint, id est, si desit carnis munditia, lucernæ ardentes quid proderunt? Hinc ergò colligendum est, quòd sit necessaria huius hydriæ purificatio, quæ sola omnibus supradictis æquipollentem obtinet vim salutis. Et notandum quòd

6. *Munditia carnis.*

Eius necessitas.

Ordinatio istarum hydriarum.

quòd in his omnibus observantiis quatuor primas debemus nobis, quintam proximo, sextam Deo. Nam silentium, psalmodiam, vigilias, jejunium debet quisque exercere propter seipsum; hoc est propter suam disciplinam: opus manuum propter proximum, ne quem gravet, sed magis habeat unde tribuat necessitatem patienti: carnis munditiam propter Deum, ut illi placeat, & eius voluntatem faciat. Unde scriptum est [k]: *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione & honore.* Quòd autem illæ hydriæ lapideæ dicuntur, significat quòd sine aliqua difficultate observari non possunt, & quòd dura & aspera est via quæ ducit ad vitam. Vel certè lapideæ dicuntur propter fortitudinem, ne facile frangantur aut dissolvantur, & effundatur liquor gratiæ qui in eis continetur: quod utique citò contingere posset, si vel fictiles essent, vel ligneæ, seu cuiuslibet alterius fragilis materiæ. Vel etiam lapideæ, id est Christianæ, à lapide Christo, ut scilicet in fide Christi fiant.

k 1. Thess. 4. a

Sermo LVI.*

De hydriis mysticis implendis triplici timore.

*Videtur cohærere cum superiore Serm.

Capientes singulæ metretas binas vel ternas a. Hic primum sciendum est, quòd huiusmodi hydriæ aliquando sunt vacuæ, aliquando sunt plenæ. Plenæ autem aliquando veneno, aliquando aquâ, interdum etiam vino. Vacuæ quippe & inanes sunt, cum pro inani gloria vel aliquo temporali emolumento fiunt. Plenæ veneno sunt, si cum murmure & animi rancore gerantur. Aqua plenæ dicuntur, cum ex timore Dei observantur. Siquidem per aquam timor intelligitur. Unde & apud Salomonem legitur *a*: *Timor Domini, fons vitæ.* Vino autem plenæ sunt, cum timor vertitur in amorem; cum charitas excludit timorem, cum ea quæ prius observabantur timore pœnæ, iam exercentur delectatione & amore justitiæ. Ut vacuæ vel veneno infectæ sint non vult Dominus, ut impleantur aqua jubet Dominus: ut autem aqua in vinum vertatur, hoc facit Dominus. Sed quibus implere hydrias aqua imperat Dominus? Ministris utiq; quos & constituit super familiam suam, ut dent illis in tempore tritici mensuram: quibus tamen Maria primum suggesserit, dicens *b*: *Quodcunq; dixerit vobis, facite.* Quo exemplo innuitur, quòd officium prædicationis non debent usurpare sibi, nisi quos Maria, id est, mater gratiæ prius instruxerit. Alioquin dicetur eis: *Regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & ego ignoravi.* Implent ergo ministri hydrias aqua: prædicent mira de dulcedine regni: intentent horrenda de terrore supplicii: fit summus auditoribus de utroq; timor, ne vel illo fraudentur, vel isto plectantur, & ita capiunt hydriæ metretas binas. Quid est autem vel ternas? Addatur illis duobus tertius timor, & capiunt hydriæ

a Ioan. 2. a

a Prov. 14. d

b Ioan. 2. a

Osee. 8. a

Timor triplex, vel amittendi gloriam, vel inferendi gehennam: vel

metretas

metretas ternas. Et illi quidem duo prædicti timores de futuro, sunt valdè utiles. Sed est alius timor de præsenti multò probabilior, quo timet homo, & semper est pavidus, ne interna gratia deseratur. Quisquis igitur hoc timore repletus fuerit, profectò binis metretas ternas addidit.

Notandum autem quòd cum hydriæ plenæ factæ sunt usque ad summum, tunc aqua versa est in vinum bonum, quia nimirum ordo rationis est, ut si timor est initium charitatis, perfectum sequatur etiam plenitudo dilectionis. Unde etiam Architriclinus dicit ad sponsum [d]: *Omnis homo primum vinum bonum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem servasti vinum bonum usque adhuc.* Consuetudinis est sæcularium hominum, ut cum aliquem honorem adipisci desiderant, cæteros sibi prius per amorem acquirant. Cum verò adepti fuerint, elati potestate, eos ipsos per timorem sibi postmodum subjiciunt, quibus prius privati non terrorem, sed amorem exhibuerant. Isti ponunt primum bonum vinum, id est amorem: & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, id est, timorem. E contrariò facit Sponsus noster. Semper enim servat ad ultimum bonum vinum: quod verò in eius comparatione deterius est, ante propinat, dicens: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in timore.* Si ex timore te feceris ipsius servum, faciet te ex charitate amicum suum. Et sic aqua timoris commutabitur in vinum dilectionis. Ad hoc enim purificatis in illis sex hydriis aquis timoris, ad hoc in timore accedis ad ipsum tanquam servus ad Dominum, ut de servo proveharis in filium.

d Ioan. 2. a

Timor tandem convertitur in amorem.

e Eccli. 2. a

Sermo LVII.

De septem signaculis per Christum solutis.

Ecce vicit leo de tribu Iuda: radix David aperire librum, & solvere septem signacula eius. Septem signacula sunt, temporalis nativitas, legalis circumcisio, Matris purgatio, fuga in Ægyptum, carnis necessitudo, baptismus, passio. Hæc siquidem sunt vera quædam humanitatis insignia, quibus se teneri ac ligari voluit incarnata Dei sapientia. Ipsa quippe est secunda in Trinitate persona: & licet eandem incarnationem simul fecerint Pater & Filius & Spiritus sanctus; non tamen Pater aut Spiritus sanctus est incarnatus, sed solus Filius. Implevit quidem & Pater & Spiritus sanctus carnem Filii, à quo neuter eorum poterat separari; sed implevit maiestate, non susceptione. Ideoque Filius ostendit in carne potentiam Patris per opera, exhibuit bonitatem Spiritus sancti remittendo peccata; & quod ipse erat, id est, Sapientia, occultavit per illa prædicta signacula. Facta est igitur res mira & obstupenda. Infirmata est virtus summa, & ut ita dicam, si dici liceat, quod tamen reverenter dico; quasi infatuata est sapientia. Nec erubesco dicere, quod non erubuit Doctor gentiũ docere. Sic nempe credidit, sic docuit,

a Apoc. 5. b

SS. Trinitatis operatio circa Incarnationem Christi.

docuit, sic scriptum reliquit. *Nos*, inquit *b*, *prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

b 1. Cor. 1. d

Christi virtus & sapientia in opere Redempt. per humilit. abscondita.

Veruntamen hæc virtus abscondenda erat, & in humilitate perficienda: ut omnium implerentur oracula Prophetarum. Passus est ergo in cruce impassibilis Deus: & in carne nostra mortali mortuus ac sepultus immortalis Dei Filius. Sed ecce tertia die resurrexit à mortuis: & qui Agnus extiterat in passione, Leo factus est in resurrectione. *Surrexit, & vicit Leo de tribu Iuda*: quia mortem quam ex infirmitate nostra pertulit, ex virtute sua resurgendo calcavit. *Resurgens enim à mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Resurgendo autem & in cœlum ascendendo, librum aperuit, quia nimirum ex auctoritate sacræ Scripturæ, quod Deus esset, innotuit. Unde scriptum est [d]: *Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.* Septem quoq; eiusdem libri signacula solvit; quando eloquia sacra fidelium mentibus reseravit; & quicquid de mysteriis suis lex & Prophetæ sub allegoriis prædixerant, de his scilicet, quæ per hominem temporaliter gessit, de se prædicta, & in se ac per se cõpleta, luce clarius indicavit.

e Rom. 6. b

d Psal. 107. a

SERMO LVIII.

De tribus mulieribus mortuum ungentibus, id est, mente, manu, lingua salutem proximi curantibus.

QUid est quod post mortem eius tres illæ sanctæ mulieres emerunt aromata *a*, ut in monumento positum ungerent eum? Quid in sua actione nobis reliquerunt imitandum? Res enim gesta (ut ait beatus Gregorius) aliquid in sancta Ecclesia signat gerendum. Et nos ergo si Christum mortuum, id est, fidem Christi mortuam in corde cuiuspiam fratris senserimus, danda nobis opera est, ut ad ungendum corpus mortuum emptis aromatibus accedamus. Significant autem tres illæ mulieres tres in nobis efficientias, quæ sibi congrua comparant aromata. Quæ sunt illæ? Mens, manus, lingua. Omnis enim qui emit, dat & accipit aliquid: & quod dat, perdit, ut possideat quod accipit. Dat igitur *mens* nummum propriæ voluntatis, & comparat affectum compassionis, zelum justitiæ, discretionem consilii. Dat *manus* obedientiam, & emit in tribulatione patientiam, in opere perseverantiam, in carne continentiam. Dat *lingua* nummum confessionis, & accipit modum in correctione, copiam in exhortatione, efficaciam in persuasione.

a Marc. 16. a

S. Greg. in Homil. Pasch

Tres mulieres tropolog.

Talibus unguentis compositis, dum ad monumentũ simul venerint, colloquuntur invicem & dicunt *b*; *Quis revolvet nobis lapidẽ ab ostio monumenti?*

b Ibidem.

Lapis

Lapis iste est vel nimia tristitia, vel pigritia, vel duritia, quæ dum cordis aditum obstruit, frustra ad ungendum mortuum mens, vel manus, vel lingua cum quibuslibet aromatibus venit. Sed quoniam scriptum est, *Præparationem cordis ejus audivit auris tua*: vident lapidem revolutum, introeunt in monumentum: & quem ungere volebant mortuum; audiunt suscitatum. Quis hoc indicat? Quis hoc prædicat? Angelus utique testis resurrectionis. Videtur scilicet hujus in quo Christus resurrexit, vultus lætior, aspectus venustior, sermo purior, incessus modestior, & ad omne opus bonum spiritus promptior. Quæ omnia quid sunt aliud, quam quidam internæ resurrectionis hilaris nuncius? Cætera quoque quæ in Christi resurrectione gesta vel dicta sunt, utpote de invento sudario, ac de ipso Domino in Galilæa videndo, & aliis quæ evangelica continet historia, possunt nimirum juxta cœptam tropologiam interpretari: ut quod historicè præcessit in capite, consequenter etiam credatur fieri moraliter in ejus corpore. e Psal. 9. g

Sermo LIX.

De tribus panibus hominis spiritualis.

Amice commoda mihi tres panes [a]. Veniens ad nos de via noster amicus, id est, quilibet conversus proximus; tribus panibus reficiendus est. Primus panis est *continentia*, qua restringitur corpus, ne deinceps per mortiferas voluptates defluat. Secundus est *humilitas*, qua instruitur anima, ne de ipsa sua continentia superbiat. Tertius est *fervor charitatis*, quo accenditur spiritus, ut utrumque, id est, corpus & animam in castitate & humilitate perseveranter custodiat. His tribus virtutibus, id est, castitatis, humilitatis, charitatis, tanquàm tribus panibus reficitur homo Dei, & roboratur, ut secundum Apostolum *b* in die adventus Domini sit integer spiritus, anima & corpus. Spiritum autem voco gratiam, quæ juxta Apostolum eundem [c] adjuvat infirmitatem nostram ne deficiamus, donec suo tempore metamus bonum quod seminavimus. Vocatur primus panis carnalis vel corporalis, secundus rationalis, tertius spiritualis. Hi panes quotiens desunt, à Deo requirendi sunt. Meritò autem tres quæruntur, quia tres reficiendi veniunt: Anima quasi vir, Caro quasi conjunx, Spiritus velut utriusque vernaculus. Et notandum, quòd non ait, da: sed *commoda mihi tres panes*, quasi redditurus: quia sacerdos peccatori se convertenti debet quidem gratiam divinitus impetrare, fructum verò ejusdem gratiæ non sibi debet, sed Deo referre. a Luc 11. à b 1. Cor. 1. a c Rom. 8. c

Sermo LX.

De Christi itemque nostro descensu, & ascensu.

Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo [a]. Dominus & Salvator noster Jesus Christus volens nos docere a Ioan. 3. b

quomodo in cœlum ascenderemus, ipse fecit quod docuit, ascendit in cœlum. Et quoniam ascendere non poterat, nisi prius ascenderet: descendere autem eum vel ascendere non patiebatur divinitatis suæ simplicitas; quippe quæ nec minui potest, nec augeri, aut aliquo modo variari: assumpsit in unitatem suæ personæ naturam nostram, id est humanam, in qua descenderet, & ascenderet; viámque nobis qua & nos ascenderemus, ostenderet. Quod totum indicant sancti Evangelii verba proposita. In eo enim quod dictum est, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit*, assumptio humanæ naturæ exprimitur: in eo autem quod infertur, *qui est in cœlo*, divinitatis suæ incommutabilitas ostenditur. In quibus verbis illud etiam innuitur, quòd ipse sit *via* per quam ascendamus: ipse *patria* ubi maneamus: via scilicet transeuntibus, patria pervenientibus. Manens itaque quod erat in natura sua, descendit & ascendit propter nos in nostra: attingens nimirum à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter [b]. Descendit siquidem quo inferius non decuit; ascendit quo celsius non potuit. Ipsumque descensum egit fortiter, quia virtus erat: ascensum disposuit suaviter quia sapientia erat. *Descendit* autem dictum est, non cecidit: quia qui cadit, sine gradu ruit: qui autem descendit, gradatim pedem ponit.

Christi descensus & ascensus expenditur.

[b] Sap. 8. a

2. *Descensus triplex, seu tres eius gradus.*

Sunt ergo gradus in descendendo, sunt in ascendendo. In descendendo primus quidem gradus est à summo cœlo usque ad carnem; secundus usque ad crucem; tertius usque ad mortem. Ecce quousque descendit. Nunquid amplius potuit? Poterat jam certè rex noster dicere, & quasi quodam operis effectu clamare: *Quid ultra debui facere, & non feci? Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [d]. Vidimus descensum, videamus & ascensum. Sed ille quoque triplex est; & eius primus gradus gloria resurrectionis; secundus potestas judicii; tertius consessus ad dexteram Patris. Et de morte quidem meruit resurrectionem; de cruce judicii potestatem: ut quoniam in illa injustè judicatus est, de illa justam obtineret judicis censuram, ipso post resurrectionem dicente [e]: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Ipsam verò servi formam, id est, carnem in qua passus & mortuus est, resuscitatam evexit super omnes Angelorum choros, usque ad dexteram Patris. Quid hac dispositione suavius, ubi mors absorbetur in victoria, ubi ignomina crucis vertitur in gloriam? ut de illa dicant sancti [f]: *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV Christi*: ubi & ipsa carnis humilitas ex hoc mundo transit ad Patrem. Hac ascensione nihil sublimius, hoc honore nihil glorioſius dici potest aut cogitari. Sic per incarnationis suæ mysterium descendit & ascendit Dominus: relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia eius.

[c] Esa. 5. a
[d] Ioan. 15. a

Ascensus quoque gradus tres.

[e] Matth. 28. d

[f] Gal. 6. a

Sumamus & nos de mysterio eius moribus nostris exemplum; *Qui enim dicit*

dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulavit, & ipse ambulare g. Descendamus per viam humilitatis; ponaturque nobis primus eius gradus, id est primus profectus, nolle dominari; secundus velle subjici; tertius in ipsa subiectione quaslibet contumelias, & injurias illatas æquanimiter pati. Primo gradu caruit in cœlo Lucifer ille, qui dixit in corde suo h: *In cœlum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Hæc dicens irreparabiliter cecidit de cœlo: & hoc ideò fortè, quia omnino intolerabilis superbia est, velle dominari. Secundo gradu caruerunt primi homines in paradiso, qui licet sua maluerint voluntate abuti, quàm Creatori subjici: non tamen præsumpserunt cæteris suæ sortis dominati. Ideoque culpa eorum & pœna longè extitit dissimilis superbiæ atque ruinæ diaboli: unde & divinâ clementiâ quandoque meruerunt reparari. Tertium gradum non habent qui ad tempus credunt, sed in tempore tentationis recedunt.

g 1. Ioan. 2. a *Christi descensus & ascensus quamodo à nobis imitandus.*

h Esaiæ 14. d *Descensus nostri tres gradus.*

Hæc dicimus, ut sciamus à quorum imitatione declinare debeamus. Nam & diabolus, & homo uterque ascendere præposterè voluit hic ad scientiam, ille ad potentiam, ambo ad superbiam. Non sic ascendere velimus, quin potius audiamus prophetam quærentem quomodo ascendendum sit. *Quis*, inquit i *ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.* Ubi notandum, quod triplicem gradum ascendendi constituit. Primus gradus est innocentia operis: secundus munditia cordis: tertius, fructus ædificationis. Quos gradus miro modo invenimus in superioribus gradibus ascensionis. Ibi quippe fuerat tertius gradus tolerantia injuriarum. Ipsa est enim quæ probat huius ascensionis primum gradum, id est, innocentiam operis. Ibi secundus fuerat patientia subiectionis; & ipsam operatur munditia cordis, quæ est secundus ascensionis gradus. Ad hoc enim doctores prælatos habemus, ut cor mundemus, dicente Domino: *Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis* k. Ibi etiam primus gradus fuerat contemptus dominationis: hic tertius est fructus ædificationis. Quisquis autem dominari non appetit, is profectò fructuosè præest cæteris instituendis.

i Psal. 23. a *Ascensus nostri totidem.*

k Ioan. 15. a

Sermo LXI.

De quatuor montibus ascendendis.

1.

Quis ascendet in montem Demini a? Ascendit quidem semel Christus corporaliter super altitudinem cœlorum; sed & nunc ascendit quotidie spiritualiter in cordibus electorum. Si ergo volumus & nos cum eo ascendere, ascendendum nobis est in montes virtutum de vallibus vitiorum. Est

*a Psal. 23. a

autem gemina ſpecies ipſorum vitiorum. Alia enim ſunt quæ nocent nobis, alia quæ proximis. Illa flagitia, iſta vocantur facinora: & hæc omnia dicuntur vallis lachrymarum, quia omni fletus fluvio plangenda eſt vita peccatorum. De valle flagitiorum aſcenditur ad montem caſtitatis triplici continentiâ, membrorum, ſenſuum, cogitationum. In prima continentia cohibetur actus, in ſecunda vitatur aſpectus, in tertia reſecatur affectus. Item de valle facinorum aſcenditur in montem innocentiæ. Hic erigitur ſcala: *Quod tibi non vis fieri, alii ne facias* b: & ponitur in ea triplex gradus timoris, vel eius ſcilicet qui patitur, ne reddat talionem: vel ſuperioris poteſtatis, ne inferat ultionem: vel interni judicis, qui reddit unicuique ſecundum opera ſua. Cum autem ad hunc montem aſcenderint, iam iuſti ſunt, & ex fide vivunt: ſed neceſſe eſt eos ſecundum Apoſtolum perſecutionem pati.

Mons caſtitatis.

Mons innocentiæ.

b vide Matt. 7. b. & Tob. 4

c 3. Tim. 3. c

Itaque confugiendum eſt de monte innocentiæ ad montem patientiæ: & hic quoque erigitur ſcala triplicis gradus. Primus eſt Domini paſſio; ſecundus Martyrum fortitudo; tertius Præmii magnitudo. Poſſunt ſanè gradus iſti dici gradus pudoris; ſicut in innocentia fuerunt gradus timoris. Et nota, quod mons iſte patientiæ ſecundum hos gradus eſt arduus, ſpinoſus, aridus. Arduus propter difficultatem imitandi paſſionem Domini. Spinoſus propter aculeos tentationum quæ multiplices ſunt, damna ſcilicet rerum, contumeliæ verborum, cruciatus corporum, in quibus ſancti Martyres examinantur. Aridus propter retributionem præmiorum, quæ non in hoc ſæculo ſperatur, ſed in futuro. Poſt hunc montem reſtat ei alius mons aſcendendus, mons ſcilicet montium: ad quem cum pervenerit, iam in eo Deus requieſcit. Unde ſcriptum eſt: *Factus eſt in pace locus eius.* Sed & in hoc monte pacis erigitur ſcala charitatis, unde Dominus dicit: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Volumus ſiquidem retribui nobis, volumus ignoſci, volumus gratis dari.

Mons patientiæ.

Iſque perquam arduus.

Mons pacis.

d Pſal. 75. *a*

e Matt. 7. b & Tob. 4.

SERMO LXII.

De varia & vera ſequela Chriſti.

a Ioan. 12. d

Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Quidam ſunt qui non ſequuntur Chriſtum, ſed fugiunt. Alii non ſequuntur, ſed præeunt. Nonnulli ſequuntur, ſed non aſſequuntur. Alii verò ſequuntur, & conſequuntur. Non ſequuntur, ſed fugiunt, qui necdum peccare deſiſtunt, de quibus ſcriptum eſt *b*: *Omnis qui malè agit, odit lucem.* Et Propheta: *Ecce iſti qui elongant ſe à te, peribunt.* Non ſequuntur, ſed præeunt, qui magiſtrorum ſententiis ſuas præferunt. Quorum imaginem tenebat Petrus, cum pro ſalute noſtra volentem pati Dominum increparet, dicens: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Sequuntur, ſed non aſſequuntur, qui ſegniter ac remiſsè agunt,

b Ioan. 3. c

c Pſal. 72. d

vel

vel usque ad finem non perseverantes de medio itinere revertuntur. Talibus dicit Apostolus [e]: *Remissas manus, & dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Sequuntur & consequuntur, qui viam humilitatis eius devoto mentis affectu perseveranter imitantur. Huiusmodi verè sequuntur Dominum. *Qui mihi ministrat* [f], *me sequatur*, id est, me imitetur. Quo fructu? *Vt ubi sum ego*, inquit, *ibi sit & minister meus.* Fructus itaque huius imitationis, mansio est æternæbeatitudinis.

[e] Heb. 12. e

[f] Ioan. 12. d

Sermo LXXIII.

De tribus mediis recuperandæ beatitudinis à Christo præscriptis.

Qui vult venire post me, &c.

QUi vult, veniat post me, per me, ad me. Post me, quia veritas sum: per me, quia via sum: ad me, quia vita sum. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me* [a]. Tria proposuit Christus Dei virtus & Dei sapientia, Angelus magni consilii, animæ rationali ad imaginem Trinitatis factæ, scilicet servitutem, vilitatem, asperitatem. In abnegatione sui servitus; in toleratione crucis vilitas; in imitatione Christi designatur asperitas: ut quæ per inobedientiam de statu trinæ felicitatis ceciderat, humiliata afflictione trinæ miseriæ per obedientiam resurgat. Ceciderat enim à seipsa, à societate Angelorum, à visione Dei, id est, à libertate, à dignitate, à beatitudine. Audiat ergò consilium, ut abnegando semetipsam, id est, propriam voluntatem, sui libertatem recuperet: tollendo crucem suam, id est, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigendo, per continentiæ bonum recuperet societatem Angelorum: sequendo Christum, id est, eius passionem imitando, recuperet claritatis eius visionem: quia si compatimur ei, & conregnabimus *b*.

[a] Luc. 9. d

[b] Rom. 8. d

Sermo LXIV.

De pretiosa vita & morte sanctorum.

Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius a.

[a] Psal. 115. 2

PRecioſam in conſpectu Domini mortem ſanctorum eius facit aliquando vita, aliquando cauſa, aliquando vita ſimul cum cauſa. In Confeſſoribus qui in Domino moriuntur, facit precioſam, vita. In Martyribus, qui pro Domino moriuntur, facit eam precioſam, aliquando ſola cauſa aliquando cauſa pariter & vita. Et illa quidem mors precioſa eſt, quam commendat vita: precioſior vero quam facit cauſa, precioſiſſima verò quam prævenit vita ſimul cum cauſa.

Mors ſanctorum triplicitèr pretioſa.

Porrò tria ſunt quæ ſanctam faciunt hominis vitam; victus ſobrius, actus iuſtus, ſenſus pius. *Victus ſobrius* erit, ſi continenter, ſi ſocialiter, ſi obedien-

Tria faciunt hominem ſanctum.

Rum, victus sobrius, actus iustus, sensus pius.

obedienter, id est, castè, charitativè, humiliter vixerimus. Per continentiam enim castitas, per socialitatem charitas, per obedientiam humilitas acquiritur. Et hæc est virtus, quæ animam perfectè Deo subditam, sub umbra alarum ipsius securè facit vivere. *Actus justus* erit, si fuerit rectus, discretus, fructuosus. Rectus per bonam intentionem, discretus per mensuram possibilitatis, fructuosus per utilitatem proximorum. *Sensus pius* erit, si fides nostra DEUM sentit summè potentem, summè sapientem, summè bonum, ut per eius potentiam, nostram credamus adjuvari infirmitatem: per eius sapientiam, nostram credamus corrigi ignorantiam: per eius bonitatem, nostram credamus dilui iniquitatem. Tria sunt quæ mortem sanctorum faciunt preciosam, quies à labore, gaudium de novitate, securitas de æternitate.

SERMO LXV.

De Connexione triplicis Parabolæ, *apud Matth. Simile est regnum cœlorm thesauro abscondito in agro, &c.*

*a Matt. 13. f

TRiplicem nobis commendat gradum parabola triplex lectionis unius. Ager est corpus. Huic dum adhuc dominantur passiones desideriorum, jacet incultus, & obnoxius maledicto. Spinas & tribulos germinat, quid intus lateat ignoratur. Quis enim eo tempore idoneum reputet ferre dignos pœnitentiæ fructus? Quid tam insipienter exponis anima corpus tuum? Nescis quid absconditum sit in eo. Quid nisi regnum cœlorum? Invenire est in eo salutis opera, quibus regnum cœlorum poteris adipisci. Eme ergo agrum, & concupiscentiis tuis tibi vendica corpus tuum dato nimirum precio fomentis & occasionibus ipsarum concupiscentiarum.

1. *Parabola thesauri in agro.*

Ubi verò thesaurum effoderis, esto jam negociator, & pretiosas margaritas quære. Si preciosissimam unam inveneris, etiam tunc vende quicquid habes, & eme eam. Quæ est tamen una tam preciosa? Neque enim mirum si pro thesauro vendidit quæcunque habebat, id est pro divitiis salutis, & peccata & peccati fomenta deservit. Hæc quippe sola prius habebat. Nunc autem, ubi thesaurum hunc reperit, quomodo quærit bonas margaritas, & pro una omnia vendit? Ego unam hanc nihil aliud quam unitatem arbitror esse. Quærit autem bonas margaritas, qui in opere salutis suæ non est contentus inferioribus bonis, sed summa quæq; & excellentiora perquirit. Nihil ergo preciosius inveniens unitate, non parcat omnibus cæteris propter eam: jeiuniis, vigiliis, orationibus audacter præferat unitatem.

2. *Negotiatoris ementis margaritas.*

Volo autem, ut in ea quoque sic maneat, non quasi unus ex omnibus, sed quasi cum omnibus unus. Latum expandat sinum, ex omni genere affectionum claudat intra viscera sua, omnibus omnia fiat, congaudere paratus & compati: gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Erit enim

3. *Sagenæ missæ in mare.*

enim cum ad littus veniens, malos pisces à sagena charitatis excludet, & quicquid molestum est, foras mittetur.

SERMO LXVI.

De octo beatitudinibus oppositis totidem peccatis.

EOdem ordine quo præcessit culpa, subsecuta est etiam culpæ medicina. Primum peccatum est factum in cœlo per superbiam prævaricatoris angeli, qui dixit in corde suo [a]: *In cœlum conscendam, super astra DEI exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo.* In seipso tumuit, & de sorte beatorum spirituum eiectus cœlorum regnum amisit. Contra hoc peccatum dictum est [b]: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Secundum peccatum commissum est per inobedientiam mulieris in paradiso. Ex hoc peccato facta est caro rebellis spiritui, ut quoniam spiritus eius non fuit subjectus Creatori, nec caro sit subjecta spiritui. Contra hoc est dictum [c]: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Horum duorum peccatorum comprehendit Dominus medicinam, dicens [d]: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Tertium peccatum fuit, quod ipsa mulier virum quoque secum traxit in culpam. Debuit quidem illa peccatum suum deflere, nec addere peccatum peccato: sed in hoc se putavit habere consolationem, si virum faceret peccati sui participem. Quodammodo enim naturale est unumquemque velle, sive in vitiis, sive in virtutibus associare sibi consortem. Contra hoc peccatum est istud remedium [e]: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Quartum peccatum commisit Adam, qui consensit. *Adam* enim (sicut ait Apostolus [f]) *non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Illa per ignorantiam, iste peccavit per infirmitatem. Peccavit autem nimis diligendo uxorem, non quia eius voluntatem fecit, sed quia eam voluntati prætulit divinæ. Unde & à Domino ei dictum est [g]: *Pro eo quod obedisti voci uxoris tuæ plusquam meæ, maledicta terra in opere tuo.* Justũ quippe erat, ut illius magis voluntatem faceret, cui plus debebat. Quis vero ambigat plus eum debere conditori quam uxori? Siquidem uxori erat astrictus tantum per amorem, Deo autem per timorem simul & amorem. Plus ergo debuerunt valere duo vincula ad tenendum eum erga Dei præceptum, quam unum tantum erga conjugis affectum. Contra hoc quartum peccatum, adhibitum est remedium, *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* [h]. Habuit quidem Adam justitiam, à justo Deo creatus justus: sed quia nõ eam ex libro arbitrio direxit, facilè ab ea per idem liberũ arbitriũ deflexit. Quo contradicitur per Psalmist. de Christo [i]: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatẽ.* Quintum æquè peccatum commisit, qui propriam

1. *Peccatum superbiæ; huic oppon.* 1. *beatit.*
a Esa. 14. d
b Matt. 5. a
2. *Peccat. Inobedientiæ. huic oppon.* 2. *Beat.*
c Ibidem.
d Matt. 11. d
3. *Peccat. Seductio Adami, huic oppon.* 3. *beatit.*
e Matt. 5. a
4. *Peccat. consensus huic oppon.* 4. *beatit.*
f 1. Tim. 2. a
g Gen. 3. c*
Adam plus debebat Conditori quam Vxori.
h Matt. 5. a
i Psal. 44. b

culpam retorsit in uxorem, cum ait [k] : *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Primo quidem crudelis in se, qui peccatū suum excusavit : secundo in uxorem quam accusavit. Et utique satis sumpta est digna de peccato vindicta, quandò eam accusavit, cuius amore peccavit. Contra hoc peccatum dictum est [l] : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Sextum peccatum fecit Eva, quæ cum increparetur à Domino cur hoc fecisset, respondit ei [m] : *Serpens decepit me, & comedi.* Sic declinavit & ipsa in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis [n], refundens culpam in serpentem, quasi immunis à crimine, cum nil obfuisset suggestio serpentis, si illa negasset assensum propriæ voluntatis : & fortè præcessit in ea aliquis motus superbiæ, unde seduci meruit à serpente. Contra quod dictum est [o] : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Septimum peccatum factum est extra paradisum, quando Cain consurrexit adversus Abel fratrem suum, & interfecit eum [p]. Ex eo jam tempore inveteratum est, ut mali insurgant in bonos, & opprimant eos. Huius peccati remedium est illud [q] : *Beati pacifici : quoniam filii Dei vocabuntur.* Quod si ab infestatione cessare noluerint iniqui, patienter tolerent eos justi audientes consolationem quæ sequitur, & dicit [r] : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ecce quàm necessarius fuit adventus Christi, qui carnem subjiceret spiritui, hominem pacificaret sibi, Deum reconciliaret homini.

5. *Peccat Excusatio sui & accus. uxoris; huic. opp. 5. beat.*
k Gen. 3. b
l Matt. 5. a

6. *Peccat Rejectio culpæ in serpentem. huic opp. 6. beat.*
m Gen. 3. b*
n Psal. 140. a
o Matt. 5. a

7. *Pecc. Malorum in bonos diū, huic opp. 7. beat.*
p Gen. 4. b
q Matt. 5. a
r Ibidem.
8. *Beat. opposita Persecutioni malorum.*

Sermo LXVII.

De duplicibus Legis præceptis, moralibus, & figuralibus.

Ex per Moysen data est, gratia & veritas per IESVM Christum facta est [a].

Duplex in legè veteri præceptorum genus invenio. Sunt enim moralia quædam, ut est : *Non concupisces, non adulterabis, honora patrem tuum* [b], & his similia. Sunt etiam figurativa & umbratilia quædam, ut est taurorum immolatio, & sanguis hircorum. Veruntamen carnalis ille populus, nec illa implere poterat, ne in his obtinere salutem. Unde & Salvator in Evangelio [c], legis præcepta improperat Pharisæis, quod propter traditiones suas irrita facerent Dei mandata, ipsa sine dubio in quibus esset ædificatio morum. Nam de cæteris ipse loquitur per Prophetam [d] : *Dedi eis præcepta non bona* : ipsa planè in quibus esset umbra futurorum. Quæ enim consquentia rationis, ut homine peccante aries mulctaretur, & diceret cum Propheta [e] : *Quæ non rapui, tunc exsolvebam?* Meritò sanè non bona præcepta populus non bonus accepit, dicente Propheta [f] : *Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris.* Noverat enim Iudæorum corda carnalia, unde & carnalia eis tradidit sacramenta, quæ non possent juxta conscientiam

a Ioan. 1. b*
Duplicia vet. Legis præcepta: moralia, & figurativa.
b Matt. 19. c
Rom. 13. c
Exod. 20. a
c Marc. 7. c
d Ezech. 20. 1*
e Psal. 68. a
f Psal. 17. d
Illa jam observantur literaliter per gratiam Christi:

scientiam perfectum facere servientem in justitiis carnis. Venit proinde plenus gratia & veritate Christus Dominus noster, ut ex hoc jam moralia quidem impleantur per gratiam : quæ verò umbratilia & mystica fuerant, revelata veritate deinceps non ad literam observentur, sed secundum spiritum spiritualiter intelligantur. Propterea jam non aries vel taurus homine peccante mactatur, sed viva corporis hostia, rationale & acceptabile sacrificium in jeiuniis & laboribus veniam meretur pariter & gratiam.

Hæc non nisi spiritualiter.

SERMO LXVIII.

De compositione hominis exterioris coram hominibus, & interioris coram DEO.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei a. Minister Christi sic debet conversari, ut ex moribus exterioris hominis qui videtur, existimetur compositio interioris animi qui non videtur, ne vel ab alio, vel à seipso possit judicari, sed dicat cum eodem Apostolo *b*: *Mihi pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die : sed neque meipsum judico. Qui autem judicat me, Dominus est.* In quibus verbis notanda sunt tria judicia. Humanum, suum cuiusque proprium, divinum. Et humanum quidem potest judicare de rebus exterioribus, quæ sensibus corporis percipiuntur : de interioribus verò non potest. Hinc enim scriptum est *c* : *Quis enim scit hominum qua sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in eo est?* Quapropter de his quæ sunt in homine, potest judicare spiritus hominis qui in ipso est. Longè verò præstantius de his ipsis judicat Deus, cuius necdum se fatetur Apostolus evasisse judicium, qui tamen jam & humanum transcendisset & proprium. Porrò humanum contemnebat qui dicebat *d* : *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Sed neque proprium timebat, qui dicebat *e* : *Sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum.* Solum ergo restabat divinum, de quo ait *f* : *Qui autem judicat me, Dominus est.* Debet tamen quisque quantum potest irreprehensibilem se exhibere, primum quidem coram Deo, sed deinde coram hominibus. Hoc nempe est quod alibi loquitur idem Apostolus dicens *g* : *Providentes bona non tantum coram Deo, sed coram hominibus.*

a 1. Cor. 4. a

*b Ibidem.

Tria iudicia, humanũ, proprium cuiusque, divinum.

c 1. Cor. 2. c

d 1. Cor. 4. a

e Ibidem.

f Ibidem.

*g 1. Cor. 8. d

Et notandum, quod tribus modis providentur bona coram hominibus, id est, habitu, actione, sermone. Habitu, ne sit notabilis : actione, ne sit reprehensibilis : sermone, ne sit contemptibilis. Tribus etiam modis coram Deo, cogitatione, affectione, intentione. Nam & *cogitatio* debet esse sancta, unde scriptum est : *Cogitatio sancta servabit te*; & *affectio* pura, & *intentio* recta. Sunt autem tria ista, id est cogitatio, affectio, intentio in anima : sed in ea quoque propriis singula locis distincta videntur. Nam cogitatio in memoria, affectio in voluntate, intentio in ratione consistit.

Tribus modis providentur bona corã hominibus: totidem corã Deo, id est, Cogitatione, affectione, intentione.

sibit. Atque ut eorum usum ac differentiam clarius videamus, sumamus nobis exemplum de rebus exterioribus. In corporibus si quilibet deformis color cutem tantũ inficiat, corpus quidem turpius redditur, sed nil ei de sanitate sua ex hoc adimitur. Si ergo carni putredo aliqua vel lividus tumor insederit, jam non solùm decor corporis, sed salus quoque turbatur. Quòd si languor forsitan invalescens, cum ipsa carne ossa quoque medullitus occuparit, tunc demum de vita non immerito poterit desperari. Eodem modo in anima si peccatum suggeritur memoriæ per cogitationem, nullum tamen præbuerit, aut voluntas affectum, aut deliberatio ipsa consensum: fateor quidem deformitas est, nec audire interim anima illa meretur [h]: *Tota pulchra es amica mea.* Cæterum etsi nævus est; sed non morbus. Quod si voluntas quoque ipsa jam sensu delectationis afficitur, resistit tamen adhuc deliberatio rationis, infirmatur quidem, sed necdum moritur anima: clamet tamen necesse est: *Sana me Domine, & sanabor* [i], Tunc enim mori dicitur, quando & ipsa ratio ad peccatum per intentionem curvatur. Hoc nempe est peccatum, de quo dicitur [k]: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.*

Exemplo res declaratur.

Triplex ad peccatum gradus.

h Cant. 4. b

i Hier. 17. b

k Ezech. 18. a

Hunc triplicem gradum deplorat David ex persona peccatoris, dicens Domino; expellendo de paradiso, in latam hujus seculi evagationem; *Confirmasti super me manum tuam* [l]. Et quoniam carnalia desideria sunt peccati pœna: *Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ* [m]. Jam verò ubi robur deest rationis, *non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Qui rursum eosdem gradus ex persona justi decantat dicens [n]: *Memor fui Dei & delectatus sum, & exercitatus sum.* Delectatus enim dicit per voluntatem, exercitatus per rationem. Ne ergo à memoria expellat Deum irruens turba plurimarum cogitationum, quæ solent effluere tanquam vilis plebs in atrium: ponatur ad ejus portam janitor, cujus nomen est *recordatio propriæ professionis*, ut cum turpibus sese cogitationibus senserit animus prægravari, increpet se, & dicat sibi: Tu ne hæc debes cogitare qui sacerdos es, qui clericus es, qui monachus es? Cultor justitiæ debet in se hujusmodi quicquam admittere? decet servum Christi, amatorem Dei, tale aliquid vel ad modicum meditari? Hæc dicendo excludes fluxum illicitæ cogitationis per recordationem propriæ professionis. Similiter ad portam voluntatis, in qua solent manere carnalia desideria tanquam in domo domestica familia, statuatur ostiarius, qui vocatur *recordatio cœlestis patriæ.* Hic enim potest pravum desiderium quasi cuneus cuneum expellere, & ipsum qui ait: *Ecce sto ad ostium, & pulso,* sine cunctatione recipere. Jam vero ad thalamum rationis talis & tam ferox adhibendus est custos, qui nemini parcat, sed quicunque hostis sive clam, sive palam ingredi præsumpserit, procul eum arceat: & hic sit recordatio gehennæ. In cæteris siquidem.

Deploratur à David ex persona peccatoris,

l Psal. 37. a

m Ibidem.

n Psal. 76. a

Memoriæ custos adversus turbã cogitationum.

Voluntatis custos adversus impetum desideriorum.

Rationis custos adversus omnẽ hostilem incursum.

siquidem, id est, memoria & voluntate non ita est intolerabile, si vel memoria recipiat quandoque vagam cogitationem, vel voluntas impuram affectionem. Hoc vero gravissimum est & omninò damnosum, si unquam ratio perdiderit intentionis rectitudinem.

Sermo LXIX.

De triplici renovatione triplicis vetustatis.

Sicut portavimus imaginem terreni hominis, portemus & imaginem cœlestis a. Duo homines sunt, vetus & novus. Adam vetus, Christus novus. Ille terrenus, iste cœlestis: illius imago vetustas, istius imago novitas. Est autem triplex vetustas, & econtrario, triplex novitas. Est enim vetustas in corde, in ore, in corpore: in quibus tribus modis peccavimus, cogitatione, locutione & opere. In corde sunt desideria carnalia & secularia, id est, amor carnis, & amor seculi. Similiter in ore est gemina vetustas, arrogantia & derogatio. Item gemina in corpore flagitia & facinora. Hæc omnia sunt imago veteris hominis, & hæc omnia renovanda sunt in nobis. Si non esset vetustas in corde, non diceret Apostolus *b*: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum DEUM creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Item si non esset vetustas in ore, non diceret Scriptura [c]: *Recedant vetera de ore vestro.* Et Apostolus dicit [d]: *Omnis sermo malus non procedat de ore vestro, sed qui bonus est, ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Sed & de vetustate corporis mentionem facit, cum dicit [e]: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem.* De cujus renovatione etiam subjungit: *Ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.*

Triplex vetustas.

a 1. Cor. 5. f.*

b Eph. 4. f

c 1. Reg. 2. a
d Eph. 4. f

e Rom. 6. d

Renovetur ergo cor nostrum à carnalibus & secularibus desideriis: ut exclusis illis introducatur amor Dei, & amor patriæ cœlestis. Recedant ab ore nostro arrogantia & derogatio, & succedant pro his vera peccatorum nostrorum confessio, & bona de proximis æstimatio. Pro flagitiis & facinoribus, quæ vetustas est corporis, assumatur continentia & innocentia, ut scilicet contrariis virtutibus contraria vitia depellantur. Hanc supradictam renovationem facit Christus habitans in nobis per fidem, sicut ipse ait [f]: *Ecce nova facio omnia.* Unde & ad sponsam loquitur in Canticis [g]: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Habitans igitur in corde est sapientia, habitans in ore veritas, habitans in corpore justitia.

f Esa. 44. c
g Cant. 8. b

Sermo LXX.

De vigilantia & sollicitudine curandæ salutis.

Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus a. Ita plane

*a 1. Cor 4. k

plane, & malis & bonis pariter. Illos enim sollicitat invidiæ passio, istos compassio misericordiæ, ut in nos incessanter intendant, illi quidem defectum nostrum, isti profectum desiderantes. Nimirum in probatione sumus, inter paradisum & infernum interim medii, velut inter claustrum & seculum constituti. Diligenter consideratur utrinque quid agimus, utrinque dicitur, ô si ad nos transeat: intentione quidem dissimili, sed non dispari forsitan voluntate. Quod si ita omnium oculi in nos: nostri quo abierunt, aut quare soli ipsi recesserunt à nobis? A dextris siquidem & à sinistris tanto studio circunspecti, soli dissimulamus inspicere vitam nostram: soli nosmetipsos negligimus intueri, nec verentes deceptorios, nec administratorios saltem spiritus reverentes: *Me expectant justi, donec retribuas mihi* b. Et item. *Me expectaverunt peccatores ut perderent me.* Hinc mihi gehenna, inde corona paratur: & inter hanc atque illam medium nugari libet, oscitari delectat? Utique adeo nec trahor desiderio, nec periculo terreor, nec cupidus plane nec pavidus, in quibus magis fuerat necessarium; pernicioſissimè insensibilis ad utrumque. Exurgamus aliquando, Fratres, nec in vano accipiamus animas nostras, pro quibus alii tanto zelo, vel in bonum vigilant, vel in malum. Non est res parva quam sic infectantur hostes, cives sic præstolantur.

Et boni & mali Angeli in nos intendunt.

Et nos ipsi in alios, nostri immemores.

b Psal. 141. b
c Psal. 118. m

Desidia nostra in negotio salutis perstringitur.

Sermo LXXI.

INtegra & perfecta moralitas in duobus præcipuè consistit, in evitandis vitiis, & appetendis virtutibus: quoniam non sufficit à malo abstinere, si non & bonum faciamus. Inde Psalmista [a]: *Declina à malo, & fac bonum.* Fugiamus ergo vitia, amplectamur virtutes. Historias igitur summatim delibantes, moralitatis fructus decerpamus. Fames coegit Israel intrare in Ægyptum [b]: statim reperit ibi novum Dominum, & de libero servus efficitur. Ex illius regionis inhabitatione redigitur sub potestate Pharaonis: qui masculos præcepit interfici, fœminas reservari [c]. Israel operibus luti & lateris duriter affligitur. Pharao paleas ministrat laborantibus. Fames coegit.

a Psal. 36. e

b Gen. 42. & 43. a
c Exod. 1. c

Israelitæ causâ famis in Ægyptum profecti ibique postea oppressi, quid tropologice.

Non fames panis, neque sitis aquæ, sed audiendi verbum Dei, compellit multos intrare Ægyptum: Hoc verbum Dei est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum *d*. Unde Psalmista [e]; *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Qui hanc lucem sequitur, non ambulat in tenebris, sed habet lumen vitæ. De luce præceptorum transitur ad lumen præmiorum. Qui hujus divini verbi patitur egestatem, cogitur intrare Ægyptum, id est, tenebras. Involvitur enim tenebris ignorantiæ, & subjacet dominio Pharaonis, id est, diaboli, qui princeps est Ægypti, hoc est tenebrarum, juxta illud Apostoli [f]: *Non est nobis colluctatio adversus car-*

d Ioan. 1. a
e Psal. 18. b

f Ephes. 6. b

sus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus. Sub jugo Pharaonis fiunt lutea opera, id est, dissoluta & sordida. Ab ipso dantur paleæ, id est leves cogitationes. Palearum est leviter accendi, & in momento consumi. Sic & malæ cogitationes à diabolo immissæ cito in mentibus nostris accenduntur, carnis mollitie consentiente. Sed si viriliter studeamus resistere, Deo juvante protinus extinguuntur. Paleis accensis coquebatur lutum, & solidabatur in lateres: & pravæ cogitationes quæ sunt lutum, paleis delectationis accenduntur. Quæ cum transeunt in actum, tunc decoquuntur: cum vero ducuntur in consuetudinem, tunc solidantur.

Sermo LXXII.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum [a]. Pii sunt qui in Deum credunt, & ipsum colunt. Est enim pietas cultus Dei [b]. Hic autem cultus in tribus consistit, fide, spe, & charitate quæ sunt invisibilia. His tribus carent impii qui Deum non colunt; & quorum consilium est visibilia invisibilibus, terrena cœlestibus præponere. Horum caput & princeps est diabolus, qui primus à pietate recessit, & impius factus etiam homines in paradiso positos, ab eadem pietate fraude sua dejecit, volens eos habere socios sui erroris, & participes iniquitatis. Ille enim Evam seduxit, & illa virum sibi subdidit. Similiter adhuc dæmon suggerit carni, caro spiritui, & fit impiorum consilium. Dicunt enim sibi invicem: *Omnium nostrum sit unum marsupium* [c]. Ponunt ergo in memoria quasi in marsupio quisque obolum suum: dæmon scilicet suggestionem, caro delectationem, spiritus consensum. Inde tanquam de symbolo comparant sibi victum competentem. Caro quidem combustionem, ignem scilicet qui non extinguitur: spiritus malam conscientiam, id est, vermem qui non moritur. Dæmon autem emit utriusque sanguinem.

[a] Psal. 1. a
[b] Job. 20. juxta LXX.
[c] Prov. 1. b *Consilium impiorum cujus author & suggestor Dæmon.*

Ad hoc consilium impiorum itur quatuor modis. Quidam enim trahuntur inviti, alii attrahuntur illecti, alii seducuntur ignari, alii sequuntur spontanei. Istis necessariæ sunt quatuor virtutes, per quas armati resistant, ne in consilio eant. Invitis necessaria est *fortitudo*, qua resistant usque ad mortem minis, cruciatibus, & damnis. Illi qui attrahuntur illecti, indigent *temperantia*, quæ reprimit illicita desideria, nec cedit promissionibus, nec emollitur blanditiis. Illis qui seducuntur ignari, est opus *prudentia*, quæ ab utilibus inutilia discernit, & docet quid tenendum, quidve rejiciendum sit. *Justitia* indigent illi qui sequuntur spontanei. Justitia est rectitudo voluntatis, quæ nec amat peccare, nec peccato consentire. Justitia & fortitudo sedem habent voluntatem; quia voluntas justa debet esse & fortis. Est autem

Quatuor ad hoc consilium viæ. Totidem virtutes in oppositæ.

autem justitia ordinata hoc modo, scilicet mala respuens, bonis meliora præponens. Hanc non videtur habuisse Adam, qui malo consentiens, quod utile erat deseruit. Prudentia & temperantia sedem habent in ratione, quia ratio prudens debet esse & temperata. Est quippe prudentia, ratio docta, scilicet à gratia, vitare contagia injustitiæ propter justitiam. Vitat quidem non solum injustitiam apertam, sed etiam illa quæ sunt aliquo modo contra justitiam, attendens non quod licet, sed magis quod expedit: vitans divitias & quædam alia, non quia illicita, sed quia justitiæ solent esse impedimenta. Sed propter quosdam qui ex hypocrisi hoc faciunt, additur, propter justitiam. Justitia est perfectio animæ rationalis. Aliæ virtutes sunt ad eius acquisitionem vel conservationem, fortitudo, temperantia, prudentia, quæ justitiam conservant ne amittatur aut minuatur. Postquam vero perfecta est justitia, & transit in affectum cordis; idem est quod illa tria, quia fortis est, prudens, temperata.

Justitia ordinata quæ.

Justitia virtus generalis, cui cæteræ subserviunt.

Qui non abiit. Abire pertinet ad illos qui sunt inconstantes, & leviter possunt impelli. Quod quidam volentes evitare, fiunt evidenter obstinati, nullius consilio acquiescentes, propositum suum immobiliter tenentes: & ideo adjunctum est, *& non stetit*, scilicet, ut nec levis sit, nec obstinatus. Via peccatorum est mundus, vel propria voluntas, quæ est superbia, ex qua omnia mala: sicut ex communi sunt bona. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit* [d], Sedet, qui docet exemplo suo faciens peccare alios. Cathedra est hæc, & quatuor pedibus subsistit. Primus pes est malitia; secundus contemptus Dei; tertius irreverentia; quartus astutia. *Malitia* est amare malum, & saporem mali habere: & malum, quia malum est diligere, sicut facit diabolus, & nonnulli iniqui. Sed quia fit aliquando ut tales timeant Deum non timore bono, sed ne incurrant, vel damnum rerum, vel corporis cruciatum: ut amplius fiant mali, contemnunt & ipsum Deum, & fit secundus pes *contemptus Dei*. Item posset fieri ut malum amarent, Deum contemnerent, sed inhiberet eos pudor hominum, cum quibus habitant: ideò ad augmentum mali sequitur tertius pes *irreverentia*, ut nec Deum timeant, nec homines revereantur. Ad consummationem verò malitiæ adest quartus pes *astutia*, ut sciant uti tribus prædictis, miscentes oleo venenum, & melli acetum. Eminens pars cathedræ cui sedens inhæret, est *potentia*. Si enim potens est qui prædicta habet, tunc plurimum nocet, vel si potentem sibi allicere potest, quem consilio suo seducat, & ad malum impellat. Deinde apponitur pulvinar, ut suaviter sedeat. *Pulvinar* fit de levibus pennis avium, significans vanam gloriam, & favorem popularem, quibus homines delectati extolluntur. *Scabellum* pedibus supponitur, ne terram tangant. Tales enim nonnulli terrenas actiones non faciunt, sed spirituales simulant, ut magis decipiant. Horum doctrina est quasi pestilentia, multa loca occupans & vastans.

[d] Psal. 1. a

Cathedra pestilentiæ, id est, malum exemplum subsistit 4. pedibus.

Eminens eius pars potentia.

Pulvinar eius vana gloria.

Scabellum hypocrisis.

Sed

Sed *in lege Domini voluntas eius.* Superiori versu dictum est quid sit respuendum: In hoc autem dicitur quid sit appetendum. In illo dictum est tanquam *declina à malo*: in hoc autem, *& fac bonum*: quod utique est ambulare in lege. Sed quoniam hæc via agitur non gressu corporis, sed affectu mentis: ideò dictum est: *In lege Domini voluntas eius.* Velle enim (teste beato Gregorio) mente ire est. Per hanc viam incedunt, & quasi quendam cursum ducunt tria genera hominum, servus, mercenarius, filius. Trahunt autem eundem currum jumenta, quorum nomina sunt, comminatio & promissio. Super comminationem servus sedet, super promissionem mercenarius. Horum uterque trahit currum, alter timore, alter cupiditate, & uterque propriis stimulis impellitur. Solus filius, qui nec timore quatitur, nec illicitur cupiditate, sed spiritu dilectionis agitur, sine labore aut læsione vehitur in curru [f]. *Quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei.* Habet etiam currus ille quatuor rotas, illas scilicet quatuor animi affectiones notissimas, amorem & lætitiam, timorem & tristitiam. Amant enim reprobi temporalia, & lætantur cum malefecerint: sed hunc amorem & hanc lætitiam sequitur timor & tristitia sempiterna. Electi vero quibus dicitur [g]: *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium*: ponunt primas rotas timorem & tristitiam, posteriores amorem & lætitiam. Ipsis enim commutatur timor in charitatem, tristitia in lætitiam sempiternam.

Ibidem.

Tria hominum genera per viam legis Domini incedunt.

f Rom. 8. c.

g Ioan. 16. d

Notandum autem, quod hæc via legis Domini consummatur sex diebus. Et prima quidem diæta est gemitus cordis: secunda confessio oris, tertia largitio propriæ possessionis, quarta labor corporis, quinta abnegatio propriæ voluntatis, sexta contemptus mortis. In septima fit quies ab omnibus prædictis, sperans octavam resurrectionis. *Et in lege eius meditabitur die ac nocte.* In quocunque statu sit homo positus, nunquam recedendum est illi à lege Domini, sed semper in die bonorum non immemor sit malorum, & in die malorum memor sit semper bonorum. Potest etiam per diem & noctem contemplativa & activa vita intelligi, quæ ambæ continentur in lege Domini.

Sermo LXXIII.

De insipientia hominum non timentium, nec diligentium Deum.

Dixit *insipiens in corde suo, non est Deus* [a]. Deus licet unus sit & unum sit, tamen non sui varietate, sed animi nostri mutatione gustantibus nobis diversos videtur habere sapores. Sapit enim timenti justitiam & potentiam; sapit amanti bonitatem & misericordiam. Unde & alibi ait idem, iste Propheta [b]: *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi: quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Idem quippe est audire hoc quod gustare: quia

* a Psal. 52. a

Deus pro affectuum varietate nobis sapit diversimodè.

utrumque sit una & simplicissima mente. Itaque semel locutus est Deus: quia unum genuit Verbum. Cæterum nos per unum verbum duo hæc audimus sive sapimus, *quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Atis quidem penitus insipiens est, cui nec timorem Deus sapit, nec amorem. Discat quantum vult; ego sapientem non dixerim, dum nec timebit nec diliget Deum. Quomodo enim dixerimus in sapientia consummatum, quem video nec initiatum? Nam *initium sapientiæ timor Domini* c: consummatio amor; media sibi vendicat spes. Cui ergo nec justitiam sapit Deus per timorem, nec misericordiá per amorem: is planè dicit *in corde suo, non est Deus.* Deum enim non putat, quem nec justum, nec pium reputat.

c Psal. 110. b Eccli. 1. & Prov. 1. b *Insipiens est, cui nec timorem, nec amorem Deus sapit.*

Sermo LXXIV.

De corruptione hominum.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum a. Habet anima corruptionem suam, habet & corpus suam. Corruptio animæ tripertita est; quadripertita est corporis. Corpus siquidem constat ex quatuor elementis. Anima vero triplici vi subsistit. Est enim rationalis, concupiscibilis, irascibilis. Rationalem, cujus sanitas est cognitio veritatis, corrumpit superbia. Corrupta autem fallitur duobus modis: in cognitione sui, & cognitione Dei. Concupiscentiam corrumpit vana gloria, iram invidia. Corruptio corporis dicitur abominatio, & fit quatuor modis, secundum quatuor elementa ex quibus constat. Quatuor enim sunt quæ corpus corrumpunt, curiositas, loquacitas, crudelitas, voluptas. Sunt autem quatuor partes corporis, in quibus singulis maximè vigent singula elementa. Nam in oculis est ignis: in lingua quæ vocem formar, aer: in manibus quarum propriè tactus est, terra: in membris genitalibus, aqua. Has quatuor partes corrumpit illa quadripertita pestis. Oculos scilicet curiositas; linguam loquacitas; manus crudelitas, genitalia voluptas. Sic fiunt homines *corrupti & abominabiles*, corrupti in anima, abominabiles in corpore; corrupti coram Deo, abominabiles coram hominibus. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quatuor genera sunt hominum, quorum omnium nullum est quod faciat bonum nisi unum. Quidam enim sunt qui Deum nec intelligunt nec requirunt, & hi mortui sunt. Alii intelligunt quidem, sed non requirunt, & hi impii sunt. Alii requirunt, non autem intelligunt: & hi fatui sunt. Alii vero & intelligunt, & requirunt: & hi sancti sunt. De quibus solis dici potest, quia ipsi sunt qui faciunt bonum.

a Psal. 13. & 52. a* *Anima corruptio triplex:*

Corporis quadruplex.

Elementa in quatuor corporis partibus singulariter vigentia.

Hominum quatuor sortes, quarum una tantum facit bonum.

Sermo LXXV.

De pœnitentia in mortem non differenda.

Mul-

Periculosum in mortem usque differre curam animæ.

Nec tutum nisi exemplo Latronis in cruce demum pœnitentis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt a. Quid dissimulant homines in vita sua agere pœnitentiam, & extrema de confessione præsumunt? Quomodo sub unius horæ articulo revocari posse æstimant omnia animæ membra, cujus concupiscentiæ & desideria per totum mundum sparsa sunt, & ubique terrarum velut quodam visco tenentur? Non dico, ait Dominus, quin & talium salvem aliquos, potens sum enim in momento omnia revocare; sed *non congregabo conventicula eorum de sanguinibus b*, id est, qui in sanguine perseverant, donec multiplicatis infirmitatibus deserantur à peccatis antequam deserant ea, non magna talium conventicula congregabo. Si benè memini, in toto canone Scripturarum unum Latronem invenies sic salvatum. Noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temetipsum. Et quidem spiritus non modo ubi vult, sed quando vult, spirat *c*, nec ei difficile est de subito perfectam dare contritionem cordis quam vix multo tempore alii consequuntur: sed unde scis quod tunc tibi ita subvenire velit, quem tu interim sic repellis? Benignus quidem est spiritus sapientiæ *d*, sed non liberabit maledicum à labiis suis. Audi quis ille sit: Maledictus qui peccat in spe.

a Psal. 15. 8

b Ibidem.

d Sap. 1. b

Sermo LXXVI.

De necessitate seu commendatione divinæ gratiæ.

Benedictio triplex nob. necessaria.

Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis a. Triplex nobis necessaria est benedictio, prævenians, adjuvans, & consummans. Prima misericordiæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prævenit misericordia conversionem, adjuvat gratia conversationem, perficit gloria consummationem. Nisi trinam hanc benedictionem dederit Deus, non poterit dare terra nostra fructum salutis. Neque enim aut inchoare bonum, donec à misericordia præveniamur; aut agere bonum, donec adjuvemur à gratia, aut consummari in bonis possumus, donec gloria repleamur. Verum in his tribus non immeritò dulcius sapit ea, quæ non modò immeritos, sed & malè meritos prævenit: ut dum adhuc filii sumus iræ, & operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, imò & impetentibus: non invocantibus, sed provocantibus: non interpellantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, adoptionis spiritum largitur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? Merito proinde benedictio dulcedinis nominatur ea quæ prævenit; quia quæ adjuvat, fortitudinis; quæ consummat, plenitudinis est.

a Psal. 20. a

Gratiæ necessitas ad bonum inchoandum & peragendum.

Sermo LXXVII.

De variâ sorte hominum cognoscentium & non cognoscentium Deum; item cognitorum & non cognitorum à Deo.

Psal. 17. g. *Populus quem non cognovi, servivit mihi* [a]. Non esset magnæ admirationis, si populus à Deo cognitus serviret illi. Cum verò incognitus illi serviat, & in auditu auris obediat, magnæ laudi adscribendum est. Ex hoc genere cognitorum & non cognitorum, & cognoscentium & non cognoscentium sunt quatuor differentiæ. Quidam enim sunt qui à Deo cognoscuntur, & Deum cognoscunt; alii non cognoscuntur, nec cognoscunt, alii cognoscuntur quidem, sed ipsi non cognoscunt; alii non cognoscuntur, & tamen cognoscunt. Cognoscere Dei, est felicem facere; cognoscere hominis est gratias agere. Qui ergo cognoscuntur à Deo, & Deum cognoscunt, sancti Angeli sunt, qui ab eo felices facti, eius laudibus semper vacant, & obsequiis deserviunt. Qui nec cognoscuntur, nec cognoscunt; pauperes sunt necessarii, quos nec rerum temporalium copia ditat, nec beatificat servitus divina. Qui autem cognoscuntur, sed non cognoscunt, divites sunt huius sæculi, qui acceptis quidem opibus affluunt, sed carnalibus desideriis huius sæculi pressi, nunquam ad cœlestia cor suspendunt.

Quatuor differentiæ hominum cognitorum & non cognitorum à Deo.

Qui vero non cognoscuntur & cognoscunt, pauperes sunt voluntarii, quos nec tribulatio, nec angustia, nec alia quæcunque pericula possunt separare à charitate Dei. Et hi nimirum multis modis probantur adversis, durisque fatigantur tribulationibus, sicut scriptum est *b*: *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Ex quorum item persona loquitur Psalmus *c*: *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* Nunquid non incogniti videntur qui orant ut respiciantur? Veruntamen licet derelicti videantur, ipsi tamen Deum cognoscunt; & ex persona cognoscentium statim in eodem Psalmo subinfertur: *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad insipientiam mihi.* De his ergo vox divina dicit: *Populus quem non cognovi, servivit mihi.* Ac si apertè diceret Angelis suis. Quid, si vos mihi servitis quos felices facio, quando quidem illi mihi serviunt quos in sua paupertate derelinquo? Et quid, si vos mihi obeditis qui faciem meam videtis, cum & illi obediant qui me tantum audiunt, & non vident? Vident quippe Angeli, audiunt homines. Audiunt scilicet & obediunt, ut quandoque similes Angelis facti, mereantur ipsi quoque videre. Itaque auditus est meritum videndi, visio præmium audiendi. Et prius est audire, videre posterius, sicut scriptum est *d*: *Audi filia & vide.* Quisquis ergo in futuro Deum videre desiderat, profecto necesse est ut in præsenti prius Deum audiat, & in auditu auris obediat.

b Eccli. 27. a

c Psal. 21. c *Pauperes voluntarii quasi incogniti & derelicti à Deo.*

d Psal. 44. c

SERMO LXXVIII.

De differentia tabernaculi, atrii, domus. *Quam dilecta tabernacula tua Dom. virt. &c.* Psal. 83. a

In tabernaculis iusti in

TRia sunt, Tabernacula, Atria, Domus. In tabernaculis sunt omnes iusti in carne viventes & laborantes; quia tabernacula laborantium

sunt

sunt & militantium. Tabernaculum verò habet tectum, sed fundamento caret, & portabile est: quia justi in præsentibus non sunt fundati, sed inquirunt civitatem desursum fundamenta habentem. Fides etiam eorum, quæ est fundamentum, non est in terrenis, sed in Domino tectum habent, id est, munimentum gratiæ & protectionem. Atria sunt domui vicina, amplitudinem habentia. In illis sunt animæ sanctæ corporibus exutæ, quæ in latitudine sunt, depositâ carnis angustiâ. Atria habent fundamentum, sed non tectum, quia animæ quæ in amore Dei sunt non ruunt, unde *stantes erant pedes nostri* a; sed non habent tectum, adhuc expectantes augmentum, quod non erit nisi in resurrectione corporum suorum. Post ipsam sanè resurrectionem cum Angelis erunt in domo, quæ habet fundamentum & tectum. Fundamentum est stabilitas æternæ beatitudinis, tectum consummatio & perfectio ipsius.

carne viventes.

In atriis sunt animæ corpore solutæ.

a Psal. 121. a

In domo animæ corporibus post resurr. redditæ.

SERMO LXXIX.

De voluntate Deo semper & in omnibus subiiciendæ

PAratum cor meum Deus, paratum cor meum a. Via regia, Fratres, nec ad dexteram declinat, nec ad sinistram. Porrò invenire est hominem semel quidem paratum, non quidem secundo. Si dixerit ei Deus, *eiice ancillam & filium eius* b, dico autem opera carnis: non cunctatur. Si dixeris, *immola mihi filium tuum quem diligis Isaac*: hoc planè jam patienter audire non potest, ut fraternæ utilitatis aut unitatis gratia, spiritualis sustinere videatur studii detrimenta. Quidni abiiciat facilè servus Christi quicquid ad corpoream pertinet voluptatem? At vero spirituali jucunditate æquanimiter fraudari quando aut obedientia cogit, aut fraternæ charitatis ratio postulat, hoc planè magnum & Deo gratum offerre est holocaustum. Memento tamen non Isaac in hoc sacrificio, sed arietem contumaciæ jugulari.

a Psal. 56. a

b Gen 21. b
c Gen. 22. b

NOTA. Quam difficile propriam relinquere voluntatem.

SERMO LXXX.

De triplici unitate.

ECce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in unum a. Est unitas naturalis; unitas carnalis; unitas virtualis; unitas moralis, unitas spiritualis, unitas socialis; unitas personalis; unitas principalis. Unitas naturalis est inter corpus & animam. Unitas carnalis inter virum & mulierem, de qua dictum est b: *Erunt duo in carne una.* Unitas virtualis est quæ hominem sibiipsi coniungit, ut non per diversa effluat, sed cum Propheta *unam petat à Domino.* Unitas moralis est quæ nos coniungit proximo. Unde Psalmista d: *Qui habitare facit unius moris in domo.* Unitas spiritualis est quæ nos coniungit Deo. Unde Apostolus e: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.*

a Psal. 132. a
Unitas multiplex.

b Genes. 2. d
c Psal. 26. b

d Psal. 67. a
e 1. Cor. 6. d

Unitas sociális inter angelos, quibus omnimodis idem velle est, idem nolle. Unitas personalis in Christo. Unitas principalis, quæ & substantialis est in Trinitate.

Bonum & jucundum quomodo inventantur in rebus.

Ecce quam bonum & quam jucundum. Sunt quædam bona jucunda; sunt quædam nec bona nec jucunda. Sunt quædam bona & non jucunda, sunt quædam jucunda & non bona. De bonis & non jucundis pervenitur ad bona & jucunda. De jucundis & non bonis pervenitur ad non bona & non jucunda. Bona & non jucunda sunt continentia, patientia, disciplina. Jucunda & non bona, voluptas, curiositas & vanitas. Nec bona nec jucunda, invidia, tristitia, acedia. Bona jucunda, honestas, charitas & puritas. Ad hoc bonum & jucundum obtinendum, necessaria est unitas virtualis, & unitas mortalis. Primam disturbant pusillanimitas & levitas. Pusillanimitas facit propositum relinquere, levitas mutare. Alteram obstinatio, suspicio & simulatio disturbant. Obstinatio non recipit proximum, suspicio non credit proximo, simulatio non se jungit proximo. Spes æternorum expellit pusillanimitatem, humilis obedientia levitatem. Obstinatio humilitate, suspicio & simulatio charitate pelluntur.

Ad utrumque obtinendum quid requiratur.

Pusillanimes relinquunt propositum, leves mutant.

Sermo LXXXI.

De laudatione Dei in ore peccatoris.

* o Eccl. 15. c

Non est speciosa laus in ore peccatoris a. Etiam quæ est in ore peccatoris pœnitentis, non videtur speciosa: quia adhuc de peccati recordatione & memoria confusionem patitur, & frequenter inde compungitur. Sed tamen in eo est utilis & fructuosa confessio, etsi non speciosa decoraque laudatio. Postquàm verò de beneficiis Dei proficiens adhæret divinæ laudi, & in ea assidue delectatur & proficit, ita ut nihil aliud placeat ei: tunc in ore eius est speciosa laus Dei, ad similitudinem agricolæ, qui dum stercorat agrum suum, totus in luto est & stercoribus, & non est pulcher labor eius, etsi sit fructuosus: sed quando colligit manipulos segetis, tunc labor est speciosus & dulcis.

Laus in ore peccatoris quomodo sit aut non sit speciosa.

Simile.

Sermo LXXXIII.

De diligenti custodia cordis.

Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit a. Duobus autem modis vita à corde procedit. Aut quia corde creditur ad justitiam b, justus ex fide vivit c; & fide mundatur cor; & mundo corde Deus videtur d, id est, agnoscitur; & hæc est vita æterna, ut cognoscant te unum Deum, & quem misisti Jesum Christum e: aut quia Christus vita nostra, qui nunc per fidem habitat in cordibus nostris f, erit cum apparebit, & nos cum ipso apparebimus in gloria g; & qui nunc latet in corde, tunc quasi

a Prov. 4. d
b Rom. 10. c
c Rom. 1. b
d Matth 5. a
e Ioan. 17. a
f Ephes. 3. c
g Coloss. 3. a

de

de corde ad corpus procedet, quando reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ [b]. Unde & alius Apostolus ait [i]: Nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus.

b Philip. 3. d
i 1. Ioan. 3. d

Sed considerandum est quomodo dicat: *Omni custodia serva cor tuum.* Solent dicere homines huius sæculi; bonum castellum custodit, qui corpus suum custodit. Nos autem non sic, sed sterquilinium vile custodit, qui custodit corpus suum Apostolo teste [k]: *Quoniam qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Qui vero,* inquit, *in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Ac si dicat colendum, custodiendum magis animæ castrum, quoniam æterna ex ipso vita procedit. Sed castrum istud in terra inimicorum situm undique impugnatur: & idcirco omni custodia, id est, ex omni parte vigilanti sollicitudine est muniendum, inferius, superius, ante & retro; à dextris & sinistris. Inferius impugnat concupiscentia carnis quæ militat adversus animam; quia caro concupiscit adversus spiritum. Superius imminet judicium Dei. Horrendum est enim incidere in manus Dei viventis [l]. Sollicitè satis hac parte cor suum custodierat, qui dicebat [m]: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Retro mortifera delectatio est, quæ oritur ex recordatione præteritorum peccatorum. Ante instantia tentationum, A sinistris verò arrogantium fratrum, murmurantium inquietudo. A dextris obedientium fratrum devotio. Possunt enim hi quoque (nisi caveatur) duobus nocere modis: aut bonis eorum actibus invidendo; aut singularem gratiam æmulando.

* Prov. 4. d

k Galat. 6. b

Animæ Castrum quam multipliciter impugnetur.

l Hebr. 10. f
m Iob. 31. c

Vigilet ergo adversus carnem rigor disciplinæ: contra judicium Dei, judicium propriæ confessionis: & hoc sit duplex. Manifestum de manifestis, occultum de occultis. Unde ait Apostolus [n]: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Contra delectationem quæ procedit de recordatione præteritorum peccatorum, frequentia lectionis. Contra instantiam tentationis, instantia supplicis orationis. Contra fratrum inquietudinem, patientia & compassio. Adversus obedientium fratrum fervorem, congratulatio & discretio. Congratulatio enim expellit invidiam, discretio nimiam æmulationem.

Quibus armis resistendum.

n 1. Cor. 11. g

Sermo LXXXIII.

De laude humanæ cautè recipienda.

Mel inveniſti? noli multum comedere, ne forte ſatiatus evomas illud. Potest non incongruè hoc loco mellis nomine, favor humanæ laudis intelligi. Meritóque non ab omni, sed immoderato mellis huius edulio prohibemur. Est enim cum utiliter humanas laudes recipimus, fraternæ dumtaxat intuitu charitatis, & ad salutem eorum qui nobis propterea facilius acquiescunt. Hac ergo parcitate servata, mellis huius moderata co-

a Prov. 25. b*

Laudes humanæ quatenus admittendæ.

mestio

mestio non nocebit. Si quid verò amplius est, à malo est, & in perniciem cõvertetur. Invento enim melle immoderatius vescitur, quisquis apponens omninò cor suum favore humanæ laudis inflatur, incrassatur, impinguatur: à quo se Propheta sanctus custodiri deprecatur à Domino, non quidem mellis, sed olei satis vicina appellatione ipsum, quem prædiximus, favorem exprimens, ubi ait *b*: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Vis nosse quando evomat immoderatus epulator mellis edulium, quod usque ad satietatem sumens modum parcitatis excessit? Tunc sine dubio laudes quibus satiabatur, non alium fructum quærens, sed favore ipso contentus humano: tunc, inquam, multa cum anxietate evomit, quod cum pernicioſa delectatione comedit, cum alium quemlibet laudari audiens invidia contabescit. Mens enim dedita vanitati, & arrogantia tumens, laudem alterius, suam reputat vituperationem.

b Psal. 140. b

Sermo LXXXIV.

De constantia adversus diabolum tentantem.

Duo loca sunt animæ rationalis, inferior quem regit, & superior in quo requiescit. Inferior quem regit, corpus: superior in quo quiescit, Deus. De utroque potest rectè intelligi quod scriptum est: *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne dimiseris*: vel inferiorem scilicet regendo, vel superiorem quiescendo. Sed hoc quod prius dixi, convenit rudibus adhuc & imperfectis, quibus loquitur Apostolus *b*: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Habet quippe anima tria facere in corpore, vivificare, sensificare, regere. Sed sive auferatur vita, sive sensus perturbetur, de neutro condemnatur. Sin verò tentatori victa succubuit, hoc illi ad peccatum reputatur. Dicitur ei ergo ne *ascendente super eam spiritu, locum suum deserat*, hoc est ne ingruente tentatione membra sua arma iniquitatis peccato exhibeat.

a Eccl. 10. a

b Rom. 6. c

Animæ tria erga corpus officia.

Notandum autem quod dicitur: *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis.* Nihil quippe adversus nos malignus spiritus potest, nisi missus aut permissus. Unde cum eius sit voluntas semper mala: nunquam potestas est nisi justa. Nam voluntas quidem mala ex seipso sibi inest, potestatem verò non aliunde quàm à Deo habet. Quam tamen potestatem semper moderatur Dominus, ne scilicet ex nequitia voluntatis plus puniat quàm eorum exigunt merita qui puniuntur. Et hæc de inferiori loco dicta sint. Cæterum de superiori hoc intelligitur, ne quietem mentis quam in Deo habet, tentante diabolo deserat, sed undecunque ille tentaverit, ipsa in Deo fixa constanter in tranquillitate permaneat. Hæc posterior sententia convenit

Voluntas diaboli semper mala; potestas nunquam nisi justa.

Diabolus non plus nocet, quã Deus permittit.

venit perfectis, qui cum Helia dicere possunt c: *Vivit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto.* Et illud de Ioanne Apostolo d, *quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Hæc inquam sententia convenit perfectis, qui jam in sua conversatione quodammodo imitantur statum æternitatis.

c 4 Reg. 3.b
d 1. Ioan. 4.d

SERMO LXXXV.

De casu animæ irretractabili.

SIve ad Austrum, sive ad Aquilonem arbor ceciderit, ibi erit a. Austri calor & ienitas in sacra Scriptura bonam solet habere significationem. Ab Aquilone vero panditur omne malum *b.* Porrò homines sicut arbores vidit aliquis *c.* Exciditur autem arbor in morte: & quocunque ceciderit, ibi erit: quia ibi te judicabit Deus, ubi invenerit. Ibi, inquam, erit immutabiliter & irretractabiliter. Videat quo casura sit antequam cadat; quia postquam ceciderit, non adiiciet ut resurgat, sed nec ut se vertat. Quo vero casura sit arbor, si scire volueris: ramos ejus attende. Unde major est copia ramorum & ponderosior: inde casuram ne dubites, si tamen fuerit tunc excisa. Rami nostri, desideria nostra sunt: quibus ad Austrum extendimur, si spiritualia fuerint: si carnalia, ad Aquilonem. Quæ verò præponderent, medium corpus indicat. Ea namque præponderant, quæ secum traxerint corpus. Sic enim est corpus nostrum inter spiritum cui servire debet, & carnalia desideria quæ militant adversus animam, sive potestates tenebrarum, ac si vacca sit inter raptorem & rusticum constituta. Quicquid ille minetur, quicquid intendat, si vaccam non duxerit, rusticus vicit. Sic quantumcunque sæviat malignus, quantumcunq; prava desideria crucient: si vas suum sibi vendicat anima, vicisse credenda est, ut quemadmodum ait Apostolus *d: Non regnet peccatum in nostro mortali corpore:* sed sicut exhibuimus membra nostra servire iniquitati ad iniquitatem, sic exhibeamus servire justitiæ in sanctificationem †.

a Eccli. 11. a
b Ierem. 1. c
c Marc. 8. c
Error malæ mortis incorrigibilis.
Quo judicio qualitas mortis colligenda.
Simile.
d Rom. 6.
† Confer cum hoc serm. S. Greg. lib. 12. mor. cap. 4.

SERMO LXXXVI.

De Creatione rerum in certo pondere, mensura & numero.

OMnia fecisti in pondere & mensura & numero a. Ad differentiam ipsius divinæ essentiæ dictum est. Creaturæ enim in pondere & mensura & numero factæ sunt, solus Creator his omnibus caret. Pondus in dignitate rei consideratur. In pondere igitur facta est, quæ rei sui generis est comparanda, aut secundum magis, aut secundum minus, aut secundum æquale. Pondus habet, quæ quanti valeat æstimari potest. Mensura vero, in loco & tempore consideratur. Quod si locum solum accipimus corporalem, incorporeorum mensura in tempore erit, & non in loco. Neque enim anima in loco potest esse corporeo, nec corpus, de quo magis videtur, locus ani-

a Sap. 11. a
Anima non est in corpore ut in loco.

mæ est. Quomodo enim corpore clauditur, quæ sic vegetat exteriora sicut interiora, sic est in superficie cutis, sicut in visceribus intimis? Sed ex affectione carnali & consuetudine corporum sic errat anima, ut seipsam nesciat nisi corpoream cogitare. Ubi est enim thesaurus eius, ibi est & cor [b]. Hoc sapit quod diligit. Affectionibus siquidem obligata & illita terrenis, suam ipsius faciem considerare non potest. Infixa est in limo profundi, & seipsam non videt, sed putat formam suam esse luteam illam quam portat imaginem. Sed omninò aliter est: & aliter consideratur mensura animæ secundum locum. Locus siquidem unicuique rei, finis est suæ substantiæ. Substantia vero animæ in ratione, in memoria, in consilio, in judicio, cæterisque similibus est: quæ omnia suo quoque fine clauduntur. In mensura est ergo factus omnis spiritus præter divinum: quia & ratio eius, & memoria, & cætera omnia suam habent mensuram. In numero facta sunt omnia, vel secundum partium compositionem, ut sunt corpora: vel secundum varietatem & mutabilitatem, ut sunt etiam incorporea. Solus Deus est, in quem nec pondus nec mensura cadit omninò, nec numerus. Unus Deus est: non habet sui generis cui valeat comparari. Unus est, & solus ipse penitus inæstimabilis: æternus quoque & immensus; indivisus & omnino invariabilis.

Quamvis perperam affixa corporeis.

b Matth. 6. e

Omnia facta in pondere, mensura & numero præter Deum.

Sermo LXXXVII.

De osculo Sponsi, seu gratia contemplationis.

Osculetur me osculo oris sui [a]. Tria sunt oscula: primum, pedum: secundum, manuum; tertium, oris. Cùm primò convertimur, pedes Domini osculamur. Duo autem sunt pedes Domini: misericordia & veritas. Hunc utrumque pedem Deus se convertentium cordibus imprimit, & & utrumque pedem peccator quisque, si verè convertitur, amplectitur. Si enim solam misericordiam sine veritate reciperet, per præsumptionem caderet. Rursus si veritatem sine misericordia reciperet: nihilominus per desperationem periret. Sed ut fiat salvus, ad utrumque pedem humiliter provolvitur, ut per veritatem peccata damnet, & per misericordiam veniam speret: & hoc primum osculum. *Secundum osculum* fit, cum primum ad bona opera consurgimus. Tunc manus Domini osculamur, cum ei nostra bona opera offerimus; vel cum ab eo virtutum dona recipimus. At verò tertium osculum tunc fit, cum jam consumpto luctu pœnitentiæ, jam acceptis virtutum donis mens cœlesti desiderio inspirata, ad secreta interioris cubiculi gaudia impatiens amoris introduci desiderat: cum dulcibus suspiriis vocem animi interrumpentibus pio cordis affectu decantat [b]: *Vultum tuum Domine requiram.* Et ita ex vehementi desiderio fit ei præsens sponsus; quem sic amat, quem sic affectat, cui sic suspirat. Primum itaque osculum fit

a Cant. 1. a

Duo pedes Domini misericordia & veritas. Osculum triplex.

b Psal. 26. c

fit in remissione peccatorum: & dicitur propitiatorium. Secundum fit in donis virtutum, & vocatur muneratorium. Tertium fit in contemplatione cœlestium, & vocatur contemplatorium,

Contemplationis duo genera.

Sciendum est autem esse duo genera contemplationis. Quidam enim sunt qui ascendunt, & cadunt: alii verò qui rapiuntur, & descendunt. Ascendunt sicut illi de quibus scriptum est [c] *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Gratias non egerunt: quia viribus suis & ingenio tribuerunt quod Deus revelavit illis. Ideò sequitur casus eorum: *& evanuerunt in cogitationibus suis. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* [d]. Electi vero rapiuntur, sicut Paulus & sui similes. Sed & descendunt, ut ea quæ per excessum mentis viderint, loquantur parvulis: eo sane modo quo capiantur ab ipsis. Rapitur Paulus cum dicit [e]: *Sive mente excedimus, Deo.* Descendit cum dicit [f]: *Sive sobrii sumus, vobis.* Hoc posteriori genere contemplationis rapi desiderat anima perfecta in castissimos amplexus sponsi sui, dicens [g]. *Osculetur me osculo oris sui.* Ac si diceret: Ego non viribus meis, non industria, non meritis ad contemplanda gaudia Domini mei assurgere valeo: sed ipse osculetur me osculo oris sui, id est eius gratia fiat; non per doctrinam, non per naturam, sed per gratiam suam osculetur me osculo oris sui, Miro autem modo gratiam operantis, & opus, & modum operis eleganter expressit. Cum enim dicit, *osculetur*: operantis gratia monstratur. Cum autem supponit, *osculo*: ipsum opus, id est contemplatio designatur. Cum vero adjungit, *oris sui*, modum operis, scilicet quo fiat contemplatio, evidenter expressit. Per os quippe verbum intelligitur.

[c] Rom. 1. c
[d] Ibidem.
[e] 1. Cor. 5. c
[f] Ibidem.
[g] Cant. 1. a

Contemplatio fit ex condescensione verbi Dei ad humanam naturam.

Fit autem contemplatio ex condescensione Verbi Dei ad humanam naturam: per gratiam & exaltationem humanæ naturæ: ad ipsum Verbum per divinum amorem. Nec absurdum cuiquam videri debet, si in contemplatione Verbi Dei hæc ita distinguamus: cum eiusdem quoque Verbi Dei incarnationem eodem ordine factam Evangelium testetur. Ibi etenim gratia præmittitur, cum ab Angelo Virgo salutatur: *Ave*: inquit [h], *gratia plena.* Etenim cuius sit, & quanta sit ipsa gratia, subjungit dicens: *Dominus tecum.* Opus etiam eiusdem gratiæ subinfertur, cum dicitur: *Benedictus fructus ventris tui.* Fructus namque ventris tui, incarnatio est Verbi. Modus vero tanti operis edocetur, ubi dicitur [i]: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* In quibus operibus Verbi, sive his quæ de Evangelio protulimus, sive his quæ de Canticis canticorum exposuimus: manifestè stat, & istam scilicet incarnationem ex sola ubertate divinæ gratiæ esse factam: nec illam, id est contemplationem quandoque humana voluntate, sed divino tantum munere provenire posse.

[h] Ibidem.
[i] Ibidem.

Et notandũ, quod hæc ipsa contemplatio tribus modis pro diversu statu

Contemplatio tribus modis distinguitur.

temporum distinguitur. Et primò quidem vocatur cibus, secundò potus, tertiò ebrietas. Unde & in consequentibus electi quoque voce sponsi invitantur dicentis *k*: *Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.* Prius comedunt, dum in carne adhuc corruptibili degunt. Postmodum verò corpore exuti, & in cœlum translati jam bibere dicuntur eadem quæ prius comederant: quia jam per speciem contemplantur sine labore, quæ prius per fidem crediderant, dum in corpore positi peregrinarentur à Domino, & in sudore vultus sui vescerentur pane suo: sicut & nos facilius sumimus ea quæ bibimus quàm illa quæ mandimus: quia in illis nonnullus labor, in his levis est transitus. In hoc ergo statu positi sancti bibere quidem possunt, sed inebriari non possunt: quoniam à perfectissima contemplatione divinitatis quodammodo retardantur, dum adhuc resurrectionem sui corporis in fine sæculi præstolantur. Qua facta ita corpus menti, & Deo mens inhærebit, ut jam deinceps nihil sit quo ab interna ebrietate contemplationis revocari possit. Prima itaque invitatione quia comedunt vocantur *amici*, id est chari: in secunda quia bibunt *chariores*: in tertia quia inebriantur, *charissimi*.

k Cant. 5. a

Beati contemplationis perfectione ante resurrectionem corporum non potiuntur.

Quia meliora sunt ubera tua vino [l]. Duo sunt ubera sponsæ, unum congratulationis, alterum compassionis. Unde Apostolus his duobus parvulos fovens, *gaudere* ait [m] *cum gaudentibus: flere cum flentibus.* Vinum accipitur desiderium seculare, de quo scriptum est [n]. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.*

l Cant. 1, a

m Rom. 12, c

n Deut. 32, c

Vnguenta tria: Compunctionis.

Fragrantia unguentis optimis, innuit quod aliqua sunt unguenta bona, aliqua meliora, quibus omnibus superferantur hæc optima. Dicamus ergò tria genera esse unguentorum. Primum fit de recordatione peccatorum, cum pro ipsis compungimur, & veniam petimus, & hoc unguentum bonum est: quia cor contritum & humiliatum Deus non spernit [o]. Effunditur autem ad pedes Domini, ibique remunerationem accipit, scilicet remissionem peccatorum, cum Dominus dicit [p]: *Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum.* Secundum unguentum fit de recordatione beneficiorum Dei. Et hoc rectè ad caput effunditur; quia virtutes non nisi ad Deum, à quo sunt referuntur. Hoc autem unguentum jam charius est: quia de hoc scriptum est [q]: *Vt quid perditio ista unguenti facta est? Poterat enim venundari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus.* Sed hanc perditionem approbat Dominus cum dicit [r]: *Sinite eam. Quid illi molesti estis? Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Non solum approbat, sed etiam remunerat, cum dicit [s]: *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium, in toto mundo dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Tertium ergo unguentum componitur de preciosis aromatibus, sicut de quibusdam sanctis mulieribus scriptū est, quòd *emerunt aromata,*

o Psal. 50. d

p Luc. 7. g

Devotionis.

q Matth. 26.

r Ibidem.

s Ibidem.

Pietatis.

Matth. 16. a

aromata, ut venientes ungerent IESVM. Sed hujus tertii unguenti non fit aliqua effusio vel perditio: quia noluit Dominus illud super corpus suum mortuum effundi, sed servari vivo corpori suo, id est Ecclesiæ sanctæ, cui nimirum mulieres, quæ cum unguentis venerant, mittuntur resurrectionem evangelizare. Primum itaque unguentum vocatur unguentum compunctionis, & absumitur igne contritionis. Secundum devotionis, & absumitur igne charitatis. Tertium vocatur unguentum pietatis, quod non absumitur, sed integrum conservatur.

Confer. serm de S. Maria Magdal.

SERMO LXXXVIII.

De recto usu donorum Dei.

SIcut de Christo duo sunt, unum nobis incognitum, scilicet generatio divina, de qua scriptum est *a*: *Generationem eius quis enarrabit*? alterum cognitum, ut generatio vel opera humana: ita etiam de Spiritu sancto aliud ejus nostris est mentibus occultum, scilicet, quomodò procedat à Patre & Filio, cum sit æqualis & coæternus eidem Patri & Filio: aliud vero ipso docente manifestum, videlicet quibus modis operatur gratiam suam in nobis. Duplex quippe est operatio sancti Spiritus. Operatur enim in nobis aliud propter nos: aliud propter proximos. Propter nos, id est propter utilitatem nostram, operatur in nobis primò compunctionem, consumendo peccata. Secundò devotionem, ungendo & sanando vulnera. Tertiò creando intellectum tanquam pane confirmat nos & roborat. Quartò hæc ipsa multiplicius augendo, & amorem infundendo: quasi vino inebriat. Cætera charismata, id est sapientia, consilia & hujusmodi; dantur nobis ad utilitatem aliorum, Unde Apostolus cum de distributione donorum loqueretur *b*, non ait simpliciter: *alii datur* sapientia, alii scientia, sed addidit dicens, *sermo scientiæ*: *sermo sapientiæ*: ut ostenderet quòd hujusmodi dona propter alios dantur, scilicet ut alii ædificentur.

a Isa. 53. e

Spir. S. alia operatur propter nos, alia propter proximos.

b 1. Cor. 12. a

In quibus operibus cavendum est duplex periculum, ne vel illa quæ dantur propter nos, dividamus proximis: vel illa quæ propter proximos, reservemus nobis. Si enim quæ pro utilitate aliorum accepimus, retinemus tantum nobis; charitatem non habemus, & dicitur nobis *c*: *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque*? Rursus si de donis Dei velimus innotescere hominibus, non Deo in occultis cordis placere, humilitatem perdimus, & meritò illa voce increpamur *d*: *Quid habes quod non accepisti*? Sic utroque modo periclitamur, hinc humilitatem, illinc amittendo charitatem. Et quis sine humilitate & charitate potest salvus fieri? Rectus ergo profectus nostri ordo est, ut illis donis, scilicet compunctione, & cæteris studeamus impleri primum, deinde si per gratiam Spiritus sancti cætera supercreverint, id est, sapientia & scientia, curemus illa proximis

In donis Spir. S. cavendum, duplex periculum; seu

c Eccl. 20. d

Iacturam humilitatis, tum charitatis.

d 1. Cor. 4. d

NOTA. Dona nob. propter

nos data non vulganda; Nec data propter alios occultanda, hic charitas: ibi humilitas periclitatur.

partiri. Ita sanè obtinebimus illud Spiritus sancti donum, quod vocatur *discretio spirituum*, si & ea quæ nobis tantum congruunt, nobis reservemus; & ea quæ ad aliorum utilitatem conferuntur, nobis largiamur & proximis.

Sermo LXXXIX.

De oculo à sponsa desiderato, id est, Spiritu sancto.

Osculetur me osculo oris sui [a]. Os Patris intelligitur Filius. *Nemo autem novit Filium nisi Pater, & nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare* [b]. At verò cuicunque fit ista revelatio, sive Patris, sive filii, non fit nisi per Spiritum sanctum. Hinc est quòd cum Petrus dixisset Domino: *Tu es Christus Filius Dei vivi*: ille respondit: *Beatus es Simon Barjona*, quod interpretatur, filius columbæ: *quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* Et Apostolus cum præmisisset quod *oculus non vidit, & auris non audivit* d, & cætera: statim subjunxit, *nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* Videtur ergo sponsa gratiam habere Spiritus sancti, per quam cognoscat Filium æqualem Patri. Nec dicit, *osculetur me* ore suo (quod solius Filii est dicere) non cujusquam creaturæ: quippe quæ nullo modo potest esse æqualis Patri, sed *osculo oris sui.* Porro osculum commune est osculantis & osculati. Si igitur se invicem osculantur Pater & Filius, quid est eorum osculum nisi Spiritus sanctus?

a Cant. 1.a
b Matt. 11.d
Osculum Patris & Filii Spiritus sanctus.
c Matt. 16. c
d 1. Cor. 2.e

Hoc itaque flagrat sponsa osculari, *osculetur me*, inquiens, *osculo oris sui.* Hoc osculum testatur etiam Paulus eam accepisse, cum dicit *e*: *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem Abba Pater.* Hoc osculum pollicebatur, & ipse Salvator, cum ad instantiam orationis exhortaretur discipulos. *Si vos*, inquit *f*, *cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cœlis est dabit bona, id est Spiritum bonum petentibus se?* Ex hujus oculi impressione suscipit anima rationalis ab ipso sponso suo Verbo Dei cognitionem, & amorem veritatis, quæ duo quasi labia imprimit ei ipsa Dei virtus & Dei sapientia. Siquidem sapientia cognitionem, virtus confert amorem. Habet & ipsa anima similiter duo labia, quibus osculatur sponsum suum, id est rationem & voluntatem. Rationis est percipere sapientiam, voluntatis virtutem. Si sola ratio percipiat sapientiæ cogitationem, & voluntas non habet virtutis amorem, non est plenum osculum. Aut si sola voluntas obtineat amorem, ratio minimè percipiat cognitionem, nihilominus est semiplenum. Tunc verò plenum & perfectum est, quando & sapientia illustrat rationem, & virtus afficit voluntatem.

e Galat. 4.b
Per osculum quid sponsa desideret, nempe cognit. Verbi Dei, & verit. amorem.

f Matt. 7.b

Sermo LXC.

De triplici unguento, Compunctionis, Devotionis, Pietatis.

Maria

Maria accepit libram unguenti, & unxit pedes IESU. *Ioan.* 12.
Confer. Serm. 12, *in Cant.*

DUo sunt pedes Dei, misericordia & judicium. His circuit & perambulat jugiter spirituales mentes exultans ut gigas ad currendam viam: si tamen tales sunt de quibus meritò dicat: Habitabo in illis, deambulabo in eis. Hos ergo pedes primò ungit anima peccatrix illo primo unguento quod dicitur *compunctionis*. Denique Maria quæ peccatrix erat, unxit pedes IESU. Nec mediocre sanè unguentum hoc videatur, de quo scriptum est *b*: *Et domus impleta est ex odore unguenti*. Nec mirum, cum etiam in cœlestibus sentiatur hujusmodi unguenti fragantia, Veritate attestante quæ ait *c*: *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*. Verum quantumlibet unguentum hoc precioſum videatur, tamen comparatum alteri quod appellatur *devotionis*, & conficitur ex memoria beneficiorum divinorum, quo & ungitur caput Domini, vile & nullius precii intelligitur. Denique de illo dicitur *d*. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. De isto vero *e*: *Sacrificium laudis honorificabit me*. Caput ex eo ungis, cum suis donis, Deo gratias agis. Siquidem caput Christi, Deus *f*. Deitas ergo in Christo tangitur, quotiens ad laudem ipsius ejus beneficia memoramus, sicut non tam Deitas, quàm Humanitas necesse est ut cogitetur, cum non ejus dona, sed nostra peccata recordamur.

Duo pedes Dei miseric. & iudic.
a Psal. 18. b
Vnguentum compunctionis.
b Ioan. 12. a
c Luc. 15.
Vnguentum devotionis.
d Psal. 50. d
e Psal. 49. d
f 1. Cor. 11. a
Illud pedibus, hoc capiti convenit.
Caput Christi Deitas; Pedes humanitas.

Nam in carnis assumptione duos illos pedes ad hoc accepisse cognoscitur, id est, misericordiam & judicium, ut peccator qui ad caput, id est ad Deitatem accessum non habebat, ad pedes, id est ad Humanitatem accederet. Nisi enim pes ille quem diximus misericordiam, ad hominem assumptum pertineret, Paulus de illo non diceret *g*: *Tentatum autem per omnia prosimilitudine absque peccato, ut misericors fieret*. Et nisi judicium æquè ad hominem pertineret, ipse homo Deus de ipso non dixisset *h*: *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est*. Itaque ad hos pedes viri doloris & scientis infirmitatem, peccator accedere non dubitans, fidenter loquitur *i*. *Nunc autem cum fiducia accedimus ad thronum gratiæ. Non enim habemus pontificem, qui non sciat compati infirmitatibus nostris*. Peccatrix ergo ad pedes, justa ad unguendum caput accedit. Tantò autem unguentum capitis illo alio quod pedibus apponitur precioſius est æstimandum, quantò species quibus conficitur, illis constat esse precioſiores. Has quippe facilè & absque labore in nostra regione reperimus. Peccatores siquidem omnes sumus. Porrò illas difficile ac de longinquo valde, utpote de paradiso Dei asportatas suscipimus. *Omne* enim *datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum k*. Quid denique hujusmodi unguento excellentius, de cujus effusione etiam Apostoli murmurasse dicuntur, dicentes *l*: *Vt quid perditio hæc? potuit enim venundari & dari pauperibus*.

g Heb. 4. a
h Ioan. 5. c
i Heb. 4. d
Vnguentum capitis quantò pretioſius altero pedum.
k Iacob. 1. c
l Matt. 26. a

Sed

Alii contemplativæ, alii activæ vitæ officiis magis idonei. In his discernendis sæpe fallantur homines.

Sed & nunc quoque cum fortè videtur quispiam vacare Deo, tantæque devotionis & gratiæ, ut meritò credatur ungere caput Christi, persistens jugiter in sancta quiete, & gratiarũ actione, & divinæ delectatione devotionis, non desunt qui hoc perditionem dicant, & justo, ut sibi videtur, murmure conquerantur, quod is qui pluribus prodesse poterat, quiescat sibi: non quod sanctitati invideant, sed quòd provideant charitati. Cæterum ipsa charitas Deus huiusmodi animæ plerunque parcit, quam videt spiritualibus studiis delectari, maximéque si talem eam noverit, quæ adhuc pusillanimitate & imbecillitate ut mulier sit, & necdum in virum perfectum profecerit: quod utique melius ipse discernit qui intuetur cor, quàm homines qui in facie tantum vident, & secundum faciem judicant, cum videlicet minimè attendunt non esse eiusdem facilitatis devotè quiescere, & fructuosè occupari: humiliter subesse, & utiliter præesse: regi sine querela, & regere sine culpa: obedire sponte, & imperare discretè: bonum denique esse inter bonos, & bonum inter malos: imò etiam esse pacatum inter filios pacis, & his qui oderunt pacem, exhiberi pacificum. Sciens ergo Jesus qui sint, quive non sint idonei implicari curis pro tali delicata anima, quam pro sui adhuc teneritudine tractandis negociis minus sufficere sentit, adversus aliud sentientes, & ob hoc eius quietem tanquam infructuosam bono quidem zelo, sed non secundum scientiam insimulantes, ipso respondet effectu [m]: *Quid molesti estis huic mulieri?* Nam etsi (quod fatendum est) melius est ad quod illam trahere tentatis, bonum tamen opus est quod operata est in me. Sinite eam interim operari bonum quod potest. Novi enim ego quod adhuc mulier sit. Cum autem mutatione dexteræ Excelsi de muliere factus fuerit vir, (quod & me, quandò tamen erit, latere non poterit, quia me provocante promovebitur, me quoque servante tenebitur tunc melior erit iniquitas viri, quàm nunc benefaciens mulier [n]. Unde & illud melius spero. Nec reputo perditionem unguenti huius effusionem, in quo & mulieris devotio designatur, & mea præfiguratur sepultura. Huc accedit, quod tam latè suam fragrantiam circunquaque diffundit, quare ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium, dici etiam habeat, quod & hæc fecit in eius commemorationem [o].

Deus uniuscuiusque capacitatem novit, & præposteram aliorum judicia compescit.

Eccli. 42. c

Matth. 26. a

Vnguentum rtium, idque ioribus excelntius.

lic §. in aliis dit. fit inum novi rm. cum men cohæat superiobus.

Jam ad tertium unguentum accedamus. Sanè in duorum præmissorum alterutra collatione, priore sequens absque omni ambignitate cognoscitur esse melius longéque excellentius. Illud autem mirum videtur, si tertium aliquod inveniri queat, quod ambobus jure debeat anteponi, juxta quod optimum unguentum sponsa sua redolere ubera glorietur. Alioquin optima non sunt si non vincunt meliora, sicut & meliora veraciter non dicuntur, nisi quæ superant bona. Porrò tantæ excellentiæ unguentum illud secundum quo caput ungitur, inventum est, ut vix quælibet ei divitiæ

non

non dico præferri, sed nec saltem conferri posse videantur. Ego tamen non crediderim sponsam esse mentitam; quippe quæ habeat sponsum ipsam veritatem, cuius & hic verba loquitur [p], qui utique sicut fallere non vult, ita nec falli potest. Alioquin frustra desiderat & suspirat veritatis amplexibus jungi, mentiens veritati. Quæ enim mendacio societas cum veritate? Quin potius veritas perdit omnes qui loquuntur mendacium [q].

p Cant. 1. a

q Psal. 5. b

Fortassis in Evangelio si quærimus, invenimus præcessisse & huius figuram [r]. *Maria*, inquit, *Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum.* Videsne in prima fronte propositi capituli, quanti æstimandum sit etiam hoc materiale unguentum, cuius aromatibus comparandis non una vel duæ sufficere potuerunt? Una primum, una & secundum attulit unguentum. Ad hoc autem comparandum & præparandum tres pariter convenerunt, ut simul videlicet emerent, quod per se singulæ non poterant, & sic venientes ungerent JESUM. Non solum pedes aut solum caput, sed, *ut venientes* (inquit) *ungerent Iesum*, id est totum corpus. Sed attende, quod tam precioſi huius unguenti CHRISTUS pati noluerit perditionem fieri, & ideò non invento corpore reportaverunt illud, & jussæ sunt exhibere vivo quod præparaverant mortuo. Quod & fecerunt, cum protinus nunciato gaudio resurrectionis, Discipulorum (qui proculdubio membra Christi, & membra viva erant) tristia corda delinire curarunt. Quæ utique membra nisi plus illo crucifixo corpore Christus diligeret, pro his illud crucifigendum non tradidisset. Liquet itaque quòd duo illa tantò hoc ultimum præcellit unguenta; quantò CHRISTUS hoc suum corpus, id est Ecclesiam cui exhibetur, illo quod ex eo ungi voluit quod & propter huius redemptionem tradi voluit constat esse amabilius.

r Marc. 16. a

Cur Christus noluerit suum corpus mortuũ ungi unguento illo per mulieres præparato.

Christus mysticum suum corpus plusquam verum dilexit.

SERMO XCI.

De tribus Emissionibus.

a Cant. 4. d

Emissiones tres Prima est pœnitentia sæcularium.

EMissiones tuæ paradisus [a]. Vox illius cœlestis Hierusalem congaudentis huic quæ peregrinatur in terris. Sunt autem tres emissiones. Prima conjugatorum pœnitentium in mundo. Secunda conversorum continentium in claustro. Tertia prælatorum prædicantium, & orantium pro Dei populo. De prima emissione, id est pœnitentia dicunt Angeli, quibus gaudium est super uno peccatore pœnitentiam agente [b]: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut aurora consurgens* [c]? Ascendere autem dicitur hæc anima pœnitens per desertum, terram scilicet inviam & inaquosam, peccatorum suorum recordando. Ascendit *sicut virgula*, eadem peccata humiliter confitendo. Quæ confessio recte fieri *sicut virgula fumi* dicitur, quia per plures peccatorum species tanquam fumus de thuribulo per plura

b Luc. 15. b

c Cant. 3. e

foramina derivatur. Et notandum, quòd cum fumus nunquam habeat splendorem, nonnunquam tamen habere possit odorem. Quod hic fumus confessionis odorem quendam pietatis habeat, innuitur ex his quæ subjunguntur : *Ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniversi pulveris pigmentarii.* Confessionem debet semper comitari myrrha & thus, id est mortificatio carnis, & oratio cordis. Alterum enim sine altero, aut parum, aut nihil prodest. Nam si quis carnem mortificet, & orare dissimulet, superbus est: & dicitur ei *d*: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Item si oraverit, & carnem suam mortificare neglexerit, audiet *e*: *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Et illud *f*: *Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Utrumque ergo alteri suffragatur, dum constat quod alterum sine altero reprobatur.

Confessio comites habere debet mortificat. & orat.

d Psal. 49. c

e Luc. 6. g

f Prov. 28. b

Sequitur *g* : *Et universi pulveris pigmentarii.* Post recordationem & confessionem peccatorum, post mortificationem & orationem exhibendus est fructus eleemosynarum. Quæ benè *pulvis* dicuntur, quia de terrena substantia fiunt. *Pigmentarii* verò, quia suavissimum odorem emittunt. Hinc est quòd Cornelio bene agenti dictũ est *h*: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt.* Vel *universi pulveris pigmentarii*: ideò dicitur, quia non solũ magna, sed etiã minima quæque peccata conterenda sunt per confessionem, & diluenda per compunctionem. Hæc de prima emissione dicta sufficiant.

g Cant. 3. c

h Act. 10. a

Secunda est vita continentium in claustro vel eremo. In hac emissione nulla fit deserti mentio, aut fumi seu pœnitentiæ; sed lucis, splendoris atque virtutis. Denique in huius laude angelica voce cantatur: *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* In quibus verbis triplex virtus eius ostenditur, humilitas, castitas, charitas. Aurora quippe finis est noctis, & initium lucis. Nox autem vitam peccatoris, lux significat vitam justi. Aurora ergo quæ fugat tenebras, & lucem nunciat, meritò humilitatem designat: quia sicut illa diem & noctem, ita ista dividit justum & peccatorem. Nam hinc, id est ab humilitate justus quisque incipit, & inde proficit. Unde etiam ipsa *aurora consurgens* dicitur, ut videlicet virtutũ structura surgens ab humilitate tanquam proprio fundamento erigatur. Igitur ad ostendendam eius humilitatem dictum est: *Sicut aurora consurgens.* Illius vero quod sequitur; *Pulchra ut luna*, castitatem demonstrat. Porrò luna dicitur splendorem suum non à se habere, sed à sole trahere: quantoque magis solis conspectui cernenda opponitur, tanto majore sui parte ab eiusdem solis lumine illustratur. Similiter congregatio seu quæque fidelis anima, si veri solis obtutibus offeratur intuenda, sine dubio ex visione illius admittit protinus in se decus quoddam pulchritudinis, & venustatem castitatis. Unde fit, ut ex eius lumine crescens & proficiens etiam ad perfectionem provehatur, ut rectè dicatur de illa quod sequitur :

Emissio secunda, vita continentium.

* Cant. 6. d

Humilitas per auroram designatur.

Castitas pulchritudine lunæ.

Simile.

Electa

Electa ut sol. Quare ut sol? An ideo quia refulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum? Sed ibi unde sicut sol fulgebunt, nisi de splendore vestis nuptialis? Ipsa est enim qua utique in terris positi vestiendi erant illi quibus dictum est: *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Hac virtute charitatis, quam vestis illa nuptialis significat, quisquis indutus fuerit, eámque in se recte ordinaverit, erit proculdubio *terribilis* hostibus suis *ut castrorum acies ordinata.* Nam de cæteris quidem virtutibus quantascunque sine charitate habuerit, non curant dæmones. Cum verò charitatem & ipsam ordinatam in acie viderint, illicò præcipites aguntur in fugam. Potest in eo quod dicitur *electa ut sol*, perseverantia intelligi, quæ tantum electorum est. In eo autem quod sequitur, *terribilis ut castrorum acies ordinata*, discretio mater virtutum, per quam terrentur & fugantur dæmones, acquiruntur & conservantur virtutes. Possunt & alia multa in hac secunda emissione congruè & intelligi & dici, sed hæc pauca de multis dixisse sufficiat.

Charitas splendore solu.
k Matt. 15. f
l Luc. 24 g
Virtute charitatis indutus hostibus terribilis.

Tertia emissio convenit sanctis prædicatoribus, de quorum vita & doctrina etiam vox illa sub admiratione profertur. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* In prima emissione dictum fuerat, *Quæ est ista quæ ascendit per desertum*; in hac autem quæ *ascendit de deserto*: quia nimirum ibi pœnitentes compungũt spinæ per quas incedunt, hic vero doctores quicquid de sæculo subripere potuerunt, sublimi mente calcaverunt. Ideò dictum est *de deserto delictis affluens.* Sed quærendum est quæ sint illæ *deliciæ*, quibus affluere dicuntur; & quis illæ *dilectus*, ut cur *super eum inniti* dicantur. Neque enim parvæ æstimandæ sunt quæ à supernis civibus deliciæ nominantur. Siquidem hujuscemodi deliciæ mentis sunt non ventris, animi non corporis, spiritus non carnis, rationis non sensualitatis, interioris non exterioris hominis. Quas ut breviter aliquo modo describam; ipsæ sunt abundans infusio gratiæ spiritualis. Beata illa anima, cui talis gratia infunditur, quæ in benedictionibus supernæ dulcedinis prævenitur, ut templum Dei & oraculum Spiritus sancti efficiatur. Tali quippe animæ deesse non possunt divitiæ salutis sapientia & scientia, & eiusdem salutis optimus thesaũrus timor Domini. Quibus deliciis cũ abundaverit & repleta fuerit, exaltet jam in ecclesiis Dominum, & in cathedra seniorum laudet eũ. Quod in aure audivit in cubiculis, prædicet jam super tecta, & sic affluet deliciis. Affluere enim dictum est, verbo doctrinæ insistere, exemplo vitæ lucere, opus spirituale instãter exercere.

Emissio tertia, Prælatorum vita & doctrina.
Cant. 8. b *

Quæ deliciæ bonorum Prælatorum.

Sed necesse est ut in his omnibus non suam, sed auctoris sui quærat gloriam. Ipse est enim dilectus eius, de quo scriptum est [m]: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Et de quo Pater [n]: *Hic est filius meus dilectus: ipsum audite.* Super quem innitendum est, ut videlicet illius gratiæ auxilio asscribatur

Omnis profectus prædicatorum DEO tribuendus.
m Cant. 2. d
n Luc. 9. e

opus ejus à quo omnia, per quem omnia, & ad quem omnia referuntur. Cum autem super eum inniti debeat, ipse dilectus qui docet hominem scientiam, plenius nos doceat. At ille discipulis, quos hujusmodi deliciis implebat: *Ego sum vitis, vos palmites: Sicut palmes non potest facere fructum nisi manserit in vite, sic & vos nisi in me manseritis.* Et iterum: *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere.* Ac si apertè diceret: Si deliciis vultis affluere, innitimini super me. Sed jam videamus quomodo illi affluant & innitantur. Veniat in medium unus pro omnibus ille prædicator egregius. Eia beatissime Paule affluе deliciis tuis. Certè cum Evangelium ab Hierusalem per circuitum ad Illyricum prædicasses; cum sine sumptu ipsum Evangelium posuisses; cum cœlestes thesauros fideique sacramentum Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus ut prudens ac fidelis dispensator erogasses: cum mortificationem Iesu in tuo mortali corpore circumtulisses; & inter multas admirandas virtutes tuas quas tu potuisti facere, nos vix possumus enarrare, etiam illud cum omni auctoritate, sine omni arrogantia, cum esses Apostolorum tuo judicio minimus, tamen ausus es dicere [p]: *Gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus illis laboravi.* Magnæ, & ut ita dicam, delicioſæ deliciæ. Sed ne illas amittas innitere super dilectum tuum. *Non autem ego*, inquit [q], *sed gratia Dei mecum.* Rursum affluе: quoniam ut verum fatear, delectant valdè tales deliciæ. *Omnia possum*, ait [r]. Iterum innitere. *In eo* inquit [r], *qui me confortat.* Item dicit Apostolus [s]: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*: hoc est, qui deliciis affluit, super dilectum suum innitatur.

o Ioan. 15. a *Sine Dei gratiâ omnis prædicantium labor inanis.*

Id Paulus in primis agnovit.

p 1. Cor. 15. b

q Ibidem.

r Philip. 4. c

s 1. Cor. 10. c

Hæc de tribus emissionibus in significatione trium generum hominũ, quos in hac vita continet sancta Ecclesia, quos etiam apud Ezechielem [t] designant Noe, Daniel, & Iob, adjuvante Domino, diximus: quamvis in singulis quibusque perfectis possint non inconvenienter assignari. Et in his quoque prima emissio est pœnitentia, secunda justitia, tertia doctrina. Primò enim pœnitendo convertuntur, secundò benè vivendo justitiam exercent, tertiò si benè profecerint, ipsam justitiam quam vita tenent, verbo docent. Sed quoniam virtutibus insidiantur vitia, & ita juxta sunt posita, ut qui ab illis deviaverit, istorum laqueos incurrat, oportet ut sit pœnitentia sine pudore, ne scilicet erubescat confiteri commissa peccata, caveat justitia simulationem, eliminet prælatio elationem. Ubi enim magnitudo gratiarum est, ibi etiam magnitudo discriminis est.

t Ezech. 14. d

Sermo XCII.

De triplici introductione in hortum, in cellarium, & in cubiculum.

a Cant. 5. a
b Cant. 1. a
c Cant. 3. a

Veni in hortum meum soror mea sponsa [a]. Alibi dicitur [b]: *Introduxit me rex in cellarium suum.* Alibi dicitur [c], *in cubiculum suum.* Hæc triplex

triplex introductio fit animæ rationali à sponso suo. Verbo scilicet Dei, secundum triplicem sensum Scripturarum, historicum, moralem, mysticum. *In horto* est historicus, in *cancellario* moralis, in *cubiculo* mysticus. *In horto*, id est in historia continetur triplex Trinitatis operatio: creatio cœli & terræ, renovatio cœli & terræ, confirmatio cœli & terræ. Pater creavit, Filius reconciliavit, Spiritus sanctus confirmavit. Et aliud tempus est creationis, aliud confirmationis, aliud reconciliationis: sicut & in horto aliud est tempus plantationis, aliud fructus colligendi, aliud vescendi. Creatio & reconciliatio sunt præsentis, confirmatio futuri seculi. In principio temporis creavit Pater, in plenitudine temporis reconciliavit Filius, post omne præsens tempus confirmabit Spiritus sanctus. De Patre dixit filius [d]: *Pater meus usque modo operatur.* Et de se subjunxit [e], *Et ego operor.* Similiter & Spiritus sanctus in consummatione seculi verè poterit dicere: Pater & Filius usque modo operantur, & ex hoc jam operor ego: cum scilicet jam fecerit corpora nostra spiritualia, corpusque adhæserit spiritui, & spiritus Deo, hoc ipsum corpus eodem Spiritu sancto sic confirmante, ut jam deinceps absque ullo temporis intervenientis momento fiat quod scriptum est [f]: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* De creatione instruit nos vetus testamentum, & promittit reconciliationem. Reconciliationem exhibet novum testamentum, & spondet confirmationem.

Introductio triplex.
1. *In hortum.*
Triplex sensus Scripturæ.

d Ioan. 5. c
e Ibidem.

f 1. Cor. 6. d

Secunda introductio est in cellarium. Hoc cellarium continet moralem scientiam, & habet tres distinctas mansiones. Prima dicitur aromatica. Secunda fructuaria. Tertia cella vinaria. In prima sunt qui benè se habent cum prælatis, in secunda, qui cum æqualibus, in tertia qui cum subditis. Est ergò prima cella disciplinæ, secunda naturæ, tertia gratiæ. Qui enim perfectæ conversationis nititur cumulũ attingere, fit primum discipulus, & ingreditur cellam disciplinæ, in qua mores eius à magistro variis virtutibus, velut à pigmentariis aromata diversis speciebus, componuntur. Unde & ista cella dicitur aromatica, quia tales quique dum ultrò amplectuntur disciplinæ laborem, optimum aliis exemplo suo effundunt imitationis odorem. Inde consequenter ingrediuntur in secundam cellam naturæ, quoniam illi quidem cæteris condiscipulis cõcordare facilè possunt, qui sub magistro propriam voluntatem frangere didicerunt. Et hæc cella ubi cum cæteris cõmuniter vivitur, congruè cella naturæ dicitur, quia omnes homines æquales quidem natura genuit, sed alios aliis meritorum causa, vel præposuit, vel supposuit. Dicitur etiam fructuaria, quæ magnæ utilitatis est, si quisque gratiam quam accipit, in alterutrum administrat. Unde scriptum est [g]: *Frater fratrem adjuvans, exaltabitur sicut civitas munita.* Et item dicit Propheta [h]: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum.* At vero cum consummati plenè fuerint in hac secunda cella naturæ, tunc tandem ingredi

Introductio in cellarium.

Triplex cella.
Disciplinæ;

Naturæ;

g Prov. 18.
h Psal. 132.

possunt tertiam quæ est gratiæ, ut etiam cæteris instituendis præsint, qui cum cæteris juste & sine querela vixerint. Et hæc quoque cella dicitur vinaria, ut scilicet ferveant charitate qui cæteris præsunt in regimine. Dicitur etiam cella gratiæ, quod nomen scilicet aliis quoque duabus possit esse commune. Nam & disciplina, & socialis vita donum gratiæ est, ista tamen sibi illud vendicat specialiter, quoniam quidem multum facile est subjici vel sociari: rarum verò & difficile ad aliorum regimen utiliter quemvis posse transferri.

Gratiæ.

His tribus cellis continentur & formantur omnium hominum mores. Omnes enim homines vel sunt prælati, vel æquales, vel subditi. Quemadmodum autem eliguntur de hortis quæque potiora, & in cellariis reponuntur, ubi etiam distincta habent loca in quibus serventur: ita de historia sumitur, & quasi reconditur in cellario moralis sensus, unde omnis humana vita instruatur. Legunt etenim ibi prælati quales se exhibere subditis debeant, cum eis dicitur [i]: *Non dominantes in clero, sed forma facti gregis.* Et illud [k]: *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri.* Et Dominus in Evangelio [l]: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Inveniunt etiam in eadem Scriptura æquales, qualiter se habere debeant invicem, cum legunt [m]: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et illud [n]: *Honore invicem prævenientes*: & multa in hunc modum. Habent ibi & subditi quod eorum mores componat: quomodo scilicet subdi eos maioribus oporteat, quibus dicitur [o]: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.*

i. 1.Pet. 5.a
k. 2.Cor. 1.d
l. Joan. 10. b
m. Gal. 6.a
n. Rom. 12. c
o. Heb. 13. c

Sermo XCIII.

De Dentium proprietatibus ad monasticæ vitæ professionem relatis.

Dentes tui sicut grex tonsarum quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis a.

Cant. 4.a

Spiritus sanctus, de cujus secretiori fonte Canticorum flumen emanat, in his (ut sentio) dentibus mysteria nobis non parva commendat. Non sunt hi dentes de quibus dicitur *b*: *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum*; vel de quibus ad virum sanctum vox divina proclamat: *Per gyrum dentium eius formido.* Dentes isti lacte candidiores. Quippe sponsæ sunt, cujus speciem concupivit Altissimus, quæ non habet maculam neque rugam. Cum enim tota candida sit: candidior probatur in dentibus. Nova tamen & inaudita comparatione in illius laudes perorat dicens: *Dentes tui sicut grex tonsarum.* Quid in hac rogo similitudine dignum est, ut eam de cœlestibus arcanis descendisse credamus? Magnum prorsus & magno animo magnificè sentiendum. Spiritus enim est qui loquitur; qui cum loquitur,

Psal. 57.a
Job. 41. a

quitur, nec unum potest jota vacuum præterire. Aliquid profectò est in his dentibus involutum, quod evolutum sacratioris intelligentiæ præsignet arcanum.

Dentium proprietates & attributa pulchrè tropologiâ vitæ religiosæ seu monasticæ accommodat.

Dentes enim candidi sunt & fortes: carnem non habent: carent corio: nihil intra se pati possunt: non est dolor sicut dolor eorum: clausi sunt labiis ne videantur: indecens est cum videntur nisi ridendo: toti corpori masticant cibum: nullum inde saporem habent: non facilè consumuntur: per ordinem positi sunt: superiores alii, & alii inferiores: & cum inferiores moveantur, superiores nunquam. Hujusmodi dentes ego arbitror homines monasticæ professionis, qui viam compendiosiorem, & securiorem vitam eligentes, de toto Ecclesiæ corpore quod candidum est, candidiores esse videntur. Quid enim illis candidius, qui totius immunditias spurcitiæ evitantes, cogitationum sicut actionum peccata deplorant? Quid fortius illis, quibus tribulatio pro solatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantia ducitur? Isti carnem non habent, quia in carne carnem obliti audiunt ab Apostolo [c] *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu.* Corio carent: quia nitorem & distensionem mundanarum sollicitudinum non habentes, in pace in idipsum dormiunt & requiescunt. Nihil morari intra se patiuntur, quia nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputant aut intra se, aut in conscientiis singulorum. Hinc est illa vestra opportuna importunitas, qua tam sæpè fatigatis nos, ut multotiens etiam cum necesse non sit, multum in his diei expendatis. Non est dolor sicut dolor eorum: quia nihil tam horrendum & horribile est sicut murmur & dissensio in congregatione. Clausi sunt labiis ne videantur: sic & nos materialibus vallis circuncingimur, ne secularium oculis & accessui pateamus. Indecens est si appareant, nisi interdum fortè ad risum: quia nihil turpius quàm monachus per urbes & castella discurrens, nisi cum illa cogit quæ operit multitudinem peccatorum charitas. Charitas enim risus est, quia hilaris est. Læta quidem, non tamen dissoluta.

1. 2. 3. [c] Rom. 8. b 4. 5.

NOTA. Quæ Religiosarum cura expurgandæ conscientiæ tempore S. Bern

6. 7. 8.

Toti corpori masticant cibum dentes: quia ipsi pro toto Ecclesiæ corpore videlicet tam vivis quam mortuis orare sunt constituti. Nullum inde saporem habere debent, nullam sibi gloriam assignare: sed dicere cũ Propheta [d]: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Non facilè consumuntur: quia quantò annosiores, tantò ferventiores: & eo rapidius currunt, quò vicinius appropinquant ad palmam. Per ordinem positi sunt. Ubi enim aliquid ordinatum est si hic non est, ubi cibus & potus, vigilare & dormire, laborare & quiescere, ambulare & sedere, & cætera omnia in numero & mensura & pondere constituuntur? Superiores & inferiores sunt; quia inter nos prælati & subditi sunt, & sic superiores inferioribus junguntur, ut inferiores à superioribus non discordent. Cum autem inferiores movean-

9. 10. [d] Psal. 113. 11. 12. 13. 14.

moveantur, superiores nunquam moveri debent : quia etsi subditi quandoque turbentur, prælatorum est in mente composita perdurare. *Sicut grex tonsarum*, inquit[e]. Quam benè monachi tonsis ovibus comparantur? quia revera tonsi sunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum est. *Quæ ascenderunt de lavacro.* Lavacrum baptismus est, de quo ascendit qui ad cellitudinem vitæ perfectionis intendit. Descendit autem, qui se vitæ mancipat inhonestæ. *Omnes gemellis fœtibus* : quia & verbo pariunt & exemplo. *Et sterilis non est in eis*, quia nullus est infœcundus.

e Cant. 4. a

Ibidem.

Ibidem.

Sermo CXIV.

De processu vitæ Christianæ seu spiritualis juxta Tropologiam Heliæ, Iezabel fugientis.

a 3 Reg. 19. a

Timuit Helias Iezabel [a], *& surgens abiit quocunque tulit eum voluntas : venitque in Bersabee Iuda, & dimisit ibi puerum suum, & perrexit in desertum. Cumque venisset subter umbram juniperi & sederet, projecit se, & dormivit. Et Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi : Surge, & comede. Et respexit : & ecce ad caput suum subcinericus panis, & vas aquæ. Comedit ergò & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem DEI Oreb.* Per Heliam quippe qui interpretatur *Dominus*, vel *Dominus fortis*, intelligitur quilibet justus, qui persecutionem patitur propter justitiam. Unde illud [b] : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Qui metuens Jezabel, id est malitiam sæculi, vel tyrannidem diaboli, surgit de tentatione peccaminum, & abit quocunque eum tulerit voluntas à Domino sibi collata. Venitque in Bersabee Juda, in sanctam Ecclesiam ; quæ dicitur Bersabee, id est puteus septimus, propter abundantem septiformis Spiritus gratiam, quæ inibi fidelibus dividitur ; vel puteus satietatis, propter mysteriorum Dei profunditatem, & sanctarum Scripturarum refectionem. De hac profunditate habemus psalmo [c] : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Et rursus [d], *Iudicia tua abyssus multa.* Ad ejusdem considerationem Apostolus expavescens, & pavescendo deficiens, clamare compellitur [e] ; *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, &c.

Matt. 5. b

Psal. 17. a
Psal. 35. b
Rom. 11. d

Psal. 22. a
Psal. 35. b

De hac satietate legis in psalmo [f] : *Super aquam refectionis educavit me.* Et item [g]. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Hujusmodi ebrietas non inducit fastidium, sed indeficientem quibusdam desideriis provocat appetitum. In hoc sacræ lectionis pelago agnus ambulat, & elephas natat. In catholicæ doctrinæ mensa juxta modulum intelligentiæ sufficientes singulis epulæ apponuntur. Hæc est paradisus deliciarum, hic est hortus omnium pomorum. Veniens itaque in Bersabee in sanctam Ecclesiam, ut dictum est,

est, currit ad confessionem quæ per Judam notatur : & dimittit ibi puerum suum, id est puerilem sensum, vel pristinorum actuum debilitatem, & pergit in desertum, id est istius mundi contemptum. Quo postquam venit, sedet, id est à sæculari tumultu quiescit, cantans cum Propheta [h] : *Hæc requies mea in sæculum sæculi.* Projicit se, id est vilem se reputat, suis abrenuncians desideriis, juxta illud evangelicum [i] : *Qui vult venire ad me, abneget semetipsum.* Obdormivit in umbra juniperi, quia in atriis domus Dei secundùm sensus corporis vacat omninò ab omnibus pravitatibus, dicens cum Psalmista [k] : *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Tunc angelica visio tangit eum, excitans ad bonum operandum, & ad altiora consurgendum. Respicit ad caput suum, id est ad Christum, qui caput est Ecclesiæ. Et ecce subcinericius panis, id est pastus divini dogmatis, forinsecus quidem rudis, sed medullitus ineffabiliter confortativus & dulcis. Et vas aquæ, hoc est, fons lachrymarum cum cordis compunctione. Comedit & bibit, id est adimplet quæ audit : & pergit in fortitudine ad montem DEI, ad celsitudinem videlicet beatitudinis.

[h] Psal. 131. c

[i] Luc. 9. c

[k] Psal. 4. b

Sermo XCV.

De doctrinæ amaritudine per prædicatores temperanda.

Erat fames in terra [a] : *& filii prophetarum habitabant coram Heliseo, quibus fecit apponi pulmentum. Cúmque gustassent de coctione, exclamaverunt : Mors in olla, vir DEI. Et non potuerunt comedere. At ille : Afferte, inquit, farinam. Et misit in ollam, & ait : Infunde turbæ. Et comedit : & non fuit quicquam amplius amaritudinis in olla.* Fames in terra, penuria verbi Dei in mente humana: filij prophetarum, filij prædicatorum. Propheta interpretatur *videns.* Et sancti prædicatores non abs re prophetæ appellantur: qui & arcana mysteriorum Dei contemplantur : & prout vident mores hominum, adhibent modos curationum. Hæliseus *salus Domini* interpretatur, quo nomine quivis prælatus & doctor Ecclesiæ decenter censetur; cuius salubri persuasione Domini salus populis annunciatur, & annunciando impertitur. Hic talis ex debito sui officii apponit subjectis ollam grandem herbas agrestes continentē; id est, admonitionem de gravibus differentem, acerbitate refertam, sed tamen igne S. Spiritus succensam. Subditi ergo perhorrescentes sermonum austeritatē clamant, *Mors in olla:* & non possunt gustare.

[a] 4. Reg. 4. d

Sapiens igitur dispensator non affert, imò afferri jubet farinam, quoniam non præbet, sed hortatur habere charitatem, cuius condimento reddúntur dulcia quæ prius videbantur amara. Potest namq; prædicator monita salutis auribus circunstantium insonare, sed nemo nisi solus Deus valet saporem charitatis palato cordis infundere. Unde Gregorius : *Nisi sit intus spiritus qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat.* Alius est sapor

Charitas omnia condit amara.

S. Gregor. Hom. 30. in Evang.

sapor cœli, alius est sapor terræ. Haudquaquam nobis placere potest sapor cœli, dum saporem quærimus coci nostri. In deserto dantur coturnices & manna, id est in loco disciplinæ maiora & minora mandata. *Cum vidissent filii Israel manna, dixerunt adinvicem, manhu? quid est hoc? Ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis quem dedit Dominus vobis ad vescendum*[b]. Huius facti mysterium in Evangelio Joannis convenienter aperitur, ubi Dominus ait[a]: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. Multi ergo ex discipulis audientes dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Ex hoc multi abierunt retro.* Ad hunc itaque modum cum aliqui simplices ad conversionem veniunt, severitatem Regulæ expavescunt: si fiat eis sermo de mundi contemptu, de virtutum vitiorúmque conflictu: si anxietas vigilandi, assiduitas orandi, parsimonia jejunandi ab ipsis requiritur, dicunt conquerendo inter se: Quid est hoc? Quis tot & tanta implere sufficiat? Nesciunt enim quanta sit virtus assumpti Ordinis. Sed pastor eis consolatoriè habet respondere, & de afferenda eos solicitare farina.

Exod. 16. d

[a] Ioan. 6. f

Sermo XCVI.

De quatuor fontibus Salvatoris, & aquis inde hauriendis.

[a] Esa. 12. b

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris[a]. Pro paradiso quem perdidimus, restitutus est nobis Christus Salvator. Sicut ergò de uno fonte paradisi derivantur quatuor flumina ad irrigandum paradisum: ita de pectoris eius arcano procedunt quatuor fontes, ex quibus hauriuntur quatuor aquarum genera, unde tota per universum mundum rigatur Ecclesia. Sunt autem quatuor fontes, veritas, sapientia, virtus, & charitas. Ex his ergò fontibus hauriuntur aquæ, ex singulis scilicet singulæ. Nam de fonte veritatis, sumuntur aquæ judiciorum: de fonte sapientiæ, aquæ consiliorum: de fonte virtutis, aquæ præsidiorum: de fonte charitatis, aquæ desideriorum. In aquis judiciorum cognoscimus quid liceat, vel quid non liceat. In aquis consiliorum discernimus quid expediat, vel quid non expediat. Sed quia electis viris rectè per hæc gradientibus non desunt tentationes: (tentantur autem de duobus: aut terroribus, ut conculcentur: aut blandimentis, ut seducantur) idcircò armandi sunt contra terrores præsidiis divinæ virtutis; contra blandimenta desideriis supernæ charitatis. Desideriis enim meliorum superantur (ut ait quidam Sanctus) desideria deteriorum. Vel sic possumus procedere. Quid prodest nosse quid liceat & expediat (quod utique docent judicia atque consilia) si posse perfici minimè contingat? Ideo post aquas judiciorum & consiliorum; quærendæ sunt aquæ præsidiorum. Rursum & posse quid valeat, si horum omnium non sit finis charitas? Rectè itaque post judicia, post consilia, post præsidia, hauriuntur de

Fontes 4. de pectore Salvatoris prodeuntes.

Ex singulis hauriuntur peculiares aquæ.

tur de fonte charitatis desideria, ut videlicet quicquid sapimus aut loquimur, quicquid operamur aut patimur, æternæ vitæ finis concludat.

Sed ut hæc quæ dicta sunt de fontibus & aquis clarius eluceant, Scripturarum testimoniis reor esse comprobanda, aurique similitudines quas protulimus vermiculandas argento. Ac primum quod dictum est quatuor illos fontes de pectore JESU manare, nullum arbitror ambigere. Quomodò autem ex eisdem fontibus hauriantur prædictæ aquæ, id elaborandum est: Veniat ergò David & dicat, quod ex fonte veritatis procedant judicia. Hoc certè videtur sensisse cum diceret [b]: *De vultu tuo judicium meum prodeat.* Neque enim Vir sanctus judicium suum diceret, quod de vultu DEI, id est de veritate non prodiret. Noverat enim electos Dei veritatis judiciis, tanquam virga ferrea, regi, & quia sub eorum regimine se esse sentiebat, exultans psallebat [c]: *Judicia Dei vera justificata in semetipsa: desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.* A quibus ne fortè per incuriam devient, audiant vocem Patris per eundem Prophetam comminantis. *Si in judiciis* [d], inquit, *meis non ambulaverint, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorũ.* Hæc mysteria divini judicii referabat cœlestis regni clavicularius, cum diceret [e]: *Tempus est ut incipiat judicium de Domo DEI. Si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non crediderunt Dei Evangelio?* Et hoc de electis dictum est. Cæterum est aliud de reprobis judicium, quod nihilominus ab ipsa Veritate procedit. Unde & per Paulum dicitur [f]: *Scimus enim quoniam judicium est secundum veritatem in eos qui talia agunt.* Et utrumque quidem judicium complectitur ipsa Veritas dicens [g]: *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Utrumque autem discernit cum item dicit [h]: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

Ex fonte veritatis hauriuntur judicia.

b Psal. 16. a

c Psal. 18. c

d Psal. 88. c

e 1. Pet. 4. d

f Rom. 2. d

g Ioan. 9. g

h Matt. 25. d

Si vidimus quomodo de fonte veritatis hauriuntur judicia: videamus quomodo de fonte sapientiæ propinentur consilia. Quis dubitet Apostolum Paulum esse sapientem, cum & Petrus eius Coapostolus sapientiam ei datam esse astruat [i], & eiusdem Apostoli tota verborum series nil aliud quam sapientiam redoleat? Proferat igitur consilia, & per ipsa nos doceat, quid peregrinantibus & ad cœlestem patriam festinantibus expediat. *De virginibus*, inquit [k], *præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse*, hoc est in virginitate manere. Si de virginibus præceptum haberet, nihil aliud, quam quod præciperetur, liceret. Nunc verò cum utrumquè liceat, vel nubere, vel non nubere: quid compendiosius dici potuit, quam *bonum est homini sic esse*; præsertim cũ & necessitatis instantia frequenter obrepere soleat, &

De fonte sapientiæ consilia.

i 2. Pet. 3. d

k 1. Cor. 7. d

citò mori ipsa temporis brevitas urgeat, totiusque mundi figura prætereat? Item cum de vidua loqueretur. *Beatior*, inquit [l], *erit si sic* (id est innupta) *permanserit secundum consilium meum*. Ac ne de proprio corde, & non potius de fonte sapientiæ videretur hoc ipsum consilium deprompsisse, subjecit dicens: *Puto quod & ego spiritum Dei habeam*. Sed cur ergo paucis immoror exemplis, cum in ejus verbis omnis sexus, omnis conditio consilium inveniat, si diligenter quærat, salutis? Quod si quis curiosius velit perspicere, utrum verum sit quod dictum est, de sapientia consilia manare, legat libros qui inscribuntur *Sapientiæ* †, ubi totus orationis contextus consilia parare videtur. Si verò consultius & utilius studet vitam inde eligere, audiet ipsam salubriter invitantem Sapientiam. *Si vis*, inquit [m], *ad vitam venire, serva mandata*. Quæris cujus? *Deum*, inquit [n], *time, & mandata eius observa*. Audiat eam ipsam materno affectu inclamantem [o]: *Da mihi cor tuum*. O quantum vellem, & ego cor meum in ejus verbum suspendere, de cujus ore mirifico tam dulcia vitæ consilia audio personare. Utinâ autem & linguæ meæ calamum in ejus fonte possem intingere, quo idoneus essem ea quoque quæ restant de duobus fontibus, id est virtutis & charitatis, utiliter exarare.

l Ibidem.

† *Quinque lib. solent vocari sapientiales: Proverbia, Ecclesiastes, Cant. Cantic. Ecclesiasticus, & Sapientia.*

m Matt. 19. c

n Eccl. 12.

o Ptov. 23. c

De fonte virtutis aquæ præsidiorum.

Et quoniam quatuor isti fontes ita sibi invicem saporem transfundunt, ut qui de uno biberit, quadam ineffabili dilectionis dulcedine invitetur ad alium: libet jam de sapientia ad virtutem transire, & qualiter illinc hauriantur aquæ præsidiorum, quantum ab ipsa virtute adjuvor ostendere. Sicut autem superius dixi gemina esse veritatis judicia, quia scilicet determinant quid liceat, vel quid non liceat: itidem sapientiæ duo, hoc est quid expediat, vel quid non expediat: ita & hic agnoscamus de fonte virtutis hauriendas duplices præsidiorum aquas, quæ vel abluant electos à culpis, vel refrigerent in tormentis. De utriusque sumamus exemplum. Refert Lucas Evangelista [p], quòd quædam mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, erogatâ in medicos totâ substantiâ cum minimè curari potuisset, accesserit retrò & tetigerit fimbriam vestimenti Domini, & confestim steterit fluxus sanguinis: Iesum vero dixisse, *quis me tetigit?* Cùmque discipuli respondérent, *Turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis, quis me tetigit?* Rursum repetiisse, *Tetigit me aliquis: nam & ego novi virtutem de me exiisse*. Ecce quas aquas præsidii hauserit mulier de fonte virtutis, quibus abluta est à profluvio sanguinis, quæ nulla medicorum arte potuerat sanari. Quod si quis objiciat prolatum testimonium nihil ad rem præsentis operis pertinere, eo quod illa mulier nequaquam abluta esse videatur à culpis, sed tantum ab ægritudine carnis: noverit moris esse divinæ virtutis prius cordi mederi quàm corpori. Unde & alibi [q] cum quidam ei paralyticus offerretur curandus, tanquàm bonus & pius medicus volens sanare prius quod erat potius, id est mentem quàm carnem, ait idem paralytico; *Confide fili, remittuntur*

p Luc. 8. f

Moris est divinæ virtutis prius mederi cordi, quàm corpori.

q Matt. 9. a

tibi

tibi peccata tua. Itaq; sanata conscientia, consequenter sanatur corpus, cum dicitur [r] : *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Sic ergo & hujus eor mulieris prius abluit intus per donum fidei, sicut scriptum est [s] : *Fide mundans corda illorum*, per quam meruit exterius impetrare salutem corporis. Hoc enim innuit ipse Dominus, cum dicit [t] : *Filia, fides tua te salvam fecit : vade in pace.* Quod autem de hoc ipso fonte virtutis hauriantur aquæ præsidii in tormentis, ostendunt & illi tres pueri in fornacis incendio æstuantis positi, quibus ipsa flamma refriguit, & præcipuè inclytus ille martyr Vincentius, qui cum graviter torqueretur, non solum tolerasse, sed etiam tortorem suum constanter provocasse fertur his verbis : *Insurge* (inquit) *& toto malignitatis spiritu debacchare, videbis me Dei virtute plus posse dum torqueor, quam possis ipse qui torques.* Possent plura de hoc fonte virtutis copiosius dici, sed eum succinctè prætereo : quia de fonte virtutis † bibere potius quàm scribere desidero.

Vincentii Mart. fortitudo in tormentis.

Ad hunc fontem invitamur Redemptoris nostri voce dicentis [u] : *Si quis sitit, veniat & bibat, & de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Et sequutus Evangelista exposuit ad quem fontem nos invitaret, dicens : *Hoc autem dixit spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Quem nisi Spiritum charitatis, quem mundus non potest accipere, sed soli accipiunt qui verè credunt in eum ? Ex hoc ergò fonte hauriamus nobis aquas desideriorum, ipsasq; partiamur in geminos rivulos, ut sicut ejusdem charitatis duo sunt præcepta, ita sint & desideria gemina, quibus impleantur ipsa præcepta. Aliud est enim desiderium quo Deus propter seipsum, aliud quo proximus diligitur in Deo, vel propter Deum. In illo nullus modus, sed ex toto corde, tota anima, tota virtute diligitur Deus : in hoc autem præscribitur quidam modus, cum dicitur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum [y]. Illo flagrabat Propheta, cum diceret [z] : *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Et item [a] : *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Hoc exhibebat Apostolus Romanis, quibus scribebat [b] *Desidero enim videre vos, ut aliquid gratiæ spiritualis impertiar vobis.* Et Dominus in Evangelio discipulis suis [c] : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.*

† al. *charitatis.*

[u] Ioan. 7. f

[x] Ibidem.

De fonte Charitatis hauriendæ aquæ desideriorum.

Charitatis duo præcepta.

[y] Matt. 22. d
[z] Psal. 41. a
[a] Psal. 83. a
[b] Rom. 1. a
[c] Luc. 22. b

Et notandum quod ad illud excitatur mens humana specialiter tribus affectionibus ac provehitur : unde & Deum diligere toto corde, tota anima, tota virtute jubetur. Prima quidem dulcis, secunda prudens, tertia fortis est. Primam habuit Petrus, cum Domino mori dissuaderet [d], Ex corde enim dulciter diligebat, cujus passionem expavescebat. Sed cum audiret [d] : *Vade retro Satana*, non sapis *quæ Dei sunt, sed quæ hominis* : his verbis eruditus & intelligens quid boni haberet mors Christi, cœpit tota anima prudenter diligere, quem prius tantum diligebat dulciter toto corde, necdum

Dilectio erga Deum tribus affectionibus excitatur & provehitur.

* d Matt. 8. d *Ostenditur exemplo Petri.*

verò diligebat tota virtute. Quod si faceret, nec propter mortis discrimen eum negaret. At verò post Resurrectionem & Ascensionem dato desuper Spiritu, tunc demum tota virtute dilexit, pro quo etiam horrendum crucis supplicium postmodum subire non expavit. Erga charitatem quoque proximi exercemur tripliciter, vel ut ædificetur ipsa charitas ubi non est; vel certè ne pereat, vel minuatur ubi est. Quisquis autem hanc puro affectu erga proximum operatur, illam proculdubio quæ Deus est, ulterius promeretur.

Sermo XCVII.

De suavitate verbi ac jugi Christi; foris quidem duri, sed intus dulcissimi.

[a] Cant. 4. c
[b] Eccl. 12.
[c] Psal. 54. e
[d] Psal. 140. b

MEl & lac sub lingua eius [a]. Id quidem necesse. Nam quod in lingua est, durum sonat. *Verba sapientis quasi stimuli, & sicut clavi in altum defixi* [b]. Alius est cujus molliti sunt sermones super oleum [c]; sed oleum peccatoris non impinguet caput meum [d]. Corripiat me magis justus & increpet, nam in hoc misericordia est: quam illud impinguet oleum caput meum, in quo est dolus. Pulchrè enim non molles, sed *molliti* dicuntur *sermones* vel suasoris adulatoris, vel suasoris iniqui, quòd sit in eis non tam vera & solida, quam superducta & simulata suavitas. Siquidem ipsi sunt jacula [e]. Denique sub lingua ejus quid? Audi Prophetam [f]: *Labor & dolor.* Porrò sub lingua ejus mel & lac, qui juxta eundem Prophetam laborem fingit in præcepto [g]. Miraris fingere veritatem, nam mirari licet, dubitare nō licet. Si & alterum testem quæris, lege in Evangelio [h], quia *finxit se longius ire.* Quidni figmentum figmento exhibeat? Siquidem ipse novit figmentū nostrum, utique laboris impatiens, dilationem non sustinens, fragile ad utrumque. Piè ergo providit, ut haberet pietas promissionem vitæ eius quæ nunc est & futuræ [i]; nec laborem verum imponeret, sed magis fingeret in præcepto. Audi quomodo laborem fingere ipse se prodat: *Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, & onus meum leve* [k]. Quomodo non fictus labor, ubi non labor, sed requies invenitur?

[e] Psal. 54. d
[f] Psal. 9. d
[g] Psal. 93. d*
[h] Luc. 24. d
[i] 1. Tim. 4. c
[k] Matt. 11. d*

Ita ergò labor in lingua, mel sub lingua. Quid supra linguam? Ineffabilia, quæ non licet homini loqui [l]. Miseri qui solum quod in lingua sonuit attendentes, nec quod sub lingua reconditum, nec quod supra repositum fuit, capere potuerunt. *Durus est hic sermo,* inquiunt [m]. Durus equidem, sed tamen idem est verbum vitæ [n]. *Qui non bajulat crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam, non est me dignus* [o]. Quid durius poterat dici? Noli errare. Lapis videtur, panis est. Durus in cortice, sed suavissimus in medulla. Tentat te Dominus Deus tuus. Fidei exercitatio, & probatio dilectionis est, fictio ista laboris. Esto tamen, lapis sit. Num tu credis quod & dæmones credunt?

[l] 2. Cor. 12. a
[m] Ioan. 6. f
[n] Matt. 10. d
[o] Luc. 14. f

Sermo Dei durus in cortice, suaviss. in medulla.

dunt? Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Omnes novimus quis hoc dixit [p]. Non dubitat ille posse solo dicto (quo quidem facilius nihil est) ex lapide panem facere, quem filium Dei esse credit. Fas est & ab hoste doceri. Dicamus & nos filio Dei, dic ut lapides isti panes fiant. Nam & ille qui hominum utique non dæmonum venerat in salutem, sic confutavit adversarios, ut parvulos erudiret. Non enim dicens quod ille voluit, sed quod oportuit nos audire, ut videlicet noster hic lapis panis fieret, non illius. *Non*, inquit [q], *in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

[p] Matt. 4. a

[q] Ibidem. *Dæmonis impostura est, Dei verba & mandata reputare dura.*

Quid tu ad hæc veritatis inimice submurmuras? Quod quidem ipse fateris, & negare omninò non potes, potens est filius Dei dicere, ut lapides panes fiant. Ubi ergo est de verbis Dei ait, & generaliter ait, quia sic vivitur, & in talib. vita spiritus mei, quid tu mihi subsibilas ad quodvis eorum dicens: *Durus est hic sermo?* Quæ Dei filius dixit, & facta sunt alimenta vitæ; tu ne saxa dixeris, qui filius Dei nõ es? Non sum ego qui arbitrer (quod temeraria prorsus rapina arbitratus es ipse) esse te æqualẽ Deo, ut dicente te panis in lapidem revertatur. Qui filius Dei non es, sine causa dicas ut lapides isti panes fiant. Nec minus frustra tuũ nobis apponas pro pane lapidem, scorpionẽ pro ovo, pro pisce serpentem. Væ enim his qui panem lapidem, lapidem panem dicũt, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem [r]: jugum Christi asperũ, & esse suavem sentibus delicias reputantes. Has delicias ego nolim. Opto magis gustare & videre quoniam suavis est Dominus [s]. Hoc enim non frustra is ipse, qui monet, studuerat experiri. Denique ait [t]: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Et rursum [u]: *Quam magna*, inquit, *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Ubi putas absconditur? Nempe sub lingua sua, sub capite ejus quæ dicit [x]: *Læva ejus sub capite meo: & dextera illius amplexabitur me.* Licet enim in promissione vitæ ejus quæ nunc est, dulcedo & multitudo dulcedinis, & magna quoque & perquam magna sit multitudo, perfectio tamen non nisi in promissione futuræ. *Perfecisti*, inquit [y], *his qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Quid perfecit? Non est hic sermo in lingua, sed supra linguam. Ideo enim auris non audit: quia nec lingua protulit, quod præparavit Deus his qui diligunt eum. Nec sanè in abscondito consummatio illa, sed in conspectu filiorum hominum erit. Congruè verò non adhuc perfectum, sed jam perfeciisse cum sperantibus ait. *Spe enim salvi facti sumus* [z].

[r] Esa 5. e *Error hominum in veris & falsis delicijs discernendis.*

[s] Psal. 33 b

[t] Psal. 118.

[u] Psal. 30.

[x] Cant. 2, c

[y] Psal. 30. f

[z] Rom. 8. c

Sermo XCVIII.

De filiis pacis, in quibus habitat Deus.

Factus est in pace locus eius [a]. Est pax ficta, ut in Iuda: est inordinata, ut in Adam & Eva. Harum neutra est locus Dei. Sola pax Christiana, quam Dominus reliquit & dat discipulis suis, ipsa est in qua Dominus requiescit,

[a] Psal. 65.

quiescit. Hæc offertur per sanctos prædicatores universo generi humano, sed eam quidam repellunt, aliqui recipiunt. Nos vero excutientes pulverem pedum nostrorum super odientes pacem, ad dilectores eiusdem pacis nos conferamus. Eorum alii dicuntur recipientes pacem, alii retinentes pacem, alii facientes. Possunt & aliis nominibus vocari, scilicet pacati, patientes, pacifici. Et hæc nomina sortiuntur secundum diversos status pacis, in quibus proficiunt. Nam pacati per hanc pacem possident terram corporis sui, quia mites sunt *b*. Patientes possident animam suam, quibus dicitur *c*: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Pacifici possident non solum suam, sed etiam aliorum in quibus faciunt pacem. Unde meritò filii Dei vocantur. Pacati ergo dicuntur, qui pacem recipiunt, de quibus scriptum est. *Si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra* [d]. Sed quia pusilli sunt, scandalis exagitati cito pacem quam receperant perdunt. Patientes autem sunt, qui receptam retinent, nec quavis injuria exasperati eam amittunt. Istis tanquam robustioribus præcipitur; *Pacem diligite & sanctimoniam, sine qua nemo videt Deum.* Pacifici verò, qui non solum in se & in aliis eam faciunt, sed etiam volentes auferre diligunt, sicut scriptum est [f]. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*: ecce isti sunt, quos sicut filios Deus diligit, & de quibus tanquam vivis lapidibus templum sibi sapientia construit. De quo ædificio, ne ullo impulsu possint labefactari, ipso Deo inhabitante pariter & operante, ad similitudinem lapidis quadrantur quatuor modis, superius, inferius, à dextris & à sinistris. Superius, cum divinæ voluntati suam humiliter & prudenter subjiciunt. Inferius cum carnem subjectam temperanter regunt. A dextris, justè bonos amplectendo. A sinistris malos fortiter tolerando.

b Matt. 5. a
c Luc. 21. d
d Matt. 20. b
e Heb. 12. d
f Psal. 119. b

Sermo XCIX.

De quatuor generibus hominum Cœlum obtinentium.

Quatuor sunt genera hominum regnum cœlorum possidentium. Alii violenter rapiunt, alii mercantur, alii furantur, alii ad illud compelluntur. Rapiunt qui dereliquerunt omnia, & sequuntur Christum: de quibus dicitur [a]: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Sunt alii inferioris gradus à quibus metuntur carnalia, dum eis spiritualia seminantur: & his loquitur in Evangelio Dominus *b*, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Tales dicuntur mercatores, quia dant in præsenti pauperibus temporalia quæ possident, ut in futuro recipiant ab eis æterna, quæ non nisi per eos habere merentur. Necesse est enim omnes qui in futuro judicio examinandi sunt, vel esse judicis amicos, vel apud judicem intercessores habere amicos. Habent ergo primum beatitudinis locum qui intercedunt:

a Matt. 5. a

b Luc. 16. b

Divites mercantur Cœlum à pauperibus.

habent

habent hi pro quibus intercedunt, secundum. Sunt alii qui nonnulla bona occulte faciunt, pro quibus merentur regnum cœlorum, sed tamen furari illud dicuntur, quia laudem humanam vitantes, solo divino testamento contenti sunt. Horum figuram tenuit mulier in Evangelio *c* quæ fluxum sanguinis patiens cogitavit intra se, dicens: *Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salva ero.* Quo dicto accessit occultè & tetigit, & salva facta est. Alii sunt qui compelluntur: verbi gratia ut pauperes necessarii, quos scilicet hic ignis paupertatis Deo dispensante purgat: ne in futuro ignis judicii puniat. De quibus scriptum est *d. Compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Compelluntur multi variis necessitatibus & oppressionibus afflicti: qui mira Dei providentia dum temporalem pœnam si non libenter, tamen patienter sustinent, vitam consequuntur æternam.

c Luc. 8. f

d Luc. 14. c

Sermo C.

De discrimine inter plebem & præsulem.

Quantum distat inter pastorem & gregem, tantum debet distare inter Episcopum & plebem. Stat ille sublimis & rectus, curvat iste caput solo depressus. Unde Poeta: *Pronaque cum spectent animalia cætera terram: Os homini sublime dedit.* Ille regit, iste regitur: ille pascit, iste pascitur: ut ex ipsa forma & habitu uterque discernatur. Habet ille in manu virgam qua feriat, vel potius ducat & reducat ovem. Quid est autem habere in manu virgam, nisi in opere disciplinam, ut subjectos suos exemplo magis instruat quam verbo? Erubescunt enim superbi esse discipuli, si eos in humilitate præcesserint magistri. Unde de Domino scriptum est *a*: *Quæ cœpit Iesus facere & docere.* Habet etiam baculum, quo fuerit lupum. Virga ovem, baculo lupum. Hoc est mites & obedientes debet lenius corripere, duros verò corde & improbos acrius arguere: eumque necesse fuerit, etiam anathematis sententia ferire. Tenet canem in fune, zelum scilicet in discretione, ne sit de illis de quibus scriptum est *b. Habent zelum*, (alias, æmulationem) *Dei, sed non secundum scientiam.* Habet etiam pastor bonus panem in pera, hoc est verbum Dei in memoria.

Ovidius Metam. 1.

Prælatis exemplo potius quam verbo docendum.

a Act. 1. a

b Rom. 10. a

Sermo CI.

De quatuor modis diligendi.

Duo sunt amores, carnalis & spiritualis: ex quibus colliguntur quatuor modi diligendi, scilicet diligere carnem carnaliter, spiritum carnaliter, carnem spiritualiter, spiritum spiritualiter. In his fit quidam profectus & ascensus ab inferioribus ad superiora. Nam ut homines qui tantum noverant diligere carnem carnaliter, ad hoc proficerent, ut Deum quoque diligerent spiritualiter. Deus caro factus est, & loquendo & conversando

Duo amores Carnalis & Spiritualis.

cum hominibus, primū ab eis carnaliter dilectus est. Cum autē prō amicis suis animam ponere vellet: jam spiritum diligebant, sed adhuc carnaliter. Unde & Petrus loquenti de passione sua respondit [a]: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Sed cum per eandem passionem fieri mysterium redemptionis agnoscerent, in ipsa passione jam carnem spiritualiter diligebant. Resurgente autem eo & ascendente Spiritum spiritualiter amant, lætique decantant [b]. *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Nos quoque carnem nostram carnaliter diligimus: cum eius desideria diligimus & perficimus. Spiritum carnaliter, quando eum flendo, suspirando, gemendo in oratione conterimus. Carnem spiritualiter, cum eam spiritui subiectam in bonis spiritualiter exercentes, cum discretione servamus. Spiritum spiritualiter, etiam ipsa spiritualia studia nostra fraternæ utilitati ex charitate postponimus.

[a] Matth. 16. c

[b] 2. Cor. 5. d

Sermo CII.

De modo redeundi ad Deum.

Est ad Deum quidam redeundi modus primi hominis casui oppositus. Adam quippe in paradiso positus, primo perdidit circumspectionem Dei. Testatur enim beatus Augustinus, quod nequaquam tentator hominem de paradiso ejeciſſet, nisi aliqua elatio in anima hominis præcessisset, cum verissimè scriptum sit *a*; *Ante ruinam exaltatur cor.* Secundò perdidit justitiam, quando uxoris voci plus quam divinæ obedivit. Justitia enim est virtus quæ suum cuique reddit. Tertiò amisit judicium, cum post peccatum correctus, oblique per mulierem retorsit propriam culpam in auctorem, dicens *b*: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Eisdem ergò virtutum gradibus redeundum est homini in exilio posito, quibus primus expelli meruit de paradiso. Primum itaque faciendum est judicium, deindè exercenda justitia, tandem circumspectio adhibenda. Et judicium quidem nobis, ut nosipsos judicemus & accusemus, justitiam proximo, circumspectionem debemus Deo.

a Prov. 16. c

b Gen. 3. b

Per quos gradus redeundum ad Deum, nemine per eos, qui ipsius primus homo cecidit.

Hanc redeundi viam ostendit nobis Micheas propheta dicens [c]: *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Deus requirat à te: utique facere judicium, & diligere misericordiam & ambulare sollicitè cum Deo tuo.* Hanc salutis viam testatur Apostolus Christum docuisse, dicens [d]: *Apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc sæculo, &c. Sobriè* scilicet quantum ad nos, *justè* ad proximum, *pie* ad Deum. Qui etiam manifestius intulit circumspectionem Dei, dicens *d*: *Expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi.* Et in multis aliis Scripturæ sacræ locis si hic ordo viæ & institutio vitæ quæratur,

c Mich. 6. b

d ad Tit. 2. c

Ibidem.

potest

potest inveniri, ut illud [f]: *Beatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in justitia meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.* Moratur siquidem in sapientia, & sapiens est qui semetipsum hic dijudicat, ut æternum Dei judicium evadat. *Si enim* (ait Apostolus [g]) *nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Sapiens est non secundum sapientiam huius sæculi, sed secundum illam quæ trahitur de occultis, per quam utique miro Dei opere agitur, ut electi quique tunsionibus & pressuris hic attriti, in ædificio veri Salomonis sine sonitu mallei postmodum collocentur.

[f] Eccli. 14. d

[g] 1. Cor. 11. g

Sermo CIII.

De quatuor gradibus quibus electorum profectus distinguitur.

QVatuor gradibus distinguitur omnium electorum profectus. Primò enim fit quisque amicus suæ animæ; secundo fit amicus justitiæ; tertiò sapientiæ; quartò fit sapiens. In primo profectu vitat omnia quæ animam possunt offendere, & diligit ea quæ eam possunt mulcere. Horret ergo infernum, & cœlum concupiscit: ita potest implere illud divinum præceptum, quod in prima conversione sua accepit [a]: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Nam dum secundum carnem ambulat, nullo modo potest. Cum autem spiritu Dei agitur, facilè potest. Quid enim habeat emolumenti homo, si proximus eius ardeat in inferno: aut quid perdiderit, si secum fuerit in paradiso? Neque enim talis est illa paradisi hæreditas, ut possidentium numero minuatur. Diligit ergo proximum, quem non vult malum pati, sicut nec seipsum, & quem sicut seipsum vult possidere cœlum. Hoc autem suo, id est hominis spiritu, quando posset, ut scilicet expaveseeret gehennam, ac cœlestia desideraret: Sed potest hoc illius spiritu cui dictum est [b]. *Si ascendero in cœlum, tu illic es, &c.* Spiritus quippe sapientiæ ubique præsens, novit quid in cœlo, & quid agatur in inferno. Cumque mentem humanam replevit, & de pœnis inferni incutit timorem, & cœlestium amorem infundit: sicque facit hominem amare seipsum, & dicit ei [c]: *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* Primum igitur est diligere se, deinde proximum. Non enim dictum est, diliges te sicut proximum, *sed diliges proximum sicut te.* Hoc modo fit amator animæ suæ per Spiritum sanctum, quem ex fide accepit.

Primus Gradus profectus electorum, quo homo fit amicus animæ suæ.

[a] Matth. 22. d

[b] Psal. 138. b

[c] Eccli. 30. b

Accepto autem hoc dono, non debet eo solo contentus esse, sed ad maiora provehi, & in melius proficere. Vivit autem jam per spiritum. Sed si per spiritum vivimus (ait Apostolus) *spiritu & ambulemus* [d]. Et alibi dicit [e]: *Nos verò omnes revelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Hoc ipsum & Psalmista de sanctis videtur sensisse. *Benedictionem,* inquit, [f] *dabit*

[d] Galat. 5. c & 6. a

[e] 2. Cor. 3. a

[f] Psal. 83. b

dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Ambulet & iste quem in manibus habemus, eat & proficiat, donec ad quartum gradum perveniat. Ibi sine dubio factus sapiens, videbit Deum deorum in Sion. Porrò eo ipso quod dixi, qui benè diligit animam suam, debet etiam diligere justitiam. Alioquin si diligit iniquitatem g, odit planè, non diligit animam suam.

g Psal. 10.

Diligendo autem justitiam transit ad secundum gradum, & audit illud Sapientiæ præceptum h. *Diligite justitiam qui judicatis terram.* Quam si perfectè dilexerit, debet pro ea ferre patienter omnem pœnam & quam cumque illatam contumeliam. Duo quippe præstabit ei justitia, unum ut faciat quod debet: alterum, ut patiatur quod debet: scilicet, ut si bonum non fecerit quod debuit, malum quod meruit patiatur. Sic miro modo ne deserendo quidem justitiam, ab ipsa deserimur, dum per ipsam quilibet prævaricationis reatus punitur. Neque enim est qui se abscondat à calore eius. Hanc autem pœnam non solum vir justus non horret, verumetiam libenter excipit, dum per eam præteritæ vitæ peccata purgari fideliter credit. Hinc enim scriptum est i: *Non contristabit justum quicquid ei acciderit.* Opponit igitur variis voluptatibus quibus corruit, contraria medicamenta per quæ resurgat. Verbi gratia; cecidit per inobedientiam, per obedientiæ laborem redit ad vitam: lubricus extitit ac dissolutus, per continentiæ studium rigorémque disciplinæ reparatur. Patitur ab ipsis elementis mundi pœnam, quorum usu dudum defluxerat ad voluptatem. Quibus cruciatibus cum diu tanquam aurum in fornace probatus fuerit, quantum scilicet dignum judicabit is qui in pane lachrymarum nos cibat, & potum dat nobis in lachrymis in mensura, incipit jam consolari, & audit illam Esaiæ vocem dicentis k: *Consolamini, consolamini populo meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Hierusalem, & advocate eam, quoniam completa est malitia eius*, id est, afflictio: *dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Postquam verò consolationem receperit, solicitus est & quærit quomodo placeat ei cui se probavit. Facit quicquid boni facit, ut soli placeat suo conditori.

h Sapien. 1. a

Transitus ad secundum gradum, per amorem justitiæ.

Justus duo per justitiam habet; ut faciat quod debet, patiatur.

i Prov. 12. c

k Esa. 40. a

Transit ad tertium gradum sui profectus, ut sit scilicet amicus sapientiæ, quæ materno affectu loquitur sibi, cum dicit l: *Præbe fili cor tuum mihi.* Cum ergo ad hunc gradum pervenerit, nihil aliud ei restat, nisi ut ad quartum ascendat, ubi dicitur esse sapiens. Hoc autem fit quando jam operatur, non ut ipse Deo placeat, quod utique in tertio gradu fecerat; sed quia placet ei Deus, vel quia placeat Deo quod operatur. Quisquis talis est, potest cum tota fiducia ac securitate conscientiæ illud Sapientis canticum decantare m: *In omnibus requiē quæsivi, &c.* Hic enim requiescit in omnibus, cum per omnia ei placeat Deus, qui non Dei voluntatem ad suam curvare, sed

Transitus ad tertium gradū per amorem sapientiæ.

Et hinc ad quartum per cum sapientiæ.

l Prov. 23. c

m Eccli. 24. a

sed suam didicit ad Dei voluntatem erigere. *Morabitur in hæreditate Domini*, sicut ei ejusdem Domini voce promittitur, cum dicitur *n*: *Terram in qua dormis tibi dabo*, hoc est, quietem istam ad quam perveniſti labore tuo & munere meo, stabilem tibi faciam atque perpetuam. Quod autem subjungit, *& semini tuo*, sic possumus intelligere: ut non solum spiritui detur tranquillitas ista & hic & in futuro; sed etiam semini tuo, id est, operibus tuis dabitur corporis tui glorificatio.

Sermo CIV.

De quatuor impedimentis Confessionis.

Quatuor impedimenta confess. Pudor.

Quatuor sunt quæ impediunt confessionem, pudor, timor, spes, desperatio. Quosdam enim impedit pudor, qui scilicet pro sola confusione dicere erubescunt peccata quæ commiserunt. De quo per Salomonem dicitur *a*: *Est confusio adducens peccatum.* Quo contra de his qui confitentur, iterum dicitur *b*: *Est confusio adducens gloriam.* Quos etiam commendat Propheta dicens *c*: *Confessionem & decorem induisti.* Et alibi *d*: *Confessio & magnificentia opus eius.* Alios impedit timor. Timent enim si confiteantur, ne gravis eis pœnitentia injungatur: & hos arguit Iob dicens *e*; *Qui timet pruinam, irruet super eum nix.* Sunt autem nonnulli qui in hoc mundo adhuc aliquid concupiscunt, nec putant se adepturos quod desiderant, si hominibus quales sint, innotescant. Horum confessionem impedit spes, id est, cupiditas potiendi desiderii: talibus comminatur Dominus in Evangelio *f*, *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Sunt item alii qui nil horum verentur, sed solum hoc timent quia post peccatorum confessionem ab ipsis abstinere minimè possent. Et his obest desperatio. Quibus non incongruè illud potest aptari. Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit *g*. Fit verò nonnunquam ut hæc omnia simul confessionem impediant. Sed qui quatuor his malis premitur, rectè jam in monumento jacet, & velut ille Evangelicus quatriduanus fœtet *h*. Scriptum est enim *i*: *A mortuo velut qui non sit, perit confessio.* Quod si is mortuus est qui non confitetur, utique reviviscet qui confitebitur. Veniat ergo Iesus, & dicat *veni foras k*. Et ad vocem ejus illicò suscitabitur mortuus. Excipiat hic noster mortuus exhortationem, & non differat confessionem.

a Eccl. 4. c
b Ibid.
c Psal. 103. a
d Psal. 110. a

Timor.

e Iob. 6. c

Spes.

f Matt. 24. b

Desperatio.

g Prov. 18. a

h Ioan. 11. e
i Eccli. 17. c

k Ioan. 11. f

Dicatur ergo illi quem pudor afficit: Cur te pudet peccatum tuum dicere, quem non puduit facere? Aut cur erubescis Deo confiteri, cujus oculis non potes abscondi? Quòd si fortè pudor est tibi uni homini & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die judicii, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit? Hæc itaque tria proponenda sunt contra pudorem, scilicet consideratio rationis, reverentia intuentis Dei, comparatio majoris confusionis. Similiter contra timorem opponenda sunt

Antidotum pudoris.

Timoris.

tria. Considerandum enim est quàm sit longa pœna inferni, quàm gravis quàm infructuosa. E contrario verò præsentis temporis pœnitentia brevis est, & levis, & fructuosa. Contra spem quoque itidem tria opponuntur, bona scilicet futuri sæculi, præsentis vitæ bonis majora, certiora, durabiliora: ad quorum comparationem quicquid in hoc mundo desiderari potest, modicum est & incertum, &, ut ita dicam, momentaneum. Ita contra desperationem vincendi peccatum, tria sunt remedia. Primum est vigor ipse propositi boni, quem assumit ex Confessione. Secundum est gratia Dei, quam meretur ex humilitate. Tertium est auxilium, quod ex ejus habet cui confitetur compassione.

Spei.

Desperationis.

Sermo CV.

De requisitis ad justificationem.

In duobus consistit nostra salus, in Justific. & Glorific.

DUo sunt in quibus consistit nostra salus. Justificatio & Glorificatio. Altera initium, altera perfectio est. In illa labor, in hac autem fructus laboris est. Et nunc quidem justificatio fit per fidem: nam glorificatio erit per speciem. Quanta autem sit in futura vita glorificatio sanctorum, humanus interim non potest attingere intellectus. De illa enim scriptum est, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, &c.* Hac ergo interim omissa, quoniam vires nostras excedit, de justificatione quæ nunc agitur, aliquid ad ædificationem Fratrum nostrorum, quod necessarium visum est, loquamur. Ipsa est enim via, per quam fit transitus ad glorificationem, dicente Apostolo *b*. *Quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit. Quos autem justificavit, hos & magnificavit.* Neque enim poterit obtineri magnificatio, nisi justificatio præcesserit: cum ista meritum, illa præmium sit. Hoc in Evangelio docuit Dominus, qui cum Discipulis evangelizaret regnum Dei, primum eis proposuit justitiam, dicens: *Nam nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum: non intrabitis in regnum cœlorum.*

a Esa. 64. 3

b Rom 8. 30

c Matth. 5. 20

Notandum autem, quod sicut in illo beatitudinis regno præsentem se electis suis exhibebit Dominus ad glorificationem, ita etiam se eisdem ipsis exhibet in via peregrinationis ad justificationem, ut à quo scilicet glorificandi sunt per speciem, ab ipso prius justificentur per fidem. Et quidem tria sunt à quibus abstinere debent quicunque justificari desiderant. Primò utique ab operibus pravis, secundò à carnalibus desideriis, tertiò à curis sæculi. Item tria sunt quibus debent insistere, quæ etiam continet sermo Domini in monte *d*, eleemosyna, jejunium, oratio. Sic enim adimpletur justificatio, dum ab interdictis vitiis abstinent, & bona quæ præcepta sunt fideliter exercent. Opponantur ergo pravis operibus opera misericordiæ, contra carnalia desideria adhibeantur jejunia, & pro curis sæculi succedat amor Dei, & frequentia orationis.

Ad justificationem quæ requirantur.

d Matth. 5

Sermo

Sermo CVI.

De tribus ad agendam pœnitentiam necessariis.

TRes sunt status animæ. In corpore, posito corpore, recepto corpore. Primus datus est ei ad agendam pœnitentiam, reliqua duo ad habendam, requiem vel pœnam, scilicet prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum: Ad agendam vero pœnitentiam tria sunt necessaria, tempus, corpus, & locus. Quod *tempus* sit necessarium, dicit Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Similiter & de corpore idem scribit: *b Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut referat quisque propria corporis prout gessit.* Sed & de hoc loco loquitur Scriptura dicens: *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne deseras.* Porro tempus in tria dividitur, in præteritum, in præsens, in futurum. Horum nullum perdit quisquis rectè pœnitentiam agit. Nam præteritum quidem quod perdiderat restaurat, dum in amaritudine animæ suæ omnes annos suos recogitat. Præsens autem tenet jam per exercitium operis. Futurum verò per constantiam boni propositi. De præterito loquitur Apostolus, cum dicit *d*: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Ad præsentis vero operationem hortatur nos cum dicit: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Futuri nos admonet Dominus, cum ait *f*: *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.*

Ad agendam Pœnit. 3. necessaria.

Tempus.

a 2. Cor. 5. c
b 2. Cor. 6 b
c Eccl. 10. a
Tria tempora præt. præs. fut nullum perdit qui verè pœnitet.
d Ephes. 5. d
e Gal. 6. c

Corpus quoque necessarium est ad agendam pœnitentiam. In corpore quippe possumus mala pati, & bona operari. Pati scilicet pro commissis delictis, operari pro adipiscendis æternis præmiis. Qui ergo corpore caret, dignos pœnitentiæ fructus facere quomodo valet? Et notandum, quod pœnitentia quæ per corpus geritur, brevis est & levis. Brevis, quia corporis morte terminatur. Levis, quia per societatem corporis fertur facilius. Gravis siquidem esset si eam solus animus portaret. Cum verò & ipsi corpori ejus partitur pondus, quanto magis inde corpus oneratur, tanto amplius animus exoneratur.

Corpus.

Locus etiam videtur necessarius esse & utilis, Ecclesia scilicet vitæ præsentis: in qua quisquis dum in corpore vivit, pœnitentiam rectè agere negligit, nullum in futuro salutis remedium obtinere poterit.

Locus.

Sermo CVII.

De affectibus orantium.

SIcut æger ad medicum, sic esse debet peccator ad Creatorem suum. Qui ergò peccator est, debet orare Deum sicut æger medicum. Duobus autem modis impeditur oratio peccatoris, vel nulla, vel nimia luce. Nulla luce illustratur, qui peccata sua nec videt, nec confitetur. E contrario nimia

Oratio duobus modis impeditur.

mia luce obruitur, qui ea tanta videt, ut de indulgentia desperet. Horum neuter orat. Quid ergo? Temperanda est lux, ut peccata sua videat peccator & confiteatur, ac pro ipsis oret ut remittantur. Primò ergo ejus oratio debet fieri verecundo affectu, hoc autem fit, cum needum peccator audet per seipsum accedere ad Deum, sed quærit aliquem sanctum virum; aliquê sanctum pauperem spiritu, qui sit in ora vestimenti Domini tanquam fimbria, per quem habeat accessum. Hujus orationis tenuit typum illa Evangelica mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, cupiensque sanari accessit, & intra se cogitavit dicens: *Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salva ero.* Secunda oratio fit puro affectu: & hoc fit, quando scilicet peccator jam per seipsum accedit, & ore proprio confitetur. Talis orationis reliquit nobis exemplum illa peccatrix, quæ lachrymis rigavit pedes Domini, & capillis capitis sui tersit, de qua dictum est à Domino *b. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Tertia oratio effunditur amplo affectu: & hoc fit quando is qui pro se oraverat, orat jam pro aliis. Sic oraverunt Apostoli pro muliere Chananæa pro filia sua rogante, *Dimitte*, inquiunt, *illam, quia clamat post nos.* Quarta oratio emittitur devoto affectu, quæ de cordis puritate sine ulla hæsitatione cum gratiarum actione depromitur. Talem orationem facit ipse Dominus, quando quatriduanum de monumento Lazarum resuscitavit, & ait *d: Pater gratias ago tibi, quia audisti me.* Tales orationes docuit nos Apostolus facere frequentes, dicens *c*: *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Has quæ dictæ sunt quatuor orationum species, id est, verecundam, puram, amplam, devotam, nuncupat Apostolus aliis nominibus, & ad eas nos hortatur dicens *f*: *Obsecro primò omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Nam obsecrationes verecundo, orationes puro, postulationes amplo, gratiarum actiones fiunt affectu devoto.

Affectus quatuor, quibus orandum. 1.

a Lucæ 8. f 2.

b Luc. 7. f 3.

c Matt. 15. c 4.

p Ioan. 11. c

e 1. Thes. 5. d

f 1. Tim. 2. a

Diximus de generibus affectionum & orationum, dicamus etiam qua puritate sit orandum. Et quidem tria videntur mihi hic esse necessaria, quibus orationis intentio firmiter est astringenda. Considerare namque debet is qui orat, & quid petit, & ipsum quem petit, & seipsum qui petit. In eo autem quod petit, duo debet attendere, ut secundum Deum sit quod postulat, & ut hoc ipsum in summo affectus desiderio habeat. Verbi gratia, Si mortem inimici, si læsionem seu dejectionem proximi orando petierit, non est secundum Deum talis oratio, cum ipse præcipiat & dicat *g: Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Si verò peccatorum remissionem, si Spiritus sancti gratiam, si virtutem atque sapientiam, si fidem, veritatem, justitiam, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, & cætera spiritualia charismata quæsierit, & ea cogitando vehementer affectaverit, hæc secundum Deum est o-

Oranti tria consideranda, 1. quid petat.

g Luc. 6. d

ratio,

ratio,& hæc verè meretur audiri. De hujusmodi enim orationibus loquitur per Esaiam Deus *h*: *Antequam clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam.* Sunt & alia quæ cum desunt, à Deo dantur, & possunt esse vel non esse secundum Deum, quantum duntaxat interest finis ad quem referuntur, ut est corporis sanitas, pecunia, cæterarumque rerum affluentia: quæ etsi à Deo sint, non tamen sunt magnipendenda, nec ex desiderio possidenda. Similiter & in ipso quem petit, debet duo considerare, bonitatem,& majestatem. Bonitatem qua gratis velit, & majestatem qua planè possit dare quicquid petitur. Sed & in se ipso qui petit debet nihilominus duo attendere, id est, ut pro suis meritis nihil accepturum putet, sed de Dei misericordia tantum quicquid rogaverit, impetraturum speret. Tunc ergo dicitur cor purum, quando tria hæc quæ dicta sunt, & eo modo quo dicta sunt, cogitat. Et quisquis hac puritate & intentione cordis oraverit, exaudiri se sciat, quia sicut testatur Petrus Apostolus *i*. *Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum & operatur justitiam, acceptus est illi.*

h Esa. 65. d

Secundò, quem petat. Tertiò, quis petat.

i Act. 10. c

Sermo CVIII.

De spirituali minutione Sanguinis.

Minuendi sanguinis duplex est causa. Interdum qualitas, interdum quantitas obest. Nec minus pernicioſa immoderata abundantia, quam corruptio. Sanguis animæ meæ, voluntas mea. Naturæ siquidem cognatus præ cæteris humoribus sanguis dicitur, & animæ vita in voluntate est. Minuatur ergò prava voluntas, quæ morbi causa est spiritualis. Minuatur, inquam, dum penitus exhauriri exsiccarique non potest. Scindatur & aperiatur vena ferro compunctionis, ut peccati, etsi non omnis sensus, certè consensus effluat & abiiciatur. An dubitas inveniri & in anima sanguinis non inutilis inutilem abundantiam? Audi sapientem medicum, qui & ipsum docet justitiæ sanguinem minuendum. *Noli*, inquit *a*, *nimium esse justus.* Simile est & istud Apostoli *b*. *Non plus sapere, quam oportet, sed sapere ad sobrietatem.* Cui putas venæ parcendum est, si & justitia,& sapientia egent minutione? Quis enim sanguis utilior? Illud tamen memento, nec nimis justum, justum: nec ebriam (ut ita loquar) sapientiam oportet sapientiam nominari. Sic nimirum & in sanguine corporis invenire est, ubi excreverit nimis, non jam nutrimentum afferre corpori, sed detrimentum. Quamobrem si peccare delectat adhuc, sanguis vitiosus est,& minuere festinato. Si vis agere pœnitentiam, castigare ut oportet membra, corpus affligere, judicare temetipsum, ut non incidas in manus Dei viventis: justum id quidem, sed ne quid nimis. Alioquin reprimendus est fervor immoderatus, ne noceat unitati, serviat indiscretioni.

Quis sanguis vitiosus, quis abundans in anima minuendus.

a Eccl. 7. c*
b Rom. 12. a*

In ipsa etiam justitia & sapientia datur excessus.

Sermo CIX.

De inani splendore Virtutum cavendo.

CAveamus Fratres, ne vasorum interim vacuo splendore decepti, sero conqueri habeamus quod lampades nostræ extinguuntur. Ego enim reor minimè fuisse accensas, quæ tunc videntur extingui. Sic nempe habes a: *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas.* Accipientes dixit, non accedentes. Quomodo enim accenderunt, quæ non sumpserunt oleum secum? Aut ubi ignis materia defuit, quomodo ignis fuit? Aut lucet castitas etiam ex seipsa. Sed quanto lucidior lampas ardens, quam sine igne, tantò pulchrior casta generatio cum charitate. Sic & à cæteris voluptatibus temperantia & patientia in adversitatibus, honestas in conversatione, & circumspectio in sermone, eleemosyna quoque & ejusmodi opera pietatis naturali quadam placere gratia, & velut ingenito decore etiam apud fatuas virgines retinere videntur. At quoniam vitrea magis quam ignea claritate fulgebant, eo ipso lampades suas arbitrabantur extingui, quo nimirum inanem hunc splendorem ab æterna conspexerint luce reprobari.

a Matt. 25. a*

Sermo CX.

De allocutione hominis ad seipsum, vel animam suam.

QUanta est miseria nostra, & indigentia nostra quam multiplex! Etiam verbis opus habemus. Et cum utrumque sit miserum, non jam mirum quod inter nos: mirum magis, quod etiam ad nosipsos. *Nemo scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui est in ipso* a. Chaos magnum inter nos firmatum est, nisi interveniente quasi instrumento verborum fiat adinvicē transitus quidam cordium in communicatione cogitationum. Hac necessitate inventa sunt verba: Quis nesciat? Veruntamen & nosipsos verbis jam alloqui necesse est. *Nonne Deo subiecta eris anima mea?* Propheta ait b: *Ab ipso enim salutare meum.* Et cui non frequenter necesse est animam revocare suam, advocare rationem suam, suos convocare affectus? Cui non opus est crebrò seipsum convenire verbis, increpare minis, sollicitare monitis, urgere accusationibus? Quin etiam ratiocinatis suadere expedit: quale est: *Ab ipso enim salutare meum*: & consolari aliquando, juxta illud c: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Et interdum velut excitare & dicere: *Lauda anima mea Dominum* d. Et nonnunquam diligentius commonere de quibus oportet, ut est e: *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones eius.* Nempe cor meum dereliquit me, & necesse habeo ad meipsum, imò ad me alterum loqui. Atque id interim tantò amplius, quantò minus sum adhuc reversus ad cor, reversus

a 1. Cor. 2. c

b Psal. 61. a

c Psal. 41. b
d Psal. 145. a
e Psal. 102. a

in

in me, unitus denique mihiipsi. Nam ne invicem quidem erit jam verbis uti, ubi in unum utique virum perfectum occurremus omnes. Opportunè igitur linguæ cessabunt; nec medius requiretur interpres, ubi usque adeo medium omne charitate constraverit ille unicus mediator, ut & nos in unum facti simus in ipsis, qui verè sempiterneque unum sunt, Deo Patre, & ipso Domino Iesu Christo.

Sermo CXI. †

De Fide, vitâ & moribus contestanda. seu *de sex Testimoniis Deo perhibendis.*

† *Deest in aliis edit. Nunc primum editus ex antiquo Codice Spira allato. Genuinum Bernardi fœtum esse, stilus & tota orationis textura convincit.*

Fidei languor & torpor causa nostræ in curanda salute tepiditatis.

1 AEternam cælestis patriæ, ad quam nostra peregrinatio suspirat, felicitatem, & contra gehennæ paratos impiis cruciatus, omnem excedere humani non modo corporis sensum, sed etiam intellectum cordis, nemo dubitat, qui vel nomine tenus est fidelis. Atque utinam viveret in omnibus fides ista, & credulitatem, ut dignum erat, sequeretur hinc quidem desiderium, inde timor. Quid est enim, quod non optamus etiam per medios enses, aut si oporteret, semijusti declinare miseriam tantam, & ad tantam accelerare gloriam, nisi quod insensibilis est, & mortua fides nostra? Accedit sanè ad cumulum infelicitatis, salutis impedimentum, occasionem perditionis nostræ, quod in æstimatione finis utriusque affectio nostra judicio non consentit; vel in consideratione viarum ne ipsum quidem satis tenemus judicium veritatis. Nec mirum si nulla virtutum delectatione movetur desiderium, quod etiam circa illam æternam beatitudinem torpet: aut si præsentem non metuit amaritudinem peccatorum, qui ne ipsa quidem parata diabolo & angelis ejus æterna supplicia pertimescit, nisi quod in cæteris utrinque consuevimus, ipsa quorum vicinior nobis experientia est, etsi longè minora sunt, vehementius & jucunda appetere, & formidare molesta.

Illud satis mirari nequeo, cur fides nostra in præsentibus titubat, quæ de futuris tam certa videtur. Sic fatui filii Adam non judicantes, neque quod verum est, discernentes, cum promissiones habeatis vitæ eius quæ nunc est, pariter & futuræ, in ea quam protinus est experiri, omnino incredulos vos exhibetis & infideles; ut palam fieri videatur, nonnisi ad cumulum damnationis relictam nobis fidem futuræ promissionis. Idipsum sanè considerare est & de comminatione. Nonne enim idem ipse, qui paratum asserit electis regnum *b*, reprobis ignem, eodem ore & eadem veritate testatur, laborare & oneratos esse, quicunque ad ipsam non accedunt: accedentes autem non defecturos *c*, ut est trepidatio pusillanimitatis humanæ, sed reficiendos ab ipso; qui regnum ineffabiliter delectabile pollicetur: ipse jugum suum suave & onus leve esse testatur *d*. Qui æternam beatitudinem promittit in patria, præsentem quoque requiem &

a 1. Tim. 4. c

Cur tam parum nos moveant tum promissiones, tum comminationes divinæ.

b Matt. 25. e

Matt. 11. c

c Ibid.

d Ibid.

refectionem repromittit in via. Denique Propheta loquitur dicens [e]. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*; & facilè credimus universi. Loquitur ipse Dominus Prophetarum [f]. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Et quam multi avertunt cordis aurem? nam corporis jam fortè non audent. Quid incredulitatis istud est? imò quid insaniæ? Quasi vero aut falli sapientia, aut fallere veritas possit. Quasi aut charitas quod offert, dare nolit, aut omnipotentia non valeat, quod promittit.

Quis enim hominum adeò voluptati & luxuriæ deditus est; qui non sobrietatem & castitatem magis eligeret, si certus esset, eas sibi delectabiliores fore? Quis tam ambitiosus, qui non inciperet vilitate omni & extremitate esse contentus, si ut verè est, dignitatibus universis sciret amabiliorem? Quis tam avarus, qui non omninò divitias sperneret, si jucundiorem crederet paupertatem? Nunc autem Christus frustra clamat de levitate oneris sui: sine caussa jugum suave prædicat; quandoquidem ab ipsis qui Christiano censentur nomine, onus Diaboli, & jugum carnis, atque seculi huius delectabilius reputatur. Sed unde tibi vel inconsideratio tanta, quanta ab ipsis imponitur Domine Deus meus? Cur tam publica polliceris, quod tam facile deprehenderis non implesse? Dulciorem super mel & favum spiritum tuum asseris: & ecce isti dulciorem invenerunt carnem venationis; carnem pro pudor! meretricis; seculi vanitatem. Væ miseris, de pari judicant, & tanquam amarum fastidiunt manna tuum absconditum, quod non gustaverunt. Sanè qui probaverunt utraque, ecce hi sciunt, quia Deus verax, omnis autem homo mendax [f]. Ipsorum proinde testimonia esse debuerant credibilia nimis: sed cum promissionibus tuis tuorum quoque experientia contemnitur & ridetur. Carnalis siquidem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei, sed stultitia illi videntur [g]. Nec mirum, si experto non credit homini, qui Deo non credit promittenti. Ergò insani reputamur, qui crucem Domini prædicamus esse suavem: qui delectationem paupertatis magnificamus, extollimus humilitatis gloriam; eructamus delitias castitatis: Insanus nobiscum æstimetur & Propheta, qui dicit *delectatum se esse in testimoniis Domini, sicut in omnibus divitiis* [h].

Vos qui sapientes estis in oculis vestris, *non omnes*, sed paucas, quas vel mendicare potestis, divitias divinis præferte testimoniis, ut nullum unquam habeat testimonium fides vestra. Penes vos sit in occulto, in abscondito, ubi ne ipse quidem videat Pater qui est in cœlis [i]; sed dicere possit, *quia nescio vos* [k]. Firmiter creditis Deum justum, veracem, remuneratorem, omnipotentem, summè bonum, æternum. Exhibete vos aspides surdas,

[e] Esa. 64.

[f] Matth. 11. d

Fideles male viventes fidei & Christo ipsi derogant; imo mendacem eum faciunt.

[f] Rom. 3. a

[g] 1. Cor. 2. d

Carnales ad cœlestia stupidi rident spem futurorum, sola præsentia æstimantes.

[h] Psal. 118.

[i] Matth. 6. a

[k] Matth. 25. a

das, & obturantes aures, ne quando audiatis vocem improperantis, & dicentis; Credite: Ostende mihi fidem tuam sine operibus; quanti vobis constat. Viam autem testimoniorum nolite ingredi, quoniam ardua est, & aspera, & inambulabilis. Miseri & infelices, qui viam civitatis habitaculi non invenistis; & ideò erratis in invio, & non in via. Fines nempe viarum, quæ videntur vobis bonæ, quæ delectabiles vos esse judicatis, (neque enim veræ quidquam delectationis habent) demergunt in profundum inferni: ibi erit fletus & stridor dentium. Expergiscimini ebrii & flete, ne fletus ille perpetuus apprehendat incautos. *Cum enim dixeritis, Pax & securitas, tunc subitaneus vobis superveniet interitus tanquam in utero habenti, & non effugietis* [l]. Meritò planè, qui non fugiendi tempus scienter amittitis, & refugitis effugiendi viam. *l* 1. Thess. 5. a

Orate, inquit Dominus [m], *ut non fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato.* Fugite dum tempus est acceptabile, & via delectabilis exhibetur. Fugite sex diebus, quibus operari licet. Fugite in testimoniis sex illorum quæ supra tetigimus, justitiæ, remunerationis, veritatis, omnipotentiæ, summæ bonitatis, æternitatis, ne septimum, divini scilicet Zeli testimonium non tam detis, vel vitetis, quam sustineatis inviti. Genimina viperarum, quis vos docuit fugere à ventura irâ [n]? Via mortis est, in qua curritis, via perditionis; via cuius finis demergit in profundum inferni. Adhuc tamen spes est, quia necdum viæ, id est, vitæ finis advenit. Festinate prævenire finem: ne subitò præoccupati quacunque ceciderit, ibi sitis. Venite filii; audite me. Viam salutis docebo vos: viam testimoniorum Dei, in qua delectemini & vos sicut in omnibus divitiis. *m* Matt. 24. b

Sex testimonia Deo, sed de divinis attributis perhibenda.

n Luc. 3. b

Sit prima dicta usque ad cor. Illuc nempe prævaricatores revocat vox divina [o]; ubi testimonium *Justitiæ* eius compunctionem generet & timorem. Hinc sanè procedat ad confessionem oris, ut non cunctemur etiam contra nosmetipsos perhibere testimonium *veritatis*. Quisquis enim coram hominibus erubuerit illam; hunc & illa erubescet coram Patre suo [p]. Sequatur deinde possessionum distractio; distributio facultatum, sicut scriptum est [q]. *Dispersit, dedit pauperibus, justitia eius manet in sæculum sæculi.* Et item [r]. *Si vis esse perfectus, vade & vende omnia qua habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in Cælo.* Est enim in hac liberali effusione testimonium *largitatis divinæ*, & copiosæ retributionis, ut qui sponte distribuit sua, indubitanter sperare videatur de manu Domini ampliora. Adhuc autem quintum quoque præbeas necesse est testimonium *omnipotentiæ*. Dico autem in corporis afflictione. Seminandum quippe est animale corpus, sed ut spirituale resurgat. Non tibi ergò, qui parcit corpori, de resurrectione & immutatione hæsitare videtur? Sic & qui non compungitur animo de justitia; & qui non confitetur, de veritate; & qui avarus est, de retri- *o* Esaiæ 46. e

Testimonium Justitiæ. Veritatis.

p Luc. 9. c

q Psal. 111. b

r Matth. 19. c

Testimonium Liberalitatis.

Testimonium Omnipotentiæ.

retributione futura ? Eodem quoque modo considerare est cætera quæ sequuntur. Etenim si eousque proficias, ut propriæ abrenuncies voluntati, certissimum illud est *divinæ* testimonium *bonitatis*. Veniens nimirum non tuam, sed ipsius facere voluntatem, commendas magnificè, quam sic præfers, clamans non verbo, neque lingua, sed opere & veritate, quia nemo bonus nisi solus Deus [f].

Testimonium Bonitatis.

[f] Matth. 19. c

Supereſt ut perſeverantiæ ſtudeas. Hæc enim viæ conſummatio eſt, & teſtimonium habet *æternitatis*. Imago ſiquidem æternitatis divinæ, perſeverantia eſt converſationis noſtræ; ut quomodo ipſe eſt, ita & nos ſimus in hoc ſæculo, incommutabilitatem illam pro modulo poſſibilitatis noſtræ imitantes. Hinc quippe Sapiens ait [t], *Stultus ut luna mutatur; ſapiens permanet ut ſol.* Hæc ergo via, dilectiſſimi, ambulate in ea, cum aſcenderitis de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion [u]. Ad cuius gloriam viſionis ipſe nos perducat Dominus virtutum & Rex gloriæ, qui eſt via, veritas, & vita [x], Jeſus Chriſtus Dominus noſter.

Teſtimonium Æternitatis.

[t] Eccl. 27. b

[u] Pſal. 83.

[x] Ioan. 14. a

PARVI SERMONES.

I.

[a] Ioan. 5. b
[b] Eſai. 66. g

Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater & Filius & Spiritus ſanctus [a]. Tres in terra; ſpiritus, aqua, & ſanguis. Similiter in inferno, ut in Eſaia legimus [b]. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Duo mala ſunt vermis & ignis: altero roditur conſcientia, altero concremantur corpora. Tertium additur deſperatio, quæ in eo utique intelligitur quòd dicitur, morietur, & non extinguetur. His qui in cœlo ſunt, datur teſtimonium beatitudinis: his qui in terra, juſtificationis: his qui in inferno ſunt, damnationis. Primum teſtimonium eſt gloriæ, ſecundum gratiæ, tertium iræ.

II. De Spiritu ſancto teſtatur Scriptura, quia procedit, ſpirat, inhabitat, replet, glorificat. Procedere dicitur duobus modis: unde, & quò. Unde? à Patre & Filio. Quò? Ad creaturam. Procedendo prædeſtinat: ſpirando vocat quos prædeſtinavit: inhabitando juſtificat quos vocavit: replendo accumulat meritis, quos juſtificavit: glorificando ditat præmiis, qui accumulavit meritis.

III. Spiritus ſanctus arguit mundum de peccato quod diſſimulat: de juſtitia quam non ordinat, dum ſibi non Deo eam dat; de judicio quod uſurpat, dum tam de ſe quam de aliis temere judicat.

IV. Usque hodie in civibus Babylonis aquarum effuſio, id eſt confuſio cogitationum, terram facit inanem & vacuam. Dum enim fluctuat circa carnem cogitatio univerſa, nullum ex ea ſperare eſt fructum ſalutis. Dividantur ergo aquæ ab aquis [a], quatenus anima quoque (ut dignum eſt) partem ſibi vendicet ſolicitudinis & meditationis. Sanè inferiores certis limitibus coerceantur, certis contineantur alveis, neceſſitatis terminos non excedant,

[a] Gen. 1. a

excedant, proinde superiores copiosius dilatentur. Ex hoc sanè dat Dominus benedictionem, & terra nostra dabit fructum suum *b*.

b Psal. 84. b V.

Cum in populo Dei carnales alii sint, & alii spirituales: nec illi tamen æternorum, nec isti carent omnimodo temporalium desiderio. In eo sanè distant, quòd plus alia appetunt alii, & secundum ea quæ præferunt, aut spirituales, aut carnales judicantur. Hinc est quòd in benedictionibus Jacob & Esau, & ros cœli, & terræ pinguedo nominatur, sed non eodem ordine in utroque. *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam*, ait Isaac ad Jacob *a*. Ad Esau verò: *In pinguedine terræ*, inquit, *& in rore cœli desuper, erit benedictio tua.* Quid autem singuli præferant, à studiis eorum & solicitudinibus innotescat.

VI.

Mors peccatorum pessima [a]. Mala in amissione mundi, quia non possunt sine dolore separari ab eo quem diligunt. Peior in dissolutione carnis, à qua evelluntur eorum animæ à spiritibus malignis. Pessima in tormentis inferni, quando corpus & anima perpetuis simul addicunrur ignibus. Econtrario bonorum mors optima, quoniam quidem fit ibi quies à labore, fit jucunditas de novitate, fit securitas de æternitate.

De stercore boum lapidatus est piger. Eccli. 22.

VII.

Boves sunt qui in opere Dei strenue exercentur: qui seminant in lachrymis, sed in gaudio metent. Isti sanè quæcunque sunt mundi huius arbitrantur ut stercora. Piger verò, cuius sabbata videntes hostes derident, dehonestatur ab hostibus in ocio suo sicut boves strenui in laboribus suis honestantur à Deo. Quem enim maligni spiritus pigrum vident ac spiritualia exercitia, in cogitationibus eius ingerunt importune terrena: velut de stercoribus boum massas coagulantes, & pigrum, sicut dignus est, lapidantes.

VIII.

Osculetur me osculo oris sui. Tria sunt oscula, reconciliatorium, muneratorium, contemplatorium. Primum ad pedes, secundum ad manum, tertium ad os sumitur. In primo accipitur remissio peccatorum, in secundo munus virtutum, in tertio cognitio secretorum. Vel ita, osculum doctrinæ, naturæ, gratiæ.

Cant. 1. a

IX.

Duo sunt ubera sponsæ: congratulatio & compassio. Gemina lactis species: exhortatio & consolatio. Tria unguenta: compunctio, devotio, pietas. Compunctio de recordatione peccatorum, devotio de recordatione beneficiorum, pietas ex consideratione miserorum.

X.

Revertere revertere Sunamitis, revertere revertere ut intueamur te. Revertere primò ab inepta lætitia, revertere secundò ab inutili tristitia, revertere tertiò ab inani gloria, quarto revertere à latenti superbia. Inanis gloria est quæ ab ore hominum venit extrinsecus. Superbia latens oritur intrinsecus. Cum hæc omnia vitia reliquerit anima, intuebitur eam sponsus eius. Ob hoc autem debet ab aliis abstinere, ut digna fiat eius complexibus. Unde & ad eam dicitur; *Revertere revertere, ut intueamur te.*

Cant. 6. d

Pastorum

XI. Pastorum est, vigilare super gregem propter tria necessaria, videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur à pusillanimitate. In disciplina rigor justitiæ, in custo dia spiritus consilii, in prece affectus compassionis.

XII. Duas ad intelligendum se condidit universitatis auctor creaturas; Hominem & Angelum. Hominem justificant fides & memoria: Angelum beatificant intellectus & præsentia. Et quia homines quandoque perducendi sunt ad æqualitatem Angelorum, necesse est ut interim justificentur per fidem, & proficiant ad intellectum. Scriptum est enim, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Itaque fides, via est ad intelligendum: nam mundatur cor fide, ut intellectus videat Deum. Similiter & memoria Dei, via est ad præsentiam Dei. Qui enim hic habet mandatorum ejus ut ea faciat memoriam, merebitur quandoque ut ejus quoque videat præsentiam Angeli Dei in cœlo: habemus & nos ejus fidem & memoriam in mundo.

Esa. 7. b

XIII. Pars tua sumus Domine, quam tulisti de manu Amorrhæi in gladio & arcu tuo *a*. Gladius tuus sermo vivus & efficax *b*. Arcus tuus incarnatio tua. Ibi enim velut curvato sapientiæ ligno, & pio quodam modo flexa divinitate, nervus carnis vehementer extensus, & humanitas ineffabiliter aucta cognoscitur. Pars ergo tua sumus & populus acquisitionis tuæ *c*, quem acquisisti verbo prædicationis, & mysterio incarnationis.

a Gen. 48. b
b Heb. 4. c
c 1. Pet. 2. b

XIV. In circumcisione Domini nec nervus rumpitur, nec os comminuitur, ut robustiora quæque & firmiora serventur illæsa. Aperitur autem cutis, amputatur caro, sanguis effunditur, ut illecebrosa mollities castigetur. In carne quidem peccatum quod in ea manet intellige, porro in cute operimentum ejus, in sanguine vero incentivum. Hæc igitur vera circumcisio spiritu non litera, si velamen excusationis & dissimulationis per compunctionem cordis, & confessionem oris amoveas: si peccati consuetudinem correctione conversionis abscindas: si denique, ut necessarium est, occasiones quoque peccati & fomitem fugias concupiscentiarum.

XV. *Obtulerunt Magi Domino Aurum, Thus, & Myrrham.* Hæc fortassis pro loco & tempore necessaria videbantur. Auri precium ob paupertatem: Myrrhæ unguentum ob infantilis (ut assolet) corporis teneritudinem: Thuris odoramentum ob sordidam stabuli mansionem. Nos verò quoniam illa jam omnia transierunt, offeramus ei acceptabiliora munera; myrrhæ unctionem in communionem socialis vitæ, thuris speciem in suaveolentiam bonæ famæ, auri splendorem in conscientiæ puritatem, quo videlicet nec de officiosa conversatione familiarem gratiam, nec de laudabili opinione

Matt. 2. b

inanem

inanem gloriam, sed honorem Dei, & fratrum utilitatem quærere studeamus.

XVI.

Ante omnia sine murmuratione sint fratres. Fortè aliqui leve peccatum æstimant murmurare: sed non hic, qui ante omnia monet esse cavendum *a*. Puto autem ne illum quidem leve reputasse, qui murmurantibus ajebat *b*: *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Nos enim quid sumus? Sed ne illum quoque qui dixit *c*: *Non murmuraveritis sicut quidam murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Illo nimirum exterminatore, qui positus est in hoc ipsum, ut à terminis beatæ illius civitatis arceat murmurantes, & longè faciat à finibus eius: cui dicitur *d*: *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, qui posuit fines tuos pacem.* Nihil enim commune habent murmur & pax, gratiarum actio & detractio, zelus amaritudinis, & vox laudis. Itaque in ore trium & talium testium stet hoc verbum, ut pestem istam murmurationis summopere nobis noverimus esse cavendam.

a Philip. 2. b
b Exod. 16.
c 1. Cor. 10.
d Psal. 147.

XVII.

Tres sunt quibus reconciliari debemus, hominibus, Angelis, Deo. Hominibus per aperta opera, Angelis per occulta signa, Deo per puritatem cordis. Nam de operibus quæ coram hominibus facienda sunt scriptum est *a*: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra opera bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* De Angelis dicit David *b*: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Occulta autem signa sunt gemitus, suspiria, usus cilicii, & cætera pœnitentiæ insignia, quæ Angelis placent. Unde est illud *c*: *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Ut autem Deo reconciliemur, nec operibus, nec signis, sed puritate & simplicitate cordis indigemus. Scriptum est enim *d*: *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* Et illud *e*: *Si oculus tuus fuerit simplex, &c.*

a Matth. 5.
b Psal. 137.
c Luc. 15. b
d Matth. 5. a
e Matth. 6. c

PARABOLA I.

De Pugna spirituali.

Homo creatus filius Dei.

REx dives & præpotens Deus omnipotens filium sibi fecit hominem, quem creaverat, cui sicut puero delicato pædagogos delegavit legem, prophetas, cæterosque tutores & actores usque ad præfinitum tempus eius consummationis. Instruxit eum & monuit, Dominum paradisi constituens; omnesque thesauros gloriæ suæ ei ostendens & repromittens, si se non desereret. Et ne quid deesset bonis eius, etiam liberum arbitrium ei indulsit, ut bonum eius esset voluntarium, non coactum. Accepta licentia boni & mali, cœpit eum tædere bonorum suorum, à concupiscentia sciendi bonum & malum. Egressus igitur de paradiso bonæ conscientiæ, nova quærens quæ nesciebat, qui nulla adhuc nisi bona noverat, paternis legibus & pædagogis relictis manducavit de ligno scientiæ boni & mali contra vetitum patris: & abscondens se miser & fugiens à facie Domini,

Lib. arbitrio donatus. Curiositate abducitur.

mini, cœpit vagari puer insipiens per montes altitudinis, per valles curiositatis, per campos licentiæ, per nemora luxuriæ, per paludes voluptatum carnalium, per fluctus curarum sæcularium.

Concupiscentia abstractus & illectus, per varia desideria & peccata volutatur: Hinc malè securus, & mala consuetudine ligatus tandem desperat.

Videns autem antiquus prædo lascivum puerum sine custode, sine rectore, procul à domo Patris vagantem, accessit, & pomula illa inobedientiæ manu malæ persuasionis ei porrigens; postquam consensum ab eo elicuit, aggressus est miserum, & in terram, id est, in terrena eum desideria præcipitans, pedesque, id est, mentis affectiones, ne resurgat, fortissimis ei sæcularis concupiscentiæ vinculis alligans, manusque operationis, & oculos mentis; misit eum in navim malæ securitatis, & flante vehementer vento adulationis, transuexit eum in longinquam regionem dissimilitudinis. Veniens ille in regionem non suam, venalis factus est omnibus, qui prætergrediuntur viam. Discit porcos pascere, siliquas porcorum manducare, dediscit omnia quæ didicerat, & discit quæ nesciebat, servilia scilicet opera. Vinctusque in desperationis carcere, ubi in circuitu impii ambulant, in mola impiæ circuitionis cogitur molere emolumenta malæ conscientiæ. Proh dolor!

Deus a. volens reducere & salvare perditum. Mittit servos suos ad eum reducendum; Timorem qui urgeat.

Et ubi nunc est Pater ille potentissimus & dulcissimus atque liberalissimus? Nunquid potest oblivisci filium uteri sui? Absit, absit. Non obliviscitur, sed miseretur, dolet & conqueritur de absentia & perditione filii sui. Mandat amicis, sollicitat servos omnesque suscitat ad requirendum eum. Unus servorum *Timor*, ad imperium Domini, filii fugitivi vestigia prosequens, in profundo carceris invenit filium Regis carnalibus peccatorum sordibus obsitum, vinculis & catenis malæ consuetudinis ligatum, miserum & amentem, in miseriis securum & ridentem. Quem verbis & verberibus urgens ut exiret & rediret, tanta miserum confusione dejecit, ut sicut morti jam vicinus jaceret, & adhæreret in terra venter eius. Egressus è vestigio alius cui nomen *Spes*, vidensque filium Regis à timore non erutum, sed obrutum, sed dejectum, accessit leniter, & suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem, levansque caput eius, & coacta in unum consolationis veste, oculos eius detergens & faciem: *Heu*, inquit, *quanti mercenarii in domo Patris tui abundant panibus, tu autem hic fame peris?* Surge, obsecro, & vade ad patrem tuum, & dic ei: *Pater, fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* Tunc ille tandem vix ad se modicum reversus: Tu ne es, inquit, *Spes*? Et quomodo Spei introitus potuit patere in tantum & tam horribile profundum desperationis meæ?

Et spem quæ trahat & animet.

Perditus incipit respirare.

Sed adhuc tergiversatur & trepidat pavore malæ conscientiæ.

Ego ego, inquit, sum *Spes* à Patre tibi transmissa, te adjutura, te non desertura, donec te introducam in domum patris tui, & in cubiculum genitricis tuæ. Et, ô inquit ille, dulce levamen laborum, dulcis consolatio miserorum! ô una & non infima de tribus cubiculi regis assistricibus, vides

carceris

carceris mei profundum immane! vides vincula, quæ tamen ad ingressum tuum iam maxima ex parte dirupta sunt & dissoluta, vides conceptivorum meorum immanem multitudinem, fortitudinem, velocitatem, astutiam: & quis tibi locus hic? At *Spes*, ne timeas, inquit, qui nos adjuvat, misericors est: qui pro nobis pugnat, omnipotens est: pluresque sunt nobiscum quàm cum illis. Super hæc omnia, adduxi tibi à Patre missum equum *Desiderii*, cui cum insederis, me duce ab his omnibus securus proficiscris. Dixit, & mollibus *stramentis* piæ devotionis submissis, & bonorum exemplorum *calcaribus* additis, equo *desiderii* imposuit filium Regis, sed frenum defuit, tanta erat festinatio fugiendi. Illico equus currit infrenis, trahit spes ante. Timor autem retro verberibus urget & minis. Tunc videntes hoc *turbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes inhabitatores Chanaam. Irruat super eos formido & pavor in magnitudine brachii tui, fiant immobiles quasi lapis donec pertranseat filius tuus Domine, filius tuus iste quem possedisti.* Sed cum sic ferantur præcipites, effugiunt quidem, sed non sine periculo: quia sine modo, sine consilio.

Spes eum erigit, & offert Equum desiderii cũ stramentis devot. & calcaribus bonor. Exempl.

Hinc fuga, sed præceps ob frenũ defectum. Exod. 15.

Propter quod à Patre transmissa accurrit *Prudentia*, una de summis principibus palatii, in comitatu amicam habens *Temperantiam*: & tenens currentes. Parciùs, inquit, obsecro parciùs: dicit enim Salomon. *Qui festinus est, pedibus offendit.* Si sic curritis, offenditis: si offenditis, caditis: si caditis, filium Regis, quem suscepistis liberandum, inimicis redditis. Nam si ceciderit illicò manus eorum erit super eum. Hæc dicens, *Frænum Discretionis* imposuit fervido illi equo *Desiderii*, ejusque habenas *Temperantiæ* regendas commisit. Cumque *Timor* retro de vicinia & virtute inimicorum, & tarditate fugæ causaretur: Vade inquit *Prudentia*, retro Satana, scandalum es nobis. Fortitudo & laus nostra Dominus, & factus est nobis in salutem. Et ecce *Fortitudo* miles Domini egregius accurrens per campum *Fiduciæ*, extracto gladio lætitiæ. Nolite, inquit, turbari, plures nobiscum sunt quàm cum illis. Tunc Prudentia curiæ cœlestis assueta consiliis. Cavete, inquit, obsecro, *quia hæreditas illa, ad quam in initio festinatur* (sicut dicit Salomon) *in fine benedictione carebit.* Proficiscimini igitur non tam festinanter quàm prudenter. Inimici enim non sunt in itinere, sed juxta iter scandalum solent ponere in biviis & triviis, & viarum anfractibus. Præcedam itaque: vos autem tenete viam Iustitiæ: & velociter introducemus vos in castra *Sapientiæ* quæ jam non procul sunt à nobis. *Sapientia* enim est, de qua dicitur; *Concupiscens sapientiam disce justitiam.*

Vnde submittitur consiliarius i.e. *Prud. habens secũ comitem Temperant.*

Prov. 19. d *Illa imponit frenum discretionis; hæc habenas moderatur.*

In auxiliũ accurrit generosus miles, Fortitudo.

Prov. 20. *Sed Prud. monet caute ambulare per viam Iustitiæ.*

Sic itaque dum viam carpunt, urget Timor, Spes trahit, munit Fortitudo, Temperantia moderatur, providet & instruit Prudentia, ducit & perducit Iustitia, appropinquat filius Regis castris Sapientiæ. Quæ novi hospitis au-

Demum appropinquant castris Sapientiæ;

Sap. 6.

tis audito adventu, præoccupat eum, qui se concupiscit, occurrit & ostendit se in viis hilariter. Fossa verò profundæ *Humilitatis* castra cingebat; super quam fortissimus & pulcherrimus murus *Obedientiæ* ædificatus cœlos penetrabat, quem bonorum exemplorum historiæ undique depictæ mirabiliter decorabant. Ædificatus autem erat cum propugnaculis: mille clypei ex eo dependebant, omnis armatura fortium. Porta *Professionis* omnibus patens. Ianitor in limine dignos inducens, & indignos abjiciens. Præco super portam clamans: Si quis diligit sapientiam, ad me declinet, & eam inveniet: & eam dum invenerit, beatus est si tenuerit eam. Huc filius Regis, occurrentis sibi *Sapientiæ* ducatu introductus, immò ulnis deportatus, familiæ regiæ vallatus obsequiis, ad mediæ civitatis Arcem perducitur, ubi ipsa ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, subdidit sibi gentes, superborum & sublimium colla propria virtute calcavit. Ibi collocatur in lecto Sapientiæ, quem ambiunt sexaginta fortissimi ex fortibus Israel, uniuscujusque ensis super femur suum. Adest David in tympano & choro, in chordis & organo: cæterique cœlestis curiæ paranymphi gaudentes & exultantes magis super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.

Quæ fossa Humilitatis & muro Obedientiæ munita sunt. Intromittitur Fil. Reg. per portam profess. à janit. provido.

Et duce Sapientiâ ad eius Arcem perducitur.

Ibique cum gaudio excipitur.

Et ecce veniens ab Aquilone ventus turbinis & ignis involvens totam concussit domum, Sapientiæ castra turbavit. Egressus est enim Pharao cum curribus & equitibus, persequens fugientem Israel. Cogitaverunt etiam unanimiter simul adversus eum, testamentum dispositum tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ, Moab & Agareni, Gebal & Ammon & Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur ille magnus exterminator diabolus venit cum illis. Quid multa? Obsessa est civitas, jam surgunt tentationum machinæ, urget undique inimicus ille, in insidiis draco, in aperto leo cogit socios, ignes injicit, persodit muros; bella suscitat, insidias submittit, totius urbis minitans excidium. Intus verò timor & angustiæ, & à vehementi & improviso hostium impetu omnes turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est, & clamaverunt ad Dominum cum tribularentur. Curritur ad arcem Sapientiæ, mala nunciantur: consilium quæritur. Reversa enim ad se Prudentia consulit sapientiam, quid facto opus sit. Illa acceleranduum testatur, & Regis summi quærendum consilium. Et quis, inquit, ibit nobis? At Sapientia, Oratio, inquit. Et ne moram faciat in eundo, ascendat super equum *Fidei*. Quæsita diu *Oratio*, & in tanto tumultu vix tandem inventa adest: ascendit super equum *Fidei*, proficiscitur per viam cœli, nec cessat donec intret portas Domini in confessione, atria ejus in hymnis. Et sicut familiare mancipium cum fiducia accedens ad thronum

Psal. 106. In angustiis ad Regem pro auxilio Legatus mittitur Oratio.

Insidens Equo Fidei.

gloriæ

gloriæ eiu exponit neceſſitatis ſuæ negotium. Audito Rex filii periculo converſussad conſortem regni ſui Charitatem : O, inquit, quem mittam, & quis ibit nobis ? At illa, ecce ego, inquit, mitte me. Tunc rex : Prævalens, inquit, prævalebis, & liberabis eum, egredere, & fac ita. Illico egreſſam à facie Domini reginam cœli, *Charitatem* tota comitatur militia cœleſtis : venienſque & deſcendens in caſtra, virtute & lætitia præſentiæ ſuæ illicò omnia exhilaravit, commota compoſuit, turbata pacavit. Reddita eſt miſeris lux, timidis fiducia. Redit corani *Spes* quæ pene aufugerat, Fortitudo quæ pene corruerat. Reſumit conſtantiam tota ſapientiæ militia.

Rex mittit Reginam, Charitatem omni cœleſti militiâ ſtipatam.

Inde afflictis ſolatium & gaudium.

At inimici civitatem obſidentes, quænam eſt, inquiunt, exultatio in caſtris ? Non fuit tanta exultatio heri & nudius tertius. Væ nobis, venit Deus in caſtra : væ nobis. Fugiamus Iſraelem : Deus enim pugnat pro eis. Sic fugientibus inimicis, gratiæ Dei *impetus lætificat civitatem Dei, ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus. Deus in medio eius, non commovebitur, adiuvabit eam Deus mane diluculo. Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: dedit vocem ſuam, mota eſt terra. Dominus virtutum nobiſcum : ſuſceptor noſter Deus Iacob.* Suſcipiens ergo puerum Dei, puerum ſuum regina *Charitas* evexit ad cœlum, Patrique Deo repræſentavit. Cui Pater placidus ac ſerenus occurrens, *Citò* inquit, *proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calciamenta in pedibus eius. Et producite vitulum ſaginatum, & occidite illum. Epulari enim & gaudere oportet, quia iſte filius meus mortuus fuerat & revixit, perierat & inventus eſt.*

Sed hoſtibus metus & confuſio.

Pſal. 45.

Luc. 15.

Demque filius repræſentatur Patri; & induitur ſtola gloriæ.

Nota hîc quatuor in pueri noſtri liberatione. *Primò* pœnitentiam, ſed fatuam. Secundò *fugam*, ſed temerariam & irrationabilem. Tertiò *pugnam* ſed trepidam & meticuloſam. Quartò *victoriam* validam & ſapientem. Quæ omnia in uno quolibet fugiente de ſæculo invenies. *Primò* enim eſt egens & incipiens : *poſtea* præceps & temerarius in proſperis : *deinde* trepidus & puſillanimis in adverſis ; *poſtremo* providus & eruditus & perfectus in regno charitatis.

PARABOLA II.

De Pugna ſpirituali.

INter Babylonem & Hieruſalem nulla pax eſt, ſed guerra continua. Habet unaquæque civitas regem ſuum. Rex Hieruſalem Chriſtus Dominus eſt, rex Babylonis diabolus. Et cum alterum in juſtitia, alterum in malitia regnare delectet, rex Babylonis quos poteſt de civibus Hieruſalem per miniſtros ſuos, ſcilicet ſpiritus immundos ſeducere, ut ſervire eos faciat iniquitati ad iniquitatem, in Babylonem trahit. Unde dum unum de civibus ſuis conſtitutus ſpeculator ſuper muros Hieruſalem trahi cerneret, nun-

Bellum inter Babylon. & Hieruſalem Duo Rege adverſarij Chriſtus & Diabolus.

Civis Hieruſalem cap.

Equus abducitur in Babylonem.

nunciavit Regi captam prædam in Babylonem duci. Rex verò Hierusalem advocans spiritum Timoris, militem in talibus strenuum ; *Vade*, inquit, *eripe prædam nostram*. Ille ut semper ad omnia imparata paratus, cum volocitate hostes persequitur, & in auribus eorum factus est repente sonus tanquam advenientis spiritus vehementis. *Timor* enim super eos intonuit, & ad vocem virtutis ejus hostium robur omne contremuit, quos in fugam conversos Timor non longiùs persecutus est, sed ereptum concivem reducebat ad propria. Verùm unus ex adversariis Tristitiæ spiritus non erat cum eis, quando Timor advenit. Hic cum cerneret socios subitò fugientes ab insidiis, in quibus latebat, ocius advolavit. A Timore, inquiunt, solo factum est illud, & est opprobrium omnibus nobis. At ille : Ne timeatis à Timore isto. Scio enim quid facto opus sit. Ibi & ero spiritus mendax in angulis semitarum, & amicum me simulabo Timoris. Novi enim hominem, nec est agendum cum eo vi, sed fraude. Vos autem expectate finem. Fecit ut dixerat, viarum compendia captans præcessit Timorem. Referensque iter per viam, qua gradiebatur Timor, obvius ei factus est, amica, sed iniqua cum eo colloquia commiscens, ita ut seducere eum cœperit : & Timor nescius bono animo sequebatur. Propè jam erat, ut eos in foveam desperationis impelleret. Sed spectator Regi indicat quid agatur.

Timor eum reducit.

Sed Spiritus tristitiæ ei insidiatur.

Rex autem ūnum de militibus suis, *Spem* scilicet, præcepit accersiri, quem cum equo desiderii, & ense lætitiæ in auxilium jubet accelerare Timoris. Fidelis miles ad imperium egrediens, cum pervenisset ad locum, vibrans ensem lætitiæ, Tristitiam effugavit. Sicque liberatum concivem & impositum equo desiderii præcedens trahebat funiculo promissionum : & Timor sequens urgebat facto flagello de funiculis peccatorum.

Contra quem Spes cum equo desiderii & ense lætitiæ mittitur,

Ibat igitur voluntarius equus, hinc attractus, inde compulsus : sed in tam rapido cursu timendum ei fuerat ab incursu. Unde & collegerunt milites Babylonici consilium, dicentes : Quid facimus, quia sic evadit, quem jam quasi cum securitate possidebamus ? Quomodo plausus inferni versus est in planctum, & per solos duos milites gaudium est in cœlis super sui liberatione concivis ? Quomodo periit versutia diabolicæ fraudis ? Unus autem ex eis cæteris nequior, cum sceleris hujus opifex esset, profanum protulit consilium, dicens : Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia modò ad capiendum facilior sit, & si captus difficilius eripi possit. Vos igitur à longè prosequimini, ego me in angelum lucis tranfiguro, ut ignaros viæ tanquam advenas & peregrinos docendi simulatione decipiam. Hunc igitur in modum fraude dispositā, Regi nostro speculator annunciat, venire quidem hominem equo impositum desiderii, sed plus quàm oporteat properare, eo quod frenum & sella

Sed telis hostium eo magis obnoxii.

Quia sine freno & sella feruntur præcipites.

sella deesset. Hostes, inquit, à longè prosequuntur, alii tanquam inveterati malorum, viarum compendia captant. Sed & nunc video, in quo armorum nostrorum relucet effigies, à nobis tamen ille exivit. Necesse est eat qui interrogare noverit eum, noster es, an adversariorum?

Sed consiliarii Prud. & Temper. præcavent.

Porrò Rex, cujus animum cura semper sollicitat animarum, duos consiliarios suos emittit, *Prudentiam & Temperantiam*. Quarum *Temperantia* quidem equo frenum Discretionis imposuit, & Spem moderatiùs incedere persuasit. *Persuasio* verò Timorem increpans & arguens improbitatis, de futuro commonuit: & equo sellam circumspectionis apposuit, ut non caderet ascensor ejus retrò; sed *retrò* præteriti confessioni peccati, *antè* meditationi judicii, *à sinistris* patientiæ inniteretur, *à dextris* humilitati. Porrò Spes & Timor dedêre calcaria, Spes in dextro pede expectationem præmii, Timor in sinistro supplicii metum.

Rursus ingruit prælium.

Et facta mora cum advesperasceret, & inclinata esset jam dies, rursus congregati sunt hostes in multitudine, ut dimicent contra eos. Pavet Timor, Spes accelerat: sed vix tandem ad consilium eos Prudentia Temperantiaque revocavit. Et illa: Videtis, inquit, quia dies præcessit, & nox appropinquavit; & qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat? Porrò vobis grandis restat via, nec parva est hostium multitudo. Est autem miles quidam Regi nostro fidelissimus, quem ego novi, castrum habens propè nos positum, & firmissimum est habitaculum: qui in petra posuit nidum suum. Divertamus ad illum, si placet, quia bonum est illic esse. Quod cum placuisset omnibus, & ducem itineris quæsisset, ait Prudentia: Armiger meus *Ratio* præcedet nos: est enim gnarus viarum, & notus justitiæ, utpotè consanguineus ejus. Præcedente itaque Ratione, cæteris subsequentibus antevenit Ratio: salutata Justitia, nunciavit hospites adventare. Quærit illa qui sint: unde, ad quid veniant, scisciatur. Et cum Regem cognovisset, hilari vultu surgens fugientibus occurrit cum panibus, & obviavit illis quasi mater honorificata, susceptamque Animam ab equo deposuit, in penetralibus domus avida collocavit.

Prudentia per armigerum Rationem, à justitia hospitium & tutelam petit.

Hostilis exercitus eos insequitur, & castrum obsidet.

Insequitur hostilis exercitus, & castrum obsidens undique inquirit si quis fortè pateret ingressus, ac tanquam leo circuit quærens quem devoret. Sed cum undique illud munitum inveniunt, tentoria figunt, excubias ordinant, ne quis ingredi aut egredi valeat, ut mane facto instructis machinis diruant & irruant super eos. Interim pavor paviditate & sollicitudine non piger, nec unquam securus commilitones excitat, justitiam convenit, de munitione loci, de præparatione armorum quærit, adiiciens & illud, ne forte sustentationi deficiant alimenta. Ad hæc Justitia respondit: Situs loci, ut animadvertere potestis, saxosus & inaccessibilis est, in armis, nec in machinis inimicorum timet insultum. Sed

quia

quia aridus est, paucos habet indigenas, quos arido hordeacei panis cibo utcunque sustentat. Et nunc supersunt nobis quinque panes hordeacei, & duo pisces. Et Timor. Quid hæc, inquit, sunt inter tantos? Cœpit igitur magis pavere & tædere; & arguens animam quod ab equo desiderii descendisset, illud sæpius memorabat, esse novissima hominis illius peiora prioribus. Equus enim ille præpeti cursu festinus advolabat ad urbem, nec solius rationis commissus ducatui. Ipse, inquit, videris, si non melius erat tibi tunc magis, quàm nunc.

Timor diffidentiam & tædium concitat,

Prope jam erat ut adversus Spem contraria sentientem Timor insurgeret, sed Temperantia Prudentiam advocavit. Accersita Prudentia improbitatem Timoris objurgans; In adversarios, inquit tuos, ô Timor, mucro desæviat. Nescis quia Rex noster, rex virtutum est, Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio? Eat igitur nuncius, qui suorum necessitates exponat, adjutorium flagitet, auxiliatorem adducat. Et quis ire poterit? ait Timor. Tenebræ operiunt terram, & muros obsidet hostium pervigil multitudo; & ignari viæ tanquam in regione longinqua. Advocaverunt igitur hospitem suum Iustitiam. Si quid, inquiunt, potes, adjuva nos. Quibus illa: Bono animo estote. Est enim mihi nuncius fidelissimus Regi, benè notus curiæ, *Oratio* scilicet, quæ in secreto noctis silentio per ignotas semitas arcana cœli penetrare, & cubiculum Regis adire, & opportuna importunitate pium Regis animum flectere non indoctus, supplicatione miserabili laborantibus auxilium solitus impetrare. Eat ille, si placet, ecce enim præsto est. Cumque respondissent omnes, Placet: Prudentia quid Regi insinuet dictante Iustitia, ut fideliter agat, & ne vacuus revertatur præcipiente, cæteris & maximè Timore, ut iter acceleraret deprecantibus, per occultos quosdam muri exitus dimissus est. At ille hostium cuneos penetrans securus, omni ave velocior, in momento, in ictu oculi usque ad portas novæ Hierusalem pervenit. Quas cum clausas reperisset & pulsasset, janitoribus ægrè ferentibus, quod intempestæ noctis silentio civitatem impleret clamoribus, & Regi ipsi importunus esse non vereretur: ille perseverabat pulsans, & amplius loquebatur. Aperite mihi, inquit, portas justitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino Regi nostro in ore meo secundùm multitudinem dolorum meorum, qui sunt in corde meo. Hæc, inquit, porta Domini mei; Iustitia me misit ad vos, ut introducat ad regem, quia ad ipsum habeo secreta quæ perferam. Vox turbinis audita est in terra nostra.

Prudentia redarguit Timorem,

Nuncius, Oratio, ad Regem mittitur petiturus auxilium

Instruitur de mandato fideliter exequendo,

Rex cum cognovisset nuncium esse Iustitiæ, introduci eum præcepit. Ingressa Oratio ad Regem, adoravit & ait: Rex in æternum vive. Et ille: Rectène sunt omnia circa Dominum tuum, & quæ illius sunt? Oratio: Rectè Domine, vestri gratiâ. Porrò unum est necessarium. Servus ille vester à cornibus unicornium ad imperium Regis ereptus divertit ad militem vestrum

Exponit quid habeat in mandatis.

vestrum Dominum meum: & Domine mi, terra illa australis & arens est, & cibum non habet. Det Dominus benedictionem, & terra nostra det fructum suum: Et congregati hostes in multitudine, ut dimicent contra nos: da nobis Domine auxilium de tribulatione: quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. Porrò rex noster, cuius natura bonitas, motus his lachrymis ait: Quem mittemus? ad quem *Charitas*: Ecce ego Domine, mitte me. Rex autem quærebat de sociis, sed *Charitas* domesticam sibi familiam respondit sufficere. Exit ergo una cum nobili illo comitatu suo, gaudio, pace, patientia, longanimitate, benignitate, bonitate, mansuetudine. His stipatus dux insignis progreditur, certusque de victoria, erecto signo triumphali primam pertransit inimicorum, secundamque custodiam. Cumque veniset ad portam, ultro aperta est ei. Ad cuius ingressum facta est lætitia magna in oppido. Cumque suadente gaudio vociferarentur omnes & acclamarent, exortus clamor exterorum castra perterruit. Et illi: Quæ est ista, inquiunt, vox exultationis in auribus nostris de castris Israel? Non ita heri & nudius tertius. Fortè venit eis auxilium, & impetum facient in nos. Fugiamus ergo Israelem. Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Interim Charitas moræ impatiens, ordinari exercitum, aperiri portas, & persequi præcepit inimicos, apertè denuncians: Vadam ad portas inferi. Sicque uno impetu universus Charitatis exercitus procedit, quos Babylonii non ferentes fugiunt, sed non effugiunt. Cadent à latere Timoris mille, & à dextris Charitatis decem millia.

Rex annuit postulatis; Charitas, cum suo comitatu in auxilium mittitur.

Cuius accessu recreantur obsessi;

Hostes terrentur & sternuntur.

PRABOLA III.

De pugna spirituali.

INter Hierusalem & Babylonem ordinatæ sunt acies ad bellum. Hinc David manu fortis aciem producit virtutum terribilem & ordinatam: in Nabuchodonosor Babylonis spiritualia nequitiæ, suumque vitiorum tumultuosum exercitum dirigit ex adverso. Procedit de castris David tyrunculus novitius nuper in militiam regis juratus, & per manus ipsius æterni David verbi Dei gladio accinctus, & spiritualibus armis insignitus, ingentes gerens animos, & contra regis edictum, ad faciendum sibi nomen, plus quàm ad hostem vincendum impatientissimus. Equus erat ei fervidus, proprium corpus, de succo adhuc sæculi fortis, viridis, lascivus, animusque eius conveniens, cui insidens ferebatur insignis; castrorumque suorum dedignans disciplinam, contemptis sociis, stolida quadam præsumptione longè præ cæteris progrediebatur æstuans & anhelans ad faciendum sibi nomen. Videns David impetuosam eius præsumptionem, per filium suum Salomonem sub interminatione ei mandavit: Væ soli: quia

David & Nabuchodonosor Reges inimici. Ille virtutum agmen ducit, hic vitiorum. Tyro è castris David prodit ad pugnam. Equus eius proprium corpus.

Quo indiscretè utitur

contemptis monitis.

quia si ceciderit, non habebit sublevantem. Cujus ille monita parvipendens, cum sibi vel aliis ostendere magnæ virtutis suæ quæreret occasiones, & præclarum aliquod facinus moliretur; conspicatur eminus in parte hostili unum de inimicis fortis malitiæ, astutæ nequitiæ, arma habentem

Objicitur ei hostis Spiritu Fornicat.

ignea, manusque plenas jaculis igneis, multos vulnerantem, vulneratos occidentem, occisos conculcantem, facilè capientem, difficilè relaxantem: spiritum Fornicationis.

Ille jeiuniis & vigiliis equum perurget.

Hic se ostensurum præsumens præclaram virtutem suam, impetum in eum dirigit, promptum illum equum suum jejuniorum verberibus vigiliarum calcaribus perurgens totus fertur in illum. Clamat à tergo Prudentia: parce, parce: clamat discretio: sustine, sustine, totusque eum concrepat Davidicus exercitus. Quos ille omnes surda aure præteriens, fertur miser totus in malum suum, & nescit. Videns Nabuchdonosor infremit, & malum ei parans dolos præmittit. Occurrunt enim illi à latere in præceps

Nec audit monentem prudẽtiam.

ruenti sorores duæ Superbia & Vanagloria, acclamantes ei in dolo: Euge, euge. Quibus ille miser nimis credulus totus fertur in præceps, & nescit quæ jam undiq; eum circumvallent insidiæ. Spiritus quidem Fornicationis jam crebrò tales & talium impetus expertus, fugam simulat, & delusum miserum sequi provocat, donec per patentem portam in medio Babylonis introductum suis illum sociis tradidit illudendum. Gastrimargia, & Fornicatio equum sibi vendicant, nec Dominum suum jus in eo habere ultra permittunt. Jam quippe deficiebat: jam fatigatus divertere quærebat; in medio quippe pugnæ sub pugnante ceciderat, & casu suo vehementer attriverat sessorem suum. Quem illi cibis Babylonis refectum reimpinguatum suis subdidere servitiis. In miserum verò ira, invidia, cæteraque vitiorum turba consurgit, & fiducialiter supra dorsum eius fabricant peccatores. Sed & Fornicatio, cuius nisi terga fugientis nihil adhuc ille viderat,

Vnde mox in alios incidit hostes Superb. & van. glor.

Spiritus forn. fugã simulans fallit miserum.

Gastrimarg. & fornic. Equum jam fatiscentẽ sibi vendicant.

aperta jam facie & impudenti fronte in eum consurgit, & spicula ignea in cor eius torquet, gladiúmque in cervicem eius exerit, projectumque in terram conculcat, & coquo regis Babyloniorum Nabuzardam eum tradens, eius immundis gurgitationibus subdidit illudendum. Nec jam patitur, ut honesta in eum vitia manum mittant, sed immundis scurris de coquina regis, id est, fœdis & horrendis vitiis exhibet irridendum. Sic igitur captus ab inimicis ligatur funibus malæ consuetudinis, & præcipitatur in carcerem desperationis.

Mox quoque eum invadunt ira, invidia, &c. gula, crapula, &c.

Hinc consuetudo desperatio.

David lugens subdit miseriã;

Rex autem David cooperto capite lugebat, dicens: Absalon fili mi, fili mi Absalon. Vocansque unum regiæ clientelæ ac sedis in hujusmodi utilem & probatum, Timorem scilicet ad requirendum eum dirigit, & Obedientiam secum mandavit, ut ereptum de carcere tutelæ committeret Obedientiæ. Missus Timor venit & suscitat miserum, ereptumque

ereptumque de carceralibus claustris & vinculis, sicut sibi jussum fuerat, Obedientiæ tradidit equum suum & restituit, sed ferocem & rebellem, & qui vix ultrà Dominũ dignaretur agnoscere. Quem Obedientia apprehendens, & freno ferreo cohibens, licet renitentem plurimum & recalcitrantem, antiquo Domino subdidit, docuitque eum mutare fortitudinem.

Mittit Timorem qui Equum recuperat ferocem quidem, sed tandem domitũ ab Obedientia.

Susceptum itaque à timore obedientia deducens militem Christi, per aliam viam reduxit in regionem suam, primamque ei mansionem apud *Pietatem* constituit, ut scilicet animos ejus, quos Timor exacerbaverat, Pietas patris revocantis refocillaret. Secundam, apud *Scientiam*, ut sciret unde & quo sibi esset redeundum: sciretque uti & pietate, & timore: ne Pietas extolleret, Timor frangeret. Tertiam, apud *Fortitudinem*, quæ eum ad peragendum reditus sui iter confortaret. Quartam, apud *Consilium*, ut alterius cũ consilio omnia faceret, nec à ducatu obedientiæ in aliquo declinaret. Quintam apud *Intellectum*, ut non jam consilio tantum hominum, sed ipse jam intelligere inciperet, quæ sit voluntas Domini bona, beneplacens & perfecta. Ad sextam mansionem pervenit miles Christi *Sapientiæ*, hospitibus suis eum prosequentibus, nec iter ejus deserentibus, ut jam ei sapiant bona Domini, & exinde cum Moyse velut de monte Abarim repromissiones Dei incipiat contemplari; Et hinc jam pervenitur in Hierusalem, in regnum & civitatem David, in visionem pacis, ubi beati pacifici filii Dei interiùs & exteriùs omnibus pacificatis ingressi gaudium Domini sui celebrant sabbatum sabbatorum. Amen.

A qua deducitur per mansiones varias
Pietatis,
Scientiæ,
Fortitudinis,
Consilii,
Intellectus,
Sapientiæ.

Deut. 32.
In civitatem David, quæ est visio pacis.

APPENDIX
ad Parabolas.

PEccantes prima excipit *negligentia* sui; deinde *curiositas* rerum exteriorum, & ad se non pertinentium; deinde ipsarum rerum *concupiscentia*, concupiscentiam sequitur *consensus*; consensum *consuetudo*; consuetudinem *contemptus*; contemptum *malitia*, id est affectus & delectatio peccati. Negligentia tardat; curiositas impedit; concupiscentia ligat; consensus stringit vel obdurat; consuetudo trahit; contemptus præcipitat; delectatio incarcerat carcere desperationis, quare peccator cum venerit in profundum desperat.

Gradatio peccatoris.

Veniens autem Spiritus sanctus, & visitans miseram animam per septiformem gratiam suam primùm infundit ei *Timorem*; timori subinfert *Pietatem*, ut miseriam timoris suavitas consoletur pietatis, pietati *scientiam*, scilicet ut sciat uti & timore & pietate; ne â timore tristitia abundantior absorbeat, ne à pietate præsumptio vana præcipitet; scientiæ *Fortitudinem* scilicet contra tentationes, & ut proficiatur in bono, non tantum scientiæ, sed etiam fortitudini *Consilium* suffragatur; ut nec scientiæ, nec fortitudini nimium credatur: Sed ut omnia cum consilio agantur, consilio *Intellectum* addit, ut jam in inferiori cordis sui legat per se, non solum quæ consulant homines: sed etiam quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta. Intellectui *Sapientiam*, ut quod hactenus consilio, vel intellectu didicerat, jam ei transeat in affectum: ut per semetipsam ex gratia Dei sapiat, & sapidum ei fiat & dulce quicquid hactenus durum videbatur & intolerabile.

Gradatio resipiscentiæ.

Septem dona Sp. S. totidem vitiis peccatoris opposita.

Primúmque negligentiæ opponit Timorem, & qui timet nihil negligit: Curiositati *Pietatem*, id est affectum ad Deum, quæ, sicut dicit Apostolus, ad omne opus bonum utilis est, & omninò contraria curiositati: Concupiscentiæ *scientiam* adnectit, ut sciat seipsam, & in interioribus suis vacans non egrediatur ad concupiscentiam seculi, ne audiat illud. *Si ignoras te pulchra inter mulieres, egredere & pasce hœdos tuos*: vel ut sciat quàm vana sunt & caduca quæ concupiscit: consensui *Fortitudinem* adjungit, ne vincat ad consensum: consuetudini *Consilium*, quia cum ventũ fuerit ad consuetudinem, tunc verè opus est consilio: contemptui *Intellectum*, quia cõsilio jam hominũ contempto, nisi per se intelligat periculum suũ, jam proximus est desperationi: malitiæ *Sapientiam*, quia sola sapientia vincit malitiam. Destruens autem Spiritus, (scilicet per septiformem gratiã suam) in anima humana septiformem hanc miseriam statim in ea ædificat septiformem beatitudinem, per Spiritum Timoris faciens beatos pauperes spiritu: per Spiritum *Pietatis* beatos mites: per Spiritum *Scientiæ* beatos lugentes: per Spiritum *Fortitudinis* beatos esurientes & sitientes justitiam; per Spiritum *consilii* beatos misericordes; per Spiritum *intellectus* beatos mundo corde: per Spiritum *patientiæ* beatos pacificos, cum sapientia vincit malitiam, & pax illa Dei exultat in corde quæ exuperat omnem sensum: & hæc est perfectio servorum Dei.

Septem beatitudines quomodo in anima hominis per Sp. S. formentur.

ALIA PARABOLA

De Christo & Ecclesia.

Similе est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo [a]. Cumque dies instaret nuptiarum, consuluit pater filium, quam vellet ducere. Ille se elegisse & prælegisse Ecclesiam respondit à sæculo. At pater: Sed captiva, inquit, tenetur in Ægypto, ibique servit in luto, & latere [b], venundata sub peccato. Induratum est cor Pharaonis super eam, & aggravata manus: nec dimittet eam nisi in manu forti [c]. Et ego, inquit filius, manus tua & brachium fortitudinis tuæ, intrabo Ægyptum in manu forti & brachio extento, & liberabo eam. Et ut obstruam os loquentium iniqua, & redimam eam à calumniis hominum: appendam in statera juxta precium quo venundata est sub peccato, voluntatem scilicet peccati; & econtra precium sanguinis mei: & invenietur illa minus habens, & perveniet ad victoriam judicium meum. At pater: Planè, inquit, perveniet: sed lex est conjugii, sponsæ requirere assensum. Requiretur, inquit, inveni David servum meum, virum secundùm cor meum. Mittam eum cum cithara, ut loquatur ad cor ejus, & advocet eam & demulceat animos ejus in luto Ægypti assuetos & putrefactos. Missus David Ægyptũ ingreditur: & præparatum habens dulcissimum epithalamii canticum, eructavit de corde suo hoc verbum bonum [d]; *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Jussus etiam Esaias è vestigio subsequitur, videnſq; illam in vinculis captivitatis. *Consurge*, inquit, *consurge, induere fortitudinem brachii Domini. Elevare, consurge Hierusalem, solve vincula colli tui captiva filia Sion.*

Cumque

[a] Matt. 22.

[b] Exod. 1.

[c] Exod. 3.

Captivitas Israelitarũ sub Pharaone, typus captivitatis nostræ sub diabolo.

Christus sibi desponsat Ecclesiam. Paranymphus ejus David.

[d] Psal. 44. a

Esaias, e Esai. 55. aliique Prophetæ.

Cumque etiam alii multi intrassent Patriarchæ & Prophetæ, omnes eadem nunciantes, tandem aliquando intelligens illa gratiam Dei surgensque de pulvere, dixit [f]: *Recordatus es mei Domine Deus meus. Misereris, cujus misereris: & misericordiam præstas, cujus misertus eris.* Et subsequens quod sapiens illa Abigail: *Quis*, inquit [g], *me det in ancillam servorum Domini mei, ut lavem pedes servorum Domini mei?* Moxque exurgens, sicut ipsa Abigail, ascendit super asinam, id est, subdidit sibi carnem suam, & secuta est servos regis. Occurrit sponsus festivus & hilaris; tenensque manum dexteram ejus, & in voluntate sua deducens eam, & cum gloria suscipiens eam, introduxit in civitatem regni sui, & in cubiculū genitricis suæ. Et in lectulo charitatis suæ eam collocans, & gratiæ suæ ornamentis eam condecorans, lævāq; suam sub capite ejus ponens, & dextera sua eam amplexans [h]: *Adjuro vos*, inquit, *filiæ Ierusalem, ut non suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.* Posuitque sexaginta ex fortissimis Israel, qui ambirent lectum, ad bella doctissimos: & unusquisque ensis super femur suum, propter timores nocturnos [i]. Osculansque eam osculo oris sui, & valedicens ei, abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti. Mandavitque ei per Osee Prophetam [k]: *Multo tempore me expectabis, & non erit tibi sacerdos, nec sacrificium.*

Cujus Pharao ille Ægyptius captans absentiam, convocato exercitu, Veni, inquit, persequar & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea: evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Surgensque cum omni malitiæ suæ nequitia, Ecclesiæ persecutionem indixit. Moxque ejus castra aggrediens, comprehensum Petrum, fratremque ejus Andream crucifixit, Paulum decollavit, Ioannem exiliavit, Bartholomæū decoriavit, Stephanum lapidavit, Laurentium & Vincentium ustulavit, & sanctorum mortibus, mortiumque & tormentorum generibus omnia complevit [m]. *Posuerunt morticinia servorum Dei escas volatilibus cœli, carnes sanctorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem innocentem tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret.* Videns Ecclesia defensores suos positos ut oves escarum, ingemuit: & facta est amaritudo ejus amara. Sed terra Ecclesiæ sanguine Martyrum impinguata, fidelium segetes multiplici quodam germine refundebat: & in præcisione unius centum vel mille reddens, unde vinci sperabatur, vincebat.

Quod barbara illa inimici nequitia deprehendens infremuit, & ad nota calliditatis suæ arma refugiens, à persecutione interim conquievit, viresque contraxit, gladium revocavit, consilium mutavit. Nullus pejor, inquit, quàm domesticus inimicus. Effundam igitur contentionem super principes eorum, & errare eos faciam in invio, & non in via [n]. Et cum dicent, pax, pax: non erit pax [o]. Sed suscitabo inter eos hæreses & schismata, & civili

f Exod. 33.

g Reg. 25. *Consentit Ecclesia, & perficitur coniugium.*

h Cant. 2.

i Cant. 3. *Sponsus abit in regionem loginquam.*

k Osee. 3.

l Exod. 15. *Interim Ecclesia persequutionibus premitur.*

1. *à Tyrannis.*

m Psal. 78.

n Psal. 106.

o Hier. 6.

vili & inteſtino quodam bello omnia turbabo : & facilius ſuo eos gladio faciam interire, quàm meo. Dixit, & mox terribilis illa hactenus Eccleſiæ acies ordinata, facta eſt non terribilis; quia deordinata. Mutuis quippe ſe vulneribus impetentes, ſéque invicem hoſtiliter concidentes, hoſtibus à longe ſtantibus & ridentibus, riſum & inſultationem, Eccleſiæ verò luctum & intolerabilem incuſſere dolorem. Amaritudo enim eius prius amara, nunc facta eſt amarior, cum vipereo quodam malo à filiis ſuis deflebat diſcerpi viſcera ſua. Sed continuo egregij curiæ Chriſtianæ milites prævalere, videntes aſtutam inimici malitiam, ſpiritum reſumpſerunt, arma fidei corripuerunt : & malum ex ſemetipſis viriliter auferentes, Alexander † cum multis Arrium ; Auguſtinus Manichæum, multoſque alios: Hieronymus Epicuræum Jovinianum, cæterique cæteras hæreſum & ſchiſmatum peſtes pervadentes, vel fortiter trucidaverunt, vel prudenter à caſtris propulerunt, pacemque Eccleſiæ & gaudium reſtituerunt.

Alexand. Epiſc. Alexandr. egregius Antagoniſta Arrii, vide *Baron. An. Do.* 315. & 318.

Sed heu, heu, nec mare fluctibus, nec iſta vita carere poteſt tentationibus : nec poteſt eſſe pax firma & ſolida, niſi in regione ſua. Videns enim peccator, & invidè iraſcitur, dentibus fremit & tabeſcit, & nova parans bella ad ſpiritualia militiæ arma ſe convertit. Convocanſque ſui exercitus egregios illos duces, ſpiritum ſcilicet fornicationis, ſpiritum gulæ, ſpiritum avaritiæ. Videtis, inquit, quia nihil proficimus & jam totus mundus poſt ipſos abiit. Sed adhuc experiri habent vires noſtras, qui gloriantur ſe jam effugiſſe vel eluſiſſe artes meas. Dixit, & caſtris eos Eccleſiæ immittens, & dormientes omnes & ebrios nocte inveniens (qui enim dormiunt & qui ebrii ſunt *p*, nocte dormiunt & nocte ebrii ſunt) continue omnia turbavit. Mox enim omnes ſeipſos amantes, quæ ſua ſunt quærentes, non quæ Jesu Chriſti ; hæreditate ſibi vendicaverunt ſanctuarium Dei, & poſuerunt taberncaulum nominis eius *q* : non Deo in eo, ſed voluntatibus, & voluptatibus ſuis ſervientes, quæque Deo oblata vel ſacrata, in ſuos uſus vertentes : facientes enim ſibi de nominibus & officiis religionis, nomina & auctoritates avaritiæ, elationis & vanitatis, tunicam illam charitatis inconſutilem deſuper textam per totum *r*, purpureumque illud fidei pallium preciоſo ſanguine Agni tinctum, quibus nuditatem ſponſæ ſponſus operuerat, cæteraque religionis ornamenta reluctanti & reclamanti Eccleſiæ detraxerunt. Eamque denudantes, nec ſe veſtientes ; quam cuſtodire debuerant, nudam reliquerunt, & de ſtatu quietis eam exturbantes, quantum in ipſis eſt, de mundo fugere compulerunt.

Demum graviſſimè à malis Chriſtianis & Clericis. Cōfer. Serm. in Conver. S. Pauli.

p 1. Theſ. 5. b

q Pſal. 73.

Abuſus bonorum & bonorum Eccleſiæ notatur.

r Ioan. 19.

Sed illa clamans & plorans, & nudata turpitudine, & diſcoopertis natibus, omnia occulta & pudenda ſua riſui omnium deflens expoſita, orat filios uteri ſui, nec miſerentur : obſecrat, & irridetur. Et utraque manu totis viribus panniculos quosdam canonicæ vel monaſticæ religionis, qui

vix manus diripientium effugerant, circa cor & vitales illas partes astringens, hos saltem dimitti sibi precatur, nec auditur. Et ipsos enim sui illi non custodes, sed latrones, diripere conantur: ut vel nuditatem suam non ferens, de hoc mundo fugiat, vel inter eos in frigore malitiæ eorum moriatur: fingentes tamen nonnunquam se misereri, vestem de simulatione virtutum, & dissimulatione vitiorum, manu hypocrisis utrinque contextam vendere illi conantur. Quam illa detestans & abominans, non suscipit, non recognoscit: Novit illam sapientiæ manibus contextam, tinctam & sacratam Agni sanguine, à sponso sibi derelictam, à filiis sublatam: Aliam nescit, sed abjicit & respuit. Ideo abjicitur, respuitur, conspuitur, & omnibus opprobrio habetur.

Hæc sunt nostra, hæc sunt Ecclesiæ periculosa tempora: in quibus *in pace facta est amaritudo ejus amarissima* [f]. Sed tria væ abierunt: adhuc restat unum væ, scilicet Angelus Satanæ, in Angelum lucis se transfiguraturus, sessurus in templo Dei, & ostensurus se tanquam sit Deus [t]. Qui jam mysteria iniquitatis operatur, prænunciis ejus jam undique Ecclesiæ suggillantibus: *Ecce hic, & ecce illic* [u]. Sed ô sponsa Christi noli credere, noli exire: sed sustine sponsum tuum, qui te non despicit, nec obliviscitur in tribulatione: sed quarta vigilia veniet [x] ad te ambulans super mare. Et veni Domine, veni ad liberandum eam Domine Deus virtutum: qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[f] Esai. 38.

[t] 1. Cor. 11. *Ultima persequutio Eccl. ab Antichristo.*

[u] 2. Thess. 2.

[x] Matt. 24.

ALIA PARABOLA;
De Fide, Spe, & Charitate.

Tres filiæ Regis; Fides, Spes, Charitas.

Rex nobilis potens tres habuit filias, Fidem, Spem, & Charitatem, his delegavit civitatem eximiam, humanam Animam. In qua cum tres sint arces, Rationabilitas, Concupiscibilitas, Irascibilitas; unicuique suam contradidit: Fidei primam, Spei secundam, Charitati tertiam. Rationabilitati præficitur Fides, quia fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum †. Concupiscibilitati Spes, quia concupiscere nos non licet quæ videmus, sed quæ speramus: & spes quæ videtur, non est spes. Irascibilitati Charitas, fervor scilicet fervori: ut fervor virtutis fervori naturæ dominetur: imò fervor naturalis attollat se in fervorem virtutis. Ingressæ illæ unaquæque pro posse suo domum suam ornat & procurat. Custodem ergo domus suæ in Rationabilitate Fides ponit Prudentiam, ut suum jus in ea sibi conservet, & rationem sub legibus fidei & intra terminos à fide positos cohibeat. Ut autem fiducialiter in domo ageret, addidit & Obedientiam. Ut obedientia processum operis, & tolerantiam haberet laboris, subdidit & Patientiam. Ut autem etiam inferiorem actuum vel sensuum familiam regere benè posset & dispensare, ipsam ei Dispensationem suffecit. Ut

† S. Greg. Ho. 26. in Evang. *His commissa una civitas, Anima hum. in qua tres arces. Singulis singula ad custodiam tradita. Fides quos custodes adhibeat.*

a 1.Cor.14.g cit. Ut secundum Apostolum [a] honestè & secundum ordinem omnia fierent, addidit & Ordinem. Ne maledictio intraret domum (Maledicta omnis domus indisciplinata) custodem in porta posuit disciplinam.

Item Spes; Spes autem in Concupiscibilitate domui suæ Sobrietatem præfecit, ut jus suum in ea sibi conservaret, & principales eius sibi semper servire compelleret. Ut autem inferiorem voluntatum & voluptatum familiam discretè regere sufficeret, ipsa ei subdidit Discretionem. Cui etiam contra concupiscentiam carnis addidit Continentiam; contra concupiscentiam oculorum Constantiam, contra ambitionem sæculi Humilitatem. Et ne egestas

b Prov. 14.c intraret domum (*ubi enim multa verba sunt*, sicut dicit Salomon [b], *ibi multa egestas*) silentium custodem posuit in limine.

Item Charitas. At Charitas suam domum ad austrum & meridiem positam, amicæ sibi Pietati commisit; júsque suum omne ei tradidit, subdens ei ad obsequium primum Munditiam corporis, deinde congruas exercitationes, videlicet lectiones, meditationes, orationes, & spirituales affectiones. Et ne ingressa domum miseria conturbaret, Beatitudinem filiorum Dei, qui in septimo gradu, id est in perfectione beatitudinis positi in domo charitatis ludunt & jucundantur, *beati pacifici*, ipsam Pacem custodem in porta constituit. Sic ordinatis domibus suis totius civitatis quasi præpositum quendam œconomum posuerunt Liberum arbitrium.

Inimicus homo civitatem invadit occupans primo domum Fidei. Quo peracto, redeunt in domum patris puellæ regiæ. Inimicus homo superveniens, ordinem & gloriam civitatis videns & invidens machinatur insidias, & ingredi cupiens corruptis duobus de præcipuis civibus Discretione & Dispensatione, universæ malitiæ suæ exercitum introduxit per portas Rationabilitatis & Concupiscibilitatis. Præpositus civitatis Liberum arbitrium, qui totius civitatis dimissus erat custos & arbiter (paterfamilias quippe peregrè proficiscens dedit servis suis potestatem cuiusque operis) ligatur vinculis ferreis, & in carcerem mittitur. Præcipitatis de arce rationabilitatis custodibus suis, mox contra Fidem Blasphemia inducitur. Cum qua irruentes contradictiones, commotiones & confusiones, cæteraq; hujusmodi turba, cunctáq; sibi diripientes, sibíque quicquid libeat vendicantes, in rationabilitate nihil rationis reliquerunt; & janitore perempto scilicet disciplina, omnibus intrandi & exeundi copiam præbuerunt.

Deinde Spei. Porrò in domum Spei, (concupiscibilitatem scilicet) ingressa, & omnia sibi vendicans domina Luxuria, totam eam de superioribus dejectam ad ima devolvit, & concupiscentiæ carnis Continentiam, concupiscentiæ oculorum Constantiam, ambitioni sæculi Humilitatem conculcandam tradidit & illudendam. Et perempto Silentio janitore, omnibus & intrantibus & exeuntibus fecit portam patere. Sobrietatem verò & socias sobrietatis virtutes aut occidit, aut incarceravit, aut in exilium destinavit. Exinde

inde ad superiorem civitatis arcem conicenditur, & Pace janitore & custode summæ beatitudinis perempto, Miseria ingreditur. Mox enim dominaSuperbia ascendens in arcem (*superbia enim eorum qui te oderunt, ascendit semper* c) Pietatem de ea impiè deturbavit, totámque illam Pietatis & pacis familiam morte vel exilio damnavit. Jam quicunque vult sanctuarium Dei ingreditur: quæcunque sancta in eo, quæcunque hactenus filiis Levi tantum accessibilia erant & visibilia, jam profanata, jam direpta ab inimicis in Babylonem transferuntur, & de vasis Templi concubinisRegis Babylonii propinatur. Sic capta est & confusa tota Civitas. Secundùm gloriam eius facta est ignominia eius.

Demum charitatu.

c Psal. 73. d

Confusis omnibus ad dominas tristis nuncius venit perditæ civitatis. Conturbatæ illæ, pedibus Patris provolvuntur auxilium deprecantes. Causante illo, & custodis Liberi arbitrii arguente negligentiam: quid, inquiunt, ô Pater, Liberum arbitrium potest sine adjutrice gratia? Et ego, inquit, dabo gratiam, sed præmittendus est Timor. Ipse enim præibit ante illam parare vias eius. Egressus Timor à facie Domini venit ad civitatem, baculum habens disciplinæ in manu eius. Invenítque portam difficultatis obseratam & obfirmatam vectibus malæ consuetudinis. Janitor procax & improbus Carnis lascivia in portis aderat, qui Timori satis infestus, opprobriis & convitiis eũ fatigabat. At ille facto impetu fiduciæ, frangens vectes malæ consuetudinis, portas diruens difficultatis, miserum illum corripit, & baculo eum disciplinæ quem tenebat, usque ad mortem perurget. Statímque signum advenientis gratiæ super portas elevans, totam civitatem vertit in timorem. Post quem gratia ingreditur civitatem, secum totum illum Virtutum cœlestium exercitum adducens. Mox pars inimica disparuit, virtutes vero ad nota præsidia recurrunt. Procedentes illico, & seipsas deceptas fuisse accusantes Discretio & dispensatio, veniam precantur: prodit de vinculis & ad occursum dominæ Gratiæ festinat Arbitrium, sub regno gratiæ nunc tandem se sperans fore liberum. Fercula præparantur Filiabus Regis domus suæ, & mensæ ponuntur congruæ. In mensa quippe Fidei panis ponitur doloris, & aqua angustiæ, & cætera pœnitentiæ fercula. In mensa Spei panis confortans, & oleum exhilarans faciem, & cætera consolationis fercula. In mensa Charitatis panis vitæ, vinúmque lætificans, & omnes deliciæ paradisi. Jam ingrediuntur & epulantur, & custodiunt civitatem. Sed nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam [d].

Filiæ à patre poscunt auxilium.

Ille gratiam promittit, sed præmisso timore.

Sic fugantur hostes.

Et civitas recuperatur.

d Psal. 126. a

OFFICIUM DE S. VICTORE, A S. BERNARDO, ROGATU GUIDONIS Abbatis Arremarensis compositum.

Qua de re vide Sermones de S. Victore *pag.* 331.

AD I. VESPERAS, Antiph.

VIctrix anima, quæ sicut passer transvolans, laqueos venantium evasisti; da ut tuo ab his patrocinio eruamur.

* debitam. O miles emerite, qui debitum * post certamen requiem accepisti, respice in nos, qui & inter hostiles gladios tuis laudibus occupamur.

O victor JESU, quem in nostro Victore vicisse cognoscimus, da ei sic sibi in te gloriari, ut non subeat oblivio nostri: *Sicut erat*, Amen.

Capitulum.

DIlectus à Deo & hominibus sanctus Victor, cujus memoria in benedictione est, similem illum fecit in gloria sanctorum.

O vere Victor, qui ex quo vixisti, vicisti ab utero usque ad tumulum, continuò promerendo triumphos: da nobis ut sicut tuis animamur victoriis, muniamur & armis.

Ut possimus resistere in die malo & in omnibus perfecti stare.

Hymnus.

VNà Victoris meritis præclara hominem terris: qui non sit de terra velut cœlo datum repræsentat ad imitandum.

Christus in illo vixit, & non ipse, speculum vitæ mortuis de mundo, homo cœlestis præbuit seipsum, similes quærens.

Aliquid quoque sanctius professus extitit Victor forma sanctitatis, integrum servans atque incorruptum decus honesti.

Unde & vidit visiones Dei, vidit & cœlos aperiri: sibi nempe pudicos visio cœlestis quærit aspectus.

Gloria summæ Trinitati Deo, gloria tria una personarum, tota cujusque non divisa trium, tres enim unum.

Antiphona. Magna est virtus Domini tui Victor, nec minor pietas, & utinam per te nobis tam sit propitius ad salutem, quàm tibi munificus extitit ad virtutem: Magnifica Victor Dominum, qui magna fecit tibi, magnum te faciens, ut faceres mirabilia in quibus mirabilis fieres, dedit certare, ut vincere daret, & victorem coronaret.

Collecta. Exaudi Domine quæsumus tibi supplicantium preces: ut quos corporali beati Confessoris tui Victoris fecisti præsentia gloriari, concedas ejus benigna intercessione undique præmuniri, per Dominum JESUM &c.

Ad Ma-

Ad Matutinas.

Invit. Confidite, Victor vicit mundum: gaudeamus in ejus victoria ut vincamus.

Hymnus.

MEritò dulces Angelorum voces corpore gravi audiebat homo carneos luxus perimens, in carne angelum vivens.

Sic oportebat, ut jam designatum vas in honorem sanctius maneret, sanctitas cujus dedicata fuit matris in alvo.

Denique carne gravida cernentes matrem non ferunt, fugitant paventer, * indicant nomen, confitentur sanctum utero clausum. * paventes.

Neque tenello huic tam maturè vita secura, gloriæ invidit, & quidem magis cumulavit eam fœnore multo,

Gloria summæ Trinitati Deo.

In primo Nocturno.

Antiph. Beatus vir qui legem dilexit, & cathedram non affectavit.

Servivit Domino in timore, & jam sine tremore exultat ei.

Domine in lumine vultus tui ambulavit, & nunc signatum est super eum.

Verba tua Dominus *, Victor auribus & corde percepit, ac per ea vicit. * Domine.

In ore Victoris perfecta laus, quia in corde ejus perpetua pax.

Confidenti in Domino frustra insidiati sunt qui sagittant in obscuro rectos corde.

LECTIO I.

VIctoris vita & gloria &c. *Vide super hoc pag.* 331.

Resp. O virum præcipuæ sanctitatis, qui ante sanctus quàm natus, ante Victor opere, quam nomine fuit, ita ut clausus in utero, jam de hoste triumpharet.

Vers. Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.

LECTIO II.

HAbeamus dilectissimi in via Victoris, &c. *Vide sup. loc. cit.*

Resp. O jucundum & inusitatum miraculum! leo rugiens fugit à facie parvuli, nec dum vagientis.

Vers. Sicut fluit cera à facie ignis; sic pereant peccatores.

LECTIO III.

EPulemur dilectissimi vocati ad mensam divitis, &c. *Vide supra loc. cit.*

Resp. O felix mater, cujus uterus sensit novitatem, nulli matrum compertam à diebus Ioannis Baptistæ.

Vers. Non est inventus similis illi.

LECTIO IV.

SI diligenter itaque, fratres reverendissimi, considero, &c. *Vide supra loc. cit.*

Resp. O Jesu bone, tua est virtus, tua victoria, quod agniculus unus luporum multitudinem exturbavit.

Vers. Antequam sciret puer vocaret patrem aut matrem.

In secundo Nocturno.

Antiph. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, ut sui nominis servaret veritatem.

Domine in virtute tua lætabitur Victor, sciens non in sua virtute fuisse victoriam.

Non accepit in vano animam suam qui de ratione rexit vitam suam, & ideo ascendit in montem Domini.

A timore inimici eripuisti Domine animam sancti, cui peracta victoria non restat pugna.

Te decet hymnus, te decet laus, cuius opus fuit, ut carne solutus Victor noster hominem solveret catenatum.

Bonum est confiteri Domino, cuius munera sanctorum merita, cui sanctus Victor, & quòd sanctus est, & quòd victor est, debere se confitetur.

LECTIO V.

GAudete in Domino dilectissimi, &c. *Vide supra pag.* 331.

Resp. Dum transiret rex Francorum & veniret secus ubi habitabat eremita, admiratus est super his quæ dicebantur de viro hoc.

Vers. Quanta audivimus & cognovimus ea, & patres nostri narraverunt nobis.

LECTIO VI.

PAusat miles emeritus, & post labores, &c. *vid. sup. loc. cit.*

Resp. Jam thesaurum absconditum fama delatrix prodiderat, & non potuit præterire regem prætereuntem, sed divertit ad tugurium pauperis excitus fama sanctitatis.

Vers. Ut videret opera Domini & mirabilia eius in deserto.

LECTIO VII.

FRatres, latitudo cœli dilatat corda, non arctat: &c. *Vid. sup. loc. cit.*

Resp. Ingresso rege pauperis cellam, sollicitus hospes quod vinum non haberet, haustam de proximo fonte aquam benedicens convertit in vinum, & bibit Rex, & qui cum eo erant.

Vers. Repleti sunt omnes stupore & extasi in eo quod contigerat illis.

LECTIO VIII.

PAryus ad pugnam, magnus ad victoriam, &c. *Vid. sup. loc. cit.*

Resp. No-

Resp. Novum genus potentiæ, aquæ rubescunt hydriæ, vinum jussa fundere, mutavit unda originem.

Vers. Dextera Domini fecit virtutem.

In tertio Nocturno.

Antiph. Quàm pium, quàm dulce, quàm suave (ô Victor) in hoc loco afflictionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari!

Resp. Homo quidam non veritus malignari in sanctum, furatus est triticũ ejus, & abscondit in terram, & ecce miser traditur maligno spiritui.

Vers. Maledictus homo, qui abscondit frumenta in populis. Traditur.

Resp. Triste miraculum, sed justitiæ plenum. Ut quem suggestorem ipsum, & ultorem sceleris homo dæmonem pateretur.

Vers. Iustus es Domine, & rectum judicium tuum. Ut quem &c.

Resp. Revelantur iniquitatis mysteria: dæmon hominem cogit: homo dæmonem prodit. Victor medius dijudicat inter illos, dum dæmonem fugat & hominem sanat, frumentum prodente ipsa malignitate recuperat.

Vers. In fraude circumvenientium affuit illi, & honestum fecit illum. Dum recuperat &c.

Resp. Suspiciens Victor, vidit cœlos apertos, & crucem auream gemmis ornatam, & vox ad eum. Gemmæ sunt animæ, crucis gloriam assecutæ: Cujus ignominiam portaverunt; lætetur Israel in eo qui fecit eum, & filiæ Sion exultent in rege suo.

In Laudibus. Antiph.

COrpore terras, mente cœlos Victor inhabitans aliquando, aliquid nunciantes, aliquando ineffabili cantus suavitate plausibiles voces angelicas audiebat.

Jam cœlos ingressus, quos & antè oculis apertis suspiciebat, verè nunc revelata facie speculatur gloriam Dei.

Beata visio, qua in eandem imaginem Victor transformaris, de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.

Verè anima tua Victor, una ex gemmis quæ tibi in cruce apparuerunt, verè infixa cruci, cum divinæ inserta gloriæ, eandem sibi induit claritatis imaginem quam invenit.

Omnipotens pater, peccavimus tibi, facti filii alieni: sed appropiavimus in Victore nostro, qui cum vicerit cupiditatem suam, vincat & iram tuam, nos quoque in gratia potenter restituat.

Resp. Filiæ Hierusalem, sancta anima migrat: exite obviam ei.

Vers. Veniens venit cum exultatione. Exite &c.

Hymnus.

VIna de fonte, non de vite manant, musta pro rivis colorata fluunt, benedicentis manu bene usa pro torculari.

Subito sapor subiens novellus in novos usus latices coegit, Rege mirante, ubi non putabat, Regium potum.

Dæmone tortus publicat se, homo furta fatetur; miser vel invitus pelli, tortor fure deprehenso tortus & ipse.

Hæc satis probant aliáque multa prærogativam gloriæ Victoris nec minoratam, quo præventus fuit spiritu bono.

Gloria summæ Trinitati, Deo, &c.

Antiph. Fœlix generatio, cui exortum est lumen in tenebris, Victor illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedebant.

Aliud. Benedictus Dominus Deus Victoris, qui ipsum in medio statuens cornu salutis erexit nobis, & rursum de medio tollens cum principibus collocavit, ut habeat ex hominibus, cui hominum peccata donet.

Ad primam Antiph.

Hodie posito corpore Victor, quo solo præpediri ab introitu gloriæ videbatur, dives meritis, signis clarus, expeditus penetravit in sancta, similis factus in gloria sanctorum.

Ad Tertiam.

Nomen tuum & memoriale tuum Victor, favus distillans in labiis captivorum. Eia ergo fortis Athleta, dulcis patrone, advocate fidelis, exurge in adjutorium nobis, plena victoria glorieris.

Ad Sextam.

Vincenti expandit gremium suum, qui pugnanti dederat spiritum suum. Ibi, ibi, tu qui ubique es, cogitare de miseris inspira ei Deus, supplicantem pro miseris suscipe eum DEUS, exorantem pro miseris exaudi eum DEUS.

Ad Nonam.

Absorptus est Victor in gloria filii Dei. Immitte ei nostri semper memorem fieri, nostram in tuo tremendo judicio suscipere & agere causam.

Ad II. Vesperas.

Sancte Victor, quis dignè explicet laudes tuas, castimoniæ decus, animi virtutem, conscientiæ puritatem?

Sancte Victor, quis det nobis, ut cum memoria abundantiæ suavitatis tuæ insideat nobis forma rectitudinis vitæ tuæ?

Sancte Victor mitte nobis auxilium de sancto & de Sion tuere nos, qui de terra te laudamus.

Sancte Victor, sanctitas tua, victoria tua, quò nobis salubrior, eò tibi glorioſior invenitur.

Resp. Ecce appropinquat Victor gloriosus, citò proferte coronam.

Vers.

Vers. Jam intret in gaudium Domini sui.

Antiph. O magnifice Victor, etsi elevata est magnificentia tua super cœlos, sed non terræ inopes tua jugis munificentia derelinquat.

CONFESSIONIS PRIVATÆ FORMVLA, SEV, *Oratio Pœnitentis ad Christum devotissima; quæ B. Bernardo non malè adscribitur.*

IN unione acerbissimi doloris tui, qui causam doloris mei assumpsisti, & emendationem pro peccatis meis suscepisti, Domine JESU Christe, cum universitate dolentium, verè pœnitentium, & te in veritate quærentium: confiteor tibi omnia peccata mea, mala commissa, & bona omissa, vel non purè aut negligenter facta: sicut tu ea melius nosti in numero, pondere & mensura: & dies perditos vitæ meæ, in quibus te offendi, & laudem tui minui, & à te summo bono cecidi, & proximum in casum traxi. Suscipe ergo Domine de mea misera vita residuum annorum meorum: pro his verò quos malè vivendo perdidi, quibus perditè vixi, cor contritum & humiliatum Deus ne despicias. Dies mei declinaverunt, & perierunt sine fructu. Impossibile est ut eos revocem: sed placeat tibi, ut recogitem illos in amaritudine animæ meæ. Domine abyssus profundissima miseriæ meæ, abyssum invocat altissimæ misericordiæ tuæ. Ne contineas in ira miserationes tuas, & fontem inexhaustum misericordiæ tuæ circa me exsiccari ne permittas propter peccata mea, qui misereris omnium, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Tuum est, Domine, remittere peccata: miserere mei, dum tempus est gratiæ & miserationis: & dum tempus est emendationis, da mereri gloriam benedictionis: ne in die consummationis me feriat verbum maledictionis.

Fac me quæso, Domine, assueta mala relinquere, & quæ tibi placent peragere: studium quod huc usque in peccatis exercui, te adjuvante deinceps in tua voluntate da ut exerceam: ut ubi abundavit delictum, tua gratia reabundet. Rogo te propter temetipsum, & per amorem piissimæ matris tuæ gloriosæ Virginis Mariæ, & per intercessionem omnium Sanctorum tuorum, atq; electarum tuarũ, ignosce omnibus peccatis, negligentiis & ignorantiis meis, & ne perdas me cum omnibus iniquitatibus meis, neq; in finẽ iratus reserves mala mea. Recordare, Domine Jesu, quia tuum non est perdere quidquam eorum quæ Pater tuus dedit tibi; quin tibi proprium est misereri semper & parcere; neminem perdere, sed salvare. Nam pater tuus misit te in mundum, non ut judices mundum, sed ut vitam habeamus per te; ut sis propitiatio nostra, & advocatus noster, non contra nos. Quod enim nos debuimus, tu solvisti; quod nos negleximus, tu luisti: quod nos negleximus, tu suppleſti. Proficiat

Proficiat ergo nunc, Domine, & in extremis meis, plenaria, imò superflua satisfactio amarissima mors tua, & precium inæstimabile fusi sanguinis tui, commemorationem satisfactionis tuæ, venerabile mysterium Corporis & Sanguinis tui, quod tibi quotidie offertur in Ecclesia pro salute fidelium servorum tuorum: in qua es tu ipse sacerdos & sacrificium, ille qui offert pariter & cui offertur, & hoc ipsum quod offertur, ad promerendam in præsenti gratiam, quam non mereor; & ad obtinendam in futurum requiem & gloriam, quam tua amarissima mors impetravit. Imperfectum meum, Domine JESU, oculi tui viderunt, sed tu pie, misericors & præstabilis super malitia, ne quæso imputes mihi ad æternum supplicium, qui omnia ad summum & perfectum bonum optimè, & perfectissimè, & sapientissimè præordinasti; & ne permittas me deleri de libro vitæ sed offer mihi portione quæ me contingit in subsidium, tuæ videlicet præcioſæ passionis, pro qua voluisti hominem habere tibi cohæredem in terra viventium.

Te igitur Domine, moveat & inclinet ad misericordiam humanæ fragilitatis consideratio, qui nosti quæ sit hominis substantia: & quòd non vanè constitueris hominem super terram: & conserva me opus tuæ pietatis, ne incassum circa ipsum laboraveris, neve infructuosa sit in me immaculati cruoris tui effusio. Tu qui es purificationem faciens peccatorum, præsta, ut emundatis per te peccatorum sordibus, illustratâque mentis acie cognoscam te, téque agnoscens in dilectione jugiter ad te tendam, ut felici tandem exitu ad te merear pervenire JESU CHRISTE Deus meus & Dominus meus. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis, &c.

JUBILUS SANCTI BERNARDI ABBATIS, IN COMMEMORATIONEM Dominicæ passionis, qui & rythmica constat modulatione.

IESU dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia;
Sed super mel & omnia
Eius dulcis præsentia.
Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm Jesus Dei filius.
Jesu spes pœnitentibus,
Quàm pius te petentibus,
Quàm bonus te quærentibus,
Sed quid invenientibus?
Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere:
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.
Jesum quæram in lectulo:
Clauso cordis cubiculo;
Privatim & in publico
Quæram amore sedulo.
Cum Maria diluculo
Jesum quæram in tumulo;
Clamore cordis querulo,
Mente quæram, non oculo.
Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus;
Jesu provolvar pedibus,
Strictis hærens amplexibus.
Jesu rex admirabilis
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.
Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.
Amor Jesu dulcissimus
Et verè suavissimus
Plus millies gratissimus,
Quàm dicere sufficimus.
Hoc probat eius Passio,
Hoc sanguinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur, & Dei visio.
Jesum omnes agnoscite,
Amorem eius poscite,
Jesum ardenter quærite,
Quærendo inardescite,
Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.
Jesus auctor clementiæ,
Totius spes lætitiæ,
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis delitiæ,

Jesu mi bone sentiam
Amoris tui copiam,
Da mihi per præsentiam
Tuam videre gloriam.
Quum dignè loqui nequeam
De te, tamen ne sileam:
Amor facit ut audeam,
Cùm de te solùm gaudeam.
Tua Jesu dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens sine fastidio,
Dans famem desiderio.
Qui te gustant esuriunt:
Qui bibunt, adhuc sitiunt:
Desiderare nesciunt
Nisi Jesum, quem diligunt.
Quem tuus amor ebriat,
Novit quid Jesus sapiat,
Quàm felix est, quem satiat?
Non est ultrà quòd cupiat.
Jesu, decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.
Desidero te millies
Mi Jesu, quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?
Amor tuus continuus
Mihi languor assiduus,
Mihi fructus mellifluus,
Est & vitæ perpetuus.
Jesu summa benignitas,
Mihi *cordis jucunditas, forte, *mei.
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringit charitas.
Bonum mihi diligere
Jesum, nil ultra quærere,
Mihi prorsus deficere,
Ut illi queam vivere.

O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ,
Te quærunt piæ lacrymæ,
Te clamor mentis intimæ.
Quocunque loco fuero,
Mecum Jesum desidero:
Quàm lætus, cum invenero?
Quàm felix, cum tenuero?
Tunc amplexus, tunc oscula,
Quæ vincunt mellis pocula:
Tunc felix Christi copula,
Sed in his parva morula.
Jam quod quæsivi, video:
Quod concupivi, teneo:
Amore Jesu langueo,
Et corde totus ardeo.
Jesus quum sic diligitur,
Hic amor non extinguitur:
Non tepescit, nec moritur,
Plus crescit, & accenditur.
Hic amor ardet jugiter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat & feliciter.
Hic amor missus cœlitus
Hæret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur spiritus.
O beatum incendium,
Et ardens desiderium.
O dulce refrigerium,
Amare Dei filium!
Jesu, flos matris virginis,
Amor nostræ dulcedinis,
Tibi laus, honor numinis,
Regnum beatitudinis.
Veni, veni rex optime,
Pater immensæ gloriæ,
Affulge menti clariùs,
Jam expectatus sæpius.

Jesu sole serenior,
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior,
Cæteris amabilior.
Cuius gustus sic afficit,
Cuius odor sic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio;
Tu mea gloriatio,
Jesu mundi salvatio.
Mi dilecte revertere,
Consors paternæ dexteræ:
Hostem vicisti prosperè,
Jam cœli regno fruere.
Sequar te quoque ierìs,
Mihi tolli non poteris,
Quum meum cor abstuleris
Jesu laus nostri generis.
Cœli cives occurrite,
Portas vestras attollite:
Triumphatori dicite,
Ave Jesu rex inclyte.
Rex virtutum, rex gloriæ,
Rex insignis victoriæ,
Jesu largitor veniæ,
Honor cœlestis patriæ.
Tu fons misericordiæ,
Tu veræ lumen patriæ;
Pelle nubem tristitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ.
Te cœli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat;
Jesus orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.
Jesus in pace imperat,
Quæ omnem sensum superat;
Hanc mea mens desiderat,
Et ea frui properat.
Jesus ad patrem rediit,
Cœleste regnum subiit:
Cor meum à me transiit:
Post Jesum simul abiit.
Quem prosequamur laudibus,
Votis, hymnis, & precibus:
Ut nos donet cœlestibus
Secum perfrui sedibus, AMEN.

ANNOTATIONES in Sermones S. BERNARDI.

AD HOMIL. II. super *Missus est.*

pag. 35. OPortebat à Principe mundi aliquamdiu celari divini consilii sacramentum.) *Dei Filius nasciturus ex Virgine, cur eam desponsari voluerit, sacri Doctores varias proferunt causas. Inter cæteras hæc una præcipua est, ut mysterium nati Messiæ Diabolo celaretur. Vi enim* Basil. *hom. de humana Christi generatione, &* Damasc. *lib. 4. de fid. c. 5. asserunt, Dæmon ex illa Isa. 7. testimonio*: Ecce Virgo concipiet, *noverat Christum de Virgine nasciturum. Eapropter diligentissime Virgines observabat, ut eius adventum agnosceret. Vt ergo Dominus illum eluderet, & in sua astutia comprehenderet, elegit Virginem Viro desponsatam, ut partum non virginitati, sed matrimonio adscriberet. Hanc causam reddit* Ignat. *Epist. ad Ephes.* Ori-

Cur Christus de Virgine desponsata nasci voluerit.

gen. *hom.* 16. *in Luc. & hom.* 1. *in diu. locos.* Basil. *l. cit.* Ambr. *Luc.* 1. & Hieron. *Matth.* 1. *Sed* hanc rationem, (*dicit quidam recens & celebris Evangeliorum Interpres,*) malo libere fateri me non intelligere, quam temere reprehendere. Non, inquam, intelligo, quomodo Diabolus Mariæ virginitatem, si modo adverterit, potuerit ignorare, cum integrum & incorruptum corpus, quamvis nuptæ, videre possit. *Itaque ob Doctorum auctoritatem, caussa hæc declaranda est. Nec enim diffiteor, prima facie parum videri efficacem, cum Dæmon cognoscere facile possit, virginitatem fœminæ, & quid agatur inter conjuges. Et quidem certum est, Dominum voluisse adventum suum celare Dæmonibus, ne, ut dicit* Ambros. *impediret mortem eius, quæ erat redempturus mundum* 1. *Corinth.* 2. Nemo Principium cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. *Deinde certum est etiam illud, Dæmonem subtilitate intellectus sui & acumine naturali potuisse cognoscere, beatam Virginem post partum mansisse Virginem, & incorruptam. Nam si homini nota & manifesta esse potest fœminæ virginitas, multò magis Dæmoni: Deo tamen permittente & volente, Dæmon non animadvertit. Cernens enim illam esse conjugatam, cætera speculari contempsit, matrimonio omnem illi impediente suspicionem, credidítque partum esse ex utero: cui sciebat fœminam esse desponsatam, sicque deceptus per desponsationem, non quod non posset virtute naturæ suæ Dæmon agnoscere virginitatem, sed quod investigare in conjugata non curaverit: eâque de caussa non prius Conceptio Christi annunciatur, quam Virgo esset Viro desponsata. Dæmon enim iis quæ recte & juste fiunt, parum intendit. Caussa igitur à tot tantisque doctoribus tradita hac via & modo intelligenda est. Ita fere* Cardin. Toletus *in Luc. c.* 1. *Sed in hæc ratio tuendi illam Patrum sententiam, Lectori singula discutienti satisfaciat, nescio. Mihi quidem videtur non vacare scrupulo. Quis non statim replicet, justorum actiones multò studiosius observare Diabolum, vel ut calumnietur, (iuxta nomen suum) vel ut labem aspergat? Exemplum habemus in Iob. Et quidem B. Virginis vitam & actiones diligentius observasse, quis dubitet; eo quod illam desponsatam videret, quam ex voto perpetuæ castitatis, virum non debere cognoscere sciebat: num forte contra votum ageret? Itaque malin usurpare verba Interpretis, paulò ante recitata.*

Maldon.

AD SERM. I. in Cœna Domini.

pag. 222. De tribus itaque Sacramentis, &c.) *Hoc Sermone Bernardus pedum ablutionem Sacramentis annumerat, uti & facit* Auctor *Sermonum de operibus Christi cardinalibus apud Cyprianum. Sed NOTA, generalius ab iis usurpatum nomen Sacramenti, ut quæcunque rerum sacrarum signa complectatur.*

AD SERM. II. Pentecost.

pag. 297. Spiritus Sanctus qui certissima signa prædestinationis tuæ cordi tuo imprimat & ostendat,) *Ad damnata Sectariorum huius sæculi dogmata pertinet,*

pertinet, unicuique Christiano pro certo persuasum esse debere, se esse prædestinatum, atque in numero salvandorum, scilicet ea certitudine, cui falsum subesse nequeat. Itaq; cave putes verba Bern. horum errori favere. Nam certissima signa prædestinationis Bernardo dicuntur, non quæ falsa esse nullo modo queant, sed quæ certissima sint in genere signorum, seu conjecturarum probabilium. Hæc autem eo certiora cordibus fidelium imprimuntur, quo magis quisque in vita Christiana profecerit. *Contra fidem specialem Sectariorum.*

Per te restauratus gratiæ Theophilus.) *Sub Iustiniano Imperatore, Theophilus in oppido Ciliciæ Adana Oeconomus, sive, ut alii volunt, Archidiaconus Ecclesiæ fuit: multis quidem gratus, & Episcopali munere, quod tamen constanter detractavit, dignus habitus. Qui ab æmulis per iniuriam accusatus, & de officio deiectus, in eam animi impotentiam adeóque impietatem devenit, ut seductori Iudæo, itemque mago obsequutus, Christum Dei Filium, ac Matrem eius Mariam data syngrapha turpissime abnegaret, seque totum potestati Sathanæ, qui se conspicuum obtulerat, traderet ac manciparet. Sed totus deinde animo perturbatus, ut nusquam posset consistere, neque enim est pax aut quies impiis, tandem ad sanctissimam Dei Matrem confugit, ac templum ei sacrum petiit, in quo precibus ac jeiuniis deditus, quadraginta dies permansit: nullúmque orandi ac plorandi finem fecit, quousque demum opitulante Virgine Deipara, scriptam & consignatam Diabolo syngraphum recepit, in Dei gratiam rediit, & publice per Episcopum Ecclesiæ reconciliatus est. Vide* Metaphrast. 4. *Febr.* Honor. *Serm. 1. de Assumpt. Mar.* Antonin. 4. *p. Summ. Tit. 15. Sed illustre est de eodem testimonium* B. Petri Dam. Quid tibi, *ait,* negabitur Maria, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare? Infelicem animulam, totum illud quod in te factum est, proprio charactere denegantem, de luto fæcis & miseriæ sublevasti. Nil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. *Ita ille Serm. 1. de Nat. B. V. Vide* Canisium *in Opere Mariano lib. 5. c. 20.* Spinell. *in Throno Deiparæ.* pag. 385. *Theophilus se Dæmoni devovens, mira per B. Vir. liberatus.*

AD SERM II. de Omnibus Sanctis.

Interim sub Altari eos esse & non supra... Adhuc ergo signatum est super eos lumen vult. Dom. & licet non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebit eos lœtit. cum vultu suo.) *Plura eiusmodi loca occurrent in Bernardo, quibus eorum videtur accedere sententiæ, qui docent animas justorum post hanc vitam, ante generalem corporum resurrectionem, & extremum judicium, non admitti ad illam beatitudinem quæ in Dei visione consistit: sed interim versari in quadam felicitate imperfecta, quæ dolorem quidem omnem excluderet, refrigerium, quietem, lucem, gaudium præstaret, nondum tamen earum desiderium expleret. Hoc docuisse ferunt Ioannem XXII. Pontif. & Parisiensib. Theol. idem mandasse docendum.* pag. 407.

dum. Huic, inquam, opinioni videtur favere Bernardus compluribus locis, quibus hic simul & semel antidotum adhibere non abs re fuerit. Nam præter verba citata rursus Serm. 3. de Omnib. SS. *tres facit animarum sanctarum status,* primum *in corpore corruptibili,* secundum *sine corpore,* tertium *in beatitudine consummata: primum in tabernaculis, secundum in atriis tertium in domo Dei, in quam domum negat eas sine corporibus intraturas. Et* Serm. 4. *dicit animas Martyrum esse sub Altari, quia solum vident Christi humanitatem, post corporum autem resurrectionem exaltandas esse super Altare ad videndum eius divinitatem. Similis locus est Ser. 4. in Dedicat. Eccles. & alibi.*

Porrò communis SS. Patrum & Ecclesiæ Doctorum sententia est, Animas piorum corporibus solutas non modò jam cœlo receptas esse, & cum Christo regnare, sed simpliciter beatas esse, & Dei conspectu frui.

De Augustini circa hanc quæstionem sententia varii censent. Sunt qui putent, illum de loco animarum justarum hæsisse ancipitem: Vtrum jam in cœlo sint, an alibi. Lib. *de cura pro mort. c. 3.* Ench. *c. 108* Lib. 12. *de Civ. cap. 19. & alibi, Animas justorum collocat in occultis sedibus, in secretis & abditis receptaculis.* Tract. 49. in Joan. *intra ea quæ promissa illis & nondum præstita, numerat vitam æternam cum Angelis, &* Lib. 1. Retract. *c. 14. dicit meritò quæri de sanctis hominibus jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, in qua sanctos Angelos esse non dubitatur. Vide similia apud eundem* Lib. 12. de Gen. *ad lit. cap. 35. Item in Psal. 36.* Post hanc vitam, *inquit,* nondum eris, ubi erunt Sancti, quibus dicetur: Venite benedicti. *&c. v.* Epist. 111. *ad Fortun.* Trac. 53. *& 111. in Ioan.* Expos. Ps. 85. *& com. 1. sup. Ps.* 48. Lib. de spir. & lit. *c. 21. Quibus locis significat pios non admittendos ad visionem beatificam ante extremum judicium.*

Verum non de loco, sed potius de statu animarum ambigere Augustinum, studiosus eius Lector advertet. Sensit quippe, Animas Sanctorum videre quidem Deum facie ad faciem, sed non ita perfecte, quomodo videbunt post resurrectionem, idque propterea, quod naturalis earum appetitus, quo feruntur erga corpus, ut ei rursum uniantur, ipsumq; administrent, remoretur eas, quo minus tota intensione ferantur in Deum, & proinde nondum pervenerint ad æqualitatem Angelorum, qui nullo impedimento retardantur, quo minus toti ferantur in Deum. Hoc ipsum tamen non ita sentit Augustinus, ut id pro certo haberet. Nam licet lib. 22. de Gen. ad litt. *id affirmare videatur, attamen postea* lib. 1. Retr. cap. 14. *significat se adhuc dubitare. Quæ quidem Quæstio, ne nunc quidem omnino determinata est, nisi quod* Concilium Florentinum, *cum dicit Sanctorum animas perfecta frui felicitate, perfectiori tamen fruituras cum suis corporibus, postquam resurrexerint, videri cuiquam possit, ad Augustini sententiam deflectere. Quamvis hoc alii rectius non de intensiori, sed extensiori beatitudine putent esse intelligendū, propter beatitudinem corporis, quæ ad priorem animæ beatitudinē accedet.*

Eodem

Eodem modo verba S. Bernardi intelligenda sunt. Tantum enim negat animas Sanctorum tam perfectè nunc videre Deum, quàm visuræ sint receptis corporibus. Nam hoc eum sentire, probant ista verba Serm. 3. de Omn. SS. quibus sic carnem alloquitur: Animæ sanctæ te desiderant: ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in iis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, & rugam faciat, dum inclinatur desiderio tui.

Sic Bernardus Augustini sententiam ea in re sequutus, quam & sequitur S. Tom. Bonavent. Richard. & Marsil. *scribentes in* dist. 49. 4. sent. *Tametsi S. Thom. sententiam postea mutarit. Nam* 1. 2. *q.* 4. *a.* 5. *aperte docet, quod resumpto corpore beatitudo animæ crescet non intensive sed extensive.*

Cæterum de statu Animarum sanctarum post hanc vitam, nempe quod fruantur visione divina Bernardus satis aperte suam promit sententiam variis in locis. Nam lib. de dilig. Deo, *circa finem dicit Martyres immersos esse immenso pelago æterni luminis, & luminosæ æternitatis. Et* Epist. *ad Fratres de Hyber. dicit animam Malachiæ, non jam in fide ambulare, sed in specie regnare. Et* Serm. de eodem, *dicit eum pari gloria & felicitate regnare cum Angelis,* Serm. 3. *in die Palm. num.* 5. Serm. 1. *Pentecost.* Serm. 2. *de Ascens. Item* Serm. 6. in Cant. *dicit quosdam jam meruisse introduci in Sancta Sanctorum, ubi videant faciem stantis, id est, claritatem incommutabilis Dei. Similia quædam generaliter de Sanctorum animabus testatur* Serm. 4. & 5. *de Omn. SS. de* Obitu Humberti. *Epist.* 98. *n.* 8. *rursus Epist.* 266. *& alibi sæpius. Vide Bened. Justin. in Epist. ad Philip. cap.* 1. *v.* 21. *in illa verba:* Mihi vivere Christus est, & mori lucrum, *ubi observat ex Chrysost. Teoph. & aliis. Non vere pro lucro habendam esse mortem, nisi statim justorum animæ, ad Dei conspectum evehantur.*

AD SERM. I. De verbis Isaiæ cap. 6. *Vide Dominum, &c.*

Corrigi Notam marginalem, hoc modo: Hi sermones in verba Isaiæ hoc loco statim post festum Omn. SS. ponuntur, eo quod ex Prophetia Isaiæ desumptum Resp. Vidi Dominum, *in Officio Matut. legitur initio Novemb.* pag. 427.

AD SERM. IV. De Dedicatione.

De atriis, quæ animas justorum hinc exeuntes excipiunt, minus commodam videtur habere sententiam. Sed hac de re paulo ante satis egimus. Vide Cornel. 6. *Apoc. v.* 9. *Ibidemque* Pererium *Disput.* Bellarm. *l.* 1. *de Beatit. SS. c.* 3. pag. 490.

AD SERM. XIII. In Psalm. *Qui habitat.*

Proxime lectum est vobis de beatissimo Patre nostro Benedicto, quod... vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea, *&c.) Lege historiam apud* S. Gregorium M. *lib.* 2. *Dial. c.* 35. *Vide etiam* Petrum Abb. *Clun. lib.* 3. *Epist.* 7. Sandæum *in Theol. varia.* pag. 546.

AD

AD SERM. XLVI. De Diversis.

pag. 696. Periit virtus illa à me.) *Nempe virginitas. His verbis movetur Bellarm. ut Sermonem non putet esse Bernardi, quem satis constat, virginitatis lauream ad extremum usque spiritum servasse illibatam. Et certe alterutrum sequi videtur, ut aut Sermo non sit Bernardi, aut Bernardus non sit virgo. Sed quid vetat utrumque & Sermonem & Virginitatem Bernardo asserere, verbis his ne quidquam obstantibus? Nec enim inusitatum Sanctis, & Prædicatoribus verbi divini, subinde loqui ex persona auditorum, & in seipsos quasi derivare ac transferre peccatum, quod castigare statuerunt. Nescio enim quis dixerit: suavem corripiendi modum esse, si quis vitiis, quod acrius perstringere vult, censuram contra seipsum, vult eiusdem culpæ affinem, dirigat. Nam durius & acerbius ferit correptio, quæ ab innocente contra noxios procedit. Tales corripiendi & loquendi formulas non raro apud Hieron. itémque Bern. nostrum reperies. Nempe didicerunt ab Apost. omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaciant. Et medicus, debet quodammodo cum infirmo infirmari, si velit felicius curare. Sed an non Christum sæpe legimus in persona peccatoris loquutum, & totius humani generis peccata quasi sua reputantem? Hinc illa*: Longe à salute mea verba delictorum meorum. *Et similia in Psalmis multa.*

Itaque, ut ad Bernardum revertar, dico eum ex persona Auditorum loqui, velut inquirentem, quid illis restet apud Virginem Deiparam, quibus non licet cum ipsa de salva virginitate gloriari. Porrò in tanto Religiosorum numero, quis dubitet fuisse, qui post factum virginitatis pridem in sæculo naufragium, tabulam pœnitentiæ in Monasterio apprehenderint?

AD SERM. L. De Diversis.

Non dicit Ecclesiasten aut Ididan. *Salomon jussu divino per Nathan*
pag. 699. *Prophetam vocatus est,* Amabilis Domino, *Hebraicè,* Iedidejah. *Ex quo facilioris pronunciationis gratia formatum,* Idida. *Itaque fuit binomius, licet hoc nomen extet tantum* 2. Reg. 12. v. 25. *Immò trinomius, si addas nomen* Ecclesiastæ.

Finis ANNOT. in Sermones S. BERNARDI.

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Quæ in his Sermonibus S. P. BERNARDI tum fusius tum succinctius explicantur.

Ex Genesi.

2. *d.* Immisit Dominus soporem in Adam. 152
3 *a.* Cur præcepit vobis Dom. Deus, ne comed. de ligno scient. boni & mali? &c. 625
3. *a.* Ex omni ligno Paradisi comed. de ligno autem scient. boni & mali dixit nob. ne comed. 463
3. *a.* Eritis sicut Dii scient. bonum & malum. 91
3. *b.* Vidit mulier lignum, quod esset pulchrum visu ad vescendum suave. 463
3. *b.* Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, &c. 492
3. *c.* Pro eo, quod obedisti voci uxoris tuæ plusquam meæ, maledicta terra in opere tuo. 715
28. *d.* Verè Dom. est in loco isto, & ego nesciebam. 490
49. *a* Ruben primogenitus meus non crescas: ascendisti enim cubile Patris tui. 657

Ex Exodo.

3. *a* Videbat quod rubus arderet, & non combureretur. 31
16. *b.* Hodie scietis, quia veniet Dom. & manè videbitis gloriam eius. 64

Ex Levitico.

12. *a* Mulier si susceptο semine pepererit masculum, &c. 147
20. *a* Sanctific. hodie, & estote parati, die enim crastina videbitis majestatem Dei in vobis. 75. 76.

Ex Deuteronomio.

6. *a* Diliges Dom. Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex rota virtute tua. 648
14 *Prohibetur esus carnis porcinæ.* 59
32. *d* Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. 174

Ex Josue.

5 *a Lapideo cultello à Iesu Nave facta est circumcisio.* 126

Ex Lib. Indicum.

6. *g Nunc vellus, nunc area rore perfunditur.* 32

Ex I. Regum.

15. *g.* Lugebat Samuel Saulem, &c. 341
18 *a De pugna & victoria Davidis adversus Goliath.* 320
19 *a* Timuit Elias Jezabel, & surgens abiit quocunque tulit eum voluntas, &c. 746

Ex II. Regum.

13. *f. David lugebat parricidam filium.* 341

Ex IV. Regum.

2. *b.* Oro, ut fiat spiritus tuus duplex in me. Rem diffic. postul. attamen si vid. quando tollar à te, erit quod petisti. 274. 290
4. *f.* Erat fames in terra, & filii Prophetarum habitabant coram Eliseo, quibus fecit apponi pulmentum, &c. 747
5. *a.* Vade, & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua. 256

Ex Job.

5. *c.* In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. 644
7. *a.* Tentatio est vita hominis super terram. 565
7. *a.* Si dormiero, dico, quando consurgam? & rursum expectabo vesperam. 577
7. *d.* O custos hominum, quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsi gravis. 420
14. *a.* Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. 217

19. c. Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum. 586
29. c. Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, &c. 341
40. c. Absorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Jordanis in os eius. 514

Ex Psalmis.

1. a. Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. 173 & 174
5. a. Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. 253
8. a. Minuisti eum paulo minus ab Angelis. 390
13. a. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. 724
14. a. Dom. quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula. 410
15. a. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelleraverunt. 725
17. g. Populus, quem non cognovi, servivit mihi. 726
17. g. In auditu auris obedivit mihi. 684
20. a. Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. 725
22. b. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. 225
23. a Quis ascendet in montem Dom. aut quis &c. *usque ad finem.* 654. & seqq.
23. a Quis ascendet in montem Dom. 711
24. b. Universæ viæ Domini misericordia & veritas. 567
31. a. Conversus in ærumna mea, dum configitur spina. 363
32. b. Hæc est generatio quærentium Dom. quærentiũ faciem Dei Jacob. 667. & seq.
33. b. Timete Dom. omnes SS. eius. 417
33. c. Inquire pacem & persequere eam. 285
33. d Multæ tribulationes justorum, sed de omnibus his liberabit eos Dom. custodit Dom. omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. 584. & seq. *fusè*
36. a Delectare in Dom. & dabit tibi petitiones cordis tui. 117
37. a. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum; & sicut onus grave gravatæ sunt super me. 554
37. b. Dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. 463
38. c. Remitte mihi, ut refrigerer. 113
39. d. Ego autem mendicus sum & pauper, Dom. sollicitus est mei. 487
41. a. Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. 636
45. b. Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. 573
47. b. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. 144
48. c. Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. 102. 498. 509. 599
48. c. Sicut oves in inferno positi sunt; mors depascet eos. 618
56. a. Miserere mei Deus secundum magnam miser. tuam. 602
50. c. Ne projicias me à facie tua, & Spir. S. tuum ne auferas à me, &c. 301
52. a. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. 723
56. a. Lingua eorum gladius acutus. 613
57. a. Sicut aspidis surdæ & obturantis aures, quæ non exaudiet vocem incantant. 546
58. b. Fortitudinem meam ad te custodiam. 685
61. c. Semel locutus est Deus. 582
62. a. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. 21
63. b. Accedet homo ad cor altum, & exultabitur Deus. 158
64. c. Valles abundabunt frumento. 174
65. c. Transivimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium. 425
71. a. Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. 32
72. c. Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. 196. 509
72. d. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. 593
76. a Renuit consolari auima mea; memor fui Dei & delectatus. 616

83. *a.* Quam dilecta tabernacula tua Dom. virtutum. 726
83. *b.* Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposu. 359.594
84. *b.* Audiam quid loquatur in me Dom. Deus. 593
84. *c.* Ut inhabitet gloria in terra nostra; misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt. 179. & seqq. *fusè.*
85. *a.* Custodi animam meam, quoniam sanctus sum 672
86. *a.* Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. 425
88. *c.* Justitia & Judicium Præparatio sedis tuæ. 11. 13
88. *c.* Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in justitia tua exultabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es. 332
90. a *Totus Psalmus 90. ordine explanatur à pag.* 492. *usque ad* 565 *fusè & eleganter.*
90. *b.* Cadent à latere tuo mille, & decem mille à dextris tuis. 198
93. *d.* Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto. 752
94. *b.* Populus eius & oves pascuæ eius: hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. 583
101. *a.* Ossa mea ut cremium aruerunt. 586
101. *b.* Quia cinerem tanquam panem manducabam. 363
102. *b.* Secundùm altitudinem cæli à terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se. 271
103. Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ. 276
106. *a.* Erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt. 313. 565
114. *b.* Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dom. benefecit tibi. 404. 530
114. *b* Eripuit animam meam de morte. 426
115. *a* Pretiosa in conspectu Dom. mors SS. eius. 713
117. *d.* Benedictus qui venit in nomine Dom. Deus Dom. & illuxit nobis. 102
118. *n.* Super omnes docentes me intellexi. 300
118. *o.* Anima mea in manibus meis semper. 67
118. *x.* Pax multa diligentibus legem tuam Dom. & non est illis scandalum. 638
132. *a.* Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum. 364. 727.
138. *c.* Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. 543
139. *b* Obumbrasti super caput meum in die belli. 503
142. *a.* Non intres in judicium cum servo tuo Domine. 401
142. *b.* Auditam fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speravi. 190
144. *b.* Memoriam abundantiæ tuæ eructabunt. 10
144. *b.* Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. 494

Ex Proverbiis.

4. *d.* Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. 615. 728
10. Gloria patris, filius sapiens. 57
16. *a.* Universa propter semetipsum operatus est Dom. 300
18. *d.* Mors & vita in manibus linguæ. 614
23. *a.* Sedisti ad mensam divitis, diligenter attende, quæ apponuntur tibi, & scito, quoniam talia oportet te præparare. 225. & seqq.
24. *b.* Justus septies in die cadit. 496
25. *b.* Mel inveniſti? noli multum comedere ne fortè satiatus evomas illud. 730
27. *c.* *Ejiciunt de domo inhabitantem*, fumus stilli, cidia & mala uxor. *juxta LXX.* 603
30 *b.* Divitias & paupertatem ne dederis mihi. 169
31. *a.* Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium eius. 31

Ex Ecclesiaste.

1. *d.* Quia qui addit scientiā, addit & dolorē. 65
7. *c.* Noli nimium justus esse. 03. 756
9. *a.* Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta. 150
10. *b.* Initium omnis peccati superbia. 2
11. *a.* Sive ad Austrum, sive ad Aquilonem arbor ceciderit, ibi erit. 731
15. *c.* Nō est speciosa laus inore peccatoris. 728

22. De stercore boum lapidatus est piger. 769

Ex Canticis.

1. a. Osculetur me osculo oris sui. 733. 736. 769
1. a. Introduxit me Rex in cellaria sua. 742
1. d. Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. 357
2. a. Ego flos campi. 8
2. a. Læva eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. 70. 413
3. d. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem 120. *fusè & pulchre.* 699
4. a. Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lavacris, &c. 744
4. d. Emissiones tuæ paradisus. 739
5. a. Veni in hortum meum soror mea sponsa. 742.
5. a. Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi. 734
6. b. Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra, ut luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. 740
6. d. Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te. 769
8. b. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens? 354
8. d. Fuge dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes Bethel. 529

Ex Sapientia.

1. a. In simplicitate cordis quærite illum. 671
2. b. Non nos prætereat flos temporis, coronemus nos rosis antequam marcescant. Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, &c. 566
8. a. Attingit ergò usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. 602
9. b. Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. 273
10. a. Justum deduxit Dom. per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, &c. 622
11. a. Omnia fecisti in pondere & mensura, & numero. 731

Ex Ecclesiastico.

1. c. Timor Domini expellit peccatum. 592
7. d. Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. 592. & 600
20. d. Sapientia abscondita & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? 738
30. d. Miserere animæ tuæ placens Deo. 673
31. a Beatus vir, qui post Aurum non abiit nec speravit in thesauris pecuniæ. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. 404
44. b. Hi sunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt: cum semine eorum permanent bona. 317

Ex Isaia.

4. a. Erit in die illa germen Dom. in magnificentia & gloria & fructus terræ sublimis, & exultatio his, qui salvati fuerint de Israel. 295
7. c. Ut sciat reprobare malum & eligere bonum. 95
11. a. Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Dom. &c. 31. & 189
12. a. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. 86. 87. & 748
38. a. Ego dixi in dimidio dierum meorū vadam ad portas inferi &c. *totum hoc canticū ordine explicatur 574. & seqq. fusè & elegant.*
40. a. Consolamini, consol. dicit Dom. Deus vester. 99. & 101
53. a. Vidimus eum, & non erat species, neque decor &c. 427
55. b. Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. 162

Ex Jeremia.

15. d. Si separaveris pretiosum à vili, tanquam os meum eris. 531

Ex Threnis.

3. c. Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit; quia levavit se super se. 313
3. c. Bonus es, Domine sperantibus in te, animæ quærenti te. 529
4. a. Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. 573

Ex Ezechiele.

14. d. Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Job. 662
18. g. Nunquid voluntatis meæ est mors impii, & non magis ut convertatur & vivat. 100

36. c Propter memetipsum ego faciam, non propter vos. 63

Ex Osee.

7. c. Comederunt alieni robur eius, & ignoravit. 159. & 348

Ex Joele.

2. c. Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, & fletu, & planctu; & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra ait Dom. Omnip. *fusè & pulchrè.* 158. *& seqq.*

Ex Habacuc.

2. a. Expectat illum, quia veniens veniet, & non tardabit. 290

2. a. Super custodiam meam stabo, & figam gradum in munitionem: ut videam qui dicat mihi, & quid respondeam ad arguentem me. 583

3. b. Incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius. 538

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex S. Matthæo.

1. c. Joseph autem vir eius cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. 36. *fusè & elegant.*

2. a. Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Judæ. 56. 57. & seq.

2. a. Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? &c. 122. & seq. *fusè & pulchrè.*

2. b Obtulerunt Magi Aurum, Thus & Myrrham. 123

3. b. Genimina Viperarum, quis demonstravit vos fugere à ventura ira? facite dignos fructus pœnitentiæ. 532

3. d. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? 118

4. a. *Christus tentatur à Diabolo.* 507

4. c. Vidit Dom. Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me, &c. 464

5. a. Videns autem Jesus turbas ascendit in montem, & cum sedisset, &c. *usq; ad vers.* 13. 396. & seqq. *fusè & elegant.*

5. b. Luceat lux vestra coram hominibus, 304

6. b. *Oratio Dominica ex parte explicatur.* 168

6. c. Nolite fieri sicut hypocritæ tristes &c. 156

6. c. Tu cum jejunaveris, unge caput tuum, & faciem tuam lava. 154. & seq. *fusè.*

6. d Primum quærite regnum Dei, & justitiam eius, & omnia adjicientur vobis. 504

9. a. Cõfide, fili, remittũtur tibi peccata tua. 635

11 c. Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis & fiet vobis. 276

11. d. Venite ad me, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. 554. 639

11. d. Discite á me, quia mitis sum, & humilis corde. 15

11. d. Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meũ leve. 554. 752

12. c. Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die Judicii. 612

13. f. Ibi erit fletus & stridor dentium. 522

13. f. Simile est regnum cœlorum Thesauro abscondito in agro &c. 714

14. *Petrus timore vacillans mergi cœpit.* 322

15. d. Misereor supra turbam, quia jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, &c. 323. *& seqq.*

16. d. Vade post me Satana. 489

18. a. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, &c. 392. *& seq.*

18. b. Si oculus tuus scandalizaverit te, erue eum &c. 394

21. a. Et cum appropinquasset Jerosolymis, & venisset Bethphage, &c. *usq; ad vers.* 10. 205 *& seqq. fusè.*

24. b. Beatus servus ille, quem cum venerit Dom. eius invenerit sic facientem. Amen dico vobis super omnia bona sua constituet eum. 411

25. a *Parabola fatuarum Virginum exponitur.* 349

25. a. Simile est regnum cælor. 10. Virg. quæ accipientes lampades suas. 704

26. c. Si fieri potest transeat à me calix iste. 258

27. c. Nihil tibi & justo illi, multa enim passa sum, &c. 243

Ex S. Marco.

16. c. Maria Magd. Maria Jac. & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. 85 86. 708

16. c. Recumbentibus undecim apparuit illis Jesus, & exprobravit incredulitatem eorum, &c. 267. & seqq.

Ex S. Luca.

1. *a.* Missus est Angelus Gabriel à DEO &c. *à versu 26. usque ad 39. explanatur mirè & eleganter à pag.* 23. *usque ad* 55

1. *c.* Missus est Gabriel Angel. à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. 192

1. *c.* Cogitabat qualis esset ista salutatio. 614

1. *c.* Ne timeas MARIA, invenisti enim gratiam apud Dom. 193

1. *d.* Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. 357. & 370

1. *d* Benedicta tu in mulieribus,& benedictus fructus ventris tui. 41. b. *pulchrè*

1. *e.* Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Beata quæ credidisti, &c. 373

1. *e.* Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. 296

2. *b.* Et invenietis infantem pannis involutum &c. 97. *& seqq.*

2. *c.* Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius JESUS. 104. *& seqq.*

2. *e.* Positus est hic in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius. 374. *pulchrè.*

2. *g.* Fili, quid feciisti nobis sic? quid erat, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? at illi non intellexerunt verbum. 258

2. *g.* Et erat subditus illis. 27

2. *g.* Jesus autem proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines. 33

6. *d.* Væ vobis divites,qui habetis consolationem vestram. 101

9. *a.* Qui vult venire post me,abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. 466.& 713

10. *c.* Videbam Satanam sicut fulgur cadentem de cœlo. 2

10. *g.* Intravit (Jesus) in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam &c. *à pag.* 345. *usque ad* 366. *tota hæc historia explicatur.*

11 *a.* Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicat illi: amice, commoda mihi tres panes. 266.*&c. piè.* 709

11. *d.* Beati qui audiunt Verbum Dei,& custodiunt illud. 632

12. *a* Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animæ autem non habent quid faciant,&c 548

12. *c.* Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis. 129

14. *b.* Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. 172, 620. *fusè.*

15. c. *Parabola de filio prodigo tropologica expositio.* 589

16. *d.* Portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. 412

17. *c.* Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis dicite: servi inutiles sumus. 185

17 *d.* Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt? non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. 641

18. *b.* Duo homines ascenderant in templum ut orarent unus Pharisæus & alter Publicanus,&c. 194

19. *c.* Negotiamini, dum venio. 688

23. *c.* Memento mei Dom. dum veneris in regnum tuum. 196

Ex S. Joanne.

1. *b.* Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. 716

1. *b.* Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. 360

1. *d.* Vidit eum Joan. venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. 118

1. *g.* Videbitis Angelos ascendentes & descendentes super filium hominis. 538

2. a. *Miraculum factum in nuptiis in Cana Galilææ exponitur fusè & elegant.* 129. *& seqq.*

2. *a.* Erant ibi positæ sex hydriæ secund. purit. Judæorum. 704. &c.

2. *b.* Servasti bonum vinum usque adhuc. 616

2. *g.* Sic eum volo manere, donec veniam. 102

3. *b.* Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit filius hominis, qui est in cælo. 709
5. *f.* Ille erat lucerna ardens & lucens. 304
7. *c.* Justum Judicium judicare. 166
11. *e.* Historia Lazari quatriduani, fœtentis, & à Dom. suscitati exponitur. 355
12. *a.* Maria accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesus. 737
12. *b.* Qui mihi ministrat, me sequatur. 712
13. *b.* Non est servus maior Domino suo. 112.
14. *b.* Qui credit in me opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet. 275
14. *c.* Si quis diligit me, sermonem meum servabit. & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus. 11
14. *d.* Si diligeretis me gauderetis utique; quia vado ad Patrem. 649
14. *d.* Pacem meam do vobis pacem meam relinquo vobis. 74
16. *b.* Ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam, nisi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos 277. & 289

Ex Actis Apostol.

1. *b.* Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. 271
1. *c.* Prævaricatus est Judas ut abiret in locum suum. 523
4. *f* Multitudinis autem credentium, erat cor unum & anima una. 154
5 *g.* Ibant gaudentes à conspectu concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. 292
9. *a.* Saule, Saule, quid me persequeris? &c. 138. *& seqq. fusè.*

Ex Epist. ad Romanos.

1. *c.* Invisibilia à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellectu conspiciuntur. 593
3. *c.* Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. 543
5. *a.* Quoniam tribulatio patientiam operatur. 562
7. *d.* Ego ipse mente consentio legi Dei, carne autem legi peccati, quæ est in membris meis. 169
8. *c.* Si secundum carnem vixeritis moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. 251
8. *c.* Quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt sancti. 568. & 671
8. *d.* Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 567
8. *f.* Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia etiam cum illo nobis donavit. 567
8. *f.* Quos enim præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. 511
12. *a.* Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. 606. & 763
12. *c.* Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. 337
12. *d.* Mihi vindicta & ego retribuam, dicit Dominus. 192
14. Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium in spiritu sancto. 165

Ex I. ad Corinth.

1. *b.* Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia, his autem, qui salvi fiunt, id est, nobis virtus Dei. 467
1. *d.* Qui gloriatur, in Dom. glorietur. 586. &c. *fusè.*
3. *a.* Cum enim sit inter vos Zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? 392
3. *c.* Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis ædificaverit super fundam. hoc lignum, fœnum, stipulam, detrimentum patietur. Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 560
4. *a.* Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die, sed neque meipsum judico: nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me Dominus est. 587. 652. 659. & 717

4. *b.* Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 588
4. *b.* Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus. 719
5. *f.* Sicut portavimus imaginem terreni hominis portemus & imaginem cœlestis. 719
8. *b.* Providentes bona non tantum coram Deo; sed coram hominibus. 717
12. *a.* Alii datur sermo scientiæ, alii sermo sapientiæ. 735

Ex II. ad Corinth.

1. *a.* Benedictus Deus, & Pat. Dom. nost. Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. 99
1. *c.* Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. 14. 179. 405
4. *d.* Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ supramodum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 562. & 568.
5. *a.* Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis. 476
6. *d.* Glorificantes & portantes Deum, in corpor. vestris. 197
11. *g.* Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non aror. 341

Ex Epist. ad Galatas.

2. *d.* Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. 171
5. *d.* Si Spiritu vivimus, spiritu & ambulemus 628
6. *b.* Vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi, in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. 352
6. *d.* Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. 171

Ex Epist. ad Philippenses.

2. In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. 219
4. *a.* Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, 70
4. *a.* Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus prope est. 75

Ex Epist. ad Colos.

3. *a.* Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram. 285
3. *a.* Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. 171

Ex II. ad Thessal.

2. *a.* Ille extollitur supra omne, quod creditur, aut quod colitur Deus. 74

Ex I. ad Timotheum.

1. *a.* Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. 695
1. *d* Soli Deo honor & gloria. 543
2. *a.* Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, &c. 633
6. *b.* Qui volunt divites fieri in hoc sæculo, incidunt in tentationes & laqueum Diaboli. 498
6. *b.* Victum & vestitum habentes, his contenti sumus. 504

Ex Epistola ad Titum.

1. *c.* Erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus. 316. & 703
3. *b.* Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei. *fusè & pulchrè* 86. *Item* 114. *& seqq.*

Ex Epist. ad Hebræos.

1. *d.* Quoniam omnes administratorii sunt spiritus, missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. 389
10. *c.* Voluntariè enim peccanti, post cognitam gratiam non relinquitur hostia pro peccato. 644
12. *b.* Pacem sectamini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. 489

Ex Epist. S. Jacobi.

3. *d.* Sapientia quæ á Deo est, primum quidem pudica est; deinde pacifica. 632

Ex I. S. Petri.

2. *b.* Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos

grinos abstinere vos à carnalibus desideriis. 170
5. c. Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum; ipsi enim cura est de vobis. 528

Ex I. S. Joannis.

2. b. Charissimi nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: omne enim quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi. 263
5. a. Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum &c. *usque ad vers.* 9. 260. *&c. fusè.*
5. d. Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio cœlestis conservat illum. 149. & 581

Ex Apocalypsi.

5. b. Vicit Leo de tribu Juda, radix David, dignus aperire librum & solvere septem signacula eius. 246. & 707
6. c. Vidi sub altare animas interfectorum, 412
6. c. Sustinete modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum vestrorum. 409
Vindica Dom. Sanguinem Sanctorum tuorum qui effusus est. *ibid.*
12. a. Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. 366. *& seqq. fusè & eleganter.*
14. a. Et cantabant quasi Canticum novum ante sedem, 410

FINIS Indicis Sacræ Scripturæ.

INDEX RERUM VERBORUM ET LOCORUM COMMUNIUM

In Sermones Sancti P. BERNARDI locupletissimus.

A*Brahami* obedientia. 447
Quisnam sinus Abrahæ de quo Evangelista. 412

Acta, Actio.

Patrum Vet. Test. facta quædam significatione decora, etsi opere ipso fœda. 123

Adamus.

Vide Parentes, Homo.

Homo creatus filius Dei, & libero arbitrio donatus curiositate abducitur. 771
Duplex sopor primi Adam, & secundi. 152
Raptus Adami extaticus 153. Eius sopor non fuit communis aut nostro similis. *ibid.*
Status Adami ante peccatum ibid. Eius post lapsum miseria. *ibid.*
Adamo defuit vera esuries justitiæ, alias Deum potiùs quàm uxorem audisset. 401
Adami imitatores etiam hodie plurimi. *ibid.*
Adæ inhumanitas erga uxorem. 401
Christi & Adæ collatio. 130

Adjutorium.

Tria genera non habitantium in adiutorio Altissimi; scilicet, non sperantes, desperantes, & frustra sperantes. 294
Religiosi non sperantes in adjutorio Altissimi quinam. *ibid.*
Quinam in adiutorio Altissimi habitent. 495

Adventus.

Futurus Christi adventus cum primo & cum eius in cælum ascensione confertur. 271
Discrimen primi & secundi adventus. *ibid.*
Circumstantiæ adventus Domini pensandæ, nempe quis seu quantus: quare Filius venit in mundum, non Pater, aut Sp. S. 1. Unde & quo venerit Filius Dei, & ad quid venerit 4. Cur non potius homo ad

Deum, quam Deus ad hominem venerit. 5. Tempus adventus Dominici expenditur. *ibid.* Via per quam venit Filius Dei investigatur. *ibid.* De adventu Dei ad nos spirituali & invisibili. 6. Via adventus Dominici in carnem. *ibid.*
Adventus Domini quoad omnes circumstantias admirandus. 10
Cur celebretur eius adventus, qui nunquam aut nunquam defuit. *ibid.*
Triplex Domini adventus 11. & 17.
Quomodo securè secundum adventum Domini expectare liceat. 15
Primus Christi adventus spectat ad curam animæ: secundus ad curam corporis. 19. gloriosior secundus, quam primus. 21
De triplici utilitate adventus Christi. 22. Necessitas adventus Christi. *ibid.*
Triplici hominum miseriæ seu indigentiæ remedium adfert triplex Domini adventus seu præsentia. *ibid.*
Secundus adventus Domini severus. 129

Adulterium.

Historia Susannæ collata cum historia *adulteræ* Evang. 191
Adulti non nisi propriâ pœnitentia expiantur. 645

Affectio, Affectus.

Affectiones quatuor; in Christo ordinatæ ab utero. Quomodo purgandæ & ordinandæ. 699. Ordinatæ virtutes inordinatæ sunt perturbationes. 700
Rari, quorum affectus purgatus. 274
Affectus quidam boni per naturam, quidam per gratiam. 213

Afflictio.

Unde constet Deum nobiscum esse in tribulatione. 562
In tribulatione non præsentia & apparentia, sed futura & abscondita cogitanda. *ibid.*
In tribulatione spes gloriæ veluti messis in semente. *ibid.*
Tribulari bonum, modò Dominus nobiscum. 563
In tentationibus & tribulationibus invocandi SS. Angeli. 544
Brevitas tribulat. & æternitas retributionis veluti duæ manus, quibus afflicti supportentur ab Angelis. 545
Passio & crux, seu tribulatio via est ad gloriam. 196
Passio momentanea; glotia æterna. 568
Patientes modò cum Christo tandem regnabunt cum ipso. 428
Dei castigatio conditur misericordia. 583
In patiendo malum triplici providentia opus. 312
Tribulatio piis consolatio. 493
Afflictionis utilitas. 562

Agnus.

Agni innocentia. 119
Spiritualis *agriculturæ* elegans descriptio. 314

Ala.

Duabus alis naturæ & gratiæ, seu intellectu & affectu Seraphim feruntur in Deum. 440
Lucifer una tantum ala volare tentans cecidit. *ibid.*
Alæ, quibus caput Dei velant Seraphim sunt Admiratio & Veneratio, quarum altera defuit Lucifero. 442. Quomodo his alis velent caput. *ibid.*
Alæ quibus pedes velant prudentia & fidelitas. *ibid.*
Diabolis, quæ alæ competant, quæ minus. 443
Seraphim omnes conveniunt. 434
Sex alæ Seraphim. *ibid.* Earum multiplicitas quid sibi velit, 335. Cognitio & devotio alæ, quibus in Deum rapimur, *ibid.* securè volatur, ubi scientiam charitas comitatur. *ibid.* Caput vel pedes veluti alis quid significet. *ibid.*
Altare Dei, de quo S. Joan. in Apoc. quodnam. 412

Ambitio, Ambitiosi.

Vide, Honor, Gloria.

Ambitiosus non sapit, quæ Dei sunt. 28
Hominum perversitas in ambiendis honoribus. 172
Ambitio potestatis & eminentiæ pernicioſa ascensio. 278
Ambitiosi sectatores Satanæ. *ibid.*
Potestatis ambitio perdidit angelum. 279
Cupiditas potestatis & scientiæ quanti obnoxia periculis & malis. *ibid.*
Ambitio, quantum malum. 506. pulchra eiusdem

eiusdem descriptio. *ibid.* Plurimos ea perdidit. *ibid.* Antidotum tam pestilentis mali. *ibid.* Est adoratio Diaboli. 507
Ambitio hæreses, sectas ac schismata parit. *ib.*
Ingenium & mores ambitiosorum. *ibid.*
Nihil magis inglorium, quam gloriæ cupidum deprehendi. *ibid.*

Amor.

Vide Charitas.

Amor dulcis, prudens, & fortis. 648
Amor dulcis seu affectuosus excludit concupiscentiam carnis. 649. Prudens curiositatem; Fortis ambitionem. *ibid.*
Incarnationis & passionis Christi meditatio incentivum maximum amoris. 648
Ordinatè amandis inhæret, qui timenda non negligit. 700
Dilectio erga Deum tribus affectionibus excitatur & provehitur. 751
Duo amores carnalis & spiritualis. 756
Quinque sunt amores; qui comparantur quinque sensibus: ut amor parentum Tactui; socialis Gustui; natural. Odori; inimicorum Auditui; divinus Visui. 596
Amanti nihil grave vel difficile. 342
Amor sponsi & sponsæ qualis. 134
Amori divino adversatur tumor. 208
Amor & timor castellum animæ peccatricis sibi subjiciunt. 209
Moysis erga populum peccantem & murmurantem amor & mansuetudo. 342
Amor Dei non excludit amorem Sanctorum. 544
Sine amore Dei cæteri amores caduci. 595
Mariæ Magdalenæ excellens erga Christum dilectio pulchrè commendatur. 342

S. Andreas.

S. Andreæ elogium & vox crucem suspirantis. 610
Miro desiderio B. Andreas anhelat ad Crucē. 458
Fides B. Andreæ instar grani synapis; quo magis teritur, quo magis suam exerit vim & acrimoniam. *ibid.*
Non teretur minis aut suppliciis. *ibid.*
Crucem cupidissimè salutat. 465
Christus deprecatur mortem, Andreas desiderat. 461
Obedientiæ perfectæ exemplū in Andrea. 464
De passione B. Andreæ. *ibid.*
Unde B. Andreæ tantus animi fervor & fortitudo. 465

Angelus.

Angeli quàm nostræ salutis cupidi, & studiosi. 62. Officiosa erga nos charitas. *ibid.*
Angeli invitantur ad videndum Regem Christum. 120
Angeli quando, & quid nobis seminaverint. 170
Testimonium in cœlo ad discernendos Angelos beatos & reprobos. 264
Singulatrias reproborum Angelorum. *ibid.*
Angeli admirabundi in ascensu Virg. M. 354
Angelorum eminentia seu dignitas. 389
Eorundē erga nos dignatio & charitas. *ibid.*
Christus & Angeli ministrare veniunt, quo discrimine. 390
Angeli amant nos, quia nos Christus amavit. *ibid.*
Rationes ob quas Angeli pro nobis solliciti. *ibid.*
Angeli in nostrum auxilium seduli, propter Deum, propter nos, & propter seipsos. 391
Quam sollicite cavenda Angelorū offensa. *ibid.*
Virtutes & exercitia Angelis grata ac familiaria. *ibid.*
Unitas & pax præcipuè colenda ut placeamus Angelis. 392
Angeli amatores pacis deserunt contentiosos & unitatis hostes. *ibid.*
Angelicæ erga nos dilectionis & sollicitudinis obstacula. 393
SS. Angeli quare honorandi. 416
Angelos superbos cælo Deus expulit utique non admissurus homines. 430
Angelorum superborum infelicitas. 431
Christus ad reparandas ruinas Angelorum novos in terra condidit angelos, imo Seraphim, id est, homines igneos. 432
Statio Dom. Angeli & hominis diversa. 439
Ordines Angelorum & eorum nomina mysteriis plena. 446
Præsentia & custodia Angelorum Deus munit Ecclesias. 481
Viæ Angelorum ascensio & descensio. 537

Viæ Angelorum quomodo tendant ad vias Domini imitandas. 539
Angelorum aſcenſus & deſcenſus quomodo imitandus. 540
Immenſa Dei bonitas, quâ nos dignatur præſidiis Angelorum. 542
Quantum ſit Angelicæ cuſtodiæ elegantem expendatur. *ibid.*
Angelorum officium erga homines quod. *ibid.*
Reverentia Angelis debita. 543
Quantam Angelis gratitudinem, amorem & honorem debeamus. *ibid.*
Quàm neceſſaria nobis Angelorum protectio. 544
In tentationibus & tribulationibus invocandi SS. Angeli. *ibid.*
Brevitas tribulationis, & æternitas retributionis velut duæ manus, quibus afflicti ſupportentur ab Angelis. 545
Animæ defunctorum manibus Angelorum deportantur in cælum. 546
A SS. Angelis quærendum auxilium. 609
Et boni & mali Angeli in nos intendunt. 720
Anguli & latebræ vitandæ. 325

Anima, Animus.

Animæ potior habenda ratio quàm corporis. 19
Carnis maior cura quàm animæ, ſed hoc malorum eſt, odiſſe peccatum peccatum formidine pœnæ. *ibid.*
Cura animæ redundat in corpus, & ſalus corporis pendet ex ſalute animæ. 20
Perfecta felicitas animarum reſurrectioni reſervatur. 687
SS. Trinitatis veſtigium in anima hominis. 694
Quam grave & periculoſum ſit negotium cura animarum. 13. *pulchrè.*
Corpus quantum debeat animæ. 20
Corpus nihil ſine anima. *ibid.*
Animæ cura pro corpore tanquam bono & commodo hoſpite. 21
Anima regnum Chriſti, huic quæ Tyrannis infeſta. 48
Tres hoſtes animæ. 60
Anima quantum præſtet corpori. 91
Animæ ſæculares monentur ad videndum Regem Chriſtum. 120
Salutem animarum impedire graviſſima perſecutio. 139
Cibus animæ miſericordia, juſtitia, gratia. 189
Animæ ſalus corporis damno redimenda. 191
Anima peccatrix caſtellum, ad quod mittebantur duo Diſcipuli. 206
Chriſtus animarum medicus. 256. Septem nobis dedit purgationes. *ibid.*
Animæ in cælis beatæ elogia. 334
Anima membra ſibi cohærentia vivificans ſymbolum pacis & concordiæ. 392
Beatarum animarum triplex gaudium. 1. De certa expectatione futuræ conſummationis. 2 De exhibitione præſentis quietis 3. De recordatione tranſactæ virtutis. 407. & 408
Tres animarum ſanctarum ſtatus. 409
Animæ ſeparatæ ob deſiderium naturale ad corpus, minus liberè & perfectè feruntur in Deum. 410
Animæ ſanctæ orant pro conſummatione. 411
Vox laudis necdum eis competit. *ibid.*
Animæ triplex vis ſeu natura in Dei æterna viſione & beatit. adimplenda 414
Animæ noſtræ ſecundum ſe ſpectatæ miſeriæ. 486
Perſtringuntur ii, qui neglecta anima toti ſunt in cute & carne curanda. 531
Malum animæ peccatum. 132
Animæ defunctorum manibus Angelorum deportantur in cælum. 546
Anima quomodo cognoſcat ſeipſam. 585
Cutis, caro, & oſſa animæ. *ibid.*
Ex conſenſu & deliberatione delinquere eſt animæ oſſa frangere & vitam perdere. 596
Animæ corruptio triplex. 724
Animæ caſtrum quam multipliciter impugnetur. 729
Animæ tria erga corpus officia. 730
Animæ caſus irretractabilis. 731
Anima non eſt in corpore ut in loco, quamvis perperam affixa corporeis. *ibid.*
Quis ſanguis vitioſus, quis abundans in animæ minuendus. 763
Tres filiæ Regis, Fides, Spes, Charitas, quibus commiſſa una civitas, anima humana. 785

Apostasia Religiosis post relictum seculum magis pavenda & cavenda. 500

Apparitio.

Christi apparitio triplex 1. Magis per stellam facta. 2. Per speciem columbæ, & Patris vocem in Baptismo. 3. In Nuptiis per conversionem aquæ in vinũ. 117. & seq.
Prima cæteris mirabilior. 120
Trina Dom. apparitio quando celebretur 122
Quid in qualibet apparitione gestum. 124
Simplicitas humilis & gravitas verecunda nobis commendatur prima apparit. secunda lachrymæ devotionis. *ibid.*
De septem apparitionibus Christi resurgentis. 255
Ex his 7. dona Spiritus S. eruuntur. 259

Aqua.

Triplex aqua Salvatoris. 1. Oculorum, 2. Totius corporis, 3. Lateris. 456
Triplex aqua hominis: contritionis, mortificationis, sapientiæ. *ibid.* 1. Abluit conscientiam. 2. Restinguit concupiscentiam. 3. Potat animam. 457

Arbor.

Arbores in vallibus plantatæ felicius crescunt, sic justi in humilitate fundati proficiunt. 174
Discrimen arborum spiritualium. *ibid.*
Arbores infructuosæ sunt filij huius sæculi. *ibid.*
Arbores fructum facientes; sed non suum quinam. 175
S. Benedictus arbori frugiferæ comparatur 174. & seq.
Christus arbor mystica. 176

Ardor, Ardere.

Ardere simul & lucere perfectum est. 304
Sapiens potius curat ardere, quàm lucere *ibid.*
Ardor & splendor in Joan. Bapt. triplex. 305

Arma.

Arma contra hostem tollenda. 466
Armorum spiritualium necessitas. *ibid.*

Aromata.

Christus in sepulchro quomodo ungendus mysticè. 251
Tres mulieres: Mens, lingua, manus præsertim superioris. *ibid.*
Aromata primæ mulieris, id est, *Mentis*: compassionis affectus, Zelus rectitudinis, & spiritus discretionis. 252
A quo emenda spiritualia aromata mentis. 253
Tria secundæ mulieris, id est, *Linguæ* aromata: moderata correptio, copia sermonis, & efficacia eiusdem. *ibid.*
Tria hæc aromata nummo confessionis emenda. *ibid.*
Tertiæ mulieris, id est, *Manus* aromata, continentia, misericordia & patientia. 354

Ascensio, Ascensus.

Christi descensus & ascensus expenditur. 710
Ascensus triplex. *ibid.*
Christi descensus & ascensus quomodo à nobis imitandus. 711
Ascensio Christi clausula laborum eius. 270
Dolor & timor Apost. in ascensione Christi. *ibid.*
In ascensione adimpleta sunt omnia. *ibid.*
Futurus Christi adventus cum eius ascensione confertur. 271
Christus descendens, & quasi decrescens ascendit, & crevit. *ibid. & seqq.*
Solennitatis ascensionis Dom. elogia. 277. 283
Christus ascendens nos quoque docet ascendere. 278
Cavendum ne ascendamus cum satana, *ibid.*
Prima ascensio, quâ cum Christo ascendendum; cælestis gloriæ contemplatio in monte Thabor designata. 281
Altera ascensio, meditatio doctrinæ & prædicationis Evangelicæ, 282. Tertia Oratio. 283
Aliæ Christi ascensiones mysticè ad instructionem nostram expositæ. 283
Quarta ascensio super asinum; 5. Super crucem; 6. ad cælum. *ibid.*
Ascensio duplex cõmendatur ab Apostolo. 286

Asina.

Per asinam & pullum ad Christum adducendos humilis simplicitas & agilis libertas significatur. 209
Vincula quibus alligantur pravus pudor & timor. *ibid.* Quid sit solvi à Discipulis & ad Chr. adduci. 211
Quis contradicat discipulis hæc animalia solventibus,

ventibus. 212. Vestimenta his imposita quid signif. *ibid.*

Aspis.

Tentatio necessitatis corporalis aspidi comparatur. 552
Obstinati & pertinaces aspidi similes 547
Aspidis astus, ne capiatur voce incantantis. *ibid.*

Assumptio B. Virg.

Exultatio cælitum in assumptione B. Mariæ. 343
Gloria Assumpt. V. Deiparæ. 344. Ratio lectionis Evangelicæ. *ibid.* Christi generatio & Mariæ assumpt. inenarrabilis. *ibid.*
Angeli admirabundi in ascensu Virg. 354
Magis tamen admirandus Christi de cælo descensus. *ibid.*

Babylon.

Qui ædificent muros Babylonis. 206
Unde construatur hæc turris. 202
Quàm ægrè prosternatur. *ibid.*

Baptismus.

Baptismus parvulorum. 196
Quæ gratia Baptismi. 223
Circumcisio olim vice Baptismi. *ibid.*
De duplici baptismate. 597
Basilisci monstrosa natura. 552
Per eam inanis gloria notatur. *ibid.*
Basiliscus in oculo venenum gerit. 547

Beatitudo, Beati.

Beati non amplius passionibus vel affectibus obnoxii; misericordiæ tamen non expertes. 661
Ante obitum nemo dicitur beatus. 417
Beatitudo mortalium in timore Dei. 418
Aliter justis beatis aliter nobis in fide etiamnum ambulantibus exhibetur Deus. 420
Dei in perfecta beatitudine triplex fruitio. 414
Æternæ vitæ beatitudo in quo consistat. *ibid.*
Animæ humanæ triplex vis seu natura in æterna Dei visione & beatitud. adimplenda. 414. & 415
Septem beatitudines quomodo in anima hominis per Spirit. S. formentur. 782
Octo beatitudinibus totidem opponuntur peccata. 715. *& seq.* *pulchrè.*
Ante resurrectionem corporum non erit consummata beatitudo animarum. 734
Beatitudo status omnium bonorum aggregatione perfectus. 611

Benedictio.

Benedictio triplex nobis necessaria. 725

S. Benedictus.

Visio S. Benedicti. 546
S. Benedictus arbori frugiferæ & in valle plantatæ comparatur. 173
Arboris huius fructus. Pascit vita, doctrina intercessione. 176
S. Benedict. tribus annis latuit. 175

Beneficia Ecclesiast.

Vide Honores Eccl. Prælaturæ.

Ecclesiasticas dignitates & officia sacra perversè usurpãtes graviter perstringuntur. 508

S. Bernardus.

Humilis viri sancti confessio. 39. & 173
Recursum habet ad B. Virg. 135
Quàm illi arduum loqui de laudibus Virg. 356
Ignitum eius eloquium. 219
Convivium spirituale adornat suis. 195
Humilis eius excusatio. 533
Zelus in eo regulæ, qui nec labores detrectat, si corporis vires ferrent. 534
E manibus eius manus monachorum evolarunt. 624
Desiderium & affectus Bern. è turbis hominum & negotiorũ ad suos revertẽtis. 667
Bethania quid significet. 205

Bethleem.

Dignatio Christi potius in Bethleem quàm Jerusalem nascentis. 58
Bethleem & Judæ allegorica expositio. *ibid.*
Bethleem mystica & moralis expositio. 83
Bethphage quid significet. 205

Bonum, Bona, Bonitas.

Bonus: *Vide Pius, sanctus.*

Triplicia bona, naturalia, spiritualia, æterna. 607. In his meditandis mens occupatur. *ibid.* Bona corporis quæ. 608. Bona spiritualia quæ. 609. Bona æterna quæ. 610. Abundantia bonorum in cælo. *ibid.* Beatitudo status omnium bonorum aggregatione perfectus. 611
Bonum & jucundum quomodo inveniatur in rebus;

rebus; ad illud obtinendum quid requiratur. 728
Triplex bonorum genus appetunt homines: honestum, utile, delectabile. 79
Tribus modis providentur bona coram hominibus, totidem coram Deo, cogitatione, affectione, intentione. 717
Tria bonorum genera, quæ à Deo peti possunt. 168. Tria in istis tribus bonorum generibus ritè petendi observanda. *ibid.*
Omnia huius vitæ bona comparatione futurorum non nisi modicum, aut potius nihilum. 453
Providentia etiam bona coram hominibus, idque tripliciter, pariter, & coram Deo tribus modis. cogitatione, affectione, intentione. 653
Facilius intelliguntur mala, quibus carebimus, quam bona quibus fruituri sumus. 530
Divinæ bonitatis pia præsumptio. 87

Candela.

Candelæ manu gestandæ usus in Eccl. 146
Quid accensæ significent. 147

Cantus.

Vide Horæ Canonicæ, Officium.

Caput.

Caput Domini divinitas, maiestas, & potestas. 441

Captivitas.

Captivitas Israelitarum sub Pharaone typus captivitatis nostræ sub diabolo. 782
Mystica & elegans expositio civis Jerusalem abducti in Babylonem. 776. & seq.

Caro, Carnales.

Vide Mundani, Terreni.

Carnales ad cælestia stupidi rident spem futurorum, sola præsentia æstimantes. 766
Differentia carnalium & spiritualium. 646
Eleganter perstringuntur lupus & delitiæ hominum carnalium. 618
Carnales ordine præposterο gaudium quærunt. 618
Plangendi tanquam mortui, qui secundum carnem vivunt. 251
Perstringuntur ii, qui neglectâ animâ, toti sunt in carne & cute curanda. 531
Verè carnẽ amant, qui carnẽ mortificant. 532
Caro quomodo diligenda. *ibid.*
Initio conversionis carnis lucta molestior. 505
Carnis castigatio & mortificatio spectat ad eius gloriam. 430
Caro designatur per Evam. 401
Caro serviat spiritui, non econtrario. 628
Caro nostra hostis continentiæ. 329
Inimicus noster domesticus caro nostra. 165

Castrum, Castellum.

Eversio castelli veteris, & erectio novi per Christum. 359
Murus continentiæ; & antemurale patientiæ, *ibid.*
Quis cibus incolarum castelli spiritualis, seu hominum piorum. 360
Castelli mystici expositio. 345
Clades castro nostro per tyrannidem dæmonis illata. 346
Ad custodiam castri spiritualis, quæ necessaria, nempe murus continentiæ, antemurale patientiæ; Arma spiritualia commeatus sacer; Panis Verbi Dei; Obedientia; Panis corp. Dom. Deinde proditio castri cavenda. 478. & seqq.
Proditores huius castri quinam sint. 480
Hic cavenda pusillanimitas & turpis fuga; desidia & somnolentia. *ibid.*

Castitas, Continentia.

Vide Virginitas.

Continentiæ panis quis. 329
Continentiæ hostibus prævalere quantæ virtutis opus sit, *ibid.* 1. Hostis caro nostra. 2. Mundus. 3. Diabolus. *ibid. & seqq.*
Dei virtute contin. hostes vincimus. 330
Castitas pulchritudine lunæ designatur. 740
Difficilis custodia castitatis. 44. & 330
Status continentium non omnino securus. 662
Triplex in eo periculum. 663
Tria eiusdem præsidia; afflictio corporis, paupertas, obedientia. *ibid.*

Casus.

Fugere & cadere opus habemus, dum sumus in hoc corpore. 496
Discrimen inter piorum & impiorum casum. 497
Cathedra pestilentiæ, i. e. malum exemplum subsistit

subsistit 4. pedibus. 722. Eminens eius pars potentia, pulvinar vana gloria, scabellum hypochrysis. *ibid.*

Cælestia.

Terrenis contemptis quærenda cælestia. 61
Languor in nobis ad spiritualia unde. 465
Multi quærunt, at raro sapiunt, quæ sursum sunt. 287
Ad supernæ gloriæ & cælestium mansionum contemplationem elegans exhortatio. 281
Cælestia per *dextrum* intelliguntur. 514

Cælum.

Vide Beatitudo.

Cælum mons montium ubi omnium bonorum copia. 654
Quis dignus ad ascensum huius montis? Solus Christus innocens. *ibid.*
In cælo nullus tristitiæ aut culpæ locus. 659
Arduus ad supernam civitatem ascensus. 623
Exonerati ad ascensum expediti. 624
Supremæ domus Dei voluptas & gloria inæstimabilis. 484
De 4. generibus hominum cælum obtinentium. 754. Divites illud mercantur à pauperibus. *ibid.*
Cæli & terræ discrimen. 446
Cælum à celando dictum, quod celet seu abscondat omnia. *ibid.*
Cælum solis patet immaculatis. 644
Deus cur peculiariter dicatur esse in cælo, cum sit ubique. 496

Cœna.

Cœna est alterius vitæ, Prandium præsentis, ibi mera abundantia, hic sæpè defectus vini. 134

Charitas.

Vide Amor, Pietas.

Charitate nos Deus allicit. 7
Invicta Christi Charitas. 73. & 218
Sinceræ charitatis & propriæ voluntatis discrimen. 253
Securè volatur, ubi scientiam charitas comitatur 435
Primorum parentum lapsus ex instabilitate & defectu charitatis. 463
Humberti Monachi charitas & pietas erga Proximos. 470
Sincera charitas servientium Deo. 575
Nulla creatura nos per vim à charitate potest avellere, sola propria voluntas id potest. 597
Charitas triplex, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. 695
Charitas splendore solis designatur. 741
Virtute charitatis indutus hostibus terribilis. *ibid.*
Charitati omnia condit amara. 747
Charitatis duo præcepta. 751
De fonte charitatis hauriendæ aquæ desiderio rum. *ibid.*
Tres filiæ Regis, Fides, Spes, Charitas; quodnam officium cuiusque. 785

Christianus.

Fideles malè viventes fidei & Christo ipsi derogant. 766
Christiani steriles quàm graviter damnandi. 177
Qualis crux Christiani. 239 Quæ corona & quæ spongia. *ibid.* quæ resurrectio. *ibid.*
Gloria Christiani in nomine Christi. 230

Christus.

Vide, Sponsus.

Christus ovi & api comparatur. 8
Christus nunc ad misericordiam quam ad judicium pronior. *ibid.*
Christus cur flos campi, non horti. 9
Christo sedes quomodo paranda. 12
Christus flevisse legitur, nusquam risisse. 17
Summa Christi dignatio, & Mariæ dignitas Deum subditum esse homini. 27
Quomodo Christum sequi debeant, qui semitâ virginitatis non possunt. 28
Christus *Vir*, etiam in prima infantia & in ipso Matris utero. 33
Perfectus sapientia à principio conceptionis. *ibid.*
Quomodo profeciisse dicatur. *ibid.*
Scripturarum in præsignandis Christi mysteriis consonantia. 34
Christus verè figuratus. 32
Salvatoris nomen Christo competit per excellentiam. 45
Jesus magnus quia Altissimo par & æqualis. *ibid.*
Cur dictum *erit magnus & non est.* 46

Jesus magnus pro nobis factus parvulus, ut nos faceret magnos. *ibid.*
A Christo nobis nato, quæ utilitas nobis capienda. *ibid.*
Quomodo Christo data sedes David, cum in Jerusalem non regnaverit. 47
Ipsum regnaturum in domo Jacob in æternum, quomodo intelligendum. 48
Anima regnum Christi, huic quæ tyrannis infesta. *ibid.*
Modus conceptionis Christi Deo tantum notus & Deiparæ. 50
Cur Christus ab Angelo simpliciter sanctum dicitur. *ibid.*
Generatio Christi ineffabilis. 56
Nativitas Christi quam mundo fructuosa. 57
Eadem causa magna lætitiæ. *ibid.*
Dignatio Christi potius in Bethleem quàm Jerusalem nascentis. 58
Paupertatem & humilitatem nobis commendat locus Nativitatis Christi. *ibid.*
In Christo Trinitas repræsentata. 67
Remedii per Christum allati contemplatio. 70
Eiusdem charitas in passione, 73. Maiestas in gloria. *ibid.*
Christus conceptus sine pudore, partus sine dolore, & corruptione matris, proles sine animi labe peccati. 71
Patrum & Prophetarum desiderium & anthela suspiria pro adventu Christi. 81
Christus qualis Salvator seu medicus. 79
In Christo Salvatore tria consideranda. 80
Christus non amat cor titubans sed stabile. 84
Synagoga Christum protulit, sed abiecit. 85
Admiranda Christi humiliatio. 73
Cur Christus gloriam mundanam admiserit. 201
Cur solus Christus passus. 202
Quibus panibus Christus refecit Apost. *ibid.*
Christus post exemplum operis subjicit exhortationem sermonis. 203
Christi oratio & sudor in horto. *ibid.*
Christi in Jerusalem ingressus mystica expositio à patribus recepta. 204. Alia expositio mystica seu tropologica. 205
Passionis & mortis Christi vis & efficacia. 214
Charitas Christi eximia. 216
Eius dominium in mortem. *ibid.*
Christi mors omnia peccata expugnat. *ibid.*
Christi patientia & benignitas tot adversis, plagis, injuriis lacessita non cessit. 215
Christi erga impios Judæos tortores suos mira benignitas & patientia. 219
Christus nos labore & dolore redemit. *ibid.*
Christi libertas in moderandis actionibus corporis sui. 221
Incarnatio Christi mensa divitis. Fercula mensæ varia. 1. *Christi obedientia*, quæ constat humilitate, patientia, & perseverantia. 2. *Paupertas spiritus*, ad illam pertinet contemptus terrenorum, despicientia seu humiliatio sui, & abdicatio propriæ voluntatis. 3. *Mors Christi*, ad hanc tria referuntur. 226. *& seqq.*
Beneficia Passionis Christi grato animo recolenda. 227
Christi gestis vita Christiani conformanda. 228
Christi patientis species & habitus. *ibid.*
Pigmenta seu bellaria mensæ Christi. *ibid.*
Beneficia Christi morte collata. 230
Gloria Christiani in nomine Christi. *ibid.*
Christi miserationes prædicandæ. 231
Christi humilitas in Incarnatione. *ibid.*
Eius in nativitate paupertas. *ibid.*
Docet nos terrena despicere. *ibid.*
Persecutio eius & fuga in Ægyptum. 232
Christus duodennus in templo inter Doctores. *ibid.* Parentibus subditus. *ibid.* A Joan. baptizatur. In deserto jeiunans tentatur. Prædicans & docens varia passim signa edit. Ab impiis innumeros patitur calumnias. *ibid.* A proprio discipulo venditur Eiusdem Judam lavantis mira humilitas & mansuetudo. 233
Christus in horto orans & tristis. *ibid.*
Eius mæror & sudor sanguineus. 234
Ad nostram cedit consolationem. *ibid.*
Spontaneus ad passionem & mortem ivit. Non adversatur osculum Judæ. *ibid.*
Capitur & ligatur, sistitur concilio sacerdotum; conspuitur & colaphizatur, Pilato præsentatur, flagellatur, illusionibus repletur. 234. & 235
Christus coronatus, sed & cruciatus. 236
Christus crucem suam baiulat; orat in cruce pro malefactoribus, in cruce pendet inter la-

ter latrones. *ibid.*
Prodigia in eius morte. *ibid.*
Jam in cælo glorioſus regnat. 237
Advocatus noſter apud Patrem. *ibid.*
Aſpiratio & gratiarum actio ad Chriſtum Salvatorem. 238
Præclara Chriſti encomia, ob eius in nos amorem. 240
Inſignes Chriſti victoriæ. 241
Chriſti in cruce & opere redemptionis conſtantia. 242
Dæmon Chriſti de cruce deſcenſum optabat, qui prius ſuaſerat crucifixionem. 243
Diabolus Chriſti patientis perſeverantiæ fruſtra inſidiatur. *ibid.*
Præcellentia reſurrectionis Chriſti. 244
Perſeverandum in Cruce, exemplo Chriſti ante mortem deſcendere aut deponi nolentis. 245
Septem Apoc. ſignacula ſeptem operimenta Chriſti maieſtatem in carne celantia deſignant. 246
Chriſtus in ſepulchro quomodo ungendus myſticè. 251. *& ſeqq. elegant.*
Chriſtus animarum medicus. 256
Septem nobis dedit purgationes. *ibid.*
Eius paupertas. *ibid.*
Chriſtus ſuum deſeruit conſilium, & homo in ſuo obſtinatus erit? 258
Quare Chriſtus voluntatem ſuam noluerit impleri. *ibid.*
Septem Chriſti fercula. 259
Ex ſeptem apparitionib. Chriſti ſeptem dona Spir. S. eruuntur. *ibid.*
De ſeptem apparitionibus Chriſti reſurgentis. 255. & ſeqq. 703
Moyſes typus Chriſti. 261
Chriſtus venit in aqua & ſanguine. 262
Chriſtus omnium Dominus, & ab omnibus cognitus creaturis. 269
Aſcenſio Chriſti clauſula laborum eius. 270
Dolor & timor Apoſtolorum in aſcenſione Chriſti. *ibid.*
Chriſti & miſericordia & juſtitia utraque immenſa & æterna. 171
Chriſtus deſcendens & quaſi decreſcens aſcendit & crevit. 272
Cur Apoſt. Chriſti diſceſſũ ægrè audirent. 274
Elias in cælum ſubvectus Chriſti aſcendentis typus. 274
Omnia Chriſti geſta certo conſilio & magno myſterio conſtant. 278
Chriſtus aſcendens nos quoque docet aſcendere. *ibid.*
Quis ſalutaris aſcenſus docetur exemplo Chriſti. 280
Chriſtus deſcendendo per humilitatem aſcendit. *ibid.*
Chriſtus patiens, reſurgens, & aſcendens ſequendus. 285
Amor Apoſt. erga Chriſtum in carne. 288
Cur non niſi poſt Chriſti diſceſſum Sp. S. venerit. 289
Chriſtus ſalutem noſtram operatur in medio terræ, nempe in Virginis utero. 296
Chriſti conceptio, vita, mors, reſurrectio, aſcenſio & miſſio Sp. S. omnia hæc nobis donata. 297
Deus factus parvulus damnat ſuperbos & commendat humiles. 143
Chriſtus optimus humilitatis magiſter. 198
Quid requirat à nobis, qui tantopere nos quæſivit. 298
Chriſtum veniſſe ut Deum, ut ſponſum, ut agnum prænuntiat Joannes. 308
Triplex Magdalenæ Unguentum ad inungendum Chriſtum. 339. *& ſeq. fusè & elegant.*
Duo Chriſti corpora verum & myſticum. 241
Pedes Chriſti myſticè qui. 239
Chriſti generatio & Mariæ aſſumptio inenarrabilis. 344
Chriſtus fons vitæ ad nos derivatus, per aquæductum, id eſt, Mariam. 376
Aſcenſus huius aquæductus ad fontem illum tam ſublimem. 1. Per fervorem devotionis. 377. 2. Per in corruptionem. 3. Per viam humilitatis. 379
Chriſtus amat media, odit diverticula. 384
Chriſtus & Angeli miniſtrare veniunt, quo diſcrimine. 390
Angeli amant nos, quia nos Chriſtus amavit. 390
Chriſtus deſcendens ad inferos quid egerit. 412
Chriſtus prius in humanitate videndus, antequam videatur in gloria. 428

Patientes modo cum Christo, tandem pugnabunt cum ipso. 428
Meditatio & imitatio Christi patientis commendatur. *ibid.*
Christus ad reparandas ruinas Angelorum novos in terra condit Angelos immo Seraphim, id est, homines igneos. 433
Ghristus ex Patre, in Patre, & cum Patre. 436
Christus à Patre, pro Patre, sub Patre. 437
Diversimoda CHRISTI visio apud Isaiam. 438
Christi obedientia. 447
Christus quomodo præsens seu manifestus Patriarchis, Apostolis, nobis. *ibid.*
Christi præsentia apud nos. 449
Triplex aqua Christi: oculorum, totius corporis & lateris. 456
Christus deprecatur mortem, Andreas desiderat. 461
Christus ab Angelo confortari voluit. 462
Christi ab Angelo solatium suscipientis exemplum animat nos in tribulatione pusillanimes. *ibid.*
Tribus tentationibus diabolus Christum aggressus. 507
Onus Christi, quantumvis premere videatur, portandum. 509
Nulla potestas aut multitudo maligna timenda duce & protectore Christo. 513
Lateris dextri in Christo aperti mysteria. 517
Christi mors fuit amoris. 526
Tentationes Christi quatuor. 537
Pulchrè insultat Bernardus diabolo Christum tentanti. 552
Christi nos redimentis beneficia immensa. 625
Homo omnem suam vitam debet Christo ut redemptori. *ibid.*
Nemo sine macula, nisi solus Christus. 664
Christus, ut caput nostrum, non intrabit cælum sine membris; at conformibus. *ibid.*
Infantes quomodo conformentur Christo. 644
Christus voluntariè mortuus. 93. 201. & 216
Locus nativitatis eius stabulum sc. damnat mundi gloriam & vanitatem. 83. 95
Christi vagitus & lachrymæ docent fugam voluptatum & delectationum carnalium. *ibid.*
Christi labores & lachrymæ nobis quoque ad consolationem cedunt. 96
Christi labores in hominis salutem frustrari, quàm molestum Deo. 97
Christum esse mediatorem testantur omnia. 99
Christus salvator à fidelibus undequaque reverendus. 100
Consolationes Christi ad quos pertineant. 101
Christus omnis sanctitatis fons. 102
Christi natales triplex solennitas sequitur, & cur. *ibid.*
Christi humilitas omni peccato carentis, & peccatoris cauterium non detrectantis. 104
Christi circumcisio veritatem susceptæ humanitatis probat. 105
Merito Christus circumcisus vocatur Salvator. 108. Circumcisionis Christi ratio. *ibid.*
Cur Isaias varia Christi memorans non meminit nominis Jesus. *ibid.*
Pia & elegans expositio nominum Christi, quæ Isaias proponit. *ibid.*
Christus ut caput nostrum pro membris circumcisionem suscepit. 110
Quid nos doceat Circumcisio Christi. 111
Christus parentibus subditus. 112
De tribus Christi apparitionibus. 114. 1. Facta magis per stellam. 2. Per speciem columbæ, & vocem Patris in Baptismo. 3. In nuptiis per conversionem aquæ in vinum. 116. *& seqq.*
Prima præ cæteris mirabilior, quâ agnitus est magis. 126
Quid in hisce 3. apparitionibus gestum. 124. *& seqq.*
Eximia fides & pietas Magorum Christum Deum & Regem agnoscentium inter tot abjectionis indicia. 117
Christus cur latens & silens ad annum 30. usque vixerit. 119
Angeli imitantur ad videndum Christum Regem. 120
Item animæ sæculares. *ibid.*
Christus Rex. *ibid.*

Cur Magi aurum, thus, myrrham obtulerint Christo Dom. 124
Cur Christus circumcidi voluit. 126
Christus communitatis amator & commentator; item humilitatis. *ibid.*
Christi humilitas in Baptismo. *ibid.* & 118
Christi & Adæ collatio. 130
Adventus Christi secundus severus. 129
Christi duplex pulchritudo interior & exterior. 132
Christus sponsus & anima sponsa in nuptiis spiritualibus. 133. Amor sponsi, erga sponsam. 134. Dignitas & excellentia Spons. *ibid.* Reciprocus sponsæ erga sponsum amor. *ibid.*
Responsum Christi ad matrem durius & asperius quid sibi velit 135. *fusè & piè.*
Religiosos parentibus & propinquis nimium affectos Christus exemplo suo redarguit. *ibid.*
Fidelium persecutio ipsius Christi censetur. 138
Nunquam deest persecutio Christiano adeoque Christo. 139
Prælati & Pastores mali maximi persecutores Christi. *ibid.*
Detractores & scandali auctores etiam Christi persecutores. 140
Prima & secunda processio Christi quid. 144
Qui à Christo capite se separat moritur, aut monstrum fit. 155
Tempore Quadrag. Christus generali totius orbis exercitu cum diabolo congreditur. 172
Christus arbor mystica. 176
Christi humilitas imitanda. *ibid.*
Christus non pervenit ad quietem sine labore. 178
Passioni Christi tribuitur remissio peccatorum, resurrectioni justificatio, ascensioni glorificatio. 180
Septiformis spiritus in Christo juxta vaticinium Isaiæ. 188
Christus ab inimicis habet testimonium misericordiæ. 191
De processione Christi, in die Palmarum. 195. *& seqq.*
Triplex obsequium in hac processione Christo præstitum. 196
Christi plausus quàm subitò mutatus in planctum. 199
Christus innocens solus dignus ad ascensum montis mystici, i. e. cæli. 655
Christus Dom. mons allegoricè. 657
Christus mons coagulatus & pinguis. *ibid.*
Quomodo ad hunc montem ascendendū. 658
Christus carnem susceptit, in qua pati posset. 659
Christus voluntariè passus. *ibid.*
Christus post resurrectionem impassibilis. 660
Christus & beati non amplius passionibus vel affectibus obnoxii. 661
Misericordiæ tamen non expertes. *ibid.*
Signum habitantis in nobis Christi est quærere Christum. 669
Christus quibus nondum natus, nondum passus, nondum surrexit, nondum ascendit, nondum Spir. S. missus. 693
Christi circumcisio & gestatio quid nos doceant. 700
De nominibus Salvatoris. 703
Christi virtus & sapientia in opere Redemptionis per humilitatem abscondita. 708
Christi descensus & ascensus expenditur. 710
Quomodo à nobis imitandus. 711
Sequela Christi varia. 712
Cur Christus noluerit suum corpus mortuum ungi unguento per mulieres præparato. 739
Christus mysticum suum corpus plusquam verum dilexit. *ibid.*
Caput Christi deitas, pedes humanitatis. 737
Reges adversarii, Christus & diabolus. 775
Christus sibi desponsat Ecclesiam. 782

Circumcisio.

Christi circumcisio veritatem susceptæ humanitatis probat. 105
Circumcisio olim loco Baptismi. 223
Christi circumcisio & gestatio quid nos doceant. 700
De præcepto circumcisionis antiquæ. 107
Circumcisionis Christi ratio. 108
Christus ut caput nostrum pro membris circumcisionem velut medicinam susceptit. 110
Quid nos doceat circumcisio. 111

Octo dies mystici transigendi ante perfectam circumcisionem & salutaris nominis adeptionem. *ibid.*
Festivitas circumcisionis qualis. *ibid.*
Circumcisio cur lapideo cultello fiebat. 126
Cur Christus circumcidi voluit. *ibid.*
Circumcisio remedium peccati orig. *ibid.*
Tria in *oppidis* necessaria ad incolarum defensionem. 358
Clara-vallis & Jerusalem comparatio. 480

Clericus.

Vide Tit. Prælatus, Episcopus, Sacerdos, &c.

Ambitio & arrogantia in Ecclesiasticis graviter perstringitur. 53
Item occupatio rerum sæcularium & litium strepitus. 54
Mali clerici una ex tentationibus Ecclesiæ. 508

Cogitatio.

Tria cogitationum genera cavenda; otiosæ, Limosæ. i. e. corporis necessaria concernentes, sordæ & immundæ. 651
Quomodo cogitationibus de cura corporis obviandum. *ibid.*
Quomodo sordæ cogitat. propulsandæ, & quàm sollicitè & vigilanter iis occurrendum. 652
Memoria contra cogitationes munienda recordatione propriæ professionis. 653
Sanctas cogitationes non procul petere necesse est. 595
Cogitationes inutiles, id est, voluptatis, curiositatis, & vanitatis fugiendæ. 585
Quàm vigilanter & sollicitè resistendum cogitationibus. *ibid.*

Columba.

Columbæ simplicitas. 119

Colloquium.

Bona & utilis loquela. 382
In omni colloquio duo auditores cogitandi. 614

Conceptio.

Modus conceptionis Christi Deo tantum notus, & Deiparæ. 50

Concio, Concionator.

Diebus solennibus quales præcipuè sermones conveniant. 122
Quanta cum reverentia sacris conventibus ad prædicationem interesse oporteat. 303
Omnis profectus prædicatorum Deo tribuendus. 741
Sine Dei gratia omnis prædicantium labor inanis. 742
Id Paulus inprimis agnovit. *ibid.*
Sermo aliis deest, aliis abundat, sed minus efficax. 254
Exemplo efficacius docetur quàm verbo. *ibid.*
Prædicatorum conversatio ad sublimia tendere debet. 397

Concupiscentia.

Rebellio & concupiscentia ubi potissimum dominetur. 107
Cur deleto peccato originali fomes in homine remaneat. 223
Vis sacram. Euch. ad frangendos motus concupiscentiæ. *ibid.*
Concupiscentia cur etiamnum in nobis residua. 225
Oratio remedium contra pravos motus concupiscentiæ. 402
Bestialis concupiscentiæ motus comprimendi. 283
Concupiscentia omnium vitiorum & malorum scaturigo. 645
Concupiscentia reprimi potest, extingui non potest, nisi in morte. 19

Confessio, Confessarius.

Vide pœnitentia.

Confessio vel mundities falsa. 16
Humilis viri sancti de seipso confessio. 39
Confessio duplex peccatorum & divinæ laudis. 59
Confessio sanat occulta conscientiæ vulnera. 206
Confessio recta & regia via ad cœlest. 205
Quænam aromata nummo confessionis emenda. 254
Confessio remedium contra peccati conscientiam. 402
Cordis contritionem oris confessio comitetur. 539
Confessio & obedientia duæ principales viæ Domini. 675
Confessio duplex, criminis & laudis. *ibid.*
Eiusdem vis & efficacia. *ibid.*
Eius varii gradus. 1. cognitio sui. 2. pœnitentia.

tentia. 3. dolor de peccatis. 4. confessio oris. 5. maceratio carnis. 6. correctio operis. 7. perseverantia. 676. & seqq fusè.
Confessio oris triplex: vera, nuda, propria. 673
Confessio comites habere debet mortificat. & orat. 740
Quatuor impedimenta confessionum, pudor, timor, spes, desperatio, contra hæc antidotum. 759

Confessores.

Confessores quid nobis seminaverint. 179
Discrimen martyrum & Cnofessorum. *ibid.*

Conscientia.

Confessio sanat occulta conscientiæ vulnera. 206
Malæ conscientiæ continuum vermentum. *ib.*
Quod testimonium conscientiæ ab Apost. prædicatum. 406
Conscientia munda, quieta, secura, suavissimum animæ stratum. 408
Concordia suiipsius constat, si ratio vacet errore, voluntas iniquitate, memoria sorde. 477
Conscientiarum notitia difficilis. 13
Felix conscientia, quæ spiritualis lætitiæ & filialis timoris in se luctam sentit. 66
Testimonium conscientiæ consistit in tribus, quæ sunt remissio peccatorum, opera bona, & vita æterna à solo Deo. 179
Conscientiam bonam quæ faciant. 695
Quæ Religiosorum cura expurgandæ continuo conscientiæ tempore Bernardi. 745

Consideratio.

Duplex nostri consideratio: una humiliationis seu confusionis; altera exaltationis seu gloriationis declaratur. 485
Consideratio gloriationis nostræ in Deo nos ita magnificante. 489
Considerandum unde ac ubi sis, & quo vadas. 599

Consilium Consiliarius.

Qui modò respuunt vocem consilii, tandem audient vocem judicii. 382
Consilium impiorum, cuius auctor & suggestor? Dæmon. 721
Quatuor ad hoc consilium viæ. *ibid.*
Totidem virtutes iis oppositæ. *ibid.*

Consolatio.

Consolatio mundi vilis æ inutilis, imo noxia. 70
Terrenæ consolationes respuendæ, ut mereamur divinas. 11
Consolationes carnis & spiritus sese non compatiuntur. 275

Consuetudo.

Vis & noxa malæ consuetudinis. 603
Remedium contra eandem. 604

Contemplatio Contemplativi.

Contemplatio longè piissima de Filio Dei homine facto. 3
Contemplatio operum divinorum pro reparatione generis humani. 295
Utilis cautio pro Magdalena, seu his qui vitæ contemplativæ vacant. 353
Vitæ mixtæ, quæ contemplativæ jungit activam, commendatio. 351
Tria sunt, quæ contemplationem impediunt. 362
A quibus purgandus oculus interior contemplationi vacaturus. 363
Meditationis necessitas. 463
Primus gradus contemplationis considerare quid velit Dominus. 884
Secundus quàm suavis sit Dom. *ibid.*
Contemplationis duo genera. 333
Contemplatio fit ex condescensione verbi Dei ad humanam naturam. *ibid.*
Contemplatio fit tribus modis. 334
Beati contemplationis perfectione ante resurrectionem corporũ non potiuntur. *ibid.*

Contritio.

Cordis contritionem oris confessio comitetur. 539
Contumaces & refractarii post lapsum abominabiles. 319
Conversatio. syncera, non ficta, aut simulata. 157

Conversio, Conversi.

Conversio exterioris hominis, sine interiore inanis. 159
Conversio corporis quoque non negligenda. *ibid.*
Festivitas conversionis triplicem adfert utilitatem. 138

Conver-

Conversis recenter, & carentibus consolatione cælesti quid faciendum. 142
Semel conversos, iterumque perseveros rarò verè resipiscere. 318

Convivium.

Convivium spirituale adornat suis Bern. 195
Convivium passionis Domini. 228
Pigmenta seu bellaria huius convivii. *ibid.*
Species, vnde constat pigmentum regalis convivii. 230

Cor.

Christus non amat, cor titubans, sed stabile. 84
Quomodo scindendum cor. 160
Scissio cordis est resignatio voluntatis. *ibid.*
Scissio cordis ad confessionem & compassionem. 161
Cor sursum levare in hoc statu difficile. 285
Cordis plena pax & unio supernæ Jerusalem reservatur. 286
Cordis membra intellectus & affectus. *ibid.*
Puritas cordis magis curanda quam sanitas corporis. 608
Diligens cura cordis adhibenda. 615
Custodia cordis in affectionum & cogitationum cura consistit. *ibid.*
Custodia cordis sine cura manus & linguæ constare nequit. *ibid.*
Cordis munditia sectanda. 656
Alii sursum, alii deorsum cor habent. 665
Cor diligenti cura custodiendum. 728
Moris est divinæ virtutis prius mederi cordi quam corpori. 750

Corona.

Quæ corona spinea Christiani. 239

Corpus.

Corporalia vide Terrena.

Quatuor dotes corporis glorificati: immortalitas, impassibilitas, agilitas, pulchritudo. 415
Corporis corruptio quatruplex. 724
Elementa in 4. corporis partibus singulariter vigentia. *ibid.*
Qualis corpori nostro adhibēda custodia. 346
Terra corporis nostri replenda maiestate Domini. 429
Quid corpori debeamus in vita spirituali. 607
Corpori tribuenda custodia & disciplina. 142
Animæ salus corporis damno redimenda. 192
Membra Deo semel mancipata non male rursus usurpanda. 520
Membra & corpus nostrum non tam nostrum, quàm Dei per votum, at inimici per peccatum. 521
Anima prius & potius curanda quàm corpus. 19
Sermocinatio dulcissima, ad carnem seu corpus humanum. 20
Corpus quantum debeat animæ. *ibid.*
Corpus nihil sine anima. *ibid.*
Quam præposterum abjicere se totum ad curam corporis, & animam negligere. *ibid.*
Animæ cura pro corpore tanquam bono & commodo hospite. 21

Correptio, Correptor.

Ad correptionem fraternam exhortatio. 307
Correptionis impatientes perstringuntur. 315
Eius est velle punire, qui dignus non est ipse puniri. 190
Divina correptio quid in nobis operetur. 588
Zelus justitiæ & rectitudinis in erratis proximi. 252
Qualis debeat esse affectus in correptione fratris. 253
Immoderatæ correptionis damna. *ibid.*
Qui mundaturus est alios primum ipse mundandus. 254
Quam arduum sit emendare peccantem. 255
Animus peccatoris ad recipiendam disciplinam præparatur divinitus. *ibid.*
Compassionis affectus erga fratrem peccantem. 252
Spiritus discretionis in castigandis peccantibus. *ibid.*
Increpationes æquo animo ferendæ. 267
Hodie vitam præsentem, *cras* futuram designat. 77

Creatio, Creator, Creatura.

Creatio rerum facta in certo pondere, mensura & numero. 731
Ad cognitionem creatoris ascendit anima vehiculo creaturæ. 593
Verè sapientis est in rebus conditis spectare finem. 300

Crucifixus, Crux.

Miro desiderio Andreas anhelat ad crucem. 458
Eam cupidissimè salutat. *ibid.*
Nos crucem amare oportet, utpote servos crucis. *ibid.*
Crux pretiosa, amabilis, & jucunda, 459
Amor crucis tutos nos facit à laqueis Satanæ. 460
Triplex gradus ferentium crucem. 461. *& seq.*
Crux cui tollenda. 466
Quatuor crucis cornua mysticè exposita, 467
Visam eminus crucem exultabundus salutat Andreas. 465
Crux Christi 4. gemmis mysticis exornata. 243
Quatuor virtutes in cruce Christi resplendentes. *ibid.*
Perseverandum in cruce exemplo Christi ante mortem descendere aut deponi nolentis. 245
Qualis crux Christiani. 239
Homo in corpore suo formâ crucis habet. 73

Culpa.

Quomodo culpa & pœna cooperentur nobis in bonum. 672
Hæ duo hostium genera nobis adversa. 673
Sensus culpæ tollit aut minuit sensum pœnæ. *ibid.*
Neglentia circa divinum *cultum* arguitur. 10

Custodia, Custos.

Protectio divina nobis securitatẽ præstat. 512

Damnati.

Quare & quomodo de visis impiorum & damnatorum suppliciis sancti gaudeant. 522. *& seq.*
Sanctis nulla erga impios & damnatos commiseratio. 523
David adversus Goliath non sua, sed Dei virtute confisus procedit. 322
Davidis pius affectus & compassio erga proximum. 341
David & Nabuchdonosor Reges inimici mysticè quid signif. 779
Pugnæ Davidem inter & Goliath mystica seu tropologica expositio. 321
Quinque lapides à Davide è torrente sumpti quid significent. 322
Davidis symplex humilitas. 210
Eiusd. generosa libertas. *ibid.*

Dedicatio.

Festivitas dedicationis non tam templi consecrati materialis, quàm nostri spiritualis. 473
Dedicatio templi materialis typus spiritualis. 474
Ritus & ceremoniæ in dedic. usitatæ spectant ad instructionẽ templi mystici. 1. Aspersio. 2. Inscriptio. 3. Unctio. 4. Illuminatio. 5. Benedictio. *ibid.*

Delectatio, Deliciæ.

Delectatio in Dom. quæ sit. 167
Maior quacunque alia. *ibid.*
Per tentationes non excluditur. *ibid.*
Sub capite spinoso non decet esse membra nisi spinosa. 421
Carnis deliciæ excludunt delicias spiritus. 287
Consolatio spiritus frustra speratur interillecebras carnis. 289
Eleganter perstringuntur luxus & delitiæ hominum carnalium. 618
Renunciare deliciis carnis initio grave postea suave. 276

Dentes.

Dentium proprietates & attributa pulchrâ tropologiâ vitæ religiosæ seu monasticæ accommodantur. 745

Descensus.

Christi descensus expenditur. 710
Descensus triplex, seu tres eius gradus. *ibid.*

Desolatio.

Pii tentantur desolatione, idque non sine fructu & commodo. 574
Vicissitudine tentationis & desolationis in schola virtutum proficimus. 575

Detractio, Detractor.

Detractores Christi persecutores. 140
Detractionis vitium quam detestabile. 613
Detractor unico ictu tres perimit. *ibid.*
Lingua maledica lancea spicis & clavis Christi crudelior. *ibid.*
A modico membro maxima mala. 614
Quam sollicita & vigili custodia adversus noxas linguæ opus. *ibid.*

Custodia cordis sine cura manus & linguæ constare nequit. 615

Devotio Devotus.

Vide Pietas, Pius, Sanctus.

Dies Devotionis quis. 113

Dexterum, Dextera.

Decem millia à Dextris & mille à sinistris quid significet. 513

Dextrum & sinistrum duo latera in corpore Eccl. i. e. spirituales & carnales. 514

Per dextrum spiritualia & cælestia per sinistrum corporalia & terrena intelliguntur. *ibid.*

Sinistra pro salute dextræ, i. e. corporalia pro spiritualibus exponenda. 515

Indignum majorem esse sinistri quam dextri curam. 517

Deus.

Vid. Tit. Trinitas, Pater, Filius, Spiritus S.

A Deo quærenda pietas & misericordia. 609

Deo debemus amorem & subjectionem. *ibid.*

Homo se totum Deo debet ut auctori omnium. 627

Voluntas ad minimum Deo danda. 626

Utilis doctrina de voluntate Dei amplectenda. 638

Quid agendum ubi illa incerta. *ibid.*

Servitus Dei tanto suavior omni servitute, quanto Deus suavior omni homine. 639

Cur Deus pleraque licet ardenter postulantibus non largiatur. 641

Dei charitas in Incarnatione & passione maximè eluxit. 648

Deo nemo unquam reddit quod debet. 659

Deus simul habetur & quæritur. 668

Deus quæri non potest, nisi prius habeatur. 669

Quomodo quærendus Deus ut inveniatur. 671

Deus in hac vita sicuti est videri non potest. 687

Amor Dei unde comparandus. 692

Deus pro affectuum varietate nobis sapit diversi modè. 723

Insipiens est, cui nec timorem nec amorem Dei [illegible]it. 724

Deus [illegible] iusque capacitatem novit, & præpostera aliorum judicia compescit. 738

Dilectio erga Deum tribus affectionibus excitatur & provehitur. 751

Per quos gradus redeundum ad Deum. 756

Sex testimonia Deo perhibenda, Justitiæ, remunerationis, varietatis, omnipotentiæ, bonitatis, æternitatis. 767

Cur non potius homo ad Deum, quam Deus ad hominem venerit. 5

De adventu Dei ad nos spirituali & invisibili. 6

Deus charitate nos allicit. 7

Hominem esse Dei matrem, aut Deum filium hominis, id omnem transcendit dignitatem. 27

Deus in opere redemptionis non tantùm potentia, sed & prudentia usus. 35

Quanta Dei dignatio velle nasci de muliere. 29

Deus diversimodè in creaturis, singulariter in, & cum B. Virgine. 41

Quam sit efficax Dei verbum. 51

Soli Deo idem facere & dicere. *ibid.*

Cur orari Deus velit, pro his quoque quæ dare decrevit. 54

Tres mixturas seu tria opera excellentia fecit Deus in assumptione carnis nostræ. 67

Mira Dei bonitas in creatione hominis. 68

Prima mixtura seu unio Dei & hominis super omnia admirabilis. *ibid.*

Contemplatio hac de re piissima. *ibid.*

Deus secundam alia attributa eaque terribilia & inimitabilia olim sæpius apparuit, nunc demum per misericordiam. 87

Incarnatus Deus ad profligandos hominis inimicos, peccatum & mortem. *ibid.*

Tria opera Domini magna: Creationis, Redemptionis & Glorificationis. 90

Deus reparare volens genus humanum univit *Verbum*, animam & carnem. 92

Deus cur Pater misericordiarum dicatur, qui non minus justus, quàm misericors. 100

Deus causam seu materiam miserendi, sumit ex seipso, puniendi ex nobis. 100

Quare Pater non tam misericordiæ, quàm misericordiarum. *ibid.*

Duplex hominis miseria: utrique succurrit Dei misericordia. *ibid.*

Larga Dei bonitas in quærenda hominis salute. 104
Quanti Deus fecerit hominem ostendit ipse factus homo. 115
Reconciliatio nunc cum Deo facilis est, sed postea difficilis futura. 116
Ad Deum magnum excelsum non sublimi, sed humili via tenditur. 158
Ingratum Deo, quod scandalo, inobedientiæ & singularitati commixtum est. 163
Quomodo sanctificari dicatur nomen Dei in seipso summè sanctum. 170
Moyses quomodo Deum viderit. 200
Deo facile hominis duritiem frangere. 207
Cur Deus in carne se visibilem præbuit. 273
Potentia, & sapientia Dei semper & ubique conspicua, at bonitas præcipuè in opere Redemptionis. 295
Gratitudinis debito erga Deum omnes tenentur, sed religiosi à Deo de sæculo vocati peculiariter. 326
De 7. Dei misericordiis. 327. *& seq.*
Cur Deus tardet ultionem. 328
Quomodo Deus convertere soleat ad pœnitentiam. 329
Deus plenè indulget, at homines longè secus. *ibid.*
De virtute hostes nostros vincimus. 330
Dei infinita bonitas ad erigendos peccatores. 355
Deum duo nobis auferunt, duo reddunt 361
Gratia apud Deum per Mariam quærenda. 377
Deus ante incomprehensibilis, nunc comprehendi potest. 380
Dei laus & grata memoria frequentanda interim dum differtur præsentia. 381
Dei erga hominē constans & fortis amor. 383
Perfectiones omnium rerum perfectius in DEO. 396
Mundandus oculus, quo videndus Deus. 402
Deo quomodo etiam mala placeant. 410
Dei in perfecta beatitudine triplex fruitio. 414
Deus quomodo videndus in creaturis. 414
Quomodo habendus in nobis ipsis. *ibid.*
Quomodo Deus hominem sibi posuerit contrarium. 420
Aliter justis beatis, aliter nobis in fide etiamnum ambulantibus exhibetur Deus. *ibid.*
Statio Domini, Angeli, & hominis diversa. 439
Gloria Domini Lucifero post casum abscondita. 440
Nihil corporeum in Deo fingendum. 441
Caput Domini divinitas, majestas & potestas; Pedes, judicia. *ibid.*
Alæ quibus caput Dei velant Seraphim, admiratio & veneratio. 442
Caput & pedes Domini velant, sed mediare linquunt conspicua, id est, Dei longanimitatem & benignitatem. 443
Beatus qui Deum habet. 474
Indignum Deo in nobis deesse domum, qui nos in domo tam splendida posuit. 476
Quomodo Deo templum in nobis ædificandum. 477
Deus, qui ubique est, quomodo dicatur peculiariter esse alicubi. 491
Tria genera non habitantium in adjutorio Altissimi: scil. non sperantes, desperantes, & frustra sperantes. 494. *& seqq.*
Quò maiora Dei dona eò magis timendum. *ibid.*
Quinam in adiutorio Altissimi habitent. 495
Nil sub cælo timet, qui Deum cæli protectorem habet. *ibid.*
Deus cur peculiariter dicatur esse in cælo, cum sit ubique. 496
Susceptorem tuum vocare Deum solis competit piis. 497
Deus ut inspector noster semper cogitandus. *ibid.*
Deus & magna promittit & assequendi facultatem præstat. 501
Quatuor Dei beneficia, Absconsio, Protectio, Obumbratio, Nutritio seu Educatio. *ibid.*
Cur Deus parcius subinde dat, quod homo desiderat. 503
Deus suis rerum temporalium non affluentiam sed sufficientiam tribuit. 504
Dei providentia in moderandis tentationibus. *ibid.*

Membra Deo semel mancipata non malè rursus usurpanda. 520
Quod Deo semel consecratum, amplius ad humanos usus transferri non debet. *ibid.*
Membra & corpus nostrum non tam nostrum, quàm Dei per votum, at inimici per peccatum. 521
Omnia dura atque aspera & propter Deum, & per eum levia & facilia redduntur. 525
Propter Deum vox frequens in ore hominum; sed non in corde & affectu. *ibid.*
Totus hominis pii thesaurus spes in Deum. 527
Sperandum in Deo omni vanâ spe abiecta. 528
Spes in Deum efficax ratio obtinendi divini auxilii. *ibid.*
Non modo in Deo speramus, sed etiam ipsum Deum. 529
Vide Domini misericordia & veritas. 537
Dei providentia in dispositione rerum. 540
Immensa Dei bonitas, quâ nos præsidio dignatur Angelorum. 542
Quantam Deo gratitudinem, amorem, & honorem debeamus. 543
Honor soli Deo debitus non excludit honorem. 544
Idem de Amore dicendum. *ibid.*
Deo quadrifariam debemus gratiarum actionem; scilicet pro beneficio creationis, conservationis, redemptionis, & remunerationis. 549. *& seqq.*
Onerat nos DEUS beneficio cum exonerat peccato. 554
Solus Deus spei nostræ solidum præsidium. *ibid.*
Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: Etiam morbus, mors, & ipsum peccatum. 568
Deus semper laudandus & in prosperis & in adversis. 576
Vivens carne & spiritu Deum laudat. 579
De quærendo Deo & triplici vinculo quo cohæremus Deo. 579 *& seq.*
Quinam censendi quærere Deum. 580
Deus ubique, homo nullibi. *ibid.*
Tria vincula seu triplex modus, quo adstringimur Deo. 1. Funibus, i. e. pudore. 2. Clavis, i. e. timore. 3. glutine, i. e. amore. *ibid. & seq.*
Is est perfectissimus modus quo alligamur Deo. 581
Triplex ille ligandi modus in Christo adumbratus. *ibid.*
Quomodo qui natus est ex Deo non peccet. *ibid.*
Deus quomodo hominem commendet 588
Quinque gradus seu status hominū sub Deo. ib. 1. tanquam Patrefam. 2. uti Domino. 3. uti magistro & Pædagogo. uti patre. 5. uti sponso. 589
Mundus liber, in quo Dei sapientia legitur. 593
Ad cognitionem creatoris ascendit anima vehiculo creaturæ. *ibid.*
Tria hominum genera, quibus Deus loquitur pacem; Continentes, Prælati, & conjugati. 594

Diabolus.

Diabolus cur ad tempus ignorare debuerit modum incarnationis. 35
Dæmon insidiatur jejunio. 161
Hostis noster insensissimus. 165
Adversum illū grave homini certamen 166
Dæmon Christi de cruce descensum optabat, qui prius suaserat crucifixionem. 243
Christi patientis perseverantiæ frustra insidiatur. 243
Cavendum ascendere cum Satana. 278
Diabolus continentiæ hostis. 330
Diabolo & morti quid iuris seu potestatis in homines relictum. 425
Angelos superbos cælo Deus expulit, utique non admissurus homines. 430
Angelorum superborum infelicitas. 431
Diabolus servit electorum saluti inscius & invitus. 442
Diabolis quæ alæ competant, quæ minus. 443
Diabolus venator hominum alios laqueis, id est, voluptatibus, alios iaculis, id est, malis suggestionibus capit 460
Dæmon homini, ut venator feræ, laqueos parat. 498
Cautela contra dolosos huius venatoris laqueos. *ibid.*
Quinam laquei venatoris infernalis. *ibid.*

Suggestionibus Diaboli quomodo obviandum. 501
Tribus tentationibus Diabolus Christum aggressus. 507
Tentatio perfectorum, *Incursus & Dæmonium meridianum*, i e. Astus Dæmonis ad evertendos virtutis amantes, malum specie boni pallians. *ibid. & seq.*
B. Martinum moribundū tentat Diabolus. 509
Dæmon aspectu terribilis cur aliquando permittatur pios terrere, sed irrito conatu. 513
Nulla potestas aut multitudo maligna timenda duce & protectore Christo. *ibid.*
Spirituales & perfectiores acrius impugnat Dæmon quam sæculares & imperfectiores. 514
Mali homines & maligni Dæmones diversimodè nobis obnoxii, illi in temporabilibus, hi in spiritualibus bonis. 515
Cur Dæmon tam infensus homini ad nocendum. *ibid.*
Viæ Dæmonū præsumptio & obstinatio. 336
Hæ maximè cavendæ. *ibid.*
Diaboli obstinatio viam misericordiæ intercluſit. 538
Viæ Dæmonum aliæ præter superioris circuitio & circumventio. 541
Ascensio & descensio Dæmonum. *ibid.*
Dæmonum ex diversis officiis vel maleficiis diversa nomina. 546
Viæ Dæmonum circuitio & obstinatio quantopere cavenda. 547
Pulchrè insultatur Diabolo Christum tentanti. 552
Diabolus 4. modis tentat Christum. 551
Diabolo abrenunciare non sufficit. 598
Fortitudo Satanæ non timenda, sed, versutia. 624
Primos Parentes calliditate vicit. 625
Observandæ & cavendæ technæ Satanæ. *ibid.*
Voluntas Diaboli semper mala potestas nunquam nisi justa. 730
Diabolus non plus nocet, quàm Deus permittit. *ibid.*
Duo Reges adversarii, Christ. & Diabolus. 775

Dies.

Octo dies mystici transigendi ante perfectam nostri circumcisionem & salutaris nominis adeptionem nempe dies *Iustitiæ, Prudentiæ, Fortitudinis, Temperantiæ, Patientiæ, Humilitatis, Devotionis, Discretionis.* 111
Duo mystici dies, unus huius sæculi, & alter futuri. 64
De 5. diebus Processionis, Refectionis, Passionis, Requietionis & Resurrectionis. 200

Discipuli.

Quinam 2. discipuli missi à Christo, nempe timor & amor. 208
Discipuli solventes 2. animalia quid designent. 211
Quid sit solvi à discipulis asinam & pullum. *ib.*
Quis cōtradicit discip. animalia solventib. 212
Vestimenta discip. ornamenta virtutum. *ibid.*
Amor discipulorum erga Christū in carne. 288
Apost. quādo & quid nobis seminaverint 178
Quid nos doceant. 312
Cur viri misericordiæ. 317. *& seqq.*
Dolor & timor Apost. in ascensione Dom. 270
Apost. justitia permanens. 320
Apostoli diversimodè acceperunt Spir. S. primùm insufflante Christo, deinde postquam ascendit. 291
Cur Apost. Christi decessū ægrè audirent. 274
Cur Sp. S non venerit ad Apost. Christo etiamnum præsente. *ibid.*

Discretio.

Dies discretionis quis. 114
Discretio in exercitiis tenenda, ne fiant cum detrimento valetudinis, & spiritualis profectus. *ibid.*
Discubitus spiritualis quis. 324

Divitiæ, Dives.

Quam indignum homini inhiare divitiis. 14
Divitiæ veræ quæ. *ibid.*
Philosophi olim divitias aspernati inter Beatos pauperes non consendi. 398
Divitias non tantopere à Christianis quærendas. *ibid.*
Divitiæ laquei Diaboli. 498

Dolor.

Cōpassionis affectus erga fratres peccātes. 252
Compassionis affectus prævalat zelo rectitudinis. 252
Compatiendum alienæ infirmitati. 665

Domus

Domus.

Septem columnæ in domo spirituali erigendæ. *Dona.* 13
Gratitudo nova meretur beneficia. 501
Deus magna promittit & assequendi facultatem præstat. *ibid.*
Quatuor Dei beneficia; Abscensio, Protectio, Obumbratio & nutrit. seu educatio. 502
Dei erga nos beneficia in creatione, Redemptione & vocatione. 619
Onerat nos Deus beneficio, cum exonerat peccato. 554
Dei dona non sine onere. *ibid.*
In donis Spir. S. cavendum duplex periculum, sive jactura humilitatis & charitatis. 735
Quo maiora Dei dona, eo magis timendū. 494
Dei nos beneficia eleganter expenduntur 549
Sunt 4. Dei in nos benef. scilicet creationis, conservationis, redemptionis, & remunerationis. *ibid & seqq.*
Indurati & ad beneficia Dei stupidi compelluntur. 298
Spiritus iracundiæ *draco.* 548
Omnia *dura* & aspera propter Deum, & per Deum levia & facilia. 525
Spiritualis *ebrietas* quæ. 299

Ecclesia. vide Sponsa.

Ecclesiasticus vide Clericus, Sacerdos.

Ecclesiæ judicium ineffabile in uso & applicatione scripturæ. 64
Ecclesia militās nō est sine macula & ruga. 410
Primitiæ spiritus quæ prorogantur militantibus in Ecclesia milit. 483
Quatuor tentationum genera quibus impugnatur Ecclesia. 1. Tyrannorum. 2 Hæreticorum. 3. Falsorum filiorum, i.e malorum Clericorum. 4. Antichristi. 508
Tres ordines seu status Ecclesiæ, Prælatorum, continentium, coujugatorum. 662
Christus sibi desponsat Ecclesiam: Paranymphi eius David, Isaias, aliique Prophetæ. 782 Consentit Ecclesia & perficitur conjugium. 783
Sponsus abit in regionem longinquam interim Eccl. persecutionibus præmitur à Tyrannis & quidem gravissimè à malis Christianis & Clericis. *ibid. & seqq.*
Abusus honorū & bonorum Eccl. notatur. 784
Vltima Ecclesiæ persecutio ab Antichristo. 786

Electio, Electi.

Quatuor gradus, quibus ptofectus Electorum distinguitur. 757

Elias.

Duplex Eliæ spiritus. 290
Elias in cælum subvectus Christi ascendentis typus. 274
Eliæ simplex humilitas. 210
Emissiones tres, prima est pœnitentia sæcularium. 2 Vita continentium. 3. Prælatorum vita & doctrina. 339 *& seqq.*
Enoch translatus est. 273
Epiphaniæ solennitas quid significet. 122

Eva. Vide Parentes.

Eva præposterè beatitudinem ambiens eam amisit. 399
Præclarą Mariæ V. præ Eva commendatio. 30

Eucharistia.

Quomodo suscipiendū corpus dominicum. 59
Dies refectionis quid. 202
Quibus panibus Christus refecit Apostol. *ibid.*
Panis Eucharistiæ. *ibid.*
Vis sacramenti Eucharistiæ ad frangendos motus concupiscentiæ. 223 *& seq.*
Quid spiritualiter manducare corpus & bibere sang. Dom. 229
Sacramenti altaris mystica significatio. 499
Exemplo efficatius docetur quam verbo. 254
Spiritualis *exercitii* summa. 316

Festa.

Cur maioribus festis Ecclesia præmittat ieiunia. 456
Opera pœnitentiæ nos præparant ad festa dignius celebranda. *ibid.*
Jeiunia festis præmissa nos instruunt. 457
Vigilia festorum symbolum est tribulationis, per quam itur in regnum cælorum. *ibid.*
In festis sanctorum, non nativitas eorum, sed mors celebratur. 315
Abusus celebrandi festa S S. 306. & 421.
Vigiliæ festorum quomodo celebrandæ. 309
Tria in festivitatibus SS. præcipuè consideda. 1. auxiliorum SS. 2. exemplum, 3. confusio nostra ex collatione SS. *ibid. & seqq.*
Notatur abusus festorum solennium apud plerosque Christianorum. 249

Christiani in festis carni frena laxantes graviter arguuntur. *ibid.*
Vanitas & abusus Christianorum in peragendis festis. 10
Religiosis maior incumbit observantia festorum quam sæcularibus. 11
Festivitates piis & religiosis non more sæcularium celebrandæ. 396
Festa SS. quàm fructuosè celebrentur 485

Fides Fideles.
Fide Christiani.

Fidei vis & efficacia. 69
Fidei & cordis humani unio stupenda. 69
Sine fide placere Deo impossibile. 78
Sibiipsi fidere perfidia est. *ibid.*
Fiducia in Deum. *ibid.*
Maius est fidere, quam videre. 82
Fidei oculi lyncei ad cognoscenda arcana & ab oculis corporei abscondita. 121
Fides sine operibus mortua est. 251
Fide vincimus hostes. 260
Cur tam multi credentes, & tamen non vincentes. 261
Quænam vivida & victoriosa fides, *ibid.*
Signa credulitatis pariter & salutis. 268
Fides S. Andreæ grano sinapi comparatur. 458
Mysticum prophetandi genus ambulare in spiritu seu ex fide vivere. 670
Fides triplex, præceptorum, signorum, & promissorum. 695
Fides mortua & ficta quæ. 696
Fidei languor & tepor causa nostræ in curanda salute tepiditatis. 765
Fideles malè viventes fidei, & Christo ipsi derogant, imo mendacem & fallacem eum faciunt. 766
Tres filiæ Regis, Fides, Spes, Charitas, quodnam cuiusque officium. 784

Fiducia.

Fiducia capaces nos reddit misericordiæ. 199
Falsa fiducia. *ibid.*
Vera fiducia quænam. 391

Filiatio, Filius, Filia.

De filiatione Christianorum adoptiva. 260
Quare *Filius* venit in mundum, non *Pater*, aut Spiritus S. 2
Contemplatio longè pulchrima de *Filio* Dei homine facto. 3
Vnde & quo venerit *Filius* Dei 4. Ad quid venerit, *ibid.*
Tempus, & via adventus *Filii* Dei investigatur. 5
Cur *Filius* potius incarnatus quam *Pater* aut Sp. S. 187
In *Patre* & *Filio* substantiæ unitas, & gloriæ æqualitas. 435

Fluvius.

Cur deleto peccato originali *fomes* in homine remaneat. 223

Fons.

Quinque fontes salvatoris. 1. *Misericordiæ* ad culpas aqua remissionis diluendas. 1. *Sapientiæ* ad sitim aqua discretionis extinguendam. 3. *Gratiæ* ad plantas bonorum operum aqua devotionis irriganda. 88. *Charitatis* ad affectiones decoquendas. 5. *Vitæ* ad fideles torrente voluptatis potandos. 99
Fontes 4. de pectore Salvatoris prodeunt. 748
Ex singulis hauriuntur peculiares aquæ. *ibid.*
Ex fonte veritatis judicia. 749
De fonte sapientiæ consilia. *ibid.*
De fonte virtutis aquæ præsidiorum. 750
De fonte Charitatis hauriendæ aquæ desiderium. 751

Fortitudo, Fortis.

Dies fortitudinis quis. 112.

Fructus.

Arbores fructum facientes, sed non suum quinam. 174
Tempore opportuno fructificandum. 175
Fugere & cadere opus habemus, dum sumus in hoc corpore. 498

Gabriel.

Angelus Gabriel quare missus. 24
Quo missus? *ibid.* Ad quem? 26
Galilææ ratio mystica. 25

Gaudium.

Breue gaudium mundanorum. 569
Gaudium piorum stabile & perpetuum. *ibid.*
Verum gaudium non competit impiis, sed piis & solum Deum desiderantibus. 338
Gaudii sancti descriptio. 615
Gaudium duplex in hac vita. 186

Carnales ordine præpostero gaudium quærunt. 618
Prius est justitiam facere quàm apprehendere gaudium. ibid.
Gaudium solidum & perpetuum in fine. 619

Gloria.

Vide, Honor, Laus.

Meditatio gloriæ cælestis. 21
Quæ gloria vera 14
Occultare præstat, quàm ostentare bona sua. 45
Vera & inhabitans gloria unde contingat homini. 181
Mundi & gloriæ temporalis inconstantia. 195
Passio & crux seu tribulatio via est ad gloriam. 196
Cur Christus gloriam mundanā admiserit. 210
Gloria sine virtute inanis & indebita. 331
Sola virtus gradus ad gloriam. ibid.
Invidi tormentum gloria aliena. 442
Gloria sola secura, quæ in cælis exspectatur. 484
Tentatio proficientium, *sagitta volans in die*; id est, tentatio vanæ gloriæ. 506
Quos ea præcipuè petat & feriat. ibid.
Scutum opponendum tent. vanæ gloriæ. ibid.
Plus aquiret homo in statu gloriæ, quàm hacuit in statu innocentiæ. 533
Per basiliscī monstrosam naturam inanis gloria notatur. 552
Quomodo extinguenda tentatio vanæ gloriæ. ibid.
Gloria futura verè magna, præsens fallax & inanis. 561
In tribulatione spes gloriæ, veluti messis in semente. 562
Futuræ gloriæ status. 564
Desiderium gloriæ innatum homini. 586
Philosophi gloriæ laudisque avidi, sed differenter. 587
Gloriandum non alterius aut suiipsius testimonio cum Dei solius obnoxij simus judicio. 588
Quatenus in hac vita gloriari liceat. ibid.

Goliath.

Davidis pusill. & Goliath gigantis pugna mirabilis. 321
Eiusdem expositio mystica. ibid.
Goliath typus superbiæ. ibid.
David adversus Goliath non sua, sed Dei virtute confisus procedit. 322
Quomodo Goliath sui ipsius gladio perimendus. 323

Gratia.

Plenitudo gratiæ in B. Virg. in aliis SS. diversa 40. Virg. virtutes ad tantam gratiam præperatoriæ. ibid.
Maria quantam invenerit gratiam apud Deum. 44
Gratiæ idoneos non efficit humilitas. 193
Gratiæ impedimenta removenda: quæ sunt: delectatio peccandi, neglectus condignæ pœnitentiæ, & satisfactionis, tepor & defectio à primo fervore, elatio de propriis meritis. 194
Vnde ariditas gratiæ. 287
Triplicem gratiam divinitus accipimus. 360
Gratia apud Deum per Mariam quærenda. 377
Gratiæ fluenta origini suæ reddenda, ut fluant uberius. 381
Prædestinationis opus universum soli gratiæ tribuendum. 436
Desiderium maioris gratiæ est testimonium præsentis spiritus. 465 *& seq.*
Gratia non tam nobis deest, quàm nos gratiæ. 611
Gratiæ gratis datæ sub conditione petendæ, at gratia gratum faciens & gloria æterna simpliciter & absolutè. 635
Gratiæ necessitas ad bonum inchoandum & peragendum. 725

Gratitudo, Ingratitudo.

Gratitudo cumulat beneficia. 159
Pauci pro beneficiis grati. 642
Mota clementiæ est ingratis negare beneficium. ibid.
Religiosis quam noxia ingratitudo & tepiditas. 643
Nova beneficia veterum gratitudo meretur. ibid.
Ingratitudo claudit manum benefactoris. ibid.
Gratitudo nova meretur beneficia. 501

Hæresis. Hæretici.

Hæretici una ex tentationibus Ecclesiæ. 508

Henricus.

Henricus.

Pharaonis & *Herodis* comparatio. 261
Hodie vitam præsentem, *cras* futuram designat. 77

Homo.

Quam multa & quam multis homo debeat. 625. Debet omnem vitam suam Christo, ut redemptori. *ibid.* 2. Peccatis recogitandis & expiandis. 3. Cælo comparando. 4. Se totum Deo debet ut auctori omnium. 627
Homo quàm impar beneficiis à Christo acceptis. 626
Generatio hominum triplex. 667
Homo natus, sed non creatus ad laborem. 673
Hominum 4. sortes, quarum una tantum facit bona. 724
Quatuor differentiæ hominum cognitorum & non cognitorum à Deo. 226
Homo creatus filius Dei. 771
Libero arbitrio donatus. *ibid.*
Curiositate abducitur. *ibid.*
Concupiscentia abstractus & illectus, per varia desideria & peccata volutatur; hinc malè securus, & mala consuetudine ligatus tandem desperat. 772
Comparatio elegans hominum terreni adhærentium. 1
Quare homo redemptus, non Angelus. 3
Cur non potius homo ad Deum, quàm Deus ad hominem venit. 5
Hominis tantoperè à Deo quæsiti Dignitas. 4
Hominem esse Dei matrem, aut Deum filium hominis, id omnem transcendit dignitatem. 27
Mira Dei bonitas in creatione hominis 68
Prima mixtura seu vnio Dei & hominis super omnia admirabilis. *ibid.*
De hac re contemplatio piissima. *ibid.*
Homo in corpore suo formam crucis habet 73
Duplex hominis miseria: vtrique succurrit Dei misericordia. 100
Larga Dei bonitas in quærenda hominis salute. 104
Gloria hominis cur tanti æstimata à Deo. 109
Quanti Deus fecerit hominem ostendit ipse factus homo. 115
Hominis post lapsum miseria. 153
Varia in homine divinæ voluntatis obstacula. 169
Homo sibi relictus continuo tendit in nihilum. 179
Vera & inhabitans gloria vnde homini contingat. 181
Homo ab ipso creationis exordio 4. virtutibus tanquã vestimento salutis amictus nempe, miseric. veritate, Justitia, pace. *ibid.*
Homo despoliatus vestimento salutis & nudus relictus. 182
Quomodo spoliatus 4. supradictis virtutibus *ibid.*
Deo facile hominis duriciem frangere. 207
Hominis miseria. 217
Diversa hominum studia & labores. 220
Exterioris hominis cura & interioris neglectus quàm multos fallat, & arguat coram Deo. 348
Dei erga hominem constans amor. 383
Homini in terra non gloria, sed pax quærenda. 420
Quomodo Deus hominem sibi posuerit contrarium. *ibid.*
Christus ad reparandas ruinas Angelorum novos in terra condit Angelos, immo Seraphim, id est, homines igneos. 432
Statio Dom. Angeli, & hominis diversa. 439
Cur in homine cælestis portio non prædominetur terrenæ, cum homo ex vtraque constet. 445
Cur Deus hominem peccantem, non illico deleverit. *ibid.*
Cur homo erecto ad cælum vultu conditus. 446
Homo spiritualis vnde noscendus. 474
Homo totus miser, & nihil. 486
Homo in se nihilum, at in Deo magnum aliquid. 487
In homine quanta naturarum, morum & affectuum, diversitas. 488
Homo miseriam suam non agnoscens excludit Dei miserationem 489
Quomodo nos simus domus summi Patris familias, & templum Dei. *ibid.*
Civitas quoque summi Regis, & sponsa cælestis sponsi. 490

Homo bestia, cui laquei præparantur. 498
Qui, qualesve venatores. *ibid.*
Cautela contra dolosos huius venatoris laqueos. *ibid.*
Qualis similitudo jumentorum homini conveniat. 510
Mali homines & maligni Dæmones diversimodè nobis noxii, illi in temporalibus, hi in spiritualibus. 515
Cur Dæmon tam infensus homini ad nocendum. *ibid.*
Plus acquiret homo in statu gloriæ, quàm habuit in statu innocentiæ. 533
Viæ hominum necessitas & cupiditas. 535
Viæ hominis quomodo imitentur vias Domini. 539
Homini quomodo donata omnia. 568
Homo natus ad laborem & dolorem. 570
In hac vita nemo sine labore & dolore. *ibid.*
Cõditio hominis in statu naturæ integræ. 572
Deus quomodo hominem commendet. 588
Desiderium gloriæ innatum homini. 586
Quinque gradus seu status hominum sub Deo. 589. *& seqq. fusè.*
Homo inter cæteras creaturas Deo propinquior. 594
Tria hominum genera quibus Deus loquitur pacem, continentes, Prælati & conjugati. *ib.*
Homo similis & socius factus jumentis. 599
Turpe homini sursum caput habere, cor deorsum. *ibid.*
Nihil sub Sole jucundum & ad satiandum hominem sufficiens. 600
Deus volens reducere & salvare hominẽ perditum, mittit servos suos ad eum reducendum scilicet, timorem, qui urgeat, & spem quæ trahat & animet. 772, *& seq.*
Perditus incipit respirare. *ibid.*
Adhuc tergiversatur & trepidat pavore malæ conscientiæ. *ibid. & 773*
Hinc fuga, sed præceps ob freni defectũ. *ib.*
Submittitur consiliarius, i. e. Prud. habens comitem Temperantiam; illa imponit frenum discretionis, hæc habenas moderatur. *ibid.*
In auxilium accurrit generosus miles Fortitudo; sed prudentia monet cautè ambulare per viam justitiæ. *ibid.*
Demum appropinquant astris sapientiæ quæ fossa humilitatis & muro obedientiæ munita sunt. 774
Intromittitur filius Regis per portam professionis à Ioan. provido; & duce sapientia ad eius arcem perducitur, ubiq; cum gaudio excipitur. *ibid.*
In angustiis ad Regem pro auxilio Legatus mittitur oratio insidens equo fidei. *ibid.*
Rex mittit Reginam charitatem omni cælesti militia stipatam. 775
Filius representatur Patri, & induitur stola gloriæ. *ibid.*

Honores. Vide Gloria, Laudes.

Cautela pro iis, qui perverso fine occupant dignitates Ecclesiasticas. 551
Ecclesiasticas dignitates & officia sacra perversè usurpãtes graviter perstringuntur. 508
Honor Deo debitus nõ excludit honorẽ SS. 544
Idem dicendum de amore. *ibid.*
Abusus honorum & bonorum Ecclesiæ notatur. 784
Hominum perversitas in ambiendis honoribus. 172
Assiduitas Humberti Monachi in officio divino. 470

Humbertus.

Humbertus. 50. annos egit in ordine. 469
Humbertus idea & exemplar veri religiosi: nam eminebant in eo contemptus mundi, seu amor paupertatis, Mansuetudo & humilitas. Taciturnitas & linguæ custodia. Maturitas & risus fuga. Vigilantia, industria & fervor. Assiduitas in officio divino. Sobrietas & rara abstinentia. Prudentia in consiliis & tentationum remediis. Charitas & pietas erga alios. In sancta conversatione constantia. *ibid. & seq.*
Apostrophe ad eundem. 475
Pia Bernardi lamentatio de erepto sibi suisque Humberto. *ibid.*
Verus Christi sectator & Discipulus Humbertus. *ibid.*

Humilitas. Humilis.

Christus parvulus & humilis necessariæ parvitatis exemplum. 142
Quomodo ex consideratione aliorum humilitas nutrienda. 666

Alterius bona, non mala; propria verò mala, non bona, consideranda ad custodiam humilitatis. 667
Humilitas per auroram designatur. 740
Virginitatis & humilitatis pulchra copula. 26
Humilitas simpliciter necessaria, non item virginitas. *ibid.*
Humilitas Mariæ V. commendatur. *ibid.* & 357
Quàm necessaria virtus, humilitas. 27
Erubescat homo superbire, audiens Deum tam humiliter obedire. *ibid.*
Quanta & quam Deo grata V. Mariæ humilitas. 53
Humilitas Salvatoris in nativitate. 73. & 98
Humilitas exemplo *Verbi* incarnati, & sic humiliati sectanda. 86. & 176
Dies humilitatis quæ. 113
Humilitas Jesu baptizari volentis. 118
Arbores in vallibus plantatæ felicius crescunt, sic justi in humilitate fundati proficiunt. 174
Humilitas securior à ruina. *ibid.*
Gratiæ idoneos nos efficit humilitas. 193
Ad humil. quib. gradib. ascendendum. *ibid.*
Davidis, Pauli, Moysis, Samuelis & Heliæ simplex humilitas. 210
Christi humilitas in Incarnatione. 231
Humilitas est via ad sublimitatem. 272
Exemplum humilitatis auditoribus suis commendat Bernardus. 443
B. Martini humilitas. 450
Humilitas Humberti Monachi. 469
Humilitatis & exaltationis mira connexio. 620
Humiliatio quædam ad infernum. 621
Humiliatio veritatis quæ. 621
Multi humiliati, sed non humiles. *ibid.*
Quomodo homo humiliet seipsum. 622
Dictum Bernardi de humilitate. 638
Summa humilitatis in subjectione voluntatis. *ibid.*

Hydria.

Sex hydriæ tropologicæ, silentium, Psalmodia, Vigiliæ, Jejunium, opus manuum, munditia carnis. 704
Ordinatio istarum hydriarum. 706
Hydriæ istæ implendæ triplici timore. *ibid.*
Sex hydriæ mysticæ, positæ his, qui post Baptismum in peccata labuntur. 130. 1. hydria compunctio. 2. confessio. 3. eleemosyna. 4. remissio injuriarum. 5. afflictio corporis. 6. obedientia. *ibid.* Istæ hydriæ seu vasa pœnitentiæ implentur aqua timoris Dei, postea convertenda in vinum amoris. 131
Sex hydriæ mysticæ. 1. continentia. 2. abstinentia. 3. labor manuum. 4. vigiliæ. 5. silentium. 6. disciplina. 136

Hypocrisis. Hypocrita.

Hypocrysis & fictæ pœnitentiæ redargutio. 347
Hypocritæ non suæ conscientiæ, sed alienæ scientiæ studeant. 157
Singularitatis & vanitatis arguuntur. *ibid.*

Iacobus.

Iacobi mysticè quis. 38

Ieiunium.

Vide Abstinentia.

Quid sentiendum de Christianis jeiunium detrectantibus. 155
Duplex vitium jeiunantibus maximè cavendum. 157
Ieiunandum non solum ab escis, sed etiam ab omnibus illecebris & potissimum à vitiis. 159
Priscus jejunandi mos usque ad vesperam. 161
Dæmon insidiatur jeiunio. *ibid.*
Ieiunii quos duces habeamus. *ibid.*
Moysis, Eliæ, & Christi exemplo jeiunium commendatur. 162
Ieiunium singulis membris seu sensibus quomodo indicendum. *ibid.*
Quo fructu & quomodo jejunandum. 163
Ieiunii & orationis copula. *ibid.*
Oratio & Iustitia sunt alæ jejunij. *ibid.*
Ieiunii utilis conditiones & requisita. 164
Cur maioribus festis Ecclesia præmittat jeiunia. 456
Iejunia festis præmissa nos instruunt. 457
Vigilia festorum symbolum est tribulationis per quam itur ad regnum cælorum. *ibid.*
Ieiunii utilitas. 705

Ierusalem.

Christi in Ierusalem ingressus mystica expositio à Patribus recepta. 204
Ierusalem visio pacis. 205

Quæ

Quæ recta & regia ad eam via. *ibid.*
Ierusalem alia cælestis, alia terrena. 47
Ierusalem quid significet. 60

Iesus.

Iesus magnus, quia altissimo par & æqualis. 45
Iesus manus pro nobis factus parvulus, ut nos faceret magnos. 46
Iesus vir etiam in prima infantia & in ipso matris utero. 33
Populus Iesu quis sit. 101
Cur Isaias varia Christi nomina commemorans non meminit nominis Iesu. 108
Pia & elegans expositio nominum Christi, quæ Isaias proponit. *ibid.*
Ad Iesum alii itidem trahuntur, alii ducuntur, alii rapiuntur. 172

Ignis.

Usus ignis benedicti in Eccl. 147
Ignis malignus quis. *ibid.*

Impius.

Quare & quomodo de visis impiorum supplicis sancti gaudeant. 522
Nihil infelicius felicitate malorum. 536
Verum gaudium non competit impiis. 338
Impii ex vitæ brevitate luxuriandi occasionem sumentes, insaniunt. 567
Vitam modo brevem, modo longam sibi fingunt. *ibid.*
Gaudium impiorum breve. 569
Homines impii & terreni non nisi carnis gaudia & bona captant. 582

Incarnatio.

Incarnationis Christi meditatio incentivum maximum amoris. 648
Dei charitas Incarnatione præcipuè eluxit. *ib.*
Incarnatio Christi mensa divitis, Fercula mensæ varia. 1. Christi obedientia. 2. paupertas spiritus. 3. mors Christi. 226
Cur Deus in carne se visibilem præbuit. 273
SS. Trin. operatio circa Incarnationem Christi. 707
Typi Incarnationis dominicæ in virgine facti. 386
Caussa divinæ Incarnationis. 4
Tres mixturas seu tria opera excellentia fecit Deus in assumptione carnis nostræ. 67
Contemplatio sublimis de incarnationis mysterio. 33
Cur Dæmon ignorare debuerit ad tempus modum huius mysterii. 35
Triplex genus potentiæ in mysterio Incarnationis Dom. 92
Incarnatus Deus ad profligandos hominis inimicos; peccatum & mortem. 87
Incarnationis Dominicæ mysterium abyssus imperscrutabilis. 187
Cur *Filius* potius incarnatus quàm *Pater* aut Sp. S. *ibid.*
Effusio divinæ misericordiæ in mysterio incarnationis. 86

Incipientes.

Primum certamen incipientium. 505
Initio conversionis carnis lucta molestior. *ibid.*
Tentatio incipientium. *Timor nocturnus*, id est, Pusillanimitas, & timor laborũ, ad hanc vincendam valet. 1. Recordatio peccatorum. 2. suppliciorum infernalium. 3. cælestium præmiorum. 4. Passionis Christi. *ibid. & seqq.*

Infans.

Infantes quomodo conformentur Christo. 644
Inferiori tribuenda custodia & disciplina. 12

Infernus.

Recordatio suppliciorum Infernalium valet adversus pusillanimitatem & timorem laborum. 505
Christus descendẽs ad inferos quid egerit. 412

Ingratitudo, Ingrati.

Vide Gratitudo.

Ingratitudo claudit manum benefactoris. 643
Clementiæ est negare ingratis quod postulant, ne gravius de ingratitudine judicentur. 641
Ingratitudinis damna. 228
Vitio Ingratitudinis nihil homini damnosius aut Deo detestabilius. 326
Ingratitudo perdit accepta beneficia, & viam obstruit accipiendis. *ibid.*
Gratitudinis debito erga Deum omnes tenentur, sed religiosi à Deo de sæculo vocati peculiariter. *ibid.*

Inimici.

Inimicus noster domesticus caro nostra, 16
Alter hostis noster infensiss. diabolus. *ibid.*
Adversus utrumque grave homini certamen. 16

Hostis noster debilis, neminem vincit, nisi volentem. *ibid.*

Injuria.

Innocentes veros Christi martyres censendos esse docetur, etsi propria voluntate non susceperint martyrium. 102

Innocentius II. Pont.

Triplex *innovatio* nobis præstita per Christum, cordis, oris, operis. 38

Inobedientia.

Vide Obedientia.

Inobedientia quatuor malorum causa. 572
Divinæ *inspirationes* quàm diligenter & reverenter observandæ. 631

Intellectus.

Intellectus purgandus. 273
Rari quorum intellectus illumitatus. 274

Intentio.

Ratio contra malam intent. munienda recordatione gehennæ. 654

Invidia. Invidi.

Invidiæ oculus venenatus. 547
Invidus Basiliscо comparatur. *ibid.*
Invidi tormentum gloria aliena. 442

S. Ioannes Baptista.

S. Ioannis Baptistæ prærogativa. 304
Ioannes verè ardens. *ibid.*
Ardor & splendor in Ioan. triplex. 305
Abusus celebrandi eius natalem. 306
Ioan. lucerna ardens & lucens. *ibid.*
Quomodo nobis gaudendum in eius tum fervore, tum lumine. *ibid.*
Eius pœnitentia nos ad eand. excitat & accendit. *ibid.*
S. Ioan. zelus & parrisia in corripiendis impiis. 307
Christum veniisse ut Deum, ut sponsum, ut Agnum Ioan. prænunciat. 308
Eius Nativitas cur celebrior morte. 315
S. Ioannes Lucerna non tantum lucens sed & ardens. 433
Ioannes Christi gloriam sibi non usurpat. *ibid.*

Iosephus Sponsus B. M. Virginis.

Ioseph cur sibi Mariam desponsaverit. 34
Cur voluerit dimittere Mariam. 36
Et cur id occultè. *ibid.*
An de Mariæ integritate dubitaverit. 37
Iosephi dignitas. *ibid.*
Eius cum Iosepho Patriarcha comparatio & elogia. *ibid. pulchrè.*
Ioseph de domo David dignus tanto patre filius. 38
Iustitia in eo cõmendatur. 98

Iosephus Patriarcha.

Iosephi charitas erga proximum. 342

Ira, Iracundi.

Ira bona & mala quæ. 548
Spiritus iracundiæ draco. *ibid.*
Ira est affectio naturalis, sed per abusum pernicioſa. *ibid.*
Israelitæ causa famis in Ægyptum profecti ibiq; postea oppressi, quid tropologicè. 720

Iudicium. Iudex. Iudicare.

Tria judicia humanum, proprium & divinum. 652. & 717
Pharisæus judicans secundum speciem visibilem erat. 482
Qui modò respuunt vocem consilii, tandem audient vocem judicii. 582
Multis dura nunc videtur pœnitentia sed durior erit tandem judicis sententia. *ibid.*
Pudor judicii. 647
Paulus non hominum, nec proprium, sed Dei judicium æstimat. 660
Dei judicium futurum quam terribile. 524
Minus tamen his, qui nunc seipsos judicant. *ib.*
Iudicium futurũ nõ erit sine misericordia. 538
Qualis similitudo *jumentorũ* homini cõveniat. *Iuramentum.* 509
Triplex testimonium nostræ *justificationis* à sanguine Christi, aqua pœnitentiæ, & gratia Sp. S. 265
Requisita ad justificationem. 760

Iustitia. Iustus.

Vide Pius, sanctus.

Testimonium in terra ad discernendos justos ab impiis. 264
Vita justorum desideranda, sed mors vel maximè. 316
Iustus ingratus & peccator securus ambo displicent Deo. 576
Zelus falsus seu inanis esuries justitiæ. 16
Dies justitiæ quis. 111
Ex magnitudine præsentis misericordiæ colligenda severitas futuræ justitiæ. 117

Duplex.

Duplex justitia : stricta & lata. 126
Iustitiæ laus & fructus. 127
Iustitia alia jejunij. 163
Arbores in vallibus plantatæ felicius crescunt, sic iusti in humilitate fundati. 174
Introducitur misericordia & Iustitia de negotio humanæ redemptionis disceptantes. 138. & seq. eleg.
Zelus iustitiæ & rectitudinis in erratis proximi. 252
Compassionis affectus prævaleat zelo rectitudinis. ibid.
Christi justitia immensa & æterna. 171
Quæ justitia coram Deo in oblivionem. 320
Apost. justitia permanens. ibid.
Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam. 400
Adamo defuit esuries Iustitiæ. 401
Zachæi justitia & misericordia. ibid.
Iustitiæ divinæ, humanæ, & Angelicæ differentia. 441
Ad justitiam exercendam duo necessaria. 617
Prius est justitiam facere, quam apprehendere gaudium. 618
Iustitiam debemus Deo, pacem proximo. ibid.
Perfecta justitia quæ. 700
Iustitia ordinata quæ. 722
Iustitia virtus generalis cui cæteræ subserviunt. ibid.
Iustus duo per justitiam habet, ut faciat quod debet, & quod debet patiatur. 758
In ipsa etiam justitia datur excessus. 763

Labor.

Christi labores nobis quoque ad consolationem cedunt. hos in hominis salute frustrari quàm molestum Deo. 97
Quies non captanda nisi post laborem. 177
Ne Christus quidem sine labore pervenit ad quietem. 178
Honorum cupidi & laborum inimici, similes Diabolo. ibid.
Labor brevis, merces perpetua. 568
Omnis labor & asperitas præsens lenitur cogitatione gehennæ. 502
Immeritò de præsentis vitæ laboribus querimur. 628
Discrimen inter corporales sæcularium & Religiosorum labores. 640
Christi lachrymæ & vagitus docent fugam voluptatum & delectationum carnalium. Pudorem quoque dolorem & timorem nobis incutiunt. 95

Lætitia.

Vide Gaudium.

Quinque *lapides* à Davide è torrente sumpti quid significent. 322
Anguli & *latebræ* vitanda. 325

Latro.

Lateris dextri in Christo aperti mysterium. 517
Apertio lateris post mortem quomodo imitanda. 239

Lazarus.

Ad Martham spectat ornare domum, ad Mariam implere ad Lazarum mundare. 348
Lazarus gerit formam pœnitentis. 349
Religiosæ domus habent Mariam, Martham, & Lazarum. 351
Lazari sepulti consideratio tropologica. 355
Lazari quatriduani resuscitati, & peccatoris pœnitentis comparatio. ibid.

Laudes.

Vide Gloria, Honor.

Laus in ore peccatoris quomodo sit, aut non sit speciosa. 728
Laudes humanæ quatenus admittendæ. 729
Alienis laudibus quàm parum fidendum. 587
Leo rugitu terribilis. 548

Lepra.

Septuplex lepra moraliter expenditur. 1. est proprietas possessionum. 2. gloria vestium. 3. voluptas corporis. 4. murmuratio. 5. Iactantia. 6. propria voluntas. 7. proprium consilium. 256. & seqq.

Lex.

Duplicia veteris legis præcepta, moralia & figurativa : illa jam observantur literaliter per Christi gratiam ; hæc non nisi spiritualiter. 716
Tria hominum genera per viam legis. Dom. incedunt. 723

Lingua.

Vide Detractio, Detractor.

Lingua diligenter custodienda. 612

Linguæ neglectæ varia vitia & damna. *ibid.*
Lingua detractoris gladius triceps. 613
Lingua maledica lancea, spinis & clavis Christi crudelior. *ibid.*
A Modico membro maxima mala. *ibid.*
Devotionis & orationis pestis ab incuria linguæ. *ibid.*
Quam sollicita, & vigili custodia opus adversus noxas linguæ. 614
Linguæ bonæ magna vtilitas. *ibid.*
Custodia cordis sine cura manus & linguæ constare nequit. 615

Lites. Litigiosi.

Lites quantoperè fugiendæ, etiam cum proprio damno. 54

Locus.

Locorum sacrorum dignitas ob cætum piorum, visitationem Angelorum, & ipsius Dei præsentiam. 491
Quanta reverentia in locis sacris versandum. 492
De *longanimitate.* 692

Lucifer,
Vide Diabolus.

Gloria Dom. Lucifero post casum abscondita. 440
Lucifer vna tantum ala volare tentans cecidit. *ibid.*
Lucifer lucem habuit, sed non splendorem. 432

Luctus.
Vide Dolor. Lacbrymæ.

Quis sit culpabilis fletus seu luctus, quis laudabilis. 338
Beati qui lugent. 412
Lugendi copiosa materia. *ibid.*
Falsus luctus. 16

Lumen. Lux. Lucere.
Vide Lucerna.

Lumen divinum nobis necessarium. 65
Ardere simul & lucere perfectum est. 304
Sapiens potius curet ardere quam lucere. *ibid.*

Luxus.

Eleganter perstringuntur luxus & delitiæ hominum carnalium. 618
Nemo hominum sine *macula*, nisi solus Christus. 644

Magdalena.

Ad Martham spectat ornare domum, ad Mariam implere, ad Lazarum mundare. 348
Felix domus & congregatio, vbi de Maria Martha conqueritur. 350
Maria Christum habet advocatum. *ibid.*
Religiosæ domus habent Martham, Mariam, & Lazarum. 351
Vtilis & præclara cautio pro Magdalena, seu his, qui vitæ contemplativæ vacant. 353
Vis amoris in Magdalena. 342
Querimonia Marthæ adversus Mariam. 362
Christi pietas & misericordia in conversione Mariæ Magd. 337
Triplex eius vnguentum. 339
Magdalena non amplius peccatrix quando pœnitens. 482

Magi,

Eximia fides & pietas Magorum Christum Deum & Regem agnoscentium, inter tot abiectionis indicia. 117
Magorum fides & devotio excellit Latronis & centurionis fidem. 121
Cur aurum, Thus, & Myrrham obtulerint Christo. 124

Maiestas.

De *Magnanimitate.* 692

S. Malachias Episc.

Mortis suæ diem imminere prædicit. 423
Malachias in Claram-vallem venit singulari Dei providentia. 423
Brevis narratio peregrinationis eius. *ibid.*
Sepultus in Die commemorationis Fidel. anim. *ibid.*
Dira mors quæ Malachiam sustulit. 424
Malachias in tristibus & lætis æque infractus. 425
Eius zelus pro Domo Dei. 426
Inter pericula, non detrectat curam Ecclesiæ, post pericula mauult vitæ religiosæ quietem. *ibid.*

Malum.

Vide Peccatum. Māli, *Vide Impij.*

Facilius intelliguntur mala, quibus carebimus quàm bona, quibus fruituri sumus. 530

Semper

Semper malum pœna comitatur. 535
Perseverare in malo diabolicum. 3

Mansuetudo.

Vide Clementia. Misericordia.

Sine lenitate placere hominibus impossibile. 78
Ad perfectam sanctificationem etiam mansuetudo necessaria. *ibid.*
Mansuetudo triplici ariete pulsatur. 143
Mansuetudo falsa. 16
Manuum innocentia sectanda. 656

Maria Virgo.

B. Virgo domus divinæ sapientiæ, 701
Eius tres columnæ, fides SS. Trinitatis. *ibid.*
Aliæ columnæ huius domus 4. virtutes cardinales. 702
Christus fons vitæ ad nos derivatus per aquæ ductum, id est, Mariam. 376
Quanto affectu veneranda & invocanda Virgo Maria. 378
Est nostra advocata apud filium suum. *ibid.*
Gratia apud Deum per Maria quærenda. *ibid.*
B. Mariæ supra omnes spiritus Angelicos eminentia ostenditur. 381
Patrocinium B. Virginis quam nobis apud Deum efficax & vtile. 384
B. Virginis erga peccatores clementia. 385
Mirabilia in Virgine patrata. 386
Typi incarnationis dominicæ in Virgine facti. *ibid.*
Maria hortus deliciarum, *ibid.*
Maria aurora consurgens. 387
Pulchra vt luna, electa vt sol, castrorum acies ordinata. *ibid.*
Humilitas & puritas Virginis. 388
B. Maria à B. Ignatio appellatur Christifera. 510
Maria V. virga ex quâ Iesus flos prodijt. 8
Adspiratio ad Dei Matrem devotissima. 9
Mittitur Angelus Gabriel ad Mariam Virg. 23 *& seq.*
Humilitas Mariæ Virginis commendatur. 26
Virginitas cum fœcunditate in Maria V. mirabilis. 27
Hominem esse Dei Matrem, aut Deum filium hominis id omnem transcendit dignitatem. *ibid.*
Summa Christi dignatio, & Mariæ dignitas, Deum subditum esse homini. *ibid.*
Omnia in V. Maria prorsus eximia & admiranda. 28
Matris Dei & prolis mira congruentia. 29
Magna Dei dignatio, magna Virginis excellentia. *ibid.*
Solatium protoplastorum per Mariam. 30
Præclara Mariæ præ Eva commendatio. *ibid.*
Varia de B. Virgine testimonia, seu vaticinia & figuræ. *ibid.*
Maria V. mulier fortis, rubus incombustus, & virga florida. 31
Ghristus & Maria varie figurati. 32
Fœmina circumdabit virum, de B. Virgine dictum. *ibid.*
Maria Virgo cur desponsata viro. 34
Comparatio inter dubitationem Thomæ & desponsationem Mariæ. 35
Ioseph cur voluerit dimittere Mariam. 36
An de Mariæ integritate dubitaverit. 37
Interpretatio & elogium nominis *Mariæ*, id est stella maris. 38
Cohortatio ad cultum & venerationem V. Mariæ pulcherrima. *ibid. fusè*
Maria omnibus omnia. 39
Plenitudo gratiæ in B. Virg. ab aliis SS. diversa. 40
Virginis virtutes ad tantam gratiam præparatoriæ. *ibid.*
Deus singulariter in, & cum B. Virgine. 41.
Propositum servandæ virginitatis firmum & immobile in B. Virg. non obstante maledictione legis. 42
Privilegia V. Deiparæ. 43
Maria turbata confirmatur ab angelo. 44
Quantam apud Deum gratiam invenerit. *ibid.*
Maria non præceps ad respondendum 49
Quomodo Sp. S. supervenerit in virginem, eique obumbraverit. *ibid.*
Sterilis cognatæ conceptus cur nunciatus Virgini. 51
Dulcissima ad virginem apostrophe. 52
Quanta dignitas, gratia & prærogativa Mariæ. *ibid.*
Quanta & quàm Deo grata Virginis humilitas. 52

Vnio

Vnio Virginitatis & maternitatis in Maria quam admirabilis 68
Excitamenta ad Deiparæ cultum. 69
Prærogativæ Deiparæ : conceptus sine pudore, partus sine Dolore, Maternitas sine corruptione, & proles sine omne labe peccati. 71. *& seqq.*
Continentia in B. Virg. commendatur. 98
Recursus Bernardi ad V. Deiparam. 135
Responsum Christi ad Matrem durius & asperius quid sibi velit. *ibid.*
Mater Dom. non fuit legi purificationis obnoxia. 148
Singularis gratia & prærogativa Mariæ V. 193
Serpens per Evam insudit venenum generi humano, at angelus antidotum per Mariam. 296
Christus salutem nostram operatus in medio terræ, nempe in Virginis utero. *ibid.*
Exultatio cælitum in assumptione Mariæ. 343
B. Virgo in cælum præcessit & nos ad sequendum animat. *ibid.*
Gloria assumptionis Deiparæ. 344
Ratio lectionis Evangelicæ. *ibid.*
Regina mundi quantâ in assumpt. gloria & Pompa processerit *ibid.*
Christi generatio & Mariæ assumptio inenarrabilis. *ibid.*
Maria plena gratia, ut in nos redundat. 345. *& seqq.*
Privilegium sanctificationis non minus, imo magis tribuendum Beatæ Virgini; quam Ieremiæ aut Ioanni. 349
Proprium Maria delictum non habuit. *ibid.*
In Maria Deip. & Marthæ negotium & Mariæ otium invenitur. *ibid.*
Magis tamen admirandus Christi de cælo descensus. 354
Quàm arduum loqui de laudibus Virg. 356
Quid unicè mirandum, & summè laudandum in Virgine nempe quod mater simul & Virgo; sed imprimis quia mater Dei. *ibid.*
Virtutum quoq; privilegio eminet Maria. 357
Puritas eius rara, humilitas singularis. *ibid.*
Misericordia admirabilis. *ibid.*
Eius miseric. pulchræ commendatio. *ibid.*
Invocatio B. V. 358

Martha.

Ad Martham spectat ornare domum, Ad Mariam implere, ad Lazarum mundare. 348
Felix domus & congregatio, ubi de Maria Martha conqueritur. 350
Religiosæ domus habent ad Martham, Mariam & Lazarum. 352
Utilis cautela pro Martha : seu actioni & ministerio mancipatis. *ibid.*
Quærimonia Marthæ adversus Mariam. 362

S. Martinus.

B. Martini obedientia. 448
Ejusdem miracula. 450
Paupertas & humilitas. *ibid.*
Mansuetudo. *ibid.*
Injuriarum oblivio & benevolentia erga Brixium. 451
Zelus & sitis justitiæ. *ibid.*
Charitas & misericordia erga proximos. *ib.*
Munditia cordis & totius vitæ integritas. *ib.*
Studium pacis & concordiæ. *ibid.*
Patientia persecutionum. *ibid.*
Mira ejusdem obedientia, resignatio, & promptitudo ad labores. 452
Exemplum obedientiæ eius ad novos se labores offerentis elegantissimè commendatur. *ibid.*
Nec mori timuit, nec vivere recusavit. 253
B. Martinum moribundum tentat Diabolus. 509

Matrimonium.

Mos desponsationis apud Iudæos. 34
Comparatio inter desponsationem Mariæ & dubitationem Thomæ. 35

Martyrium, Martyres.

Quam longè absumus à zelo & fervore Martyrum. 454
Non desunt nobis etiam hodie occasiones martyrii spiritualis scilicet. *ibid.*
Quomodo nobis liceat imitari Martyres. *ibid.*
Quale Martyrium nobis curandum. 555
Martyrium spirituale. 262
Triplex genus martyrii. 102
Martyres quid nobis seminaverint. 179
Discrimen martyrum & confessorum. *ibid.*
Meditationis necessitas. 463

Medium, Mediocritas.

Christus amat media, odit diverticula. 384

Memoria.

Memoriæ casus miseria. 694
Memoriæ custos adversus turbam cogitationum. 718
Mendici sumus ante januam summi Regis. 196

Merita.

Stulta & ruinosa habitatio in meritis suis confidere. 495
Merita nostra sunt Dei dona. 180

Miracula.

Miracula SS. quorsum nobis proponantur. 175
Mystica miraculorum operatio omnibus fidelibus cõveniens pulchrè describitur. 268
Beati Martini miracula. 450
SS. miracula spectanda ut gloriæ divinæ testimonia. *ibid.*

Miseria.

Vide Adversa, Afflictio.

Quid facto opus ad remedium & levamen præsentis miseriæ. 573

Misericordia.

Vide Clementia, Mansuetudo, Pietas.

Misericordia Dei parva, mediocris & magna. 601
Beati misericordes. 401
Zachæi misericordia. *ibid.*
Copia miserationis divinæ. 144
Triplicem misericordiam consecuti sumus contra triplicem miseriam. 145
Compatiendum proximis. 206
Ubertas divinæ misericordiæ. 115
Effusio divinæ misericordiæ in mysterio Incarnationis. 86
Misericordia Christi immensa & æterna. 271
Introducitur miseric. & Iust. de negotio humanæ Redempt. disceptantes. 185
Mira in Petrum & Paulum Dei misericordia. 318
Virg. Mariæ misericordia admiranda, ejusdem pulchra commendatio. 358
Misericordia inordinata & perversa. 16
Ex magnitudine præsentis misericordiæ colligenda severitas futuræ justitiæ. 117
Christi miserationes prædicandæ. 231
Viæ Dom. misericordia & veritas. 567
Felix & jucunda copula misericordiæ & veritatis. 568
Non præsumendum de misericordia. 8
Septem Dei misericordiæ in Religiosis præcipuè, notandæ. 1. præservatio à variis peccatis. 2. Dei longanimis expectatio. 3 visitatio & immutatio cordis. 4. susceptio pœnitentis. 5. gratia continendi & cavendi relapsum. 6. gratia promerendi. 7. Spes obtinendi. 327. *& seqq.*
De fragmentis 7. misericordiarum. 328. *fusè.*
B. Martini charitas & misericordia erga proximos. 451
Sermo parabolicus ad commendandum Dei misericordiam. 118

Monachus.

Vide Clericus. Religiosus. Sacerdos.

Luxus & vanitas vestium in monachis res indignissima. 54

Montes.

Quatuor montes ascendendi, castitatis, innocentiæ, potentiæ, & pacis. 712

Morbus.

Vide Adversa. Afflictio. Infirmitas.

Diligentibus Deum morbi cooperantur in bonum. 568
Mors beneficium. 646
Justis à morte oritur vera dies. *ibid.*
Impiis densa nox. *ibid.*
Quibus mors in desiderio. 60
Christus spontaneè mortem subiit. 201. & 216
Christi dominium in mortem. *ibid.*
Christi mors omnia peccata expurgat. *ibid.*
Beneficia Christi morte collata. 230
In festis SS. non nativitas eorum, sed mors celebratur, & cur. 315. *& seqq.*
Mors SS. pretiosa. *ibid.*
Vita justorum desideranda, sed mors vel maximè. *ibid.*
Dira mors, quæ Malachiam Episc. sustulit. 424
Sed neque Christo pepercit. *ibid.*
Quomodo mors à Christo superata cum etiamnum in homines sæviat. *ibid.*
Diabolo & morti quid juris seu potestatis in homines relictum. 425
Mortis sola potestas in corpus, nulla in animam. 468

Moribundis quàm fideli duce & præside opus. 509
Christi mors meri fuit amoris. 526
Nostra mors quàm impar morti & amori Christi. 527
Diligentibus Deum mors cooperatur in bonum. 568
Error malæ mortis incorrigibilis. 731
Quo judicio qualitas mortis colligenda. *ibid.*
Defunctis debemus compassionem & orationem. 608. *& seq.*

Mortificatio.

Afflictio corporis præsidiū continentium. 663
Per hanc sæculi huius pericula evadere licet. *ib.*

Moyses.

Moysis simplex humilitas. 210
Moyses quomodo Deum viderit. 200
Moyses typus Christi. 261
Moysis erga peccantem & murmurantem populum amor & mansuetudo. 342

Mulier.

Mulieres mysticæ Christum inungentes quæ, & quæ earum aromata. 251. *& seq. fusè & eleg. item* 708
Mundities falsa quæ. 16

Mundus. Mundani.

Vide Terrena Divitiæ &c.

Mundus hostis continentiæ. 330
Mundi contemptus unde nundinandus. 690
Mortuus & crucifixus mundo quis. 171. *& seq.*
Tria in opere mundi cogitanda, quid, quomodo, & quorsum fit. 300
Carnales mundi bona complexi, non cogitant. cur, aut ad quid facta sint. *ibid.*
Mundi compedes quantumvis aurei relinquendi. 603
Breve gaudium mundanorum. 569
In mundo esse periculosum. 284
Plangendi tanquam mortui, qui secundum carnem vivunt. 251
Mundi inconstantia. 195
Murmuratio est lepra. 256

Mysteria.

Arcana Dei non curiosè scrutanda. 606
David & *Nabuchdonosor* Reges inimici mysticè quid signif. 779. *fus. & pulchrè.*

Nativitas. Natalis.

Ioan. Bapt. Nativitas cur celebrior morte. 315
In festis sanctorum non Nativitas, sed mors celebratur. *ibid.*
De loco, tempore, & aliis circumstantiis Nativitatis Christi. 94
Ex iisdem morum documenta petita. *ibid.*
Mysterium nativitatis etsi semel peractum, tamen etiam debet hodie novū videri. 82
Locus humilis nati Salvatoris. 83
Nativitas Christi, quam mundo fructuosa. 57
Ead. cauga magnæ lætitiæ & fiduciæ. *ibid.*
Christi natale triplex solennitas sequitur, & cur. 102

Naturæ.

Triplicem naturæ lapsum reparavit summæ Trinitas, idque per fidem, spem, charitatem. 695
Corruptela naturæ ex peccato. 62
Nazareth interpretatio & significatio. 25

Nomen.

Vide Deus. Iesus.

Quomodo sanctificari dicatur nomen Dei in seipso summe sanctum. 170

Notitia.

Humilis sui discussio; cognitio, & confessio Deum honorat. 13
Cognitio sui, quæ est gradus confessionis in tribus consistit, nempe: homo peccans quid faciat, quid mereatur, quid amittat. 676

Novissima.

Vide Mors. Iudicium. Infernus.

Memor novissimorum nunquā peccabit. 599
Mors, judicium, & Gehenna timenda. *ibid.*
Ad excutiendum teporem & excitandum fervorem valet memoria novissimorū. 646
Novitiorum indoles. 591

Nuptiæ.

Vide Matrimonium.

Nuptiæ spirituales, ad quas omnes vocati sumus. 133
Christus sponsus anima sponsa, Eorund. mutuus amor. *ibid.*

Obedientia.

Vide Humilitas. Inobedientia.

Vicario Dei æquè ac Deo parendum cum non præcipit contraria Deo. 206

Obedientia, quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. *ibid.*
Obedientia non est gravis & molesta nisi imperfectis, invitis, & carnalibus, cæteris suavis & facilis. *ibid.*
Falsa & ficta obedientia. 464
Nota obedientiæ. 112
Perfecta Pauli obedientia & prop. voluntatis abdicatio commendatur. 141
Obedientia recta & regia via ad cæleſt. Hieruſ. 205
Obedientia commendatur à variis obedientiæ exemplis cælorum, Angelorum. 447
Obedientia Abraham, Chriſti Dom. B. Martini. *ibid.*
Obedientiæ exemplum. 464
Obedientiæ perfectæ exemplum in Petro & Andrea. *ibid.*
De Obedientia. 570. *& ſeq.*
Obedientia bonus cibus, eius condimentum ſapientia. 571
Inobedientia quantorum malorum cauſſa. *ib.*
Obedientia præſidium continentium. 662
Per hanc mundi huius pericula evadere licet. 663
Eius profeſſio quomodo vitietur. *ibid.*
Cumulatio ſeu ſupererogatio paupertatis. 664
Obedientia commendatur in Apoſtolis in Abraham. 681
Obedientia Abrahami variè probata. *ibid.*
Obedientia triplex; *ſpecialis* ad Deum, *propria* ad hominem, *communis* inter Deum & hominem. 682
Prælatis quouſque obediendum. *ibid.*
Septem obedientiæ gradus: obedire libenter, ſimpliciter, hilariter, velociter, adimplere viriliter, obedire humiliter, indeſinenter. 683. *& ſeqq.*

Oblatio. Vide Miſſa.

Oblationis factæ in die Purif. & oblationis in cruce collatio. 148
Optimum quod habemus offerendũ Deo 149
Oblivio quædam mala; quædam bona, illa cæleſtia negligit, hæc terrena. 83

Obſtinatio.

Vide Deſperatio.

Viæ Dæmonũ præſumptio & obſtinatio. 336
Hæ quantopere cavendæ. *ibid.*
Obſecratio tribuitur infirmis conſcientiis, & terrore peccati conſternatis 633

Oculus.

Oculus quomodo eruendus. 394
Mundãdus oculus, quo videndus eſt Deus. 402
Oculi quando planè noſtri erunt. 521

Occaſio.

Notæ falſæ pœnitentiæ non fugere occaſiones. 250
Occaſionis fuga. 604

Onus.

Vide Iugum.

Onus peccati grave levi Chriſti onere commutatur. 554
Onus Chriſti, quantumvis premere videatur, portandum. 509

Opera. Operatio. Operarius.

Vide Eleemoſyna. Miſericordia Pietas.

Opera Domini magna. 90
Tria præcipuè Creationis, Redemptionis. Glorificationis. *ibid.*
In primo conjungit limum terræ, ſpiritum vitæ, corpus animæ, &c. *ibid.*
In ſecundo unit *Verbum*, animam, carnem. Tertia conjunctio fiet in glorificatione ęritque unio hominis cum Deo. 92
Quid de conjunctione boni operis & bonæ voluntatis ſentiendum. 103
Bonum opus ſine voluntate, & bona voluntas ſine opere quan do proſint. *ibid.*
Opera bona à ſolo Deo. 180
Opus manuum commendatur teſtimonio Apoſt. 705

Oratio. Orantes.

Cur orari Deus velit, pro his etiam, quæ dare diſpoſuit. 54
Oratio cum Dei Decreto invariabili quomodo cohæreat. 55
Orationis alæ mundi contemptus & afflictio carnis. 124
SS. in cælis orant pro nobis. 634
Ieiunii & orationis copula. 163
Oratio & juſtitia ſunt alæ jejunii. *ibid.*
Tria orationis vitia: timiditas, temeritas, tepiditas. 16
Quomodo oratio noſtra non ſit inanis & infructuoſa. 16
Orantes non exaudiri ſæpe divinæ bonitat indicium eſt. *ib.*

Orandum pro necessitatibus animæ potissimum. 168
Brevis regula benè orandi. *ibid.*
Antidotum tentationis humanæ, cum nobis videmur in vanum & sine fructu orare. 166
Christi oratio & sudor in horto. 203
Oratio ascensio. 283
Secessus orandi gratia. 283
Quanta cum reverentia sacris conventibus ad orationem interesse oporteat. 303
Oratio remedium contra pravos motus concupiscentiæ. 402
Orationis necessitas. 463
Tentatio est vita hominis, contra eam scutum oratio. 504
Devotionis & orationis pestis ab incuria Linguæ. 613
De 4. modis orandi: Obsecratione, oratione, postulatione, & gratiarum actione eleganter disseritur. 633. *& seqq.*
Obsecratio tribuitur infernis conscientiis & terrore peccati consternatis. *ibid.*
Oratio attribuitur pœnitentibus. 634
Postulatio assignatur jam receptis in gratiam. *ibid.*
Peccatori non expedit per seipsum accedere ad Christum. *ibid.*
Angeli adstant orantibus ut preces eorum Deo offerant. 39
Quanta cum reverentia in oratione versandum. 636
Ad orationem precipuè opus vigilantia animi. 637
Mens orationis tempore in cælum dirigenda. *ibid.*
Quid sub conditione, quid simpliciter & absolute petere liceat in oratione. *ibid.*
Oratio duobus modis impeditur. 761
Affectus 4. quibus orandum. 762
Oranti tria consideranda, quid petat, quem petat, quis petat. *ibid.*

Ordo sacer.

Vide Clericus. Sacerdos.

Sacros ordines in turpis lucri occasionem cedere deploratur. 139
Origenis scripta ut in multis erronea cautè legenda. 658
Quædam eiusdem dicta minus congrua. *ibid.*

Osculum.

Osculum triplex; pedum, manum, oris. 732
Osculum Patris, & Filii, & Spir. S. 736
Per osculum quid sponsa desideret, nempe cognitionem *Verbi* Dei, & verit. amorem. *ibid.*

Panis.

Vide Cibus Eucharistia.

De tribus panibus Evangelicis. 266
Tres panes, veritatis, charitatis, fortitudinis. 267
Tres panes Evangelici quid signif. 709
De fragmentis. 7. misericordiarum seu panum. 328. *fusè.*
Septem panes mystici. 325

Parentes.

Vide Adam. Eva.

Primi parentes non coacti, sed decepti, id est, non necessitate, sed voluntate peccarunt. 598
Primos parentes calliditate vicit satanas. 624
Primorum parentum lapsus ex instabilitate, & defectu charitatis. 463

Paries.

Optima *pars* quæ. 351

Pascha.

Quid nobis solemnitas Paschæ commendet ad mores. 248
Pascha, id est, transitus, monet nos non redire ad vomitum, seu pristina vitia. *ibid.*

Passio.

Vide Christus.

Meditatio & imitatio Christi patientis commendatur. 428
Passioni Christi tribuitur remissio peccatorum. 180
Passionis Christi meditatio incentivum amoris. 648
Dei charitas in passione maximè eluxit. *ibid.*
Passiones animi uti examinandæ & ordinandæ. 159
Meditatio invitam & passionem Dom. 231. *fusa & pia.*
Aspiratio ad Deum Patrem passionem filii. 237

Adoratio crucifixi & instrumentorum Passionis. 238
Passionis Christi quomodo debeamus esse socii; ut simus & consolationis. *ibid.*
Processionis diei Palmarum & passionis conjunctio quid sibi velit. 195
Quid sæcularibus hinc discendum. *ibid.*
Quid item Religiosis & spiritualibus. *ibid.*
Passio & crux seu tribulatio via est ad gloriam. 196
Cur solus Christus passus. 202
Dies passionis quid signif. 203
Passionis & mortis Christi vis & efficacia. 214
In passione tria consideranda, opus, modus, caussa. *ibid.*
Argumentum passionis Christi in nobis fructificantis. 220
Beneficia passionis Christi grato animo recolenda. 227
Convivium passionis Domini. *ibid.*
Pigmenta seu bellaria hujus convivii. *ibid.*
Meditatio passionis Dominicæ quam expediens pietati Christianæ. 228
Mysterium passionis Dominicæ quomodo spiritualiter sæpiss. tractandum. *ibid.*

Pastor.

Vid. Tit. Clericus. Episcopus Prælatus.

Quam grave & periculosum negotium sit cura animarum. 13-*pulchre.*
Pastores mali maximi persecutores Christi. 139

Patientia.

Patientia bonus cibus: condimentum eius sapientia. 571
Patientia tuetur justitiam. 192
Quanta in Christo patientia. 215. *& seqq.*
Dies patientiæ quis. 113

S. Paulus.

Pauli simplex humilitas. 210
Mira in eum Dei misericordia. 318
Paulus non hominum, nec proprium, sed Dei judicium æstimat. 660
Paulus conversus convertit gentes, etiam hodie, idque tripliciter exemplo, oratione, & doctrina. 138
Festivitas conversionis triplicem affert utilitatem. *ibid.*
Perfecta Pauli obedientia & propriæ voluntatis abdicatio commendatur. 141

Paupertas. Pauper.

Vide Divitiæ. Divites.

Beati pauperes à Christo prædicantur. 398
Qui pauperes beati. *ibid.*
Philosophi divitias olim aspernati inter eos non censendi. *ibid.*
Pauper murmurans & impatiens hujus beatitudinis expers. 400
Pauperes voluntarii quasi incogniti & derelicti à Deo. 726
Qui reliquerunt omnia, relicti sunt Deo. 474
Christi paupertas. 256
Paupertas voluntaria quoddam martyrium. 404
Paupertas præsidium Continentium. 663
Per illam mundi huius pericula evadere licet. *ibid.*
Eius professio quomodo vitietur. *ibid.*
Cumulatio seu supererogatio paupertatis. 664
Contemptus mundi & amor paupertatis in Humberto Monacho. 469
Felix & secura paupertas Religiosorum. 500
Falsa & fucata paupertas. 16
Paupertas vacat invidia aliena. 698

Pax.

Vide Amor. Charitas. Rixæ.

Introducitur pax disceptans cum Miseric. Verit. Iust. de negotio Redemptionis humanæ. 185
In filiis pacis habitat Deus. 753
B. Martini studium pacis & misericordiæ. 450
Pax, quam debemus proximo, nutrienda charitate & humilitate. 619
Unitas seu unanimitas gloria Religiosorũ. 393
Falsum pacis studium. 16
Concordia sui ipsius constat, si ratio vacet errore, voluntas iniquitate, memoria sorde. 477
Ad pacem exercendam duo necessaria. 617
Concordiæ & communis vitæ prærogativa. 290
Pax plena & perfecta alteri vitæ reservata. 74. 286
Unitas & pax præcipuè colenda, ut placeamus Angelis. 392
Angeli amatores pacis deserunt contentiosos & unitatis hostes. *ibid.*

Peccatum Peccator.

Vide Impius.

Aliena peccata non patranda, sed portanda. 402
Confessio remedium contra peccati conscientiam. *ibid.*
Alii peccant in spe alii ex desperatione. 403
Cur Deus hominem peccantem non illico deleverit. 445
Primorum parentum lapsus ex instabilitate, & defectu charitatis. 463
Recordatio peccatorum valet adversus Pusillanimitatem & timorem laborum. 505
Malum animæ peccatum. 532
Magis cavendum peccatum, quàm peccati supplicium. *ibid.*
Peccatū quomodo variè sit in hominibus. 533
Onus peccati grave levi Christi onere commutatur. 554
Onerat nos Deus beneficio, cum exonerat peccato. *ibid.*
Diligentibus Deum peccatum cooperatur in bonum. 568
Justus ingratus & peccator securus ambo displicent Deo. 575
Ex consensu & deliberatione delinquere est animæ ossa frangere & vitā perdere. 586.
Timor efficacius peccato resistit, quam pudor aut dolor. 601
Memor novissimorum nunquā peccabit. *ibid.*
Septiformis spiritus adversus 7. peccati gradus. 602. & seq.
Longanimitas Dei culpam peccatoris non resipiscentis cumulat. 201
peccatorum non expedit per seipsum accedere ad Christum. 634
Signa & indicia curationis, seu remissionis peccatorum. 635
Nemo sine macula præter Christum. 644
Gradus peccati pulchra similitudine declarantur. 653
Homo peccans quid faciat, quid mereatur, quid amittat. 676
Dolor de peccatis, ut est gradus confessionis. triplex, nempe quia peccans Deum offendit, quia Deum non timuit, quia sprevit benefactorem. 677
Odium peccati unde comparandum. 691
o beatitudinibus opponuntur totidem peccata, 715. *& seqq. pulchrè*
Triplex ad peccatum gradus. 718
Deploratur à Davide ex personna peccatoris. *ibid.*
Gradatio peccatoris. 781
Remissio peccatorum à solo Deo. 179. & seq.
Passioni Ch. tribuitur remissio peccatorū. 180
Christi mors omnia peccata expugnat. 216
Triplex peccati genus cruce & morte Christi expugnatum. 217
Labor & dolor ex peccato primi parentis. 219
Cur deleto peccato originali fomes in homine remaneat. 223
Lotio pedum peccatorum venialium denotat remissionem. 224
Quam arduum sit emendare peccantem. 255
Animus peccatoris ad recipiendam disciplinā Præparatur divinitus, *ibid.*
Exemplum Petri pœnitentis animat peccatores. 319
Verba molliflua & consolationis plenissima pro peccatoribus. *ibid.*
Trib. modis à peccatis præservamur, 328
Exempla eorum, qui plenam peccatorum veniam consecuti majorem Dei gratiam & amicitiam meruerunt. 329.
Quomodo Deus convertere nos soleat ad pœnitentiam. *ibid.*
Peccatoris carcer, tortores & infernus depingitur. 347
Peccata non superficie tenus radenda, sed intrinsecus eradicanda. 348
Lazari quatriduani ac resuscitati cum peccatore pœnitente comparatio. 355
Dei infinita bonitas ad erigendos peccatores. *ibid.*
Peccatoris jam resuscitati status. *ibid.*
Corruptela naturæ ex peccato. 62
Desideria & peccata sunt opera tenebrarū. 77
Præposterus hominum pudor & superbia qui non erubescunt peccare sed pœnitere. 104
In veteri lege durum peccati originalis remedium. 126
Utilitas timoris adversus peccati concupiscentiam. 137
Leviora etiam peccata, quàm studiosè cavenda. 140

Pedes.

Pedes Chr. mysticè misericordia & judiciū. 339
Misericordiæ pes non solus amplectendus. *ibid.*

Sed

Sed neque judicii solus. *ibid.*
Uterque pes miseric. & judicij simul injungendus. *ibid.*
Pedes Domini judicia. 441
Duo pedes Domini; miseric. & veritas. 443
Commercium cæli & terræ in *Pentecoste.* 299

Perfectio. Perfecti.
Vide Iustus. Pius. Sanctus.

Perfectiones omnium rerum perfectius in Deo 397
Spirituales & perfectiores acrius impugnat dæmon quam sæculares & imperfectos. 514
Tentatio perfectorum, *Incursus & Dæmonium meridianum*, id est, astus Dæmonis ad evertendos virtutis amantes, malum specie boni pallians. 507
Nemo tam perfectus, quin egeat hac petitione: *dimitte nobis debita nostra.* 85

Persecutio. Persecutor.

Fidelium persecutio ipsius Christi censetur. 138
Salutem animarum impedire gravissima persecutio est. 139
Nunquam deest persecutio Christiano, adeoque Christo. *ibid.*
Prælati & Pastores mali maximi persecutores Christi. *ibid.*
Detractores & scandali auctores, etiam Christi persecutores. 140

Perseverantia.

Perseverantia sola virtutum coronatur. 483
Perseverantiæ necessitas. 680
Christi in cruce & opere redemptionis perseverantia. 242
Suadetur exemplo Christi. *ibid.*
Diabolus Christi patientis perseverantiæ frustra insidiatur. 243

Persona Divina.

Vide Deus. Filius. Pater. Spiritus. S. SS. Trinitas.

Omnes tres personæ in deitate spiritus, tertia tamen specialiter. 299
Triplex spiritus ex Psal. 50. tribus personis sigillatim accommodatur. 301

Petitio. Postulatio.
Vide Oratio.

Postulatio assignatur jam receptis in gratiam. 634
Modus rectè postulandi. 635
Temporalia & gratiæ gratis datæ sub conditione petenda. *ibid.*
At gratia gratum faciens & gloria æterna simpliciter & absolutè. 636
Petentes non accipimus, eò quòd negligenter petamus. 466
Cur Deus pleraque licet ardenter postulantibus non largiatur. 641

S. Petrus.

S. Petri Encomium. 310
Quantum eius fuerit peccatum. 311
Petrus olim peccator, nunc Eccl. prædicator & pastor. *ibid.*
Ingens Dei in Petrum misericordia. 318
Exemplum Petri pœnitentis animat peccatores. 319

Pharisæus.

Pharisæi orantis arrogantia & elatio. 194
Vacuus abiit; quia plenum se præsumpsit. *ib.*

Philosophi.

Philosophorum circa modum & ordinem rerum occupatio vana. 300
Verè sapientis est in rebus conditis spectare finem. *ibid.*
Discrimen carnalium Philosophorum & spiritualium. *ibid.*
Philosophi divitias olim aspernati inter Beatos pauperes non censendi. 398

Pietas. Pii.
Vide Iustitia. Iusti. Misericordia.

Cognitio & devotio afæ, quibus in Deum rapimur. 435
Pietatis fructus etiam impiis desideratus. 511
Gaudium piorum stabile & perpetuum. 569
Mors piis beneficium. 646
Verum gaudium solis piis competit. 338
Pii tentantur desolatione, neque id sine fructu & commodo. 574
Totus hominis pii thesaurus spes in DEUM. 527

Pisces. Piscina.

Pisces mystici triplices, in mari, fluviis & stagnis. 460

Pinnulæ & squamæ in piscibus mundis quid signif. 461

Culpa.

Vide Peccatum.

Quomodo culpa & pœna cooperentur nobis in bonum. 672
Hæ duo hostium genera nob. adversa. *ibid.*
Sensus culpæ tollit aut minuit sensum pœnæ. 673

Pœnitentia. Pœnitens.

Vide Peccator.

Gradatio resipiscentis. 781
Falsa pœnitentia. 250
Eius signum est non fugere occasiones. *ibid.*
Pœnitentiæ cohortatio sæcularibus durus sermo. 499
Periculosum in mortem usque differre curam animæ. 725
Nec tutum niti exemplo Latronis in cruce demum pœnitentis. *ibid.*
Ad agendam pœnitentiam tria necessaria, tempus corpus, locus. 661
Tria tempora præt. præs. fut. nullum perdit qui verè pœnitet. *ibid.*
Cur multi horreant pœnitentiæ & disciplinæ crucem. 475
Pœnitentia, ut est gradus confessionis, triplex. 1. ob amissam innocentiam. 2. ob non requisitam perditam. 3. ob abusum patientiæ Dei. 676
Magdalena non amplius peccatrix quando pœnitens. 482
Præposterus hominum pudor & superbia, qui non erubescunt peccare, sed pœnitere. 104
Multis dura nunc videtur pœnitentia sed durior erit tandem judicis sententia. 883
Totum tempus vitæ tempus pœnitentiæ. 162
Porcorum esus & immolationis prohibitæ Judæis ratio moralis. 174

Possessio.

Vide Divitiæ.

Proprietas possessionum lepra. 254

Potus.

Vide Cibus. Vinum.

Cœna est alterius vitæ; *Prandium* præsentis; ibi mera abundantia, hic sæpe defectus vini. 134

Præceptum.

Cur mandata Dei tam severè nobis imposita. 61
Septem impedimenta mandatorum Dei executionem retardantia. 152
Dæmonis impostura est Dei mandata reputare dura. 753

Prædestinatio.

Vide Iustific. Iustitia. Salus.

Prædestinatio sua cuique incerta. 265
Signa quædam prædestinationis observatu utilia. *ibid.*
Nemo de salute sua certitudinem habet, sed fiduciam. 150
Signa prædestinationis spem nostram confirmantis. *ibid.*
Præcipuum est debite audire verbum Dei. *ibid.*
Prædestinationis opus universum soli gratiæ tribuendum. 436
Predestinationis implendæ seu exequendæ quæ media, 511

Præesse.

Vide Prælatus.

Cœlestium *præmiorum* recordatio valet adversus pusillanimitatem & timorem laborum, 505

Prælatus.

Vide Tit. Clericus, Episcopus. Pontifex. Pastor.

Quales in Ecclesia debeant esse præsules. 649
Quàm grave & periculosum negotium sit cura animarum. 13
Mali Prælati maximi persecutores Christi 139
Prælati Marthæ officio funguntur. 551
Prælatis utraque vita Mariæ & Marthæ necessaria. 594
Prælatorum conditio, & officium. 664
Charitas præcipuè Prælatis necessaria. *ibid.*
Item puritas intentionis, & sanctitas conversationis *ibid.*
Prælatus alios corripiens ipse culpa vacet. *ibid.*
Prælatorum vita & doctrina, Emissio. 741
Quæ dælitiæ bonorum Prælatorum. *ibid.*
Prælatis exemplo potius, quàm verbo docendum. 755

Præsumptio.

Viæ Dæmonũ præsumptio & obstinatio. 536

Hæ singulariter cavendæ. *ibid.*
Gradus in præsumptionē & perditionem: Dis. simulatio propriæ infirmitatis, Ignorantia sui. Excusatio peccati, & cōtemptus. *ib.*
Principis error pernitiosus subditis. 185

Processio.

Prima & secunda Christi processio. 144
Ratio processionis in festo Purificationis. *ibid.*
Processionis ejusdem in Eccl. usitatæ ritus & mysteria tropologicè explicata. 146
Cur cerei sacro igne accensi gestantur. 147
Processionis dici Palmarum & passionis conjunctio quid sibi velit. 195. *& seqq.*
Quid sæcularibus hinc discendum. *ibid.*
Quid Religiosis spiritualibus. *ibid.*
Hæc processio repræsentat cælestem. 196
Triplex obsequium in hac processione Christo exhibitum. *ibid.*
Quatuor ordines in hac processione. 199
Quadruplex istius Ordinis mystica explicat. *ib.*
Dies processionis quid. 201

Profectus. Proficientes.

Nolle proficere deficere est. 147
Tentatio proficiendū, *sagitta volans in die*, id est Tentatio vanæ gloriæ, ei scutum opponendum. 506
Humilitas proficientium alitur sensu & experientia imperfectorum. 535

Promissio. Promissa.

Cur tam parum nos moveant tot promissiones divinæ. 765
Proprietas possessionum lepra 256

Prosperitas. Prospera.

Vide Adversa. Felicitas.

Nimia prosperitas forè periculosa & perniciosa. 198
In hac vita non datur perfecta felicitas. 406
Nihil infelicius felicitate malorum. 536
Dei providentia in dispositione rerum. 540

Proximus.

Vide Amor. Charitas. Misericordia. Pietas. Salus.

Quid proximis debeamus. 656
Non tantum Deo, sed & proximo vivere tenemur. *ibid.*
Proximo debemus pacem. 608
Dies prudentiæ quis. 111

Pudor.

Quinam perverso pudore ligentur. 209
Qui sciunt, sed præ pudore non faciunt quæ animalia alligata habent. 210

Pugna.

Vide Lucta.

Pugna spiritualis fuse & variis modis repræsentatur. 771
Davidis pusilli & Goliath Gigantis pugna mirabilis. 321
Ejusd. pugnæ mystica expositio. *ibid.*
Nunc pugnandum ut tandē coronemur. 478
Cruciatus ignis *purgatorii*. 647

Pusillanimitas.

Vide Desperatio.

Pusillanimorum cruciatus & miseria. 495

Quadragesima.

Vide Abstinentia. Iejunium.

Tempore quadragesimæ Christus generali totius orbis exercitu cum diabolo congreditur. 172

Quies.

Quies non cogitanda nisi post laborem. 177
Ne Christus quidem sine labore pervenit ad quietem. 178

Ratio.

Rationis custos adversus omnem hostilem incursum. 718
Reconciliatio cum Deo nunc facilis est, sed postea difficilis futura. 116

Redemptio. Redemptor.

Vide Tit. Christus. Incarnatio.

Eleganti prosopopœja introducitur misericordia & justitia de negotio humanæ redemptionis disceptantes. 184
Nullibi repertus idoneus ad opus Redempt. perficiendum, nisi ipse Deus. 185
Controversia & contentio inter misericor. verit. Just. & Pacem de Redempt. humana. 184
Contemplatio operum divinorum pro reparatione generis humani. 295
Potentia & sapientia Dei semper & ubiq; conspicua, & bonitas præcipuè in opere redemptionis. *ibid.*
Opus redemptionis quàm arduum. 221
Ad Altissimum *refugium* frequenter recurrendum. 529

Regio.

1. Est Regio dissimilitudinis, id est præsens sæculum. 689

Negotiationes in hac regione quales. *ibid.*
Secunda Regio est paradisus claustralis. 690
Forma vivendi hic comparanda. *ibid.*
Tertia Regio est regio expiationis seu purgatorium. 691
Quarta Regio est Regio infernalis. *ibid.*
Quinta Regio paradisus cælestis. 692
Eius felicitas & amœnitas. *ibid.*
Amor Dei hinc comparandus. *ibid.*

Religio. Religiosus.

Vide Monachus. Novitius. Professio. Regula. Votum. &c.

De vita & officio Religiosorum pulchrè disseritur. 662. *& seq.*
Status religiosus non omnino securus. *ibid.*
Triplex in eo periculum. 663
Tria eiusd. præsidia; afflictio corporis, paupertas, obedientia. *ibid.*
Religiosorum sub S. Bern. laus & commendatio. 696
Fervor mundanorum languidos religiosos confundit. 697
Religionis professis est regeneratio. 668
Religiosorum cœlebs vita cælestis & angelica. 649
Quomodo prophetica. *ibid.*
Religiosorum vita Apostolica. 670
Religiosi velut inter duas mensas mundanorum & cælitum positi. Illa respuenda, ad hanc suspirandum. 673
Dentium proprietates & attributa pulchrâ tropologia vitæ religiosæ seu monasticæ accommodantur. 745
Quæ Religiosorum cura expurgandæ continuò conscientiæ tempore Bernard. *ibid.*
Superbia & insolentia in Religiosis res detestabilis. 54
Timor religiosorum proprius quis 131
Religiosos Parentibus & propinquis nimium affectos Christus exemplo suo redarguit. 135
Religiosi propriæ magis quam Prælatorum voluntatis studiosi perstringuntur 141
Religiosi tardi, duri & indevoti jumento comparantur. 199
Tria religiosorum insignia, 227
Vitæ religiosæ studia quam dispari voluntatis affectu colantur. 275
Ad vitæ religiosæ munia cur plerique tam tolpidi & tepidi. *ibid.*
Religiosi quinam plangendi. 286
Signa & Critiria, quibus viros religiosos & falsos, ferventes & languidos discernas. *ibid.*
Sæculares infructuosos patientius fert Deus quam religiosos. 314
In congregatione vivendum ordinabiliter, sociabiliter, & humiliter. 312
Gratitudinis debito erga Deum omnes tenentur, sed religiosi à Deo de sæculo vocati peculiariter. 326
Septem Dei misericordiæ in religiosis præcipuè notandæ. 328
Felix domus & congregatio ubi de Maria Martha conqueritur. 350
Religiosæ domus habent Martham, Mariam, & Lazarum, id est, alii vacant administrationi, alii contemplationi, alii compunctioni. 331
Religiosis ab officio & cura vacantibus quid incumbat. 352
Religiosi perversi in monasteriis scandala suscitantes, quàm damnabiles. 393
Vnitas seu unanimitas gloria Religiosorum. *ibid.*
Felix & secura paupertas Religiosorum. 500
Religiosi sunt absconditi. 502
Religiosi terrena & sæcularia tractantes graviter perstringuntur. 516
Religiosorum possessio quæ, quantopere curanda, quantisque periculis expositа. *ib.*
Religiosorum vocatio & vacatio. 570
Religiosi malè incipientes, & malè finientes. 588
Malè incipientes, sed benè finientes. *ibid.*
Religiosos à malis cogitationibus, quàm alienos esse oporteat. 607
A Religiosis major exigitur justitia & integritas, quàm à sæcularibus. 611
In Religiosis minimus etiam nævus graviter offendit. *ibid.*
Religiosi vitæ Apostolicæ sectatores. 624
Vita religiosa Apostolicæ respondet. 625
Beneficium vocationis religiosæ quanti faciendum. 640
Religiosus cõsideret vnde, & quo vocatõ sit *ib.*

Discrimen inter corporales sæcularium & religiosorum labores. *ibid.*
Religiosi studio perfectionis languidi perstringuntur. 642
Notæ seu indicia tepidorum Religiosorum. 287
Religiosis quam noxia ingratitudo & tepiditas. 643

Res.
Vide Locus.

Quod Deo semel consecratum amplius ad humanos usus transferri non debet. 520

Resurrectio.

Fides corporeæ resurrectionis adstruitur. 519
Quæ resurrectio Christiani. 239
Variæ mortuorum resurrectiones. 244
Præcellentia resurrectionis Christi. *ibid.*
Spiritualis resurrectionis notæ. 250

Risus.

Risus fuga in Humberto monacho. 469
Rubus incombustus designat B. Virg. 31
Sacramentum quid. 222
Sacramenta quorsum instituta. 223

Sæculum. Sæculares.
Vide Mundus. Terrena.

Sæculares infructuosos patientius fert DEUS, quam religiosos. 314
Status hominum in sæculo periculosus. 662

Salvator.
Vide Christus. Redemptor.

Salvatoris nomen ubique celebre & amabile. 116
De fontibus Salvatoris. 86. *& seqq.*
Salvatoris nomen Christo competit per excellentiam. 45

Salvandi.
Vide Iusti. Prædestinati. Pii. Sancti.

An pro raritate signorum futura raritas salvandorum. 268

Salus.

Nemo de salute suâ certitudinem habet, sed fiduciam. 10
Desidia nostra in negotio salutis perstringitur. 720
In duobus consistit nostra salus, in justific. & glorif. 760
Nostræ salutis testimonium à conscientia, ab Ecclesia, & Prælato. 106
Samuelis erga proximum pius affectus & compassio. 341
Samuelis simplex humilitas. 210

Sancti.
Vide Beati. Iusti. Pii. &c.

Sancti nobis à Deo nati in magistros & mediatores. 311
In festis SS. non nativitas eorum, sed mors celebratur. 315
Mortem SS. cur celebret Eccl. 316
SS. vita, doctrina, & morte ipsa, denique & orationibus in nos benefici. 319
In sanctis quædam miranda, quædam imitanda. 332. & 449
Sancti potius in moribus quàm in mirabilibus imitandi. *ibid.*
SS. in terris viventes nos informant ad vitam, in cælis gaudentes invitant ad gloriam. 334
SS. in cælis securi quidem de se, at pro nobis solliciti. 335
SS. norunt nobis compati, & ipsi olim similia passi. *ibid.*
Quorundam SS. erga proximos affectus & compassio: nempe SS. Pauli, Iobi, Samuelis, Davidis; Iosephi. 341
Invocatio ad aliquem SS. elegantissima. 335
Sanctorum societas & præsentia desideranda. 419
Magnæ socordiæ est non anhelare ad consortium SS. *ibid.*
Si dulcis fraternitas in terris, quanto magis in cælis. *ibid.*
Felicitas & gloria SS, affectanda. *ibid.*
Aliter justis beatis, aliter nobis in fide etiamnum ambulantibus exhibetur Deus. 420
Abusus celebrandi solennia SS. *ibid.*
SS. suffragia nobis desideranda & speranda. *ibid.* 1. Quia non ignari malorum quæ patimur miseris succurrere dedicerunt. 2. Quia sacra eorum pignora, id est, Reliquiæ penes nos sunt. 3. Quia unius nobiscum corporis membra. 4. Quia non consummandi sine nobis. *ibid. & seqq.*

Sancti in cœlis securè laudantur. 418
Sanctorum laus & gloria unde. ibid.
Ad quid sanctis laudes & præconia nostra. ibid.
Laus & memoria SS. excitat in nobis triplex desiderium, societatis, felicitatis & intercessionis eorum. ibid.
Sancti hinc migrant pleni dierum. 563
Hominis sancti ex hoc sæculo liberati triplex congratulatio. 427
Sancti in cælis expectant nos. 62
Beatarum animarum triplex gaudium. 407
Quare & quomodo de visis impiorum supplicis sancti gaudeant. 522
SS. miracula spectanda, ut gloriæ divinæ miracula. 450
Ut gratia sit SS. laudatio, subsequi debet imitatio. ibid.
Beati non prodigiis, sed virtutibus insignes. 452
Sancti non consummabuntur sine nobis resumptione corporum. 62
Sanctis debemus imitationem. 609
Sanctis nulla erga impios & damnatos commiseratio. 523
Præsens SS. requies unde vocetur quandoque *sinus Abrahæ*. 413
SS. ipsa morte de diabolo mortis auctore triumphant. 453
SS. non cætera tantum, sed & vitam exponunt pro Deo. 454
Quomodo dicamur sancti. 672
Quis diei mereatur sanctus in hac vita. ibid.
Vita & mors sanctorum pretiosa. 713
Tria faciunt hominem sanctum, victus sobrius actus justus, sensus pius. 714

Sanctificatio.

Sanctificatio legalis & carnalis Patribus vet. test. visitata. At nunc spiritualis & interna necessaria. 76
Ad perfectam sanctificationem mansuetudo necessaria. 78

Sanctitas.

Christus omnis sanctitatis fons. 502
Triplex genus sanctitatis. ibid.
Via sanctitatis tendenda ad visionem majestatis. 77

Sapientia. Sapiens.

Vide scientia.

Sapiens non horret aspera aut tristitia. 883
Sapiens quis. 616
In ipsa etiam sapientia datur excessus. 763
Sapientia ubi invenienda. 605
Satietas mellis i. e. sapientiæ cavenda. 606
Sapientia sobria consistit in pœnitudine peccat. in contemptu terren. & in desiderio futurorum. ibid.
Sapientia in ore, corde & opere. 607
Sapientia quæ à Deo est unde noscenda. 632
Obedientia & patientia bonus cibus, condimentum utriusque sapientia. 578
Sapientia triplex Justitia in intentione, Hilaritas in operatione, Humilitas in reputatione. 573
Trivium sapientiæ. 695

Scandalum.

Religiosi perversi in monasteriis scandala suscitantes, quàm damnabiles. 393
Scandalum duplex internum & externum. 394
Internum triplici modo fieri potest. ibid.
Ingratum Deo, quod sit cum scandalo. 164
Scandali auctores Christi persecutores. 149

Scientia.

Vide Sapientia.

Scientia sanctorum quæ. 623
Alia scientia mundi, alia carnis; Illa instar patris, hæc matris. ibid.
Quali scientia nos illuminari oporteat. 65
Scientia venturi judicis paucorum est. ibid.
Scientiæ salutaris primus gradus, seu effectus pœnitudo seu dolor de peccatis, secundus correctio, tertius solicitudo. ibid.
Scientia inflans noxia ascensio est. 279
Hinc Adamo & posteris ruinæ causa. ibid.
Hominum vanitas noxio & nimio sciendi desiderio flagrantium. ibid.
Appetitus scientiæ perdidit hominem. ibid.
Cupiditas scientiæ quantis obnoxia periculis & malis. ibid.
Scientia benè vivendi potissima. 312
Cognitio & devotio alæ quibus in Deum rapimur. 435
Securè volatur ubi scientiam charitas comitatur. ibid.

Scriptura. Scriptor. Scribere.

Abuti SS. scripturis diabolicum. 392

Securitas.

Vide periculum.

Nulla securitas in hoc sæculo, semper timendum. 66

Securitas nostra in tot tantisque periculis quam pernitiosa. 467

Sedere. Sedes. Sessio.

Sedere dominationem notat. 438

Sedere quomodo conveniat soli Trinitat. 434

Sedere variè accipitur. 227

Quomodo Christo data sedes David. 47

Sensus.

Animæ sensus quid. 595

Non omne vivens sensu præditum. *ibid.*

Amor secundum. 5. corporis sensus quintuplex. 596

Ordo dignitatis & utilitatis in sensibus corporis. 597. Sic & in sensibus animæ. *ibid.*

Christianorum in *hebdomata* sancta religio & pietas. 214

Sanctitas hujus septimanæ. 222

Seraphim.

Alæ quibus caput Dei velant Seraphim, sunt admiratio & veneratio. 440

Quomodo his alis velent caput. 442

Alæ, quibus pedes velant prudentia & fidelitas. *ibid.*

Caput & pedes Domini velant, sed media relinquunt conspicua, id est, Dei longanimitatem & benignitatem. 443

Per duos Seraphim apud Isai. 6. intelligitur creatura angelica & humana. 432

Statio Seraphim incommutabilitatem denotat. 434

Serpens.

Serpens per Evam infudit venenum generi humano, at Angelus antidotum per Mariam. 296

Versutia serpentis deprehensa. 9

Servire. Servitus, Servus.

Servitus Dei tanto suavior omni servitute, quanto Deus suavior omni homine. 639

Quis fidelis servus. 411

Bonum & laudabile *silentium* triplex, à murmure, blasphemia, & jactantia. 382

Taciturnitas & linguæ custodia Humberti monachi. 469

Singularitas.

Singularitas nequissimum vitium. 325

Singularitas exosa. 382

Sinistrum.

Vide Dexterum.

Decem millia à dextris & mille à sinistris, quid signif. 513

Dextrum & sinistrum duo latera in corpore Ecclesiæ, i. e. spirituales & carnales. 514

Per dextrum spiritualia & cælestia, per sinistrum corporalia & terrena intelliguntur. *ibid.*

Sinistra pro salute dextræ, id est, corporalia pro spiritualibus exponenda. 515

Indignum maiorem esse sinistri quàm dextri curam. 517

Solitudo. Solitarii.

Boni solitarii conditiones. 313

Somnium. Somnus. Sopor.

Duplex sopor, primi Adami & secundi. 153

Sopor Adami non fuit communis aut nostro similis. *ibid.*

Spes. Sperare.

Tres filiæ Regis, Fides, Spes, Charitas, quodnam cujusque officium. 785

Solus Deus spei nostræ solidum præsidium. 555

Totus hominis pii thesaurus spes in Deum. 527

Sperandum in Deo, omni vanâ spe abjecta. 588

Tria spei fulcra fortissima. 331

Non modo in Deo speramus, sed & ipsum Deum. 525

Spiritus.

Duplex in nobis gratia seu operatio Spiritus S. alia ad propriam alia ad proximorum utilitatem dirigitur. 335

Septiformis spiritus in Christo juxta vaticinium Isaiæ. 187

Unde ariditas spiritus. 287

Consolatio spiritus frustra speratur inter illecebras carnis. 289

Oratio perseverans necessaria ad gratiam spiritus. 290

Duplex Eliæ spiritus, typus fuit spiritus Apostolis dati. *ibid.*
Apostoli diversimodè acceperunt Sp. S. primum insufflante Christo, deinde postquam ascendit. 291
Præparatio ad Sp. S. *ibid.*
Tria donat missus à Christo Spirit. pignus salutis, Robur vitæ, & Lumen scientiæ. 297
Cur Sp. S. in igne apparuerit. *ibid.*
Sp. S. opera. 299
Omnes tres personæ in deitate Spiritus, tertia tamen specialiter. *ibid.*
Triplex spiritus ex psalmo 50. tribus personis sigillatim accommodatur. 307
Sp. *sanctus, rectus, & principalis* quis dicatur. *ibid.*
Testimonium spiritus in nobis habitantis unde sumendum. 302
Spiritus quomodo multiplex. *ibid.*
Sp. S. datur hominibus multipliciter. *ibid.*
Pauci quibus datur Sp. S. ad fervorem, *ibid.*
Septiformis spiritus adversus 7. peccati gradus 1. Sp. Timoris contra negligentiam. 2. Pietatis contra curiositatem. 3. Scientiæ contra experientiam mali. 4. Fortitudinis contra concupiscentiam. 5. Consilii adversus pravam consuetudinem. 6. Intellectus contra contemptum. 7. Sapientiæ contra malitiam. 602. *& seq.*
Caro serviat spiritui, von è contrario. 628
Spirituum diversa genera; scilicet spiritus Dei, Satanæ carnis, & hujus mundi. 629
Spiritus unde discernendi. *ibid.*
Spiritus carnis, mundi, & malignus quibus indiciis se prodat. *ibid.*
Spiritus noster quandoque malis spiritibus conspirat. 630
Spiritus Dei unde cognoscatur. *ibid.*
Spiritus divini occulti accessus & recessus. 687
Quibus nondum Sp. S. missus. 694
In donis Sp. S. cavendum duplex periculum seu jactura tũ humilitatis tum charitatis. 735
Septem dona Sp. S. totidem vitiis peccatoris opposita. 702

Sponsus. Sponsa.

Vide Christus, Anima, Ecclesia.

Christus Sponsus & anima Sponsa in nuptiis spiritualibus. 133
Eorundem mutuus amor. 134
Dignitas & excellentia sponsi. *ibid.*
Quomodo nos simus sponsa cælestis sponsi. 489
Per osculum quid sponsa desideret, nempe cognitionem *Verbi Dei*, & veritatis amorem. 736
Statio Domini, Angeli, & hominis diversa. 439

Status.

Quinque gradus seu status hominum sub Deo. 586
Status 4. conversionem nostram præcedunt. *ibid.*
Primus status animæ sub seipsa. *ibid.*
Secundus hominum sub principe tenebrarum: isque triplex. 590
Primus status hominis sub Deo tanquam patrefamilias. 2. Uti Domino. 3. Uti magistro seu pædagogo isque Novitiis ferè proprius. 591. 4. Uti Patre. 5. Uti sponso. 592. *& seqq.*
Tres ordines seu status Ecclesiæ: Prælatorum, Continentium, conjugatorum. 662
Status hominum in seculo periculosus. *ibid.*
Continentium non omnino securus. *ibid.*
Tria præsidia status continentium. 663
Conditio hominis in statu naturæ integræ. 572
Status futuræ gloriæ post resurrectionem corporum. 573
Status naturæ corruptæ, *ibid.*
Christi oratio & *sudor* in horto. 203

Suffraganeus.

Vide Clericus. Episcopus.

SS. Suffragia nobis desideranda & speranda. 421
Suggestiones malæ quàm sollicitè repellendæ. 628

Superbia. Superbi.

Superbia detestabilis. 2
Principem Angelorum commutavit in Diabolum. *ibid.*
Ambitio & arrogantia Ecclesiasticis graviter perstringitur. 53
Item quam detestabilis superbia & insolentia Religiosorum, 54
Detestatio superbiæ. 74
Non tantum diabolus sed & omnis superbus extollitur supra Deum. *ibid.*
Superbus peccat in Deum. 98
Goliath typus superbiæ. 321

Quinque

Quinque adversus superbiæ vitium lapides, seu jucula usurpanda. 322
Hic Goliath quomodo suo ipsius gladio perimendus. 323
Superbia in ipsis virtutibus maxime cavenda. 467
Superbia impatiens consortis. 565
Antidotum quintuplex adversus superbiam nobis à Deo positum. 697

Superiores.

Vide Prælatus.

Superiori obedientia & reverentia tribuenda, 12
Historia *Susannæ* collata cum historia adulteræ Evang. 191

Suspirium.

Aspiratio ad cælestem patriam. 620
Aspiratio & gratiarum actio ad Christum Salvatorem. 237

Synagoga.

Vide Iudæus.

Synagoga Christum protulit, sed abjecit. 85
Dies temperantiæ quis. 112

Templa.

Festivitas dedicationis non tam templi consecrati materialis quàm nostri spiritualis. 473
Dedicatio templi materialis typus spiritualis. 474
Ritus & Ceremoniæ in dedic. usitatæ spectant ad institutionem templi mystici. 1. Aspersio. 2. Inscriptio. 3. Unctio. 4. Illuminatio. 5. Benedictio. *ibid.*
Ex Angelis & hominibus constituitur domus Dei. 475
Lapides vivi domus Dei quali glutino cohæreant. 476
Indignum Deo in nobis deesse domum, qui nos in domo tam splendida posuit. *ibid.*
Quomodo Deo templum in nobis ædificandum. 477
1. Stude, ne dissideas à teipso. 2. Cura ut mutua charitate conjungaris proximo. *ibid.*
Ecclesiarum nostrarum sanctitatis. 481
Præsentia & custodia SS. Angelorum Deus munit Ecclesias. *ibid.*
Quare templorum sanctitas honoretur: nempe non propter ipsa, sed propter nos. 483
Tres mansiones distinguit Bernardus, infimam mediam, & supremam. Primam vocat tabernacula. 2. Atria. 3. Domum Dei. Primam tribuit hic viventibus. 2. Hinc migrantibus. 3. In fine resurgentibus. *ibid.*
Supremæ Domus Dei voluptas & gloria inæstimabilis. 484
Quomodo nos simus Domus summi Patrisfamilias & templum Dei. 489
Locorum sacrorum dignitas ob cœtum priorum, visitationem Angelorum, & ipsius Dei præsentiam. 491
Quanta reverentia in locis sacris versandum. 492

Tempus.

Jactura temporis in verbis otiosis quanti æstimanda. 612
Tempus saluti curandæ opportunum non negligendum. *ibid.*
Iactura temporis cavenda, vel in purgatorio luenda. 472

Tentatio.

Primum certamen incipientium. 505
Initio conversionis carnis lucta molestior. *ib.*
Prima tentatio, *Timor nocturnus*, id est, Pusillanimitas & timor laborum; ad hanc vincendam valet. 1. recordatio peccatorum. 2. suppliciorum infernalium. 3. cælestium præmiorum. 4. Passionis Christi. *ibid. & seq.*
Secunda tent. proficientium, *sagitta volans in die*, id est, tentatio vanæ gloriæ. *ibid.*
Quos ea præcipuè petat & feriat. 506
Scutum illi opponendum. *ibid.*
Tertia tent. *Negotium perambulans in tenebris*, id est, ambitio, subtile malum, pestis occulta. *ibid.*
Plurimos perdidit. *ibid.*
Antidotum tam pestilentis mali. 507
Tribus tentationibus Christum aggressus est Diabolus. *ibid.*
Quarta tent. perfectorum, *Incursus & Dæmonium meridianum*, id est, actus Dæmonis ad evertendos virtutis amantes; malum specie boni pallians. *ibid.*

Qua-

Quatuòr tentationum genera, quib impugnatur Ecclesia. 1. Tyrannorum. 2. Hæreticorum. 3. Falsorum filiorum, id est, malorum Clericorum. 4. Antichristi. 508
Tentatio est vita hominis, contra eam scutum oratio. 504
Dei providentia in moderandis tentationibus. 504
In tentationibus invocandi SS. Angeli. 544
Tentationes Domini quatuor. 551
Tentatio contra spem occulta, sed gravissima. *ibid.*
Tentatio corporalis neceffitatis aspidi comparatur. 552
4. Virtutes totidem tentationibus oppositæ. 553
Quomodo extinguenda tentatio vanæ gloriæ. 552
Pii tentantur desolatione, neque id sine fructu & commodo. 574
Vicissitudine tentationis & desolationis in schola virtutum proficimus. 575
Victoria tentationis testimonium cælestis generationis. 260
Adversus triplices tentationes triplex munimentum, mortificatio, compunctio, charitas. 263
Tentationes aperiunt nobis imbecillitatem nostram, & ad Deum refugere docent. 166
Delectatio in Dom. per tentationes non excluditur. 167
Non cedendum tentationibus vel adversis. 383

Tepiditas. Tepidus.

Pernicioſa tepiditas unde. 275
Tepidorum notæ & indicia, 287
Eorum miseria. *ibid.*
Ariditas spiritus & gratiæ copia unde. *ibid.*

Terra.

Terra majestate Domini replenda excluso ab ea Satana. 429
Terra corporis nostri replenda quoque majestate Domini. *ibid.*
In terra orimur & morimur. 444
Cæli & terræ discrimen. 446

Terrena.

Vide Cælestia.

Qui terrena & caduca fastidit, is meretur cælestibus, & æternis repleri. 564
Carnales mundi bona complexi, non cogitant, cur, aut quid facta sint, 300
Terrena per *sinistrum* intelliguntur. 514
Temporalia sub conditione petenda. 635
Comparatio elegans hominum terrenis adhærentium. 1
Pereunt qui peritura sectantur. *ibid.*

Testimonium.

Testimonium in cælo ad discernendos Angelos beatos & reprobos. 264
Testimonium in terra ad discernendos justos ab impiis. 265
Triplex testimon. nostræ justificationis à sanguine Christi, aqua pœnitentiæ, & gratia Spir. S. 265
Mundi triumphati testimonium, 261
De testimonio Patris, Filii, & Sp. S. in cælo ob devictum mundum. *ibid.*

Thesaurus.

Vide Divitiæ.

Comparatio inter dubitationem *Thomæ*, & desponsationem Mariæ. 35

Timor.

Timor efficacius peccato resistit, quàm pudor aut dolor. 609
Timor Dom. præferēdus pietati proximi. 188
Nil sub cælo timet, qui Deum protectorem habuit. 499
Utilitas timori adversus peccati concupiscentiam. 137
Timor triplex vel amittendi gloriam, vel incurrendi gehennam, vel perdendi gratiam, 137. & 706
Timor tandem convertitur in amorem. 709
Timor triplex, quodnam officium cujusque. 131
Timori divino adversatur obstinatio. 208
Quinam perverso timore ligentur. 209

Triduum.

Triduū mysticū quo sustinendus Salvator. 323

Trinitas.

Vide Tit. Christus. Deus. Filius. Pater Spir. S.

Deus Pater Filius, & Spiritus S. expectat nos in cælis. 63
Fons Pater, lux Filius, pax Spiritus S. 75
Tota SS. Trin. quid nobis seminaverit, 177
Sedere quomodo soli conveniat Trinitati. 434

In

In Patre & Filio substantiæ unitas, & gloriæ æqualitas. 436
In anima rationali est quoddam vestigium summæ Trinitatis. 694
Trinitas felicitatis animæ in Trinitatem miseriæ commutata. ibid.
Memoriæ casus triplex. ibid.
Rationis quoque triplex casus. ibid.
Trivium sapientiæ. 695
Voluntatis itidem ruina triplex. ibid.
Triplicem naturæ lapsum reparavit summa Trinitas, idque per fidem, spem, charitatem. ibid.
Triplex fides, spes, charitas. ibid.
Trinitas varia. 696
SS. Trinitatis operatio circa Incarnationem Christi. 707
Tria tribus tribuenda, superiori, inferiori, æquali. Superiori obedientia & reverentia, Æquali consilium & auxilium; id est exemplum & oratio inferiori custodia & disciplina. 12

Tristitia. Tristes.

Lætis mysta sunt tristia. 197
Religiosa tristitia quæ. 338

Vanitas.

Vanitas filia propriæ voluntatis. 623
Nunquam satiatur. ibid.
Omnia sub sole vanitas. 306
Vellus Gedeonis designat B. Virg. 42

Verbum.

Quomodo audiendum verbum Dei. 150
Præcipuum signum prædestinationis debitè audire verbum Dei. ibid.
Pro dispositione auditorum afficitur lingua prædicatorum. ibid.
Otiosum verbum quodnam sit. 612
Quam sit efficax Dei verbum. 51
Verba Iesu aliis dulcia sunt, aliis dura. 582
Verbi Dei mira vis & multiplex utilitas. 632
Humilitas exemplo *Verbi* incarnati & sic humiliati sectanda. 86
Verbum Dei quanti faciendum. 313
Verbum asperum quid. 499
Otiosi sermones fugiendi, vel graviter in purgatorio luendi. 472
Diligens cura verborum adhibenda. 612
Iactura temporis in verbis otiosis quanti æstimanda. ibid.
De triplici verbo. 698
Sermo Dei durus in cortice suavissimus in medulla. 752
Dæmonis impostura est Dei verba & mandata reputare dura. 753
Sermones Dei servandi non in sola memoria, sed etiam in ore. 18

Veritas.

Viæ Domini misericordia & veritas. 337
Felix & jucunda copula utriusque adinvicem. 338
Veritas introducitur cum Misericordia, Iustit. & Pace disceptans de opere Redempt. 185. *eleg.*

Via.

Plana via commodior, sed aspera securior. 426
Ingredi duabus viis quid. 594
Variæ viæ expenduntur. 535
1. Via hominum, Necessitas & cupiditas. ibid.
2. Dæmonum, præsumptio & obstinatio. ib.
Hæ viæ maximè cavendæ. 536
3. Via Angelorum ascensio & descensio. ib.
4. Viæ Domini misericordia & veritas. ibid.
Diabolo obstinatio viam misericordiæ intercluſit. 538
Viæ hominis quomodo imitentur vias Domini. 539
Viæ Angelorum quomodo tendant ad vias Domini imitandas. ibid.
Viæ Angelorum quomodo imitandæ. ibid.
Quomodo incurramus in vias Dæmonis. ibid.
Viæ Dæmonum aliæ, circuitio & circumventio. 545
Hæ viæ quantopere cavendæ. 547

S. Victor.

S. Victoris Elogium. 331. *& seqq.*
Eiusd. nonnulla mirabilia. 332
Victor Angelis familiaris, & dæmonibus terribilis. 336
Invocatio ad S. Victorem elegantissima. ibid.

Victoria.

Insignes Christi victoriæ. 241

Vigilantia. Vigilia. Vigiles.

Vide Episcopus. Pastor. Prælatus.

Tres vigiliæ noctis exponuntur 1. rectitudo operis. 2. puritas intentionis. 3. custodia unitatis 67

Vigilia festorum symbolum est tribulationis, per quam itur ad regnum cælorū. 457

Vigiliæ festorum quomodo celebrandæ. 309

Vincentii Martyris fortitudo in tormentis. 751

Vinum.

Vinea. vide Vitis.

Vinum carnalis illecebræ. 616

Vinum bonum sanctæ voluptatis. *ibid.*

Virga Aaron designatur B. Virg. 31

Virginitas. Virgo.

Vide Castitas. Monialis.

Virginitatis & humilitatis pulchra copula. 26

Humilitas simpliciter necessaria, non item virginitas. *ibid.*

Virginitas cum fœcunditate in Maria mirabilis. 27

Quomodo Christum sequi debeant, qui semitâ virginitatis non possunt. 28

Propositum servandæ virginitatis firmum & immobile in B. Virg. non obstante maledictione legis. 42

Virginum est semper esse pavidas; nunquam securas. 44

Difficilis custodia virginitatis. *ibid.*

Virgines quid nobis seminaverint. 179

Angelica vita virginitas. 378

Virtus.

Falsarum virtutum imagines seu notæ & indicia pulchrè depinguntur. 16

Quàm pauci veras virtutes, quam multi umbras duntaxat virtutum sectentur. *ibid.*

Eliminatis vitiis, virtutes succedunt. 18

Vestimenta Discip. asinæ & pullo imposita ornamenta virtutum. 212

Gloria sine virtute inanis & indebita. 331

Sola virtus gradus ad gloriam. *ibid.*

Virtutes à nobis non prodigia exigenda. 333

Virtutes & exercitia Angelis grata ac familiaria. 391

Inanis splendor virtutum cavendus. 764

Visio.

Visionibus non temerè & præpropere credendum exemplo Ananiæ. 142

Tria videndi impedimenta. 362

Visionis exterioris obstacula; tenebræ, humor, pulvis. *ibid.*

Totidem interioris; peccata, eorum memoria, & terrenorum cura. 363

Ad hoc triplici impedimento purgandus oculus contemplationi vacaturus. *ibid.*

Visio Dei duplex: in majestate & humilitate. 427

Christus prius humilitate videndus antequam videatur in gloria. 428

Visio B. Benedicti. 546

Visibilia omnia transitoria. 472

Vivere. Vita. Viventia.

Futuræ vitæ quanta bona, seu premia. 79

Eremitica vita periculosior cœnobitica. 112

Hæc vita tempus purificationis. 136

Cœnobiticæ seu socialis vitæ utilitas. 141

In vita præsenti omnia parcè dantur, in altera copiosè sine mensurâ. 151

Vita nostra velut septuagesima captivitatis *ib.*

Vitæ spiritualis indicia. 251

Vitæ religiosæ studia quàm dispari voluntatis affectu colantur. 275

Ad vitæ religiosæ munia cur plerique tam torpidi & tepidi. *ibid.*

Scientia benè vivendi potissima. 312

In quo consistat bona vita. *ibid.*

In congregatione vivendum ordinabiliter, sociabiliter & humiliter. *ibid.*

SS. vita referta bonis est quasi mensa plena ferculis, unde quisque sumit, quod sibi convenit. 332

Vitæ mixtæ, quæ contemplativæ jungit activam, commendatio. 351

Utilis cautela pro Martha, seu actioni & ministerio mancipatis. 352

Utilis & præclara cautio pro Magdalena: seu his, qui vitæ contemplativæ vacant. 353

Vicissitudo vitæ præsentis. 425

Tentatio est vita hominis, contra eam scutum oratio. 504

Malis expedit non esse longævos. 565

Impii ex vitæ brevitate luxuriandi occasionem sumentes insaniunt. 566
Vitam modò longam modò brevem sibi fingunt. 567
Tentatio priorum, quibus tædio est longior vita ob continuos, quos secum trahit, labores. *ibid.*
Remedium ejus consideratio & futuræ retributionis & gloriæ. *ibid.*
De fallacia & brevitate vitæ præsentis. 565 *& seqq.*
Damna vitæ prioris si non reoperando saltem recogitando corrigenda. 577
Vivens carne & spiritu Deum laudat. 579
Non omne vivens sensu præditum. 595
Alii contemplativæ, alii activæ vitæ officiis magis idonei. In his discernendis falluntur sæpe homines. 738

Vmbra.

De unanimitate. 692

Vnctio Vnguentum.

Unguentum compunctionis, & devotionis, illud pedibus Christi, hoc capite convenit. 737
Unguentum capitis quanto pretiosius altero pedum. *ibid.*
Unguentum tertium, idque prioribus excellentius. 738
Cur Christus noluerit suum corpus mortuum ungi unguento per mulieres præparato. *ibid.*
Triplex Magdalenæ unguentum. 1. contritionis de recordatione peccatorum ad pedes Christi pertinens. 339
2. Devotionis de recordatione beneficiorum Dei ad ungendum Christi caput. 340
Modus compositionis ejusdem. *ibid.*
Utriusque unguenti differentia. *ibid.*
3. Unguentum pietatis pretiosius cæteris & totum Christi corpus respiciens. 341
Confectio hujus tertii unguenti. *ibid.*
Unguenti mystici species & compositio. *ibid.*

Vnitas. Vnum.

Unitas multiplex. 727
Unitas quædam laudabilis, quædam damnabilis. 364
Unitas perversa quorundam religiosorum perstringitur. *ibid.*
Unitas bona triplex. *ibid.*
Hæc servatur duobus modis, erga seipsum, & erga proximum. *ibid.*
Tria quæ unitatem ad seipsum impediunt. 365
Vitia unitati inimica quomodo curanda. *ibid.*
Unitas ad proximum duobus modis habetur, & totidem impeditur. *ibid.*
Huic remedium à charitate petendum. *ibid.*

Voluntas.

Voluntatis divinæ executio cor hominis confortat. 202
Propriæ voluntatis nummo quænam aromata emenda. 253
Sinceræ charitatis & propriæ voluntatis discrimen *ibid.*
Propria voluntas lepra. 257
Ejus pericula & nocumenta. *ibid.*
Quam in Deum iniqua & crudelis. *ibid.*
Deum quodam modo perimit. *ibid.*
Quare Christus voluntatem suam noluerit impleri. 258
Pertinacia proprii sensus & judiciis perstringitur. *ibid.*
Nulla creatura nos per vim è charitate potest avellere, sola propria voluntas id potest. 597
Primi parentes non coacti, sed decepti, id est, non necessitate, sed voluntate peccarunt. 598
Propria voluntas hominem subjecit diabolo. *ibid.*
Propria voluntas vipera pessima. *ibid.*
Propriæ voluntatis duæ filiæ, vanitas & voluptas, quæ nunquam satiantur. 623
Voluntas ad minimum Deo danda. 626
Summa humilitatis in subjectione voluntatis. 638
Utilis doctrina de voluntate Dei adimplenda. *ibid.*
Quid agendum ubi incerta Dei voluntas. *ibid.*
In differentia voluntatis commendatur. *ibid.*
Voluntatis seu potius concupiscentiæ plena subjectio impossibilis in hoc mortali corpore. 639
Voluntas contra pravas affectiones munienda recordatione cælestis patriæ. 654

Voluntatis ruina triplex. 695
Voluntatis custos adversus impetum desiderio rum. 718
Quàm difficile propriam relinquere voluntatem. 727
Quid de conjunctione boni operis & bonæ voluntatis sentiendum. 103
Bonum opus sine voluntate, & bona voluntas sine opere quando prosint. ibid.
Varia in homine divinæ voluntatis obstacula: nempe ex innata malitia, seu corruptione naturæ, ex infirmitate humana, ex concupiscentia, ex ignorantia. 169. & seqq.

Voluptas.
Vide Deliciæ.

Voluptas filia proprlæ voluntatis, nunquam satiatur. 623
Voluptas insidiatur sanitati idque per quam subtiliter. 608
Voluptas corporis lepra. 256

Vox.

Amaritudo vocis divina mixta dulcedine. 583

Zelus.

Zelus justitiæ & rectitudinis in erratis proximis. 252
Compassionis affectus prævalet zelo rectitudinis. ibid.

Collegij Soc. Iesv Paderbornæ 1669

FINIS.

SERMO

Th
1339

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN